


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
ROMA
1
5 H
10

BIBLIOTHÈQUE CLASSIQUE LATINE

— OU —

COLLECTION

DES AUTEURS

CLASSIQUES LATINS

AVEC

COMMENTAIRES ANCIENS ET NOUVEAUX

FRAGMENTS INÉDITS, RECHERCHES, DISSERTATIONS, INDEX, PORTRAITS, CARTES GÉOGRAPHIQUES, PLANS DE SIÉGES ET BATAILLES, TABLEAUX, ETC.


PAR N. E. LEMAIRE,

ANCIEN DOYEN ET PROFESSEUR DE POÉSIE LATINE A L'ACADÉMIE DE PARIS.

IMPRIMÉE PAR DIDOT.

SECONDE SOUSCRIPTION.





PARIS,

ON SOUSCRIT CHEZ M. EHRMANN,

RUE DE LULLI, N° 1, PLACE DE L'ANCIEN OPÉRA.



BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL ET WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
BOSSANGE père, libraire, rue Richelieu, n° 60.
DONDEY-DUPRÉ, impr.-lib. rue Richelieu, n° 47 *bis*.
BRUNOT-LABBE, libraire de l'Université, quai des Augustins, n° 33.
JUL. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

CAII PLINII SECUNDI

HISTORIÆ NATURALIS

LIBRI XXXVII

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,
REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

CAII PLINII SECUNDI

HISTORIÆ NATURALIS

LIBRI XXXVII

CUM SELECTIS J. HARDUINI, DALECAMPII, BODÆI, GERARDI, SPRENGELII, ATQUE ALIORUM NOTIS ET EXCURSIBUS

PARS QUARTA CONTINENS REM HERBARIAM

CURANTE L. DESFONTAINES

REGIÆ SCIENTIARUM ACADEMIÆ SOCIO, NECNON IN HORTO REGIO PARISIENSI BOTANICES PROFESSORE

VOLUMEN QUINTUM



PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXIX

PRÆMONITIO EDITORIS.

Quum nos ad quartam hanc naturalis Historiæ partem edendam accingeremus, neque rerum difficultas ita deterruit, ut nos suscepti laboris pœniteret, tot nempe doctorum virorum auxiliis fretos; neque tanta nos cepit virium fiducia, ut omnibus numeris opus feliciter absolutum ad finem perduci posse putaremus. Dum vero menti succurreret nemini magis, quam cui diutius phytographiæ antiquæ studio insudandum fuerit, innotescere, quam contumacem tractaremus materiam, nostro jure speravimus fore, ut peritiores conatibus nostris faverent; aut ignoscerent certe, si quædam ipsis minus adprobarentur. Quam ad rationem nostrum hoc, qualecumque est, opus exegerimus, vix necesse arbitramur lectorem fusius edocere, qui affixam primo nostro volumini præfationem pervolverit. Quod pertinet ad repræsentandum dilucidandumque Plinianæ orationis contextum, Harduinum nostratem sequi, optimum omnium interpretem, jamjam tot abhinc annis doctorum testimonio comprobatum, nulli dubitavimus; nec tamen a Cl. viri sententia recedere nobis religio fuit, si quid et novum dictu, et cognitu dignum apud novissimos editores, Rezzonicum scil. et Broterium, deprehenderimus. Nec fontes negleximus antiquos, Pintiani, Scaligeri, Salmasii, etc. commentarios et exercitationes; sed doctissimorum virorum sententias, notis quam brevissimis comprehensas voluimus, ne volumen nimiam in molem excresceret, aut ea, quæ videbantur optima, prorsus omitterentur. Quæ autem adjuncta de nostro, aut ex fontibus hactenus ignotis deprompta, in lucem primum prodeunt, paucis edisserendum est. Dalecampii, Clusii, Bodæique notas de plantis illustrandis, proprioque nomine definiendis, consuluimus semper, sed caute et raro admisimus; quia scilicet nimium incertæ, nimium obscuræ plerumque visæ fuerint, quam ut iis tuto adhærere potuerimus. Salebrosam igitur, et fere inextricabilem, phytographiæ antiquæ viam tentare ausis, dux nobis potissimum eli-

gendus fuit Cl. Sprengelius, quem nostris temporibus, et consummata scriptorum antiquorum notitia, et indefesso botanices augendæ studio, præ cæteris de hac nobili scientia optime meritum nemo non fatebitur. Plerasque eruditiss. viri notas, ex *Historia rei herbariæ* decerptas, luculentissimosque ejusdem Excursus ex *Antiquitatum Botanicarum Specimine*, in usum nostrum convertimus. Nec mediocris adjumenti fuere Cl. Gerardi (*la Flore de la Provence*) observationes in Plinium hactenus ineditæ, quarum nobis liberaliter copiam fecit Gerardus filius, doctissimo patre non indignus, qui nonnullas ipse in Plinium aliquot locis illustrandum symbolas contulit. Nec sine piaculo tacendum fuerit maxime verendum apud viros rei herbariæ peritos illustrissimi et amicissimi L. Desfontaines nomen, qui, quoad per valetudinem licuit, nostrum opus revisere dignatus est, notisque criticis locupletare, quas summo viro acceptas referre grato ac memori animo gaudemus. Iis copiis instructi, talibus freti auxiliis, incœpto incubuimus operi, quod ut nobis arduum, sic lectoribus utile visum iri, speramus vere magis quam confidimus.

N. E. L.

C. PLINII SECUNDI

NATURALIS HISTORIÆ

LIBER XII.

I. ANIMALIUM omnium, quæ nosci potuere, naturæ generatim membratimque ita se habent. Restant neque ipsa anima carentia (quandoquidem nihil sine ea vivit) terra edita, ut inde eruta[1] dicantur, ac nullum sileatur Naturæ opus. Diu fuere occulta[2] ejus beneficia : summumque munus homini datum, arbores silvæque intelligebantur. Hinc primum alimenta[3], harum fronde mollior specus[4], libro vestis[5]. Etiamnum gentes[6] sic degunt. Quo 1 2

I. 1. *Ut inde eruta.* Ut deinde metalla dicantur, quæ sunt e terra eruta. HARD.

2. *Occulta.* Elzev. *occultata*, manifesto operarum errore. — *Occulta ejus beneficia.* Rudioribus hominibus incomperta, qui diu summi muneris loco habuerunt arbores et silvas, ex quibus vestes et alimenta suppetebant. Vid. nott. 5 et 6 infra. ED.

3. *Alimenta.* Sic Chiffl. cod. Lib. ante Hard. editi, *alimentum*. ED.

4. *Mollior specus.* Tum scilicet, uti Naso cecinit, Met. I, 121 et 122 : « Quum primum subiere domos, domus antra fuerunt, Et densi frutices, et junctæ cortice virgæ. » HARD. — Vetus liber apud Dalec. *melior*. ED.

5. *Libro vestis.* Et arborum libro, inquit, mollior hominum in his rerum primordiis vestis fuit. HARD. — Nec nos Plinio fidem abrogamus : etenim insulæ, quam vulgo *Iedso* vocant, incolis agrestibus adhuc et semiferis, librum tiliæ, sive interiorem arboris cujusdam similis corticem, panni vice intertextam, pro veste etiam nunc esse testatur BROUGHTON, *Voy. de découvertes dans l'Océan pacifique boréal*, 1795—98. ED.

6. *Etiamnum gentes.* Ad rationem maxime ædium hic gentium mos spectat. Eximius est Vitruvii locus, lib. II, cap. 1, ubi multa eleganter de priscorum hominum vita, et de initiis humanitatis atque tectorum et incrementis eorum. Nam ut aliqua ex iis delibemus : « Ad hunc diem, inquit, nationibus exteris ex his rebus ædificia constituuntur : ut in Gallia, Hispania,

magis ac magis admirari subit, ab iis principiis[7] cædi montes in marmora, vestes ad Seras[8] peti : unionem in Rubri maris profundo, smaragdum in ima tellure quæri. Ad hoc excogitata sunt aurium vulnera : nimirum quoniam parum erat collo crinibusque gestari, nisi infoderentur etiam corpori. Quamobrem sequi par est ordinem vitæ, et arbores ante alia dicere, ac moribus[9] primordia ingerere.

1 II. (I.) Hæc fuere numinum templa, priscoque ritu simplicia rura etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant[1]. Nec magis auro fulgentia atque ebore simulacra, quam lucos, et in iis silentia ipsa adoramus. Arborum genera numinibus suis dicata perpetuo servantur : ut Jovi esculus[2], Apollini laurus, Minervæ olea, Veneri myrtus,

Lusitania, Aquitania, scandulis robusteis, aut stramentis, etc.» HARD. — Autris pro ædibus etiamnum utuntur nonnullæ Arabum gentes; et in insulis, quas *Oceaniæ* vulgo dicimus, tecta sibi plerumque parant incolæ ex ramis arborum. ED.

7. *Ab iis principiis.* A cultu corporis tam simplice, ad tam luxuriosam in vestitu ædibusque lautitiam delapsos esse mores. HARD.

8. *Ad Seras peti.* Vet. apud Dalec. *a Seribus*, quod quidem videtur magis congruere cum seq. *in maris profundo;* nihil tamen mutamus, nam simili prorsus locutione Noster usus est inf. cap. 38 : « Peregrinos ipsa (Arabia) mire odores et ad exteros petit, » hoc est, ab exteris. De Sericis vestibus vide quæ jam dicta sunt lib. VI, cap. 20, et lib. XI, cap. 26. ED.

9. *Ac moribus.* Atque inculcare animis legentium, qui prisci hominum mores fuerint, quibus initiis mores nostri ad hanc luxuriem venerint. HARD. — Libri quidam apud Dalec. *ac orbis*, vel *ac morbis*, non satis liquido sensu. ED.

II. 1. *Arborem dicant.* Hunc hodieque morem, ruri præsertim, obtinere, jamdudum Dalecampius animadvertit : procerissimas nempe arbores in vestibulis sacrarum ædium, sepulcretisque viciuis positas videmus. ED.

2. *Ut Jovi esculus, Apollini laurus*, etc. Lepide in eam rem Phædrus, Fabul. III, 17 : « Olim, quas vellent esse in tutela sua, Divi legerunt arbores. Quercus Jovi, Et myrtus Veneri placuit, Phœbo laurea, Pinus Cybebæ, populus celsa Herculi. Minerva admirans, quare steriles sumerent, Interrogavit; causam dixit Jupiter : Honorem fructu ne videamur vendere. At me Hercules narrabit, quod quis voluerit, Oliva nobis propter fructum est gratior. Tunc sic Deorum

Herculi populus. Quin et Silvanos, Faunosque, et Dearum genera silvis, ac sua numina[3], tanquam et cælo, attributa credimus. Arbores postea blandioribus fruge succis[4] hominem mitigavere. Ex iis recreans membra olei liquor, viresque potus vini: tot denique sapores annui[5] sponte venientes: et mensæ (depugnetur licet earum causa cum feris, et pasti naufragorum corporibus pisces expetantur) etiamnum tamen secundæ[6]. Mille præterea sunt usus earum, sine quis vita degi non possit. Arbore sulcamus maria, terrasque admovemus: arbore exædificamus tecta. Ex arbore et simulacra[7] numinum fuere, nondum pretio excogitato belluarum cadaveri[8]: antequam, ut a Diis nato

genitor atque hominum sator: O Nata, merito sapiens dicere omnibus! Nisi utile est, quod facimus, stulta est gloria. » HARD. — Conf. Phæd. tom. II, pag. 92 sqq. nost. edit. et ibi nott. ED.

3. *Quin et Silvanos Faunosque et Dearum genera silvis, ac sua numina*, etc. Locum esse suspicor non solum corruptum, sed verbis etiam aliquot deminutum. Utcumque melior erit lectio: « Quin et Silvanis Faunisque et Nympharum generibus, e silvis sua nomina tanquam e cælo attributa credimus. » Nam et cod. Tolet. *nomina* præfert, non *numina*. PINT.—Ne mireris in doct. viro emendandi pruriginem; sed nisi coerceatur in tempore, quid integri demum vetustioribus in libris tanta audacia reliquerit? ED. —*Et Dearum*. Dryadas, Hamadryadasque intelligit, quas Semideas appellat Ovid. Heroid. ep. IV, 49: « Aut quas Semideæ Dryades, Faunique bicornes, etc. » HARD.

4. *Blandioribus fruge succis*. Posterioribus, inquit, sæculis, homines a feris moribus ad mitiorem vitam traduxere arborum succi (oleum et vinum) blandiores hordeo, tritico, etc. quibus principio vescebantur, teste Ovidio, Metam. I, 123 seq. « Semina tum primum longis Cerealia sulcis Obruta sunt, pressique jugo gemuere juvenci. » Cf. Cic. de Nat. Deor. II, 63. ED.

5. *Annui*. Cod. Chifflet. *anni*. ED.

6. *Secundæ*. Arbores, inquit, mensas etiamnunc secundas subministrant: poma nimirum, quæ mensis, ut vocat Horat. Od. IV, 5, alteris ponebantur. Hinc illud ejusdem vatis, Serm. I, sat. 3, 7, ab ovo, quod erat cœnæ initium, usque ad mala, qui cœnæ finis. HARD. — Conf. et Vitruv. II, 1. ED.

7. *Ex arbore et simulacra*. E codd. Reg. Lang. et edit. principe, *arbore et simulacra* edidit Broterius, qui mox *atque ut*, pro *antequam*, *ut*, ex Ambros. codd. Reg. et edit. princ. legere jubet. Nos, præmonito lectore, vulgat. retinuimus. ED.

8. *Belluarum cadaveri*. Elephantorum ebori. HARD.

jure luxuriæ, eodem ebore numinum[9] ora spectarentur, et mensarum pedes. Produnt Alpibus coercitas, et tum inexsuperabili munimento Gallias, hanc primum habuisse causam superfundendi se Italiæ, quod Helico[10] ex Helvetiis civis earum, fabrilem ob artem Romæ commoratus, ficum siccam et uvam, oleique ac vini præmissa[11] remeans secum tulisset. Quapropter hæc vel bello quæsisse venia sit.

1 III. Sed quis non jure miretur, arborem umbræ gratia[1] tantum ex alieno petitam orbe? Platanus[2] hæc est,

9. *Numinum*. Proponebat Dalecamp. *hominum*, mera et inani conjectura. Ed.

10. *Helico*. Edit. ante Harduin. *Elico*. Ed. — *Earum*. Helvetiarum scilicet. Hard.

11. *Præmissa*. Ita libri omnes. Diligentem exquisiti olei ac vini delectum ea vox significare mihi videtur, etsi aliter forte Rhodigino visum, lib. VI, cap. 6. Livius V, 33, Gallorum gentem ex vulgi fama tradit, dulcedine frugum, maximeque vini nova tum voluptate captam, Alpes transisse, agrosque ab Etruscis ante cultos possedisse. Hard. — Conf. et ad hunc locum Plutarch. in Camillo, pag. 135, qui invectum in Galliam vinum, illiciendæ gentis causa, ab Arunte, claro in Etruria viro, memoriæ prodit. Ejus rei fortassis exemplo, imperatores Valentinianus et Gratianus in Codice prohibent, ad barbaros vinum, oleum et liquamen transferre, ne gustus quidem causa aut commercii. Magius apud Dalec. lib. III, cap. 12. Ed.

III. 1. *Umbræ gratia*. Ex qua fructus alius, præterquam umbræ, percipi nullus possit. Hard.

2. *Platanus hæc est, mare*, etc. Ita codd. Hard. Vetus apud Dalec. *ea est. Hæc per mare*. Dalec. Elzev. et al. ante Hard. *hæc est, per mare*. — *Platanus*, etc. Hæc est *Platanus orientalis* Lin. (*Monœc. polyand.* gen. 2108, Pers. *Amentac.* Juss.), magna et procera arbor, multis validisque radicibus nixa, ramos prælongos, patulos et frondibus luxuriantes late spargens; et inde nomen illi a græco πλάτος, latitudo, sive a πλατύνω, dilato, in latum diduco. Antiquos inter scriptores vix reperias ullum, qui ejus non meminerit. Nullam enim ex peregrinis arborem tantopere in deliciis Romani proceres habuere, qui platanos in villis, hortis, ambulacris summa cura consitas, diligentia incredibili colebant, umbræ duntaxat gratia. Quippe nec arbori fructus edulis, quare *sterilis* Virgilio dicitur Georg. II, 70; nec illius ad sustentandas vites, ulmi instar, utilitas; unde *cœlibem* eam eleganter Horatius appellat Carm. II, 15, 4. Unica ejus commendatio, unicum decus, et id quidem brevissimum, scil. opacæ frondis amœnitas, qua per æstatem potantes genioque suo indulgentes recreabat, *genialis* inde nuncupata Ovid. Met.

mare Ionium[3] in Diomedis insulam ejusdem tumuli gratia primum invecta, inde in Siciliam transgressa, atque inter primas donata Italiæ, et jam ad Morinos usque pervecta, ac tributarium etiam detinens solum[4], ut gentes vectigal et pro umbra pendant[5]. Dionysius prior[6], Siciliæ tyrannus, regiam in urbem[7] transtulit eas, domus suæ[8] miraculum,

lib. X, v. 95. Platanus fontes amat ac fluvios: sponte nascitur iu Oriente; colitur in Europæ meridianis, ubi in magnam et excelsam arborem frequenter excrescit; etenim ex crassis ejus truncis naviculas integras confici a Græcis, qui Atho montem incolunt, auctor est Bellonius. Quod si Bodæo credamus, hiemem non adeo pertimescit; in regionibus tamen, ubi asperior cæli temperies, ita est frigoris impatiens, ut pæne fruticosa maneat, foliaque emittat tantum triloba, quorum laciniæ minus sinuatæ sunt, quod jampridem observavit Cl. Willdenowius. Cf. Duhamel, *Traité des Arbres*, etc. tom. II, pag. 170. De malis platano inserendis vide quæ dicturi sumus lib. XV, cap. 17. Ed.

3. *Mare Ionium.* Ionium appellat, ut lib. III, cap. 14, quod Italiam ab Apulia usque in Pachynum, Siciliæ promontorium, circumcingit. De hoc mari Ionio Virg. Georgic. II, 108: « Nosse quot Ionii veniant ad littora fluctus. » Non ab Ionibus tamen nomen habet, quippe qui hinc procul absunt, et sui nominis penultimam producunt, Ἴωνες. Hard. — *Diomedis insulam.* De Diomedea iusula (*île Tremiti*) vid. quæ dicta sunt lib. III, cap. 30. Cf. etiam Plin. lib. X, cap. 61. Ed.

4. *Ad tributarium detinens solum.* Harmenopulus suo sæculo non tantum pro solo, sed etiam pro cælo et aere, vectigal exactum fuisse tradit a Michaele Paphlagone imperatore. Dalec. — *Detinens solum.* Ita MSS. non *pertinens.* Inter silvas suas Morini platanonas habebant, pro quibus vectigal populo romano pendebant. *Solarium* id vectigalis genus Pandectæ vocant, quod pro solo penditur. Hard.

5. *Et pro umbra.* Pro arboribus alioqui infrugiferis, ac solius umbræ beneficio commendandis, pro qua etiam vectigal pendere gentes cogerentur. Hunc locum Cujacius in Observatt. præpostera interpretatione corrumpit. Hard.

6. *Dionysius prior.* Hoc est, antiquior, ὁ πρεσβύτερος. Hæc totidem fere verbis Theophrastus, Histor. Plant. lib. IV, cap. 7. Hard.

7. *Regiam in urbem.* Ita bene codex Reg. 2 et edit. princeps. In codice Reg. 1 *regium;* inde, et ex prava Theophrasti IV, 7, iuterpretatione latina, male emendatum *Rhegium in urbem.* Regia Dionysii domus fuit Syracusis. Brot.

8. *Domus suæ miraculum.* Ita libri omnes. Nec cod. ullus favet, nec ratio ipsa, Pintiani conjecturæ, qui substituit, *domui suæ umbraculum.* Hard. — *Gymnasium.* Sic Theophrast. loc. cit. ἐν τῷ παραδείσῳ, αἵ εἰσι νῦν ἐν τῷ γυμνασίῳ. Successit igitur hortis gymnasium, sive pa-

ubi postea factum gymnasium : nec potuisse in amplitudinem adolescere; et alias fuisse[9] in Italia, ac nominatim Hispania, apud auctores invenitur.

1 IV. Hoc actum circa captæ Urbis[1] ætatem : tantumque postea honoris increvit, ut mero infuso[2] enutriantur : compertum id maxime prodesse radicibus : docuimusque etiam arbores vina potare.

1 V. Celebratæ sunt primum in ambulatione Academiæ[1]

læstra, ubi de more athletæ exercebantur. Hard.

9. *Et alias fuisse.* Theophrast. libro IV, capite 7 : ἐν μὲν γὰρ τῷ Ἀδρίᾳ πλάτανον οὐ φασὶν εἶναι, πλὴν περὶ τὸ Διομήδους ἱερόν· σπανίαν δὲ καὶ ἐν Ἰταλίᾳ πάσῃ. Alios secutus auctores Plinius legit : ἐν Σπανίᾳ δὲ καὶ ἐν Ιταλίᾳ, aut certe recitantem ita libertum audiit. Atque adeo genuina videtur codicis Pliniani lectio, quam et codices omnes tuentur; quum alioqui sic mutanda foret, ex vero Theophrasteæ orationis intellectu : « et raras fuisse in Italia, ac nominatim in Adria, apud auctores invenitur. » Hard. — Codd. Regg. et Lang. *ut alias.* Alias autem intelligo *alius generis.* Nempe platanus, gallice *le platane*, non erat in Italia et Hispania, sed Acer platanoides, *l'érable plane.* Nec aliter Cererem Atticam ab alia Cerere in Sicilia distinxit Plinius VII, 56. Brot. — Hallucinari videtur Broterius. Noster enim non alius generis platanos, sed alias similiter esse in Italia, raras quidem Dionysii temporibus, significare voluit. Ed.

IV. 1. *Captæ Urbis.* Romæ a Gallis captæ, anno U. C. 364. Dal. cod. *circa Capuæ urbis ætatem.* Male ; adeone enim insignes hujus urbis ortus, et Romanis commendabiles visi sunt, ut signandos inde fastos, et denotanda tempora Plinius putaverit ? Hard.

2. *Ut mero infuso.* Macrob. Saturn. II, 9 : « Hortensius platanos suas vino irrigare consuevit : adeo ut in actione quadam, quam habuit cum Cicerone susceptam, precario a Tullio postulasset, ut locum dicendi permutaret secum : abire enim in villam necessario se velle, ut vinum platano, quam in Tusculano posuerat, ipse suffunderet. » Martial. Epig. IX, 62 : « Crevit et effuso lætior umbra mero. » Elegans de eodem epigramma Philippi, in Anthol. Græc. I, 59, quod Grotius ita transtulit : « Frondiferam platanum me de radice revulsam Straverat insani vis truculenta Noti. Lota resurrexi bromio; mihi scilicet æstu Imber is, et bruma gratior imbre Jovis. Sic mihi vita redux : aliorum corpora flectit Evius, at nostrum rectius esse dedit. » Hard.

V. 1. *Academiæ.* Villa fuit Athenis imposita littori, cum portieu et nemore, ut Plin. docet lib. XXXI, cap. 3. Cicero Quæstion. academicar. lib. I, cap. 17 : « Qui erant cum Aristotele Peripatetici dicti

Athenis cubitorum[2] XXXIII a radice[3] ramos antecedente. Nunc est clara in Lycia[4] gelidi fontis socia amœnitate, itineri apposita, domicilii modo, cava LXXX atque unius pedum specu, nemorosa vertice[5], et se vastis protegens ramis, arborum instar, agros longis obtinet umbris : ac ne quid desit speluncæ imagini, saxeæ intus crepidinis corona muscosos complexa pumices : tam digna miraculo, ut Licinius Mucianus[6] ter consul, et nuper provinciæ ejus legatus, prodendum etiam posteris putarit, epulatum intra eam se cum duodevicesimo comite : large ipsa toros præbente[7] fronde, ab omni afflatu securum, optantem im-

sunt quia disputabant inambulantes in Lyceo. Illi autem qui Platonis instituto, in Academia, quod est alterum gymnasium, etc. » Tamen et ipsum Lyceum, institutumque Aristotelis Academiæ nomine fruebatur; unde et idem Tullius de Finib. V, 7 : « Aristoteles, inquit, in Academia vetere numeratur. » Horat. Ep. II, 2 : « Atque inter silvas Academi quærere verum. » H.

2. *Cubitorum XXXIII.* Arborum amplitudinem *XXXIII*, non ut est hactenus editum, *XXXVI*, ex Varrone et Theophrasto didicimus. Sic enim ille de Re rustic. I, 37 : « Aliæ enim, inquit, radices angustius diffunduntur, ut cupressi; aliæ latius, ut platani : usque eo Theophrastus scribit, Athenis, in Lyceo, quum etiamnum platanus novella esset, radices trium et triginta cubitorum egisse. » Theophrasti verba sunt ista, Hist. Plant. I, 2 : Ἡ γοῦν ἐν τῷ Λυκείῳ ἡ πλάτανος, ἡ κατὰ τὸν ὀχετὸν, ἔτι νέα οὖσα, περὶ τρεῖς καὶ τριάκοντα πήχεις ἀφῆκεν, κ. τ. λ. HARD.

3. *A radice ramos antecedente.* Ita codd. omnes Reg. Colb. Paris. etc. Sententia est, non tam patulis hanc platanum diffusam ramis, quam radicibus fuisse. HARD. — Editi omnes ante Hard. *unius radice.* ED.

4. *In Lycia.* Ita libri omnes. HARD. — Quidam, teste Dalec. *in Lydia.* Frustra; nam diversa hæc a Lydiaca platano, quam aureo monili a Xerxe donatam ob pulchritudinem, custodiæque unius ex *Immortalibus* mandatam Herodotus scribit. De his cf. et Ælian. Var. Hist. II, 14. ED.

5. *Nemorosa vertice.* Sic Hard. codices; mox *obtinet... saxeæ;* quum antea legeretur, *obtinens... saxea.* ED.

6. *Licinius Mucianus.* Ex gente Licinia; ex qua fuere Licinius Crassus, Licinius Nerva Augustus, Licinii Valerianus et Gallienus, Licinianus Licinius Augustus, cum filio Cæsare, etc. HARD.

7. *Ipsa toros præbente fronde.* Marg. Var. *ipsa toris præbente frondes.* ED. — *Optantem.* Cave credas Pintiano legenti, *captantem.* Captatur ille crepitus auribus, siquidem adsit; si non adsit, optatur. HARD.

brium per folia crepitus, lætiorem[8], quam marmorum nitore, picturæ varietate, laquearium auro, cubuisse in eadem.
2 Aliud exemplum Caii[9] principis, in Veliterno rure mirati unius tabulata[10], laxeque ramorum trabibus scamna patula, et in ea epulati, quum ipse pars esset umbræ[11], xv convivarum ac ministerii capace triclinio, quam cœnam appellavit ille nidum[12]. Est Gortynæ in insula Creta juxta fontem platanus una, insignis utriusque linguæ[13] monumentis, numquam folia dimittens : statimque ei Græciæ fabulositas[14] superfuit, Jovem sub ea[15] cum Europa concubuisse : ceu vero non alia ejusdem[16] generis esset in
3 Cypro[17]. Sed ex ea[18] primum in ipsa Creta (ut est natura

8. *Lætiorem quam*, etc. Chifflet. cod. *lætioremque*. Ed.

9. *Caii principis*. Quem Caligulam vocant. Hard.

10. *Unius tabulata*. Unius platani ramos late diffusos, tabulatorum instar, et scamnorum. Hard. — Mox Harduinus e Chifflet. *laxeque* reposuit; Dalec. Elzevir. Gronov. *laxisque*. Ed.

11. *Pars esset umbræ*. Sic libri omnes; etsi Pintianus malit, *quum imparis esset umbræ*. Sententia est, Caium principem obesitate corporis maximam umbræ, quam platanus efficeret, partem occupasse : nihilominus xv convivas, cum ministris ac servis, sub eadem umbra latuisse. Hard. — Dalecamp. nimium codicibus derogando fidem, proponebat, *circum sparsa ipsius umbra;* sed nihil mutare opus est. Ed.

12. *Nidum*. Quam festiva translatione Virg. Georg. II, 209, arbores appellat antiquas avium domos; tam lepide Caius hominum nidum istud, quod platanus præbuit, triclinium vocat. Hard.

13. *Utriusque linguæ*. Nam de ea græce Theophrastus Histor. Plant. I, 15; ex eoque latine Varro de Re rust. I, 7. Hard.

14. *Græciæ fabulositas*. Plinius ipse lib. IV initio, de tertio Europæ sinu : « Omnis Græciæ fabulositas, sicut et litterarum claritas ex hoc primum sinu effulsit. » Hard.

15. *Jovem sub ea*. Theophrast. loc. cit. ἐπὶ ταύτῃ, ubi ἐπὶ ἀντὶ τοῦ ὑπὸ dictum : etsi arbori insidere ipsi Europa videtur in nummo ΓΟΡΤΥΝΙΩΝ, apud Anton. August. dial. 3, pag. 85. Hard.

16. *Ejusdem*. Sic Chiffletii cod. Antea, *ejus*. Ed.

17. *In Cypro*. Varro et Theophrast. locis laudatis, similem exstitisse et in Cypro platanum pariter prodiderunt. Hard. — De prodigiosa platano, quæ in insula Co hodieque visitur, circuitu trunci xxxv pedes superante, multa legenda sunt, quæ in Ephemeride quadam, vulgo *l'Hygie*, recens prodierunt, 21 jan. 1827. Ed.

18. *Sed ex ea*. Ex Gortynensi

hominum novitatis avida) platani satæ regeneravere vitium : quandoquidem commendatio arboris ejus non alia major est, quam solem æstate arcere, hieme admittere. Inde in Italiam quoque ac suburbana sua, Claudio principe, Marcelli[19] Æsernini libertus, sed qui se potentiæ causa Cæsaris libertis adoptasset, spado[20] Thessalicus prædives, ut merito dici posset is quoque Dionysius, transtulit id genus[21]. Durantque etiam[22] in Italia portenta terrarum, præter illa scilicet, quæ ipsa excogitavit Italia.

VI. (II.) Namque et chamæplatani[1] vocantur coactæ 1

platano aliæ deinceps satæ, non eamdem retinuere dotem, ut numquam folia dimitterent; quæ laus illius propria et peculiaris fuit; sed nativum retulere arboris ejus seu vitium, seu ingenium : ut quemadmodum opacitate frondium æstate solem arcerent, sic hieme, foliorum amissione, totum admitterent. H.

19. *Marcelli Æsernini.* Is est Marc. Æserninus, quem Cn. Piso cædis Germanici accusatus, patronum petiit, ut scribit Tacitus, Annal. III, 2. Tiberii principatu vixit : filius fuit Claudii Marcelli Æsernini, qui cum L. Arruntio consulatum gessit, anno U. C. 732. Hard. — Male in omnibus libris editis, *Esernini.* Brot.

20. *Sed qui... spado Thessalicus prædives*, etc. Hæc tam sollicita disquisitio fortunarum ac morum hominis libertinæ conditionis nec præsenti instituto congruit, et indigna est Pliniana gravitate. Itaque verba hæc non Plinii, sed aliena censemus. Pintianus. — Quis porro præter doctiss. virum, interpolationem hoc in loco suspicari fas esse duxisset, omnibus libris, tum editis, tum manu exaratis, de vulgata lectione consentientibus? Ed. — *Et merito... Dionysius.* Cujus factum imitatus esset, de quo supra dictum est, cap. 3. Forte satius, *ut merito.* Hard. — Propositam emendationem (sc. *ut* pro *et*), quam firmant Reg. codices et edit. princeps, post Broterium recipere nulli dubitavimus. Ed.

21. *Id genus.* Platani scilicet Gortynensis. Hard.

22. *Etiam in Italia.* Chiffl. codex, *et in Italia.* Ed.

VI. 1. *Chamæplatani*, etc. Non diversa a Platanis orientalibus species. Ex hoc Nostri loco patet platanos certo serendi ac recidendi genere, ad pumilionum (*nains*) brevitatem redigi solitas; quemadmodum apud nos superior. sæcul. ridiculus mos invaluit in hortis regum aut optimatum (*parcs*), taxos, buxos, carpinos, etc. ita tondendi, ut mutilæ truncatæque arbores multimodas rerum et animalium figuras repræsentare viderentur. Nec prius istorum ornamentorum tæduit, quam reperto novo quodam hortorum genere, quod anglicum vocant, ad naturam quidem magis accommodato, sed in quo multi

brevitatis : quoniam arborum etiam abortus [2] invenimus. Hoc quoque ergo in genere, pumilionum infelicitas dicta erit. Fit autem et serendi genere, et recidendi. Primus C. Matius [3] ex equestri ordine, Divi Augusti amicus, invenit nemora tonsilia intra hos LXXX [4] annos.

1 VII. (III.) Peregrinæ [1] et cerasi, Persicæque, et omnes quarum Græca nomina aut aliena : sed quæ ex his incolarum numero esse cœpere, dicentur inter frugiferas. In præsentia externas persequemur, a salutari maxime orsi. Malus Assyria [2], quam alii vocant Medicam, vene-

non minus insaninnt. Arborum porro coactæ brevitatis ea est præcipua utilitas, nt hortulorum floralium ambulacra, agrorum limites, fossarum proclivia, perpetua et contexta virgultorum serie (*palissade*) vallent ac muniant. Ed.

2. *Arborum etiam abortus invenimus.* « Abortus dicitur, inquit Festus, quod non sit tempestive ortns. » Nunc Plinius abortum vocat, quod infeliciter, nec justa mensnra ortum est; sed pnmilionnm brevitate. Hard.

3. *C. Matius.* Augusto carnm hunc fuisse Tacitus iunuit, Annal. XII, 60. Libros tres edidisse, quos inscripsit nominibus Coci, Cetarii, et Salgamarii, auctor est Columella XII, 44. Alius videtur a C. Matio, quem inter Julii Cæsaris dictatoris amicos refert Suetonius in ejus vita, cap. LII. Hard. — Lib. ante Hard. editi, *Cn. Matius.* Ed.

4. *Intra hos LXXX annos.* Circa annnm U. C. 750, qui ante Christum natum fere quartus. Hard.

VII. 1. *Peregrinæ et cerasi*, etc. E peregrinis scil. terris primnm advectæ. In codd. Reg. 1, 2, *cerasæ;* in Colb. 2, *ceraseæ*, forte pro *cerasiæ;* nam Græcis et ὁ κέρασος, et ἡ κερασία arbos vocatur. De cerasis dicetnr XV, 30; de Persicis eodem lib. c. 13. Nam et eæ cæli jam sunt hujus incolæ, solique nostri. Hard.

2. *Malus Assyria, quam alii vocant Medicam*, etc. Μῆλον Μηδικὸν, Theophrasto IV, 4, et Dioscoridi I, 166; Galeno de Fac. simp. med. μηλέα Μηδική. Ed. — *Malus Assyria, quam alii vocant*, etc. *Citrus medica* Linn. (*C. acida* P. *Polyadelph. icosand.* gen. 1310, Pers. *Aurant.* Juss.) Plinii ævo nusquam, nisi apnd Medos et Persas, proveniebat. Palladius quem qninto sæculo vixisse pntant, præcipuam in ea colenda curam adhibuit, ipso teste. Cf. not. 7 inf. Veterum testimonio constat malum medicum pro antidoto habitum esse, nec injnria; saltem in certis venenorum generibus, quæ ναρκωτικά vocant. Item illud prodiderunt non parnm febricitantibus prodesse, ventris lnmbricos necare et expellere, bilem reprimere, adversns omnes morbos pestilentes ac venenosos valere, etc. Exstat qnoqne apud Athenænm lib. III, facinorosorum qnornmdam hominum historia, qui ad serpentes damnati, esu

nis[3] medetur. Folium ejus est unedonis[4], intercurrentibus spinis. Pomum[5] ipsum alias non manditur: odore præcellit foliorum quoque, qui transit in vestes una conditus, arcet-

citrii mali liberi ac salvi evaserunt. Quæ si usu et experientia probarentur, nulli dubium esset, quin citrus inter optima naturæ munera adnumeranda foret. Habitat in Oriente; meridionali in Europa quasi sponte crescit. De varietatibus ejus conf. *Encycloped. Botan.* tom. IV, pag. 579. Commentatores nonnulli in loco Virgilii sup. cit. malum medicam pro *Citro aurantio* (vulgo *oranger*) perperam habuerunt. Sed virorum rei herbariæ peritissimorum judicio *Hesperidum mala*, *mala aurea* apud Virgilium nihil aliud esse constat, quam *Pyrum cydoniam* Linn. (*Cydoniam*, *cognassier*, Pers. *Icosand. pentag.* gen. 1232. *Rosac.* Juss.). *Citrum* vero *aurantium* nonnisi sexto vel septimo post Virgilium sæculo, ex India in Europam Arabes advexere. Vid. Excurs. I ad calcem hujus libri. Ed.

3. *Venenis.* Vide quæ dicturi sumus lib. XXIII, cap. 55. Hard.

4. *Unedonis.* Id arboris genus est, quod nostri vocant *arbousier;* cui folia lauro simillima. Unde et ipsius Assyriæ mali folia cum laurinis confert ex Theophrasto Athenæus, lib. III, pag. 83 : ἔχει δὲ τὸ δένδρον τοῦτο φύλλον μὲν ὅμοιον, καὶ σχεδὸν ἴσον τῷ τῆς δάφνης, κ. τ. λ. Virgilius quoque, Georg. II, 131 sqq. « Ipsa ingens arbor, faciemque simillima lauro : Et si non alium late jactaret odorem, Laurus erat. » Apud Theophrast. IV, 4, non δάφνης, sed ἀδράχνης, librariorum incuria legitur. Solinus Plinium transcribit, cap. XLVI. Hard. — De unedone cf. lib. XV, cap. 28. Ed.

5. *Pomum ipsum.* Quod κίτριον Græcis dicitur, teste Galeno loco cit. *citreum malum* ipsi Plinio; nostria, *citron.* Hard. — Quod dicit Noster *pomum alias non mandi*, id accepit a Theophr. Hist. Plant. IV, 4; accepit et Athenæus, lib. III, pag. 83 : Καὶ μηδεὶς ὑμῶν θαυμαζέτω εἴ φησι μὴ ἐσθίεσθαι αὐτό. Ὁπότε γε καὶ μέχρι τῶν κατὰ τοὺς πάππους ἡμῶν χρόνων, οὐδεὶς ἤσθιεν· ἀλλ' ὡς τι μέγα κειμήλιον ἀπετίθεντο ἐν ταῖς κιβωτοῖς μετὰ τῶν ἱματίων. Plutarchus etiam tradit suis temporibus parum adhuc id fuisse usu receptum, additque plerosque seniorum, insolentes ejus cibi, prorsus abstinuisse : πολλὰ γὰρ, inquit, τῶν ἀγεύστων καὶ ἀβρώτων πρότερον, ἥδιστα νῦν γέγονεν. Et affert exempli loco, œnomeli, sicyopeponem, piper et hoc ipsum citrium malum. Ed. — Citrus bene describitur a Theophrasto; sed optime provenisse in Græcia haud videtur, quum fructus non haberentur edules, sed ob solam spiritus εὐοσμίαν in ore servarentur. Serebatur in vasis fictilibus perforatis, ut radicem agere tutius posset. Sprengel. — *Noxia.* Hoc est, ut recte Oppius apud Macr. Sat. II, 15, interjectum vesti tineas necat. Theophrastus et Athenæus loc. sup. cit. ἱμάτια ἄκοπα διατηρεῖ, « vestes servat illæsas ; » Diosc. loc. cit. ἄβρωτα, « ab erosionis vitio vindicat. » Hinc apud Nævium poetam, teste Macrobio, « citrosa vestis. » Hard.

que animalium noxia. Arbor ipsa[6] omnibus horis[7] pomifera est, aliis cadentibus, aliis maturescentibus, aliis vero
2 subnascentibus. Tentavere gentes transferre ad sese propter remedii præstantiam fictilibus in vasis, dato per cavernas[8] radicibus spiramento: qualiter omnia transitura longius seri arctissime transferrique meminisse conveniet, ut semel quæque dicantur. Sed nisi apud Medos[9], et in Perside, nasci noluit. Hæc est autem, cujus grana Parthorum proceres incoquere diximus[10] esculentis, commendandi halitus gratia. Nec alia arbor laudatur in Medis.

1. VIII. Lanigeras Serum in mentione gentis ejus narravimus[1]. (IV.) Item Indiæ[2] arborum magnitudinem. Unam

6. *Arbor ipsa.* Solinus, aliique modo citati. HARD.

7. *Omnibus horis.* Hoc est, quocumque anni tempore; Theophrastus: πᾶσαν ὥραν. Dioscorides: δι' ὅλου τοῦ ἔτους. Eleganter Palladius, lib. IV, in Martio, tit. 10, cap. de citreo: « Asserit Gargilius Martialis, inquit, apud Assyrios pomis hanc arborem non carere; quod ego in Sardinia, et in territorio Neapolitano in fundis meis comperi, quibus solum et cælum tepidum est, et humor exundans: per gradus quosdam sibi semper poma succedere, quum maturis se acerba substituant; acerborum vero ætatem florentia consequantur, orbem quemdam continuæ fecunditatis sibi ministrante natura. » Plinius *omnes horas* more græco dixit: « nam *annalia tempora*, inquit Cæl. Aurelius lib. III, cap. 8, hoc est, ver, æstatem, autumnum atque hiemem, Græci *horas* appellant. » Plinius ipse lib. IX, cap. 54, genitalis anni *horam*, pro verna tempestate dixit. HARD.

8. *Per cavernas.* Per vasorum foramina. Breviter Theophrastus: εἰς ὄστρακα διατετρημένα, « in vasis perforatis. » HARD.

9. *Nisi apud Medos.* Solinus, loc. cit. At Palladii postmodum diligentia in Italia arbos ea convaluit, atque alio inde propagata. Conf. sup. not. 7. HARD.

10. *Incoquere diximus.* Hæc a Theophrasto, lib. IV, cap. 4, mutuatus est Noster, et Athenæus libro III, cap. 26. Virg. quoque Georg. II, vss. 134 et 135: « animas et olentia Medi Ora fovent illo, et senibus medicantur anhelis. » H. — *Cujus grana*, etc. Margo Var. ex Dalecampio, *corticem;* consentiente Theophrast. loc. proxime laud. ubi vulgo legunt, τὸ ἔξωθεν, exteriorem scil. fructus partem, sive corticem: Plinius tamen de Parthis, lib. super. cap. 115: « sed sibi proceres medentur *grano* Assyrii mali, cujus est suavitas præcipua, etc. » ED.

VIII. 1. *Lanigeras Serum .... narravimus.* Libro VI, cap. 20. HARD. — De lanigeris Serum arboribus vide Exc. II ad finem huj. lib. ED.

2. *Item Indiæ arborum magnitudi-*

e peculiaribus Indiæ Virgilius celebravit[3] ebenum, nusquam alibi nasci professus. Herodotus[4] eam Æthiopiæ intelligi maluit, in tributi vicem regibus Persidis e materie ejus centenas[5] phalangas tertio quoque anno pensitasse Æthiopas, cum auro et ebore, prodendo. Non omittendum id quoque, vicenos[6] dentes elephantorum grandes, quoniam ita significavit, Æthiopas eadem causa[7] pendere solitos. Tanta ebori auctoritas erat, urbis nostræ trecen- 2
tesimo decimo anno[8] : tunc enim auctor ille historiam

nem. Vide lib. VII, cap. 2. Hard.

3. *Unam... Virgilius celebravit.* Georg. II, 116 et 117 : « Divisæ arboribus patriæ : sola India nigrum Fert ebenum. » Adde Solin. cap. LII. Hard. — *E peculiaribus.* Dalec. cod. *unamque peculiarius.* Ed. — *Ebenum.* Vide Excursum III ad finem hujus libri. Ed.

4. *Herodotus.* Lib. III, s. Thalia, num. 97. Subscribit Dioscorides, lib. I, cap. 129, ubi Æthiopicam nigramque ebenum in primis commendat : Ἔβενος κρατίστη καὶ Αἰθιοπικὴ καὶ μέλαινα. Lucanus quoque lib. X, vss. 117 et 118 : « Ebenus Meroetica vastos Non operit postes. » Ubi *Mareotica* in libris vulgatis perperam legitur; nam idem poeta lib. X, vss. 303 et 304 : « Ambitur nigris Meroe fecunda colonis, Læta comis ebeni. » Sed ab iis propterea Virgilius non discedit, qui omnem Æthiopiæ plagam Indiæ nomine complectitur. Hard.

5. *Centenas.* Herodotus loc. cit. ducentas ait, διηκοσίας φάλαγγας ἐβένου, id est, fasces ebeni ducentos. De hac voce *phalangas* egimus lib. VII, cap. 57. Hard. — Paulo ante Dalec. cod. *tributi vice.* Ed.

6. *Vicenos.* Herodot. pariter. loc. cit. ἐλέφαντος ὀδόντας μεγάλους εἴκοσι.

7. *Eadem causa.* Harduinum sequimur, quanquam Broter. e cod. Reg. et edit. princ. *ea de c.* legit. Ed.

8. *Urbis nostræ trecentesimo decimo anno.* De tempore conditæ ab Herodoto historiæ dissentit a Plinio Lucianus in Herodoto; ab utroque Suidas et Eusebius in Chronic. Hard. — Plinium hoc loco erroris arguit vir doctrinæ haud ignobilis, Le Vayer, cujus hæc fere verba sunt : « Ionicam dialectum didicit Herodotus in insula Samo, historicosque libros ibidem conscripsit, multo ante quam in Italiam migraret. Et ita certe Suidas; cui libentius assentior quam Plinio, asseveranti videlicet historicum nostrum tum demum operi manum admovisse, quum in una ex civitatibus Magnæ Græciæ, Thurii in Italia sponte exsularet, ut qui e nobilium numero, cum pluribus de patria a servitute liberanda conjurasset. Plinium autem, dum alia aliorum scripta compilaret, cespitasse, humanum ut fert ingenium, et a vero prorsus deflexisse facile deprehendet, qui meminerit jam multis ante annis historias suas publice ludis Olympicis Herodotum reci-

eam condidit Thuriis in Italia. Quo magis mirum est, quod eidem credimus[9], qui Padum amnem vidisset, neminem ad id tempus Asiæ Græciæque, aut sibi cognitum. Æthiopiæ forma[10], ut diximus[11], nuper allata Neroni principi, raram arborem Meroen usque a Syene fine imperii, per DCCCXCVI M. passuum[12], nullamque aliam nisi palmarum[13] generis esse docuit. Ideo fortassis in tributi auctoritate tertia res[14] fuerit ebenus.

1 IX. Romæ[1] eam Magnus Pompeius in triumpho Mithri-

tasse, quod vel tironibus notum e Veterum testimonio Eusebiique in primis in Chronic. » Ed.

9. *Eidem credimus*. Lib. III, siv. Thalia, num. 115: Τοῦτο μὲν γὰρ, ὁ Ἠριδανὸς αὐτὸ κατηγορέει τὸ οὔνομα, ὡς ἔστι ἑλληνικὸν, καὶ οὐ βαρβαρικόν· ὑπὸ ποιητέω δέ τινος ποιηθέν· τοῦτο δὲ, οὐδενὸς αὐτόπτεω γενομένου οὐ δύναμαι ἀκοῦσαι τοῦτο μελετῶν, ὅκως θάλασσά ἐστι τὰ ἐπέκεινα τῆς Εὐρώπης. HARD. — *Qui Padum amnem vidisset*. Cod. apud Læt. *non vidisset*; et idem mox *nemini*, non *neminem* legebat. Ed.

10. *Æthiopiæ forma*. Quam nos græco nomine geographicam, sive chorographicam delineationem vocamus: et historicam narrationem rerum in ea regione singularium. HARD. — Ut nunc vernacula lingua dicimus, *tableau géographique et statistique*. Ed.

11. *Ut diximus*. Lib. VI, c. 35. HARD. — *Raram arborem ebenum Meroen usque a Syene fine imperii, per nongenta* XCVI M. *passuum nullamque aliam nisi*, etc. Sic editt. veteres: ego autem scribo: *raram arborem* (expuncto verbo *ebenum*, quod æque ignorant Harduini codices) *a Syene fine imperii, per nongenta* M. *pass. nullamque nisi palmarum generis*, etc. Et quod sequitur, sic emendo: *fortassis in tributis auctoritate tertia res fuerit ebenus*, hoc est, in tributis quæ pensitabant Æthiopes regibus Persidis, tertius ebeno locus fuit. SALM. pag. 387.

12. *Per DCCCXCVI M. pass.* Sic manuscripti Reg. Colb. et Paris. Tamen lib. VI, cap. 35, spatium id ex ipso Neronis exploratorum relatu DCCCLXXIII M. pass. esse pronuntiavit. HARD.

13. *Nullamque aliam nisi palmarum*, etc. Nec fuit igitur e palmarum genere ebenus, neque ex eo verius quod apud nos pro ebeno venditur, sed *gaiaci* potius Indorum genus, quale Dalecampio describitur Histor. Plant. lib. II, capite 20. HARD. — Broterius ex edit. principe et cod. Chiffl. Salmasio præeunte, *aliam* delevit. Ed.

14. *In tributi... tertia res fuerit*. Quoniam, ut dictum est, cum auro et ebore, Persicis regibus ebenum Æthiopes pensitarent. HARD. — Lib. ante Harduin. edit. *in tributorum auctoritate*. Ed.

IX. 1. *Romæ eam M. Pompeius... ostendit*. Solin. cap. LII. HARD. — *Eam*. Dalec. cod. *etiam*. Ed.

datico ostendit. Accendi Fabianus negat[2] : uritur tamen odore jucundo. Duo genera[3] ejus : rarum id, quod melius, arboreum, trunco enodi[4], materie nigri splendoris, ac vel sine arte protinus[5] jucundi : alterum[6] fruticosum cytisi modo, et tota India dispersum.

X. (v.) Est ibi et spina similis[1], sed deprehensa vel lucernis, igni protinus transiliente. Nunc eas exponam, quas mirata est Alexandri Magni victoria, orbe eo patefacto. 1

XI. Ficus ibi exilia poma[1] habet. Ipsa se semper se- 1

2. *Accendi Fabianus negat.* Affirmat Dioscorid. I, 129 : τεθεῖσα ἐπ' ἀνθράκων μετ' εὐωδίας καὶ δίχα καπνοῦ ἐκθυμιωμένη· ἡ δὲ πρόσφατος διὰ τὴν λιπαρίαν ἀνάπτεται, πυρὶ προσαφθεῖσα. HARD. — *Accendi... negat; uritur tamen*, etc. Planus ex Dioscoridis loco sensus : Scilicet veterem ebenum prunis impositam, ignem quidem sentire, non vero accendi, id est, citra flammam amburi; quod in aliis quibusdam lignis fieri jampridem experientia nos docuit. Quid autem discriminis esset duas inter eas voces, *uri* et *accendi*, si novisset probe POINSINET DE SIVRY, ad hujus loci interpretationem graviter non offendisset. Ex notis MSS. Cl. Gerardi. ED.

3. *Duo genera ejus.* Hæc pariter Theophrastus Histor. Plantarum, lib. IV, cap. 5. HARD.

4. *Trunco enodi.* Et qui sit venarum pectinumque expers, ac lævore similis cornui elaborato : μὴ ἔχουσα κτηδόνας, ἐμφερὴς κέρατι εἰργασμένῳ τῇ λειότητι, ait Diosc. l. cit. HARD.

5. *Vel sine arte.* Theophrast. sine ætate. Commendat eam in primis, quæ quem habet colorem, eum non decursu temporis, οὐ θησαυριζομένη, sed statim sua natura capessit, ἀλλ' εὐθὺς τῇ φύσει. HARD.

6. *Alterum fruticosum.* Rectius id Plinius quam Theophrastus, qui de utroque ebeni genere pronuntiat, ἔστι δὲ τὸ δένδρον θαμνῶδες, ὥσπερ ὁ κύτισος. Fruticosum autem dicitur, quod multos habet a radice fruticantes ramos. HARD.

X. 1. *Est ibi et spina*, etc. In India. Hujus libri ac loci index, *Spina Indica*. Hanc similem ebeno, atque ad lucernarum lumen translucentem Plinius facit. HARD. — Τὸ *est* quod omittit Gronov. nec disjungendum a verbo superiore *dispersum* pronuntiat Broterius, hic nos e Chifflet. Harduino adstipulante, reposuimus. — De *Spina Indica* vid. Exc. III ad finem huj. lib. ED.

XI. 1. *Ficus ibi exilia poma habet.* In cod. Chifflet. *eximia*; quum et pauca et exilia ficum eam ferre constet, ex Theophrasto quem Plinius hoc loco transcribit. Sic enim ille lib. IV, cap. 5 : ὀλίγον δὲ θαυμαστῶς τὸν καρπὸν, οὐχ ὅτι κατὰ τὸ τοῦ δένδρου μέγεθος· et paulo post : καρπὸν δὲ σφόδρα μικρὸν, ἡλίκον ἐρέβινθος, pomum fert exiguum valde, ciceris magnitudine, ὅμοιον δὲ σύ-

rens[2], vastis diffunditur ramis : quorum imi adeo in ter-
ram curvantur, ut annuo spatio infigantur, novamque
sibi propaginem faciant circa parentem in orbem, quo-
dam opere topiario. Intra sepem eam æstivant pastores,
opacam pariter et munitam vallo arboris, decora specie
2 subter intuenti, proculve, fornicato ambitu. Superiores
ejusdem rami in excelsum emicant, silvosa multitudine,
vasto matris corpore[3], ut LX passus[4] plerique orbe colli-

κῳ, similitudine fici. HARD. — *Ficus ibi*, etc. *Ficus religiosa* Linn. (*Diæc. triand.* gen. 2193, Pers. *Urtic.* Juss.) Totum hunc locum Noster mutuatus est a Theophrasto, qui omnium diligentissime arborem descripsit : his fere similia ap. Strab. Geograph. lib. V : « India multas quidem admirabiles fert arbores, e quibus est, cujus rami ad terram propendent, foliis non minoribus clypeo. Onesicritus curiosius ea persequens, quæ sunt in Musicana, terra Indiæ australissima, refert arbores quasdam ingentes esse quarum rami, quum ad duodenos cubitos excreverint, reliquum incrementum pronum faciant, deflexi quousque terram contingant; deinde terram subeant ac radices agant, veluti traduces ; mox rursus exeant in truncum, quo postquam aucti fuerint, eodem modo flectantur, et aliam propaginem efficiant, rursusque aliam, ut ab una arbore longum umbraculum fiat, tabernaculo multis columnis innitenti simile. » Ficum indicam licet obscuriori modo, item significasse videtur Curtius lib. IX, c. 1 : « Hinc Poro amneque (Hydaspe) superato, ad interiora Indiæ processit. Silvæ erant prope in immensum spatium diffusæ, procerisque et in eximiam altitudinem editis arboribus umbrosæ : plerique rami, instar ingentium stipitum, flexi in humum, rursus, qua se curvaverant, erigebantur adeo (scil. *ex nova radice*), ut species esset non rami resurgentis, sed arboris ex sua radice generatæ. » Vid. Curt. IX, 1, t. II, pag. 277 et 278 edit. nostræ. ED.

2. *Ipsa se semper serens*, etc. Quæ hoc capite continentur, totidem verbis exstant apud Theophrast. I, 12; maxime vero IV, 5. HARD. — Margo Varior. *poma semper ferens vastis diffundit. ram. quorum pondera adeo*, etc. ED.

3. *Matris corpore*. Stirpis, truncive. Sic Virg. Georg. II, 23 : « Hic plantas tenero abscidens de corpore matrum Deposuit sulcis; hic stirpes obruit, etc. » HARD.

4. *Ut LX pass. plerique orbe colligant*. Rami scilicet in orbem fusi. Ita MSS. omnes Reg. Colb. etc. Credibilius id nimirum, quam quod Theophrast. ait loc. cit. vel unius caudicis crassitudinem LX sæpe, XL crebrius passus æquare : καὶ τὸ πάχος τοῦ στελέχους ἔνια πλειόνων ἢ ἑξήκοντα βημάτων, τὰ δὲ πολλὰ τετταράκοντα. Quanquam non sum nescius et pedem βῆμα significare :

gant, umbra vero bina stadia operiant. Foliorum latitudo peltæ effigiem[5] Amazonicæ habet : hac causa fructum integens, crescere prohibet. Rarusque est, nec fabæ magnitudinem excedens[6] : sed per folia solibus coctus prædulci sapore, dignus miraculo arboris : gignitur circa Acesinem[7] maxime amnem.

XII. (vi.) Major alia[1] : pomo et suavitate præcellentior, 1
quo sapientes[2] Indorum vivunt. Folium alas avium[3] imi-

unde apud Hesych. βηματίζειν, τὸ τοῖς ποσὶ μετρεῖν. Hard.

5. *Peltæ effigiem*. Et magnitudinem ; Theophrastus loc. cit. τὸ δέ γε φύλλον οὐκ ἔλαττον ἔχει πέλτης, addit Plinius, Ἀμαζονικῆς. Pelta porro Thracum propria fuit; amazonica peculiarem formam habuit, qualem diximus III, 6 ; scutum id erat, lunæ æqua portione divisæ, sive jam semiplenæ, ut aiunt, imaginem referens. Pelta, proprie clypeus, scutum umbone carens. Hesych. et Suidas : Πέλτη, ἀσπὶς ἴτυν οὐκ ἔχουσα. Hard.

6. *Nec fabæ magnitudinem excedens*. Theophrast. loc. supra laud. Καρπὸν δὲ σφόδρα μικρὸν, ἡλίκον ἐρέβινθος, fructum fert admodum exiguum, magnitudine *ciceris* ; Plinius vero, *fabæ*. Si vulgarem fabam intelligit, digna sane transformatio, ut ait Pintianus, quæ inter Ovidianas reponatur. At græcæ fabæ magnitudine esse vult, quæ, ut cicer, rotunda est, nec magna. J. Bon. a Stapel.

7. *Circa Acesinem*. Theophrastus περὶ τὸν Ἀκεσίνην, quo de amne dictum est VI, 23. Hard.

XII. 1. *Major alia*, etc. Quidam *musam* esse putant. Thevetus cap. xxxiii, arborem vocari ait, *pagovere*, fructum, *pacona* ; Oviedus, *platanos* : utrumque nomen ad *palam* accedit. Aliam huic similem, et usus frequentissimi Thevetus ibid. scribit vocari *Hoyriri* ; Oviedus *jajama*. Dalec. — Hæc rursus totidem verbis Theophrast. Histor. Plantar. lib. IV, cap. 5. Hard. — *Major alia*, etc. Significari hoc loco *Musam Paradisiacam* (*Hexand. monogyn.* gen. 761, Pers. *Musac.* Juss.) testatur Cl. Sprengel, præeuntibus Clusio, Dalecampio, Bodæo, quorum virorum auctoritati minime refragamur ; negligentius hic Noster Theophrastum videtur exscripsisse, duasque diversas arbores ab auctore græco delineatas confudisse (vid. not. 3 infr.). Arbor *tala*, cujus mentio fit ab Arriano de Reb. Ind. non eadem esse videtur atque Plinii *pala*, et potius ad eam referenda quæ *lanifera* ab aliis dicta, describitur Theophrast. IV, 9. Conf. Bod. a Stapel in Theophrast. IV, 4. Ed.

2. *Sapientes Indorum*. Gymnosophistæ scilicet. Hard.

3. *Alas avium imitatur*. Theophrastus hanc arborem, cujus folium alas avium imitatur, ab ea qua sapientes Indorum vivunt, diversam facit. Verba scriptoris græci sunt ista : Καὶ χρῶνται τροφῇ τῶν Ἰνδῶν

tatur, longitudine trium cubitorum[4], latitudine duum. Fructum cortice mittit[5], admirabilem succi dulcedine, ut uno quaternos satiet. Arbori nomen palæ, pomo arienæ. Plurima est in Sydracis[6] expeditionum Alexandri termino. Est et alia[7] similis huic, dulcior pomo, sed interaneorum valetudini[8] infesta[9]. Edixerat Alexander, ne quis[10] agminis sui id pomum attingeret.

1 XIII. Genera arborum Macedones narravere[1], majore

οἱ σοφοί... ἕτερον δὲ οὗ τὸ φύλλον τὴν μὲν μορφὴν πρόμηκες, τοῖς τῶν στρουθῶν πτεροῖς ὅμοιον ἃ παρατίθενται παρὰ τὰ κράνη. Et Græcis quidem στρουθὸς, avis quælibet dicitur : sed Attici τὴν στρουθὸν Struthiocamelum solent appellare, ut ex Hesychio liquet. Et sic accepisse Theophrastum apposita nota demonstrat, quum ait hujus arboris folia galeis imponi. HARD.

4. *Trium cubitorum.* Theophrast. duorum tantum, μῆκος δὲ ὡς διπηχυαῖον. At videtur mutilus Theophrasti locus, ex loco Plinii integro supplendus. HARD.

5. *Fructum cortice mittit.* Ex ipso caulis cortice fructus enascitur. HARD. — Edit. ante Hard. *emittit.* ED. — *Arbori nomen palæ, pomo arienæ.* Non habet hæc nomina Theophrast. Arbori nomen esse *tala* ait Arrianus in Indic. p. 522. HARD. — An *ariena?* Certe in Indice hujus libri ac loci, *ariana* legitur. ED.

6. *In Sydracis.* Scribo *in Oxydracis*, ex Strabon. lib. XVI, et Stephano, et reliquis. PINT. — *Sydracis.* Ita lib. omnes; hos Syndracos Noster appellat VI, 25. HARD.

7. *Est et alia.* Ex Theophrasto iterum, Hist. Plant. lib. IV, c. 5. HARD. — *Dulcior pomo.* Fructu longo; contorto, non recto; in cibo suavi. Theophrast. loc. cit. Hanc Tamarindum nostrum esse putant. DALEC. — *Tamarindus indica* Linn. (*Monadelph. triand.* gen. 1581, Pers. *Leguminos.* Juss.) ED.

8. *Interaneorum valetudini*, etc. Ventris et intestinorum : ἐν τῇ κοιλίᾳ δηγμὸν ποιεῖ, καὶ δυσεντερίαν, inquit Theophrastus, « morsus in alvo facit, et dysenteriam. » Haud frustra sunt qui tamarindorum arborem hanc esse augurantur : nam et hujus dactyli alvum cient, teste Matthiolo, in lib. I, Dioscorid. pag. 220. HARD.

9. *Interaneorum valetudini infesta.* Censeo scripsisse Plinium *valetudine infesto*, hoc est, morbo, ut passim ea voce optimi quique utuntur. Infestum est id pomum eo, quod interaneorum valetudinem, vel dolores gignat. GRONOV. — Sic lib. omnes, non *infesto*, ut vult Gron. Eodem pomo dulcis arbor, eodem infesta valetudini. HARD.

10. *Alexander edixerat ne quis agminis*, etc. Theophrastus pariter loco citato. HARD.

XIII. 1. *Genera arborum Macedones narravere*, etc. Conf. Theophr. lib. IV, cap. 5. HARD.

ex parte sine nominibus. Est et terebintho similis[2] cætera, pomo amygdalis, minore tantum magnitudine, præcipuæ suavitatis. In Bactris utique hanc aliqui terebinthum esse proprii generis potius, quam similem ei, putaverunt. Sed unde[3] vestes lineas faciunt, foliis moro similis, calyce[4]

2. *Est et terebintho similis*, etc. Arborem hanc pistaciam nostram esse volunt. DALEC. — *Pistacia terebinthus* Linn. (*Diœc. pentand.* gen. 2212, Pers. *Terebinthac.* Juss.) Habitat in Europa australi, Barbaria, India. ED. — *Minore*. Veteres apud Dalecamp. *sed minor;* mox *magnitudine* in uno cod. deest. ED. — *In Bactris utique*. Hæc verba, ni fallor, ad præcedentia pertinent. Theophrast. IV, 5: « Ferunt et terebinthum haberi, ut alii similem terebintho, cui folia et rami, et reliqua omnia terebintho similia, fructus autem diversus: similis enim amygdalis. Nam et in Bactris terebinthum hanc esse, ferreque nuces amygdalarum magnitudine: quoniam non magnæ sint, sed visu similes, et suavitate amygdalis præstantiores. » Ex quibus colligitur, verba quæ statim ante præcedunt, aliter legenda esse. Scribendum est enim: *Pomo amygdalæ magnitudine;* ut superfluant duæ illæ voces, *minore tantum:* nisi quis velit erroris notam Plinio inurere, qui verba illa Theophr. *quoniam magnæ non sint*, male verterit: *minore tantum magnitudine.* Nam græcus scriptor non minora amygdala, sed pari cum amygdala magnitudine, poma ferri ab ea arbore prodit. PINT. — *In Bactris utique*, etc. Liber vet. exhibet uno tenore: *suavitatis in Bactris utique.* DALEC.

3. *Sed unde*, etc. Genus hoc arboris alterum, unde vestes conficiunt, ἐξ οὗ τὰ ἱμάτια ποιοῦσιν, inquit Theophr. *Lineas* Plinius posuit: sic enim libri omnes: unde hoc lini genus esse quoddam intelligas, quod ut subjungit idem statim, seritur in campis. HARD. — *Foliis moro similis*. Indos veste linea vestitos quondam fuisse Arrianus in lib. de Indic. Reb. docet: Ἐσθῆτι δὲ Ἰνδοὶ λινέῃ χρῶνται, καθάπερ λέγει Νέαρχος, λίνου τοῦ ἀπὸ τῶν δενδρέων, ὑπὲρ ὅτου μοι ἤδη λέλεκται· τὸ δὲ λίνον τοῦτο ἢ λαμπρότερον τὴν χροιήν ἐστι ἄλλου λίνου παντός· ἢ μέλανες αὐτοὶ ἐόντες, λαμπρότερον τὸ λίνον φαίνεσθαι ποιέουσι. Supra arborem descripsit quæ lanam fert, et quæ a Theophr. IV, 9, describitur. An igitur planta ex qua linum et lana eadem? Ita certe ex loco Arriani nonnulli colligunt. De utraque tamen Theophrastus tanquam diversa egit. Cæterum vereor Theophrastum (quem Plinius ibi fere ad verbum transcribit) deceptum, arboremque moro similem morum ipsam esse, nec esse linum, sed sericum, quod ex hac colligunt arbore. Sericum autem in moro generatur bombycum beneficio, qui foliis mori vescuntur. BOD. A STAPEL. — De gossypio et serico vid. quæ dicenda sunt Excurs. II ad calcem hujus lib. ED.

4. *Cal. pomi cynorrhodo.* Publica ante Hermol. lectio ed. lib. erat: *ca-*

pomi, cynorrhodo. Serunt eam in campis, nec est gratior villarum prospectus[5].

1 XIV. Oliva Indiæ sterilis, præterquam oleastri fructu. (VII.) Passim vero[1] quæ piper gignunt, juniperis nostris similes : quanquam in fronte Caucasi solibus opposita gigni tantum eas aliqui tradidere. Semina a junipero distant parvulis siliquis, quales in faseolis videmus. Hæ, priusquam[2] dehiscant, decerptæ, tostæque sole, faciunt quod

lyce bombycinorrhodo. PINT.—Calyx est folliculus, quo dehiscente, in aua folia primum se flores pandunt, ut in rosis : mox pomum fructusve emergit. Theophrast. folium moro simile pariter esse tradit, totam stirpem cynorrhodo : Τὸ μὲν φύλλον ὅμοιον τῇ συκαμίνῳ· τὸ καὶ ὅλον φυτὸν (rectius Plinium legisse arbitror, τὸ μήλου κύτινον) τοῖς κυνορόδοις ὅμοιον. HARD.

5. *Villarum prospectus.* Sic emendavimus ex Reg. 1, 2, et Paris. codicum auctoritate. Prius *ullarum* legebatur; Pintianus *vinearum* malebat. Villam pro vinea diminute dictum a Plinio suspicamur, quod ita exigere Theophrasti locus videtur. Sic enim ille, Hist. Plant. IV, cap. 5 : Φυτεύουσι δὲ ἐν τοῖς πεδίοις αὐτὸ κατ' ὄρχους· διὸ καὶ πόῤῥωθεν ἀφορῶσιν ἄμπελοι φαίνονται. « Seruntur in campis ordinatim : quamobrem eminus cernentibus vineæ esse existimantur. » HARD.

XIV. 1. *P. vero quæ p. gignunt*, etc. Plinium transcribit Solinus, c. LII. HARD.—*Quanquam in fronte Caucasi*, etc. Eorum porro opinio, qui tradidere piper in ea parte Caucasi quæ solibus opposita est, tantum gigni, prorsus hodie falsa deprehenditur. SALM. — De piperibus, zingiberi, et de planta ea, quæ Plinio piper italicum fuit, Dalecampio autem *Ison nigrum*, descriptum ab eo in Hist. plantarum, vide Exc. IV ad calcem huj. lib. ED.


2. *Hæ, priusquam dehiscant*, etc. Siliquæ nimirum, quibus piper continetur. Fuit hæc Veterum opinio, piper ante maturitatem collectum, candidum esse : idem maturitate nigrescere. Ita non Plinius modo, ejusque transcriptor Solinus, loc. cit. sed et Diosc. lib. II, cap. 189; auctor libri de Simpl. medic. ad Patern. inter opera Galeni, tom. XIII, pag. 997; Galenus ipse, lib. VIII, Simplicium medic. pag. 217, aliique. E recentioribus contra Clusius, Arom. lib. I, c. 22, pag. 182, et alii bene multi, quibus Salmasius favet, Nott. in Solin. pag. 1026, ubi Clusium transcribit, diversas albi ac nigri piperis plantas esse censuerunt, uti vitis albæ ac nigræ. Utrique Saracenus in notis ad Diosc. experientiaque ipsa adversatur : constat enim piper album, quod ad nos convehitur, ipsum piper nigrum esse, cortice suo nigro rugosoque spoliatum : quo cortice nudatur tum, cum soli objectum torretur. Longum vero piper a rotundo diversum in

vocatur piper longum : paulatim vero dehiscentes maturitate[3], ostendunt candidum piper : quod deinde tostum solibus, colore rugisque mutatur. Verum et iis sua injuria est, atque cæli intemperie carbunculantur : fiuntque semina cassa[4] et inania, quod vocant brechma[5], sic Indorum lingua significante abortum[6]. Hoc ex omni genere asperrimum est, levissimumque, et pallidum. Gratius nigrum[7] : lenius utroque candidum[8]. Non est hujus arboris radix[9], ut aliqui[10] existimavere, quod vocant zimpiberi, alii vero zingiberi[11], quanquam sapore simile. Id enim in Arabia atque Troglodytica in villis nascitur[12], parvæ herbæ, radice candida. Celeriter ea cariem sentit, quam- 3

Bengala nasci, auctor est idem Clusius loc. cit. a quo recte pingitur, quale nos vidimus. HARD.

3. *Maturitate.* Vet. apud Dalec. cod. *per maturitatem ;* et paulo post : *carbunculant, fiuntque semine cassa.* ED.

4. *Fiuntque semina cassa.* Diosc. loc. cit. ἄτροφον κενὸν, καὶ κοῦφον, nutrimento defectum, cassum, seu inane ac leve. HARD.



5. *Brechma.* In Indice hujus libri, *brecma.* In MSS. *brioma.* Dioscor. loc. cit. ὃ καλεῖται Βράσμα. HARD. —Vet. apud Dalec. *brioma.* Dalec. Elzev. Gronov. *brechmasin.* Mox *sic*, in uno ex Dalec. codd. deest. ED.

6. *Significante abortum.* MSS. Reg. Lang. et edit. princeps, *significante mortuum.* BROT.

7. *Gratius nigrum.* Suavius, ori jucundius, et magis aromaticum : ἥδιον εὐςομώτερον, καὶ μᾶλλον ἀρωματίζον. Dioscor. loc. cit. HARD.

8. *Lenius utroque candidum.* Subintellige, *piper.* Ita Reg. 2. At in Reg. 1, *levius.* In Chiffl. *lentius.* Ut ut est, imbecillius ac minus efficax noluit dicere ἀσθενέςερον, ut Diosc. lib. II, pag. 189; sed minus acre, mitius, benignius; quale nos quoque gustu experti sumus. HARD.

9. *Non est hujus arboris radix*, etc. Sic Dioscor. lib. II, cap. 189, de pipere : Ἡ δὲ ῥίζα αὐτοῦ οὐκ ἔςι ζιγγίβερ, καθάπερ ἔνιοι ὑπέλαβον. — *Ut aliqui existimavere.* Quos inter Dioscorides Alexandrinus fuit, aliique, quos errasse Galenus recte admonet, tom. II, in explic. vocum Hippocr. pag. 92. HARD.

10. *Quod.* Cod. Dalec. *quam.* ED.

11. *Zingiberi.* Et Galeno, Γιγγίβερι, lib. VI, de Facultat. simp. med. c. 175. Nostris, *gingembre.* H. —Vid. Exc. IV ad calc. huj. lib. ED.

12. *Id enim... nascitur*, etc. Hæc pariter Dioscor. lib. II, cap. 190; Oribas. lib. XI, p. 196, et auctor libri de simpl. Medic. ad Patern. inter opera Galeni, tom. XIII, pag. 999. Scimus et ex Americanis insulis ad nos advehi. HARD.

vis in tanta amaritudine[13]. Pretium ejus in libras[14], VI. Piper longum[15] facillime adulteratur Alexandrino sinapi. Emitur in libras, X, XV[16]. Album, X, VII; nigrum, X, IV. Usum ejus adeo placuisse mirum est. In aliis quippe suavitas cepit, in aliis species invitavit: huic nec pomi, nec baccæ commendatio est aliqua: sola placere[17] amaritudine, et hanc in Indos peti. Quis illa primus experiri cibis voluit? aut cui in appetenda aviditate esurire[18] non fuit satis?
4 Utrumque[19] silvestre gentibus suis est, et tamen pondere

13. *Amaritudine.* Hoc est, acrimonia. Sic voces illas, *acre*, *asperum*, *acerbum*, *amarum*, Plinius sæpe permutat. HARD. — Recte Harduinus; nec est quod Dalecampio assentiamur, qui paulo supra, de pipere pallido, *acerrimum*, non *asperrimum*, contra omnium codd. fidem, legebat. ED.

14. *Pretium ejus in libras, VI.* Hoc est, sex denariis libræ singulæ zingiberis permutantur. HARD. — Ita MSS. et editi omnes libri; sed certe vel excidit, vel corrupta denarii nota. Itaque lege, *in libras X. VI.* Ni forte legendum, *in libras, X. I.* Zingiberi, *le gingembre*, est et fuit semper pipere vilius. Mox piper nigrum æstimatur tantum x. IV, id est, denariis quatuor. BROT. — Denarius autem ratione temporis habita quo Noster scribebat, efficit gallicæ monetæ asses quatuordecim, sive, ut nunc dicimus, 70 centesimas. Denarii quatuor, sunt 2 fr. 83 cent. Sex denarii, 4 fr. 24 c. ED

15. *Piper longum*, etc. Auctor libri mox citati inter Galeni opera, pag. 997: « Adulteratur, inquit, longum piper, sinapi et gummi formatis in speciem piperis longi, etc. » Et pag. 1001: « Est autem efficacissimum sinapi Alexandrinum, etc. » Vide etiam Galenum, lib. de Theriac. ad Pison. c. 12. H.

16. *In libras, X. XV.* Hoc est, denariis XV, qui gallicæ monetæ, sunt 10 fr. 60 c. Sic album denarii VII, seu 4 f. 95 c. Nigrum denique denar. IV, seu 2 f. 83 c. Itaque, Harduinus ait, longum albo, album nigro, fere dimidio carius æstimatum. ED.

17. *Placere.* Tolet. cod. *placuere.* Mox Chiffl. et ex Dalec. unus *ille primus;* et paulo post *explenda*, pro *appetenda*. ED.

18. *Esurire.* Sic omnes lib. ante Harduinum, apud quem non ita bene legitur *esurie*, mera forsan operarum incuria, quum vir doct. nullam auctoritatem addocat. Nos codicum fidem secuti, pristinam lectionem revocare cum Broterio, nulli dubitavimus. — *Satis.* Lib. quid. apud Dalec. *satius.* ED.

19. *Utrumque.* Tria piperis genera indicata sunt, non duo, longum, album, nigrum: non est igitur locus verbo illi *utrumque*, quare *utcumque* lego, non *utrumque*. DAL. — *Utrumque.* Piper et zingiberi. H.

emitur, ut aurum, vel argentum. Piperis arborem[20] jam et Italia habet, majorem myrto, nec absimilem. Amaritudo grano eadem, quæ piperi musteo[21] creditur esse. Deest tota illa maturitas, ideoque et rugarum colorisque similitudo. Adulteratur juniperi baccis mire vim trahentibus[22]. In pondere quidem multis modis.

XV. Est etiamnum in India piperis grani simile, quod 1 vocatur garyophyllon[1], grandius fragiliusque. Tradunt in Indico luco id gigni. Advehitur odoris gratia. Fert et in spinis[2] piperis similitudinem, præcipua amaritudine, foliis

20. *Piperis arborem... Italia habet.* Credo Italici piperis arbusculam esse, quam adhuc officinæ et olitores piper vocant, quidam Ison nigrum, descriptum in Historia nostra plantarum. Dalec. — Italici piperis arbores non unius tantum generis vidisse se Matthiolus testatur in lib. II Dioscor. pag. 578. Hard. — De pipere hoc Italico vide Excurs. IV ad calcem hujus libri. Ed.

21. *Piperi musteo.* Recentissime lecto, decerptoque ex arbore, νεοδρέπτῳ. Hard.

22. *Vim trahentibus.* Hoc est, excipientibus, concipientibus. Sic infra Noster cap. 27: « celeriter situm trahens », id est, contrahens; et xiv, 27: « Vinum odorem trahit. » Plura reperies in Indice. Ed.

XV. 1. *Est etiamnum in India... garyophyllon.* Hoc quidam esse putant Comacum Theophrast. memoratum lib. IX, cap. 7. Dalec. — Caryophylli nostri, quibus utimur ex Indicis Moluccarum commerciis ad condituras, diversi omnino sunt ab hoc aromate quod Plinius eo nomine agnoscit. Nam neque ii grana sunt, neque ulla in re piperi similes, præter colorem. Fortasse potius *cubebe* sit hoc Plinii granum, ut recte conjici a Scaligero puto, Exerc. 147, in Cardan. pag. 496, et Exerc. 148, pag. 499. Hard. — Garyophyllon, seu caryophyllum, nos dicimus *le giroflier.* At ejus fructus valde dissimilis est fructui piperis, Inde videtur caryophyllon Plinii esse cubebas, *les cubebes*, quæ in insula Borbonia dicuntur *le poivre à queue*. Brot. — *Piper cubeba* Linn. (*Diand. trig.* gen. 74, Pers. *Urtic.* Juss.) Conf. etiam de garyophyllo Bod. a Stapel not. in Theophr. IX, 5, pag. 992 seqq. ubi fusius de eo disserit. Ed.

2. *Fert et in spinis piperis similitudinem*, etc. Hallucinatur Plinius. Hæc est lycii descriptio in Cappadocia, Lycia, et ut ait, in Pelio nascentis. Indica spina lycii, quam lonchitin vocant, ramos rectos mittit, tricubitales majoresve, rubro crassiores, a radice multos: folia oleæ; fractus cortex rubet. Diosc. qui de Aromatibus Indicis scripsit, narrat lycium ab Indis vocari *cate;* fieri e ramis arboris *hacchic*, minu-

parvis densisque, cypri modo[3], ramis trium cubitorum, cortice pallido, radice lata lignosaque, buxei coloris. Hac in aqua cum semine excepta[4] in æreo vase medicamentum
2 fit, quod vocatur Lycion. Ea spina et in Pelio monte nascitur[5], adulteratque medicamentum. Item asphodeli radix, aut fel bubulum[6], aut absinthium, vel rhus[7], vel

tim concisis, elixis, contusis, cnm farina, Nachani succo mixto, et in pastillos, tabellasve formato. Arborem esse magnitudine fraxini, folio minuto, ericæ, vel tamaricis, semper virente, multis spiuis horridam: florere, sed fructum non ferre: lignum durum et densum ubivis incorruptum manere. Dalec. — *Fert*, etc. — Plinius hic lycium Indicum describit, nec sb eo diversum quod a Discoride proponitur, lib. I, cap. 132, ut Dalecampio visum: nsm Indicum quoque illud est, etsi in Csppadocia Lyciaque pariter gignitur. Ait esse arborem spinosam, frúctu piperis instar nigro, amaro, denso, levi: foliis buxi similibus, densisque, ramis trium cubitorum, aut paulo longioribus: cortice pallido: rsdicibus numerosis, lstis, lignosis. Quæ omnino cum Pliniana descriptione congruunt. Hard. — *In spinis*. Sic Hsrd. e MSS. Dalec. et Elzev. *et spina*. Gronov. *et in spina*. — De lycio vid. Excursum V sd calcem hujus libri. Ed.

3. *Cypri modo*. De Cypro dicemus cap. 52. Hard. — Dioscor. *buxi modo*, non cypri: τὰ φύλλα πύξῳ ὅμοια. Ed.

4. *Hac in aqua cum semine excepta*, etc. Radice nimirum expressa cum semine. Sic Oribasius, lib. XI, pag. 205: « Succus ex lycio exprimitur tusis una cum frutice radicibus, etc. » Unde sppsret scripsisse Dioscoridem, lib. I, c. 132, non uti hodie legitur, χυλίζεται ἐκ τῶν φύλλων, sed ἐκ τῶν ῥιζῶν, quod Plinius ipse confirmat, lib. XXIV, csp. 77: « Coquuntur in squs tusi rsmi, radicesque, etc. » Idem Oribasius paulo post, ex semine quoque expresso, et in sole siccato, confici succum tradit. Hard. — *Hac*, etc. Libri omnes ante Harduinum editi *hæc*. Ed.

5. *Ea spina et in Pelio nascitur*. Ejusdem quidem nominis, sed generis omnino disparis, perinde tsmen ignoti: ex quo vilius medicamentum fiebat, quod adulterinum vocabant lycium. Hard.

6. *Fel bubulum*. Inter coquendnm lycium sdmixto felle bubulo, vel absinthii succo, vel amurca, inquit Dioscor. loc. cit. Hard.

7. *Vel rhus*. Prius in libris editis, *vel thus*, legebstur. At MSS. Reg. Colb. Chiffl. Paris. *vel rhus*: qnod Plinisuæ menti sane congruentius est: nam lib. XXIV, cap. 77, ubi hæc eadem fere de lycio repetuntur: « Adulterstur, inquit, amsris succis, etism amurca, sc felle bubulo. » At inter succos smsros nemo sane thus censuerit. Ex rhoe vero succum elici, qui lycii similitudinem ac vim referat, suctor est Diosc. lib. I, psg. 147. Hard.

amurca. Lycion aptissimum medicinæ, quod est spumosum[8]. Indi in utribus camelorum, aut rhinocerotum id mittunt. Spinam ipsam in Græcia quidam pyxacanthum Chironium[9] vocant.

XVI. Et macir[1] ex India advehitur, cortex rubens 1
radicis magnæ, nomine arboris suæ : qualis sit ea, incompertum habeo. Corticis[2] melle decocti usus in medicina ad dysentericos præcipuus habetur.

XVII. Saccharon[1] et Arabia fert, sed laudatius India : 1

8. *Spumosum.* Quod igni accensum, dum restinguitur, rubentem spumam mittit, inquit Diosc. loc. cit. et post eum Oribasius, lib. XI, pag. 205; Plinius ipse, lib. XXIV, 77, de lycio : « Spuma ejus ac flos quidam oculorum medicamentis additur. » Vide quæ ibi dicturi sumus. Hard.

9. *Pyxacanthum Chironium.* Scribe feminina terminatione, *pyxacantham chironiam.* Dioscorides præallegato loco : « Lycion quod pyxacantham aliqui vocant, spinosa arbor est, » et Plinius XXIV, 77 : « Lycion præstantius e spina fieri tradunt, quam et pyxacantham Chironiam vocant. » (Nos *pyxacanthon* ibi scripsimus, ut in omnib. lib. legitur.) Pint. — Πυξάκανθαν Diosc. quia spina est buxi folio. Hard. — *Chironium. Chironiam* Vet. apud Dalec. qui hanc vocem supervacuam hoc loco arbitrabatur. Ed.

XVI. 1. *Et macir ex India*, etc. Dioscor. lib. I, cap. 120 ; Oribas. loc. supra cit. Galen. lib. VIII de Fac. simpl. med. p. 205 : Μάκερ φλοιός ἐστιν ἐκ τῆς Ἰνδικῆς κομιζόμενος, etc. Sic et Aetius, tum in cod. nostro græco, tum in edit. lat. lib. I, de Re Medic. pag. 23. Hard. — Propon. Dalecamp. *ex Arabia*, auctoremque adducit Dioscoridem ; verumtamen in Diosc. legitur : ἐκ τῆς βαρβάρου, quibus verbis unum id significat, nempe τὸ Μάκερ e peregrina terra advehi, quanquam hic insulam Gangetis fluvii, nomine *Barbariam*, Saracenus Strabonis auctoritate fretus, innui existimat. Ed.

2. *Corticis melle.* Hoc est cum melle ; ita Galen. et Aetius quoque loc. cit. Ab ea vi nomen arbori a Lusitanis inditum refert. Acosta, lib. Arom. cap. 12, *arbore de las Camanis*, hoc est, arbor dysenteriæ : a Brachmanis medicis, *macre.* In provincia Malabarica et Cocini regno nasci, ibique visam a se idem testatur. Hard. — De macere vid. Excursum VI ad calcem hujusce libri. Ed.

XVII. 1. *Saccharon.* Dioscoridis apud quem hæc totidem verbis exstant, lib. II, 104, Pliniique σάκχαρον, ros ille matutinus fuit, quem apes mellis fingendi gratia colligunt ; quare in arundinibus collectum Plinio dicitur : non, uti saccharum nostrum, ex iisdem expressum, ac deinde coctum, coactumque in pyramidales formas. Num ros cæli ipse foret, num

est autem mel in arundinibus collectum[2], gummium modo candidum, dentibus fragile, amplissimum nucis avellanæ magnitudine, ad medicinæ tantum usum.

arundinis ipsius humor dulcis, Seneca subdubitat, epist. 85. Ipsum rorem esse, quem sol in arundinibus cogat, ad similitudinem salis, mellisque dulcedinem, affirmant Galenus, de Fac. simp. med. lib. VII, pag. 207; Oribas. lib. XI, fol. 205, ubi Marcoron vocat; Alex. Aphrod. in Problem. et Isidor. Orig. XX, 2. Ex iisdem arundinibus, quibus et nostrum excipitur, senio confectis, lacrymæ seu gummi modo effluere, ac concrescere, unus credidit Saracenus in notis ad Diosc. HARD. — *Saccharon et Arabia fert*, etc. Diosc. lib. II, cap. 104 : Καλεῖται δέ τι καὶ σάκχαρον εἶδος ὂν μέλιτος ἐν Ἰνδίᾳ πεπηγότος, καὶ τῇ εὐδαίμονι Ἀραβίᾳ, εὑρισκόμενον ἐπὶ τῶν καλάμων τῇ συστάσει ἁλσί. Nearchus apud Strabonem, lib. XV : Εἴρηκε δὲ καὶ περὶ τῶν καλάμων ὅτι ποιοῦσι μέλι, μελισσῶν μὴ οὐσῶν. Hisce e testimoniis cl. SPRENGEL, Bodæo aliisque præeuntibus, nihil aliud esse saccharum Veterum pronuntiavit quam *Bambon arundinaceam* (*Hex. monog.* Pers. gen. 871. *Bambusam arundinaceam*, Willd. *Gramin.* Juss.) Sed ipsa viri verba exscribere satius fuerit : « Liquet inde, quantopere differat saccharum Veterum a nostro. Id sensit primus fere Manardus, contradicentibus Matthiolo, Mundella aliisque. Bene illustravit hanc rem Salmasius, Homon. hyl. iatr. pag. 109. Garcias autem, Hist. Arom. I, 12, primus fere docuit bambusam revera mellis concreti speciem per genicula transsudare, quæ saccharum verum Veterum fuerit. Confer. Christ. a Costa, Histor. Arom. 6. Nostri sacchari, e conquassatis *sacchari* culmis expressi, vestigium primum invenisse mihi videor in Mosis Chorenensis geograph. Armenic. pag. 364, qui ad Goudisaporam, Euphrati adjacentem, optimum coli saccharum affirmat. Quum is scriptor sæculo quinto medio vixerit, ante hæc tempora solo melle illo bambusæ concreto utebantur. Saraceni id ab Euphrate demum Cyprum et Græciam transportarunt (Bongars. gesta Dei per Francos II, 270.) Conf. de melle bambusæ Phil. Russel in *Philos. Trans-act.* LXXX, 273. » Conf. etiam Bod. a Stapel. not. in Theophr. IV, 12, ubi de hac re fusissime disseritur. ED.

2. *Est autem mel arundinibus collectum.* Non dixit, *ex arundinibus.* Aliud tamen sacchari genus fuit, apud Antiquos, ex ipsis arundinum radicibus expressum, ut ait Solinus, LII; et Lucanus III, vs. 237: « Quique bibunt tenera dulces ab arundine succos. » Et Isidor. Orig. XVII, 7: « In Indicis, inquit, nasci arundines calamique dicuntur, ex quorum radicibus expressum suavissimum succum bibunt. » Unde et Varro ait : « Indica non magna nimis arbore crescit arundo : Illius e lentis premitur radicibus humor, Dulcia cui nequeant succo concedere mella. » Sed et sacchari

XVIII. Contermina Indis gens Ariana[1] appellatur, cu- 1
jus spina lacrymarum pretiosa, myrrhæ similis, accessu
propter aculeos anxio[2]. Ibi et frutex pestilens raphani[3],

genus istud a nostro dispar est ae diversum : arundines quoque ipsæ forte dissimiles : quanquam et sacchari nostri feraces apud Indos sunt plurimæ : aut si sunt eædem, diversus humoris eliciendi modus. Exprimebatur olim ab Indis ipsis ad potum dumtaxat : a nostris hodie coquitur, densaturque in saccharum. Ac nihil est quidem unde plus jam voluptatis et deliciarum gulæ accedat. Solvitur in embammatis, cogitur in orbiculos, digeritur in panes, pinsitur in placentas, tornatur in crustula, fingitur in castella, in aviculas et in omnium rerum simulacra, coquitur, aspergitur, duratur, incrustatur. Hard. — Vid. not. 1. Ed.

XVIII. 1. *Gens Ariana.... cujus spina*, etc. Simile quiddam de Ariana spina recitat Theophrast. Hist. Plant. IV, 5, sed codice ibi valde mendoso. Hard. — *Spina lacrymarum*. Dalecamp. *lacryma;* mox apud eumdem Vet. et Chiffl. *myrrhæ simili*. Ed. — *Spina lacrymarum pretiosa*. Theophrast. lib. IV, cap. 5: Ἐν δὲ τῇ Ἀρίᾳ χώρᾳ καλουμένῃ ἄκανθά ἐστιν, ἐφ' ἧς γίνεται δάκρυον ὅμοιον τῇ Ἰλλυρίᾳ καὶ τῇ ὄψει, καὶ τῇ ὀσμῇ· τοῦτο δὲ ὅταν ἐπιλάμψῃ ὁ ἥλιος, καταῤῥεῖ. Hæc corrupta; quæ sit Illyrica spina ignoro. Plinius ibi legit σμύρνῃ, myrrhæ; an apud Theophrastum scribendum τῇ Γαβιραίᾳ σμύρνῃ, vel sine epitheto τῇ σμύρνῃ; donec plantam videro, hæreo. Cæterum sæpius dubitavi an hæc ἄκανθος non sit qua adulterari tradunt Veteres ebenum, sed certi quid in hac brevitate statuere nequeo. Hæc Bodæus. Spinam illam Sprengelius, Hist. rei herb. t. I, pag. 206, nihil aliud quam *Mimosam latronum* (*Monadelph. polyand.* gen. 1655, Pers. *Legumin.* Juss.) pronuntiat; et est tamen quod rem adhuc in ancipiti relictam putemus. Arianam enim spinam Plinii, qui Theophrastum hic transcripsit, ad *Acaciam catechu* referendam judicat (ibid. p. 107); quod si verum esset, deberet sibi semper constare vir eruditissimus, qui *Acaciam catechu* eamdem esse eum τῷ λυκίῳ Dioscoridis affirmat (ibid. p. 191), quanquam τὸ λύκιον jam Lycium Europæum esse contendit (ibid. p. 162). Nos in tanta rerum obscuritate excutire fas ducimus; viderint peritiores. Ed.

2. *Accessu propter aculeos anxio*. Infesto, molesto, difficili. Hard.

3. *Raphani*. Subintellige, magnitudine, ex Theophrast. loc. citato, ubi his similia : Ἄλλο δὲ ὕλημα, μέγεθος μὲν ἡλίκον ῥάφανος· τὸ καὶ φύλλον ὅμοιον δάφνῃ, καὶ τῷ μεγέθει, καὶ τῇ μορφῇ. Cur raphanum, non brassicam, ῥάφανον verterit, alibi dicturi sumus, ubi de brassica et raphano agemus. Hard. — Plinius raphanum et brassicam sæpius confudit, quippe quod ignoraret antiquis Græcis ῥάφανον, *brassicam* significare, recentioribus et medii ævi, *raphanum*. Bod. — *Quod et in Gedrosis accidit*. Theophrast. loco laud. Ἐν δὲ τῇ Γεδρωσίᾳ χώρᾳ πεφυκέναι φασὶν, ἓν μὲν ὅμοιον τῇ δάφνῃ φύλλον ἔχον, οὗ τὰ

folio lauri, odore equos invitante, qui pæne equitatu orbavit[4] Alexandrum primo introitu : quod et in Gedrosis accidit. Item laurino folio[5] et ibi spina tradita est, cujus liquor aspersus oculis, cæcitatem inferret omnibus animalibus. Necnon et herba[6] præcipui odoris

ὑποζύγια καὶ ὁτιοῦν εἰ φάγοι, μικρὸν ἐπίσχοντα διεφθείρετο, παραπλησίως διατιθέμενα καὶ σπώμενα ὁμοίως τοῖς ἐπιλήπτοις. Hujus plantæ meminit quoque Strabo, lib. XV : Ἦν δέ τι ὅμοιον τῇ δάφνῃ φυτὸν, οὗ τὸ γευσάμενον τῶν ὑποζυγίων ἀπέθνησκε μετ' ἐπιληψίας καὶ ἀφροῦ. De hoc frutice nihil certi comperimus. Ed. — Ne id intelligas de raphano, *le raifort ;* sed de brassica, *le chou :* quæ plerumque misere confudit Plinius. Brot. — Vid. quod supra dictum est. Ed.

4. *Equitatu orbavit.* Quod præsentis noxæ venenum id foret : τοῦτο δὲ εἴ τις φάγοι, ἐναπεθνήσκει. Theophrast. ibid. Hard.

5. *Laurino folio.* In antiquissimis MSS. et probatæ fidei, Reg. 1, 2 ; Paris. etc. *item lario folio.* Si Theophrastum audimus, *item nullo folio* scribeudum fuit : sic enim ille Hist. Plant. IV, 5 : Ἑτέραν καὶ ἀκανθάν τινα εἶναι· ταύτην φύλλον μὲν οὐδὲν ἔχειν· πεφυκέναι δὲ ἐκ μιᾶς ῥίζης.... ὀπὸν ἐκρεῖν πολὺν, ὃς ἀποτυφλοῖ τὰ ἄλλα ζῶα πάντα. « Aliam autem esse spinam, folio nullo, radice singulari... succum ex ea multum effluere, qui cæcitatem reliquis animalibus inferat, etc. » Hard. — Hanc paulo aliter describit Strabo, loc. sup. laud. Ἄκανθα δὲ τοὺς καρποὺς ἐπὶ τῆς γῆς ἐστρωμένη (al. κεχυμένη), καθάπερ οἱ σίκυοι, πλήρης ἦν ὀποῦ· τούτου δὲ ῥανίδες εἰς ὀφθαλμὸν ἐμπεσοῦσαι, πᾶν ἀπετύφλουν ζῶον. Fructum humi jacere, et cucumeri similem esse, tacet Theophrast. Hic vero duas plantas confudisse Plinium recte Bodæus animadvertit; unam folio lauri, quam epilepticum morbum facere tradit Theophrastus ; et spinam sine foliis, cujus ex nodis aculeatis, fractis tritisque, lacteus emanat liquor qui cæcitatem infert. Ed. — Emendari, *nullo folio*, jubet quoque Broterius, nec tamen in contextu emendationem recipere audet ; nec nos in hac rerum obscuritate, tanti esse credimus a vulgata lectione discedere. Mox pro *inferret*, ex codd. Reg. et edit. principe, *infert*, Chiffl. repugnante Broterius edidit. Ed. — *Cujus liquor.* Lacteus, e nodis aculeatis, fractis tritisve expressus : Theoph. Idem refert Strabo lib. XV ; sed spinæ, cujus liquor excæcat, fructum humi jacere, et cucumeri similem esse tradit, quod tacet Theophrastus. Dalec.

6. *Necnon et herba præcipui odoris*, etc. In maritimis arenæ tumulis Gedrosiæ nascens. Strabo. Dal. — *Herba præcipui odoris referta*, etc. Theophrastus, lib. IV, cap. 5 : Ἐν δὲ τόποις τισὶ πεφυκέναι τινὰ βοτάνην ἐφ' ᾗ συνεσπειραμένους (leg. Scalig. συσπειρωμένους) ὄφεις εἶναι μικροὺς σφόδρα· τούτοις δὲ εἴ τις ἐμβὰς πληγείη, θνήσκειν. Harum serpentum item meminit Strabo, loco proxime

referta minutis serpentibus, quarum ictu protinus moriendum esset. Onesicritus tradit in Hyrcaniæ convallibus ficis similes esse arbores, quæ vocentur occhi, ex quibus defluat mel[7] horis matutinis duabus.

XIX. (IX.) Vicina est Bactriana, in qua bdellium[1] nomi- 1
natissimum. Arbor nigra est, magnitudine oleæ, folio roboris, fructu caprifici naturaque. Gummi[2] alii brochon

citato: Ἦν δὲ κίνδυνος καὶ ἀπὸ τῶν ὄφεων· ἐν γὰρ τοῖς θισὶν ἐπεφύκει βοτάνη· ταύτην δὲ ὑποδεδυκότες, ἐλάνθανον, τοὺς δὲ πληγέντας ἀπέκτανον. De præcipuo herbæ odore nihil Theophrastus, nihil Strabo. Ed.

7. *Defluat mel horis matutinis*, etc. *Hedysarum alhagi* (*Diadelp. decand.* gen. 1740, Pers. *Legumin.* Juss.) frutex est in *Khorasan*, et regione transoxana (Oxum inter et Iaxarten) frequens, in quo mellea substantia invenitur, quam Arabes *terendschabin* vocant. Forte *Occhi* illud Onesicriti est, e quo mel defluat; sed apud Plinium ficis similis frutex appellatur. Sprengel.

XIX. 1. *Bdellium.* Græcis βδέλλα et βδέλλιον. — *Borassus flabelliformis* (*Diœc. Hexand.* gen. 2241, Pers. *Lontarus*, *Palm.* Juss.) Ex hac palma paratur, testibus Kæmpfer. (Amœn. 668) et Rumphio (Amboin. I, 50) bdellium, quod *makâl* Avicenna dicit; distinguit autem in Mechense, et Judaicum. Rumphius *punatam* dicit id suffumigium, et totam parandi rationem indicat. Accedit quod probabilitatem auget, Abulfedam *makal* palmam appellare humilem Tuneti frequentem: quo sine dubio *Chamærops humilis* intelligitur, cum Borasso flabelliformi facillime confundenda. Ipse Matthiolus, pag. 92, testatur se Neapoli palmam hanc humilem bdelliferam vidisse. Sprengel. — Conf. not. sequent. fin. Ed.

2. *Gummi.* Quod ex arbore bdellio manat, et ipsum quoque bdellium nominatum. Sed quod sub eo nomine prostat in officinis, adulteratum est; sincerum est, quod vocant Lusitani *anime*, quale a *Monardo* describitur de Simpl. Med. cap. 1. Bactrianum tamen Indicumque bdellium, Benjuinum officinarum est, *benjoin*, sive *benzoin*. Hard. — Sunt autem viri herbariæ rei peritissimi, qui *benjuinum* censeant a *Terminalia benzoe* (*Decand. monog.* gen. 1103, Pers. *Elæagn.* Juss.) defluere. Quum vero arboris ejus cum Borasso flabelliformi, quæ βδέλλα arbor Sprengelio, nulla sit affinitas, sequitur inde τὸ βδέλλιον Veterum non idem esse cum benjuino officinarum, ut ait Harduinus. Item accedit quod *Hymenæa courbaril* (*Dec. monog.* gen. 1011, Pers. *Legum.* Juss.), quæ resinam *anime* largitur, non in Bactriana, sed in America meridionali nascatur. Cf. Sprengel. Ant. bot. sp. I, p. 85. Perperam credidisse videtur Adansonius, benjuinum a quadam specie lauri provenire; Laurum enim benzoin stillare quemdam benzoico odore succum, sed resinam ipsam minime proferre constat. Ed.

appellant, alii malacham[3], alii maldacon. Nigrum[4] vero et in offas convolutum, hadrobolon. Esse autem debet translucidum[5], simile ceræ, odoratum, et quum fricatur[6], pingue, gustu amarum citra acorem. In sacris vino perfusum, odoratius. Nascitur et in Arabia[7], Indiaque, et Media, ac Babylone. Aliqui peraticum[8] vocant ex Media advectum. Facilius[9] hoc et crustosius, amariusque : at
2 Indicum humidius et gumminosum[10]. Adulteratur amygdala[11] nuce. Cætera[12] ejus genera cortice et scordasti[13]. Ita vocatur arbor æmulo gummi. Sed deprehenduntur (quod

3. *Maldacon.* In Indice, *malodacon.* HARD.

4. *Nigrum.* Alterum hoc bdellii genus est : alterum enim subalbidum, quod præstantissimum. Dioscor. loc. cit. Ἔστι δὲ καὶ ἕτερον ῥυπαρὸν καὶ μέλαν, ἁδρόβωλον, παλαθῶδες κομιζόμενον ἀπὸ τῆς Ἰνδικῆς. HARD.

5. *Translucidum.* Gummi videlicet. Isidor. Orig. XVII, 8 : « Bdella Indiæ et Arabiæ arbor, cujus lacryma melior arabica. Est enim lucida, subalbida, levis, pinguis, æqualiter cerea, et quæ facile molliatur, neque ligno, vel terræ commixta, amara, odoris boni. Nam ex India sordida est, et nigra, et majori gleba. » HARD.

6. *Fricatur.* Ita lib. omnes. Alii *friatur,* male. HARD.

7. *Nascitur et in Arabia.* Quare et Saracenica arbor a Dioscor. appellatur. HARD.

8. *Peraticum.* Quædam exemplaria *pyraticum;* vetus lectio *Parthicum*, quod magis probo; nam, ut supra ostendit Plinius VI, 25, duodeviginti erant Parthorum regna; ut mirum non sit si ex Media advectum Parthicum appellaretur. PINT.—Sic lib. omnes. Περατικὸν ἐκ περάτων γῆς, quod ab extremo terrarum fine petitur. HARD. — *Peraticum.* Hoc est, Euphraticum; nam *Perath*, hebraicum est Euphratis fluvii nomen. POINSINET DE SIVRY.

9. *Facilius.* Tractabilius, nec æque tactu adhærescens, atque illud quod humidius est. HARD. — Dalec. in margine *fragilius.* ED.

10. *Gumminosum.* Ita hic et alibi passim codd. Sine auctoritate in libris editis *gummosum.* BROT. — Ch. *cumminosum.* Editt. ante Brot. *gummosum.* ED.

11. *Amygdala.* Hoc Benjuinum illud est, quod amygdaloides vocant, propterea quod ungues, seu maculas candidas admixtas habet, amygdalarum instar, ut recte observat Clusius, Aromat. I, 5. H.

12. *Cætera.* Sive Benjuini, sive *Anime* genera reliqua, etiam scordasti cortice admixto, vel gummi ejus arboris, adulterantur; δολοῦται δὲ μιγνύμενον κόμμει, inquit Dioscorides. HARD.

13. *Scordasti.* In Indice hujus libri *scordacti.* MSS. Reg. 1, 2, et Colb. 2, ac Chiffl. hoc loco, *scorti.* Simile bdellio gummi fundere ac pæne par æmulumque, dicitur. H.

semel dixisse et in cæteros odores satis sit) odore, colore, pondere, gustu, igne. Bactriano nitor siccus[14], multique candidi ungues[15]. Præterea suum pondus, quod gravius esse, aut levius non debeat. Pretium sincere in libras x terni[16].

XX. Gentes[1] supra dictas Persis attingit, Rubro mari, 1
quod ibi Persicum vocavimus[2], longe in terra[3] æstus agente, mira arborum natura. Namque erosæ sale[4], in-

14. *Bactriano nitor siccus.* Ita MSS. omnes, non ut editi, *nidor.* Et forte rectius, *nitor suus*, cum Pintiano scripseris, hoc est, peculiaris ac proprius, ut statim sequitur, *præterea suum pondus.* Sed siccum, ξηρὸν, Dioscorides commendat in primis, lib. I, cap. 80. Hard.

15. *Ungues.* Lucentes ac læves, instar unguium, maculæ; quales in Benjuino amygdalina deprehenduntur. Dioscoridi bdellium, quod et a Bactriano diversum, et *anime* a Lusitanis appellari superius diximus, lævorem coloremque unguis æqualiter præfert in tota gleba, ὄνυχι ἐοικός; quæ verba Serapion male accepit. Hard.

16. *X terni.* Denarii terni; monetæ gallicæ, 2 fr. 12 c. Ed.

XX. 1. *Gentes*, etc. Quæ hoc capite continentur, ea totidem verbis habet Theophrastus Hist. Plant. IV, 8. Hard.

2. *Quod ibi Persicum vocavimus.* Libro VI, cap. 28. Hard.

3. *In terra.* Dalec. codd. *terram*, vel *terras.* Ed.

4. *Namque erosæ sale*, etc. Theophrastus arborum harum tria genera memorat. Primum in insulis quas æstus operit, magnitudine ingentis platani populive, folio lauri, perpetuo : flore violæ, odore, et colore : fructu suaviter olente, magnitudine olivæ. Secundum in eo mari, semper foliosum, fructu lupini. Tertium in maritimis Carmaniæ, andrachnæ simile, nuda radice polypi modo adhærens, fructu extrorsum amygdalæ, intus in cohærentes veluti flexuosas spiras convoluto. Hæc Plinius suo more confundit. Dalec. — *Mira arborum natura. Namque erosæ sale*, etc. Theophrastus lib. IV, cap. 8 : Περὶ δὲ τὴν Περσίδα τὴν κατὰ Καρμανίαν, καθ' ἣν ἡ πλημμυρὶς γίνεται, δένδρα ἐστὶν εὐμεγέθη, ὅμοια τῇ ἀνδράχνῃ, καὶ τῇ μορφῇ, καὶ τοῖς φύλλοις. Καρπὸν δὲ ἔχει πολὺν, ὅμοιον τῷ χρώματι ταῖς ἀμυγδάλαις ἔξωθεν· τὸ δὲ ἐντὸς συνελίττεται καθάπερ συνηρημένον πᾶσιν. Ὑποβέβρωται δὲ ταῦτα τὰ δένδρα πάντα κατὰ μέσον ὑπὸ τῆς θαλάττης· καὶ ἕστηκεν ὑπὸ τῶν ῥιζῶν, ὥσπερ πολύπους· ὅταν γὰρ ἡ ἄμπωτις γένηται, θεωρεῖν ἐστί. Hic, ait Sprengelius, *Rhizophora mangle* (*Dodecand. monog.* gen. 1156, Pers. *Caprifoliac.* Juss.), sed fide peregrinatorum describi videtur. De ea narrat item Onesicritus apud Strabonem libro XV. « Rhizophoræ (Juss. Gener. pl. pag. 213) arbusculæ sunt maritimæ, ramis multoties radicantibus

vectis derelictisque similes, sicco litore radicibus nudis polyporum modo amplexæ steriles arenas spectantur. Eædem mari adveniente fluctibus pulsatæ, resistunt immobiles. Quin et pleno æstu operiuntur totæ : apparetque rerum argumentis asperitate[5] aquarum illas ali. Magnitudo miranda est, species similis unedoni[6], pomum amygdalis extra, intus contortis nucleis.

1 XXI. (x.) Tylos[1] insula in eodem sinu est, repleta silvis, qua spectat Orientem, quaque et ipsa æstu maris perfunditur[2]. Magnitudo singulis arboribus fici, flos suavitate inenarrabili, pomum lupino[3] simile, propter asperitatem intactum omnibus animalibus. Ejusdem insulæ excelsiore suggestu lanigeræ arbores[4] alio modo, quam Serum. His folia infecunda[5]: quæ, ni minora essent, vitium[6] poterant videri. Ferunt cotonei mali amplitudine cucurbitas[7], quæ

late protensæ : rami sæpe oppositi; folia in plurimis opposita, integra et coriacea, juniora revoluta et more ficus bracteata, bracteis caducis; pedunculi axillares aut terminales, sæpe dichotomi et biflori; in dicholomls articulsti et 2-bracteati; fructus cerumi. Quæ descriptio nescio an satis Theophrasteæ descriptioni conveniat; nec est tamen quod in re parum certa Cl. Sprengelio denegemus fidem. Ed.

5. *Asperitate.* Salsitudine. Hard.

6. *Unedoni. L'arbousier.* Theoph. ὅμοια τῇ ἀνδράχνῃ dixit, hoc est, *portulacæ*, quam folio similem unedoni esse dicemus XIII, 40. Hard.

XXI. 1. *Tylos insula.* Et hæc rursum expressa fidelissime ex Theophrast. Hist. Plant. IV, 9 : Ἐν Τύλῳ δὲ τῇ νήσῳ (κεῖται δ' αὐτὴ ἐν τῷ Ἀραβικῷ κόλπῳ) τὰ μὲν πρὸς ἕω τοσοῦτον πλῆθος εἶναί φασι δένδρων, ὅτ' ἐκβαίνει ἡ πλημμυρίς, ὥστ' ἀπωχυρῶσθαι (Scalig. ἀποχωννῦσθαι). Πάντα δὲ ταῦτα μεγέθη μὲν ἔχειν, ἡλίκα συκῆ· τὸ δὲ ἄνθος ὑπερβάλλον τῇ εὐωδίᾳ· καρπὸν δὲ ἄβρωτον, ὅμοιον τῇ ὄψει τῷ θέρμῳ. De Tylo Plinius libro VI, cap. 32. Ed.

2. *Perfunditur.* Chiffl. *profunditur*; mox idem *magnitudo similis.* Ed.

3. *Lupino.* De quo lib. XVIII, cap. 36. Hard.

4. *Lanigeræ arbores.* Quas gossympinos, sive gossypinos mox appellabit. Hard.

5. *Infecunda.* Hoc est, lanæ minime feracia, qualia Serum esse diximus, VI, 20. Harn.

6. *Vitium* Vitis foliis similia, ταῦτα δὲ φύλλον μὲν ἔχειν ὅμοιον τῇ ἀμπέλῳ, πλὴν μικρόν, inquit Theophrast. loc. sup. cit. Hard.

7. *Ferunt cotonei mali amplitudine cucurbitas.* Fructus cucurbitæ similes, id quod lanam continet, vere compressum, maturitate se reclu-

maturitate ruptæ ostendunt lanuginis pilas[8], ex quibus vestes pretioso linteo faciunt. (XI.) Arbores[9] vocant gossympinos[10] : fertiliore etiam Tylo minore, quæ distat X M. pass.

dens, unde lanas trahunt : ex quibus telas nunc pretiosas texunt, nunc viliores, inquit Theophrastus. DALEC. — Eadem refert Herod. Thalia, III, 106. Fructum describit eleganter Julius Pollux VII, 17. HARD. — Pollux loc. cit. Τῷ δένδρῳ καρπὸς ἐπιφύεται, καρύῳ μάλιστα προσεοικὼς, τριπλῷ τὴν διάφυσιν, ἧς διαστάσης ἐπειδὰν πεπανθῇ τὸ κάρυον, ἔνδοθεν ἐξαίρεταί τι ὥσπερ ἔριον, ἀφ' οὗ κρόκη γίγνεται, τὸν δὲ στήμονα ὑφιστᾶσιν αὐτῷ λινοῦν. Recte, quoad interpretationem Bodæus, qui τριπλοῦς ἐστι τὴν διάφυσιν, vertit, « quæ trifariam divisa, habet trifariam putaminis carinam; » sed re vera gossypii capsula, vel ut alii perperam volunt, bombacis, quinquelocularis est, teste Jussiæo, Gener. plantar. pag. 274 et 275; quanquam Willdenowius capsulam hanc quadrilocularem dicit, Gen. plant. 1296. ED.

8. *Lanuginis pilas*. Vetus apud Dalec. *pilos*; male. HARD.

9. *Arbores*. Quas proxime attigit, et lanigeras vocavit. Hæc enim a superioribus hactenus perperam divulsa. In Indice libri hujus, *gossympinon*. In MSS. hoc loco *gossympinos*. Theophrastus et Herodotus loc. cit. δένδρα ἐριοφόρα, arbores pariter lanigeras vocant : arbores, inquam, ut intelligas ab ea planta, seu frutice differre, unde legitur gossypium nostrum, *le coton*, de quo XIX, 2; etsi nihil discrepare visum est Dalecampio, Hist. Pl. II, 221; sed errore falso. HARD.

10. *Gossympinos*. Theophrast. lib. IV, cap. 9 : Φέρειν δὲ τὴν νῆσον (Τύλον) καὶ τὰ δένδρα καὶ τὰ ἐριοφόρα πολλά. Ταῦτα δὲ φύλλον μὲν ἔχειν ὅμοιον τῇ ἀμπέλῳ, πλὴν μικρόν. Καρπὸν δὲ οὐδένα φέρειν· ἐν ᾧ δὲ τὸ ἔριον, ἡλίκον μῆλον ἐαρινὸν συμμεμυκός. Ὅταν δὲ ὡραῖον ᾖ, ἐκπετάννυσθαι καὶ ἐξαίρειν τὸ ἔριον, ἐξ οὗ τὰς σινδόνας ὑφαίνουσι, τὰς μὲν εὐτελεῖς, τὰς δὲ πολυτελεστάτας. Gossypii hæc (tria) genera referunt recentiores : Gossyp. frutescens, semine albo (Bauh. Pin. 430. *G. herbaceum* Willd.); Gossyp. arboreum, caule lævi (Bauh. ibid. *G. arboreum* Willd.); Gossyp. arboreum, caule spinoso (Bauh. ibid. *Bombax ceiba* Willd.); in Brasilia hoc genus reperitur... Vulgare gossypium pro soli cælique ratione arborescit, vel humile manet (nec ab hac sententia videtur discedere Cl. Fontanesius; vid. ad fin. hujusce notæ). In Ægypto arboreus frutex est, ut scribit Alpinus, pluribus annis vivens, dissimilis ab herbaceo tantum proceritate caudicis, ramorum atque foliorum figura. Crescit autem ad decem cubitorum altitudinem, stipite, ramisque duris, lignosis. Contra in Syria et Creta herbacea est planta, et annua..... Lanigeræ ergo arbores Theophrasti (quem Plinius hoc loco fere ad verbum transcripsit), nihil aliud sunt quam gossypium, quod in Arabia et Ægypto arborescit, et multos annos durat, sed in Creta hieme pe-

1 XXII. Juba circa fruticem lanugines esse tradit, linteaque[1] ea Indicis præstantiora. Arabiæ autem arbores, ex quibus vestes faciant, cynas[2] vocari, folio palmæ simili. Sic Indos suæ arbores vestiunt. In Tylis[3] autem et alia arbor floret albæ violæ specie, sed magnitudine quadruplici, sine odore, quod miremur in eo[4] tractu.

rit, etc. Bodæus a Stapel not. in Theoph. pag. 427 sq. — *Bombax gossypinum* et *Gossypium arboreum* (*Monad. polyand.* gen. 1286 et 1539, Pers. *Malvac.* Juss.) ex aotiquis inde temporibus io Ægypto culta, lanam *xylinam* (nempe a græco ξύλω, quod idem atque gossypium) largiuntur, e qua pretiosam *byssum* Ægyptii texuerunt (conf. Forster. de *bysso* Veterum VIII, Lond. 1776). Herodotus lib. III, cap. 106, easdem arbores describit. Male fabulosus Philostratus, Vit. Apolloo. II, 20, folia salicis similia facit. Sprengel. — Gossypii meminit æque Virgilius, Georgic. II, 120: « Quid nemora Æthiopum molli canentia lana? » Conf. Flor. Virgil. in tom. VIII, edit. nost. pag. XVIII. Clar. oostras Desfontaines *xylon*, sive *gossypion* Plinii, lib. XIX, c. 1, ad *Gossyp. herbaceum* Linn. referendum judicat. Ipse enim in his desertis *Barbariæ* regiooibus, quas vulgo *Bidulgerid* vocant, plantam cam vidit ad senos et ultra pedes altitudinis excresceutem, brachii crassitudine; item in Ægypto *Gossyp. herbaceum* lignosum Cl. Delille, qui aliam Gossypii speciem ibi reperit, *G. vitifolium* Cavanill. Non est igitur quod dubitemus, quin gossympinæ arbores Plinii eædem sint cum nostris gossypiis, ut censet Sprengelius. Conf. etiam quæ dicturi sumus de bombace et gossypio ad Excursum II ad calcem hujus libri. Ed.

XXII. 1. *Linteaque ea.* Vet. apud Dalec. adjicit *fieri*. Ed.

2. *Cynas.* In Indice hujus libri, *Chynas*. Hard. — *Arabiæ autem arbores... cynas*, etc. Theophrast. loco sup. citato: Γίνεται δὲ τοῦτο καὶ ἐν Ἰνδοῖς, ὥσπερ ἐλέχθη, καὶ ἐν Ἀραβίᾳ, « apud Indos et Arabes etiam provenit hæc arbor; » quod recentiorom observatione verissimum repertum est, et ipse Plinius fatetur lib. XIX, cap. 1: « Superior pars Ægypti in Arabiam vergens gignit fruticem. » Cyprus et Syria gossypii plantis scatent; sed ab Arabico differt ξύλω, quod Arabicum arboreus frutex, herbaceum vero Cyprium et Syriacum. Arbores *cynas* jampridem ad *Bombacem ceibam* male retulit Adanson, *Famill. des plant.* tom. II, pag. 534. Vid. super. cap. not. 10. Ed.

3. *In Tylis autem et alia arbor*, etc. Theoph. lib. IV, cap. 9: Εἶναι δὲ καὶ ἄλλα δένδρα τὸ ἄνθος ἔχοντα ὅμοιον τῷ λευκοΐῳ, πλὴν ἄοσμον, τῷ μεγέθει, τετραπλάσιον τῶν ἴων. Quæ qualisque sit arbor ista floreos violæ albæ specie, sed magnitudine quadruplici, quum mancam nimium descriptiooem auctor nobis exhibeat, dicere nou habemus. Ed.

4. *Tractu.* In quo sunt fere omnia, quæ ibi gignuntur, odorata. H.

XXIII. Est et alia similis[1], foliosior tamen, roseique floris : quem noctu comprimens, aperire incipit Solis exortu, meridie expandit. Incolæ dormire eum[2] dicunt.

XXIII. 1. *Est et alia similis*, etc., Theophrast. loc. cit. Contrariæ indolis est *Parizataco*, Malabaricæ Goanæque regionis arbos, quæ flores aperire incipit solis occasu, amittit exortu : idcirco *arborem tristem* vocant. Hard. — *Parizataco* arbor, de qua loquitur Harduinus, est *Nyctanthes arbor tristis* (*Diànd. monog.* gen. 32, Pers. *Jasmin.* Juss.). Plinii plantam ignoramus. Non dicit Theophrastus hanc rosei esse floris, sed similem arbori, quæ rosam fert, folio scilicet et frutice; τὸ ἄνθος ἔχειν ὅμοιον ῥόδῳ· τὸ ῥόδον frutex est, non flos. Fallitur Constantinus, quum rosam Hierochuntinam existimat a Theophrasto delineari. Nec πολύφυλλος rosa hæc, id est, multis foliis prædita; nec folia fert rosæ similia, nec noctu clausum habet florem, qui mane aperitur, meridie expansus est, vesperi clauditur. Conf. Bod. not. in Theophr. lib. IV, cap. 9. Ed.

2. *Incolæ dormire eum dicunt.* Scilicet florem. Certis diei horis flores aperiri, expandi, claudi, nunc omnibus notum et pervulgatum. Hinc *vigiliæ* plantarum metaphorice Linnæo dictæ, qui eas sagacissima indagatione observavit ita, ut *horologium*, quod Floræ appellant, ad temperiem Upsaliæ urbis apprime accommodatum composuerit, quam in rem multi post illum ingenium suum exercuere. Flores, quatenus de explicationis tempore, a botanicis Physiologis dicuntur : 1° *Ephemeri*, nempe qui certa diei hora aperiuntur, certa clauduntur, aut decidunt; inter quos distinguuntur, *diurni*, ut cisti; *nocturni*, ut Œnothera grandiflora (*œnothera suaveolens* Persoon. ?); *lucinoctes*, interdiu aperti, noctu clausi, ut pleri-que; *noctiluces*, interdiu clausi, noctu aperti, ut convolvulus purpurens, cactus peruvianus, nyctanthes arbor tristis. 2° *Æquinoctiales*, qui certa diei hora aperiuntur, certa clauduntur, rursum et multoties item sese expansuri clausurique, eadem servata lege, ut ornithogalum umbellatum, etc. Æquinoctiales autem, ut Ephemeri, in varietates quatuor dividi subinde possunt. *Tropicos* speciali nomine Linnæus appellavit, qui per aliquot dies continuos, mane quidem expanduntur, ante vesperam vero clauduntur; hi sunt Æquinoctiales diurni. 3° *Meteoricos* dixit, qui minus accurate sese explicandi horam observant, sed prius seriusve aperiuntur pro ratione umbræ aut lucis, aeris humidi vel sicci, atmosphæræ majori aut minori pressione, quales sunt cichoracearum pleræque, calendula pluvialis, etc. Dormire item folia dicuntur; is autem *somnus* nihil aliud significare vult, quam certam ac peculiarem, pro diversis plantarum generibus, foliorum dispositionem, quæ nimirum noctu nutant, flaccescunt, conniveut, reflectuntur, dependent, invertuntur, imbricantur, conduplicantur, etc. De his plura Linn. Philos. botan. Decan-

Fert eadem[3] insula et palmas, oleasque ac vites, et cum reliquo pomorum genere ficos. Nulli arborum folia ibi decidunt; rigaturque gelidis fontibus, et imbres accipit.

1 XXIV. Vicina his Arabia flagitat quamdam generum distinctionem[1]: quoniam fructus iis constat[2] radice, frutice, cortice, succo, lacryma, ligno, surculo, flore, folio, pomo.

1 XXV. (XII.) Radix et folium[1] Indis est maximo pretio. Radix costi[2] gustu fervens, odore eximio, frutice alias

DOLLE, *Théorie élémentaire de Botan.* pag. 408 seqq. ED.

3. *Fert eadem*, etc. Theophr. loc. cit. et Aug. de Civit. libro XXI, cap. 5. HARD. — Græci auctoris mentem non satis bene retinuisse Noster videtur. Theophrastus ficus tantum in ea insula folia non demittere dixit, καὶ συκᾶς, αἳ μὴ φυλλοῤῥοοῦσι. Sed ibi codicem mendosum docti suspicantur. ED.

XXIV. 1. *Generum distinctionem.* Aromatum quæ gignit Arabia. Odorum genera his fere versibus complexus est Plaut. in Curcul. I, 2, 5: « Nam omnium odor unguentum præ tuo, nautea est. Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa, Tu crocinum et casia es, tu bdellium, etc. » DALEC.

2. *Constat.* Salmas. *constant.* — Fructus, sive utilitas iis sc. generibus aromatum constat, 1° radice, ut costo, cypero; 2° frutice, ut cinnamomo, casiæ; 3° cortice, ut maciri; 4° succo, ut styraci, sylphio; 5° surculo, ut caryophyllo; 6° ligno, ut agallocho; 7° lacryma, ut myrrhæ, balsamo; 8° flore, ut nardo, rosæ, etc. 9° folio, ut malobathro; 10° pomo, ut malo Medicæ, etc. Et illa fere cuncta quæ Veteribus maximo pretio fuere; verum enimvero quot, quam varia, quam multo magis exquisita odorum, et aromatum, et unguentorum genera luxus apud nos invenerit, quis non stupeat? ED.

XXV. 1. *Rad. et folium.* Radix ea costi est: folium, nardi. Hæc κατ' ἐξοχὴν, et radix, et folium, appellantur. A malobathro, quod folium Indicum pariter vocant, et in paludibus Indicis gignitur, longe istud diversum, ut recte admonet Dioscor. I, 11; quanquam id nardo similem vim habet, ut docet Galen. de Fac. simp. med. lib. VII, pag. 205. HARD.

2. *Radix costi.* Hæc quoque Dioscorid. I, 15. Nomen etiamnum retinet in officinis, *costus.* HARD. — *Costus.* Est ille *Costus speciosus* Smith. (*Monand. monogyn.* gen. 7, *Scitamin.* Pers. *Amomum hirsutum?* Lamarck. *Encyc.* pag. 134, t. III. *Cann.* Juss.). Diosc. I, 15, tres facit species, quarum una *Arabica*, est, lævis, alba, odorata; *Indica* altera, crassa, lævis, nigra, ferulacea; *Syriaca* tertia buxea, nigra, graveolens. Primus animadvertit Anton. Musa Brasavolus, Exam. simp. 238, nullam costi speciem recentioribus cognitam esse. Sperabat Alphonsum, Ferrariæ ducem, ve-

inutili. Primo statim introitu amnis Indi in Patale insula, duo sunt ejus genera; nigrum, et quod melius[3], candicans. Pretium in libras x. vi.[4]

XXVI. De folio nardi[1] plura dici par est, ut princi- 1
pali in unguentis. Frutex est[2] gravi et crassa radice, sed brevi ac nigra, fragilique, quamvis pingui, situm redolente, ut cyperi[3], aspero sapore, folio parvo densoque. Cacumina in aristas se spargunt[4]: ideo gemina dote nardi

rum costum apportari jussurum; at spes eum adeo fefellit, ut et nostræ etiamnum officinæ nullum omnino verum costum possideant; costum dulcem enim, quem venditant, eumdem esse cum *canella* alba jamdiu comperi. Indicus costus forte est radix Amomi silvestris, quæ etsi atra non sit, tamen obscuri et fusci est coloris, et nodosa (Rumph. Amb. 6, t. 63). Quæ Syriaca sit species, plane ignoro. Cf. Lamarck. *Encyc.* I, 136. Zedoariæ radicem eamdem esse cum costo perhibet Anguillara, pag. 34. Sprengel.

3. *Quod melius.* Dioscor. loc. cit. et Oribas. lib. XI, p. 202. Hard.

4. *Pretium in libras, X. VI.* Ita esse scribendum pronuntiat Harduinus, non *XVI;* hoc est, denarii sex, qui monetæ nostræ efficiunt 4 f. 24 c. Ed.

XXVI. 1. *De folio nardi.* De Indica nardo hæc sunt accipienda. —Malobathrum, sive φύλλον, nardi folium esse, deceptus Plinius judicavit, quo errore lapsos quoque multos alios fuisse Dioscorides tradit. Dalec. — De Nardo indico (qui nobis est Andropogon nardus), malobathro, et nardi speciebus apud Veteres, vide Excursum VII ad finem hujus libri. Ed.

2. *Frutex est.* Diversi igitur generis a Syriaca nardo, Celtica, Creticaque: quæ genera omnia, non frutices, sed herbæ sunt, ut mox dicetur. Hard.

3. *Ut cyperi.* Sic Dioscor. I, 6: Καὶ μετὰ τοῦ κυπερίζειν ἐν τῇ ὀσμῇ, *et odore cyperum imitatur.* De cypero cui odor est qui nardum imitetur, dicemus XXI, 70. At in MSS. Reg. Colb. Chiffl. et Paris. Hoc loco *aut cupressum* legitur. Hard.

4. *Cacumina in aristas se spargunt.* Auctor libri de Simp. Med. ad Paternian. inter Galeni opera, tom. XIII, pag. 999: « Spica nardi, inquit, ad similitudinem cognominata est: similis est enim spicæ frumenti, et plurimas habet velut aristas, etc. » Statius, Silv. V, 3, 43: « odoratas nec Arabs decerpsit aristas. » Spicæ, seu aristæ, folio parvo densoque constant. Nardus idcirco Indica gemino nomine commendatur, spicæ, et foliorum. Quanquam nardi spica a Galeno de Antid. I, 14, pro radice accipitur, quoniam quæ pars spicæ nomen habet, radici est proxima. Hoc nardum est pisticum (Joan. XII, 3), fidele, probum, non adulteratum; sed (ut mox Plinius dicet), sincerum. In Batavia, Indiæ agro, na-

spicas ac folia celebrant. Alterum ejus genus[5] apud Gangem nascens, damnatur in totum, ozænitidis[6] nomine,
2 virus redolens. Adulteratur et pseudonardo[7] herba, quæ ubique nascitur crassiore atque laxiore folio, et colore languido in candidum vergente. Item sua radice[8] permixta ponderis causa, et gummi, spumaque argenti, aut stibio, ac cypero[9], cyperive cortice. Sincerum[10] quidem levitate deprehenditur, et colore rufo, odorisque suavitate, et gustu maxime siccante os, sapore jucundo. Pretium spicæ in libras x. c.[11] Folii[12] divisere[13] annonam :

scitur. HARD. — Salmasius emendat : *cacumine aristæ se spargunt* : Dalec. legit : *in spicas*. ED.

5. *Alterum ejus genus*. Hæc pariter Dioscor. I, 6. HARD.

6. *Ozænitidis*. Legendum videtur *Gangitidis*, non *ozænitidis*. Dioscorides I, 6, unde hoc mutuatus videtur Plinius : « Ex Iudicis, inquit, nardum quoddam Gangitis vocatur, a fluvio Gange apud quem enascitur. » Nec me fugit Hermolaum in Corollario aliter sensisse; sed ille conjectura ducebatur; nos Dioscor. auctoritate nitimur. PINT. —*Ozænitidis*, ab ὄζαινα, quod nempe odore fœdo nares feriat. HARD. — Ὄζαινα ulcus est sordidum, in naribus latens. BROT.

7. *Adulteratur et pseudonardo*. Item luto siccæ radici permixto, ex Dioscoride. DALEC. — Lectam a se pseudonardum in Genebra monte Delphinatus, testatur Charasius, in Pharmacop. Galen. cap. xx, pag. 292. Quamobrem hallucinantur ii qui putant esse lavandulam. HARD.

8. *Item sua radice*, etc. Radiculis, seu fibris tenuibus. HARD.

9. *Ac cypero*. Has voces ex MSS. Reg. et Colb. addidimus. De cypero, cui candor odorque vicinus nardo, dicemus XXI, 69 : de stibio, XXXIII, 33. Habet his paria Diosc. lib. I, cap. 6. HARD. — *Cypero* ex libris manuscriptis, pro *cypiro*, post Broter. restituimus. ED.

10. *Sincerum*. Diosc. loc. cit. H.

11. *Pretium spicæ in libras*, *X. C.* Denarii centum. Nunc vilius emitur, multo expeditiore commercio apud Indos, quam olim fuit. HARD. — Denarii centum sunt nostræ monetæ, 63 f. 70 c. De monetis, mensuris, cf. Clar. LETRONNE, in tabulis tom. XII Tit. Liv. p. 112, edit. nost. annexis. ED.

12. *Folii*, præmonente Salmasio, cum Harduino rescripsimus : edit. vett. *folia*. ED.

13. *Folii divisere annonam*. Hoc est, pretium aliud alii nardi folio mercatores fecere : majori minus; minimo, maximum. Quod porro de foliis nardi Plinius, hoc de malobathro quoque, quod Indicum folium κατ' ἐξοχὴν vocant, prodidit auctor Peripli maris Erythræi : qui tria malobathri genera facit : primum quod majore folio, hadrosphærum; forte quod in sphæras, seu pilulas folia ea convolverentur :

ab amplitudine hadrosphærum vocatur majoribus[14] foliis,
x. L.[15] Quod minore folio est, mesosphærum appellatur: emi-
tur x. LX. Laudatissimum microsphærum e minimis folium:
pretium ejus x. LXXV. Odoris gratia omnibus : major re- 3
centibus. Nardo color[16] qui inveteraverit, nigriori melior.
In nostro orbe[17] proxime[18] laudatur Syriacum[19], mox
Gallicum, tertio loco Creticum[20], quod aliqui agrium vo-
cant, alii phu[21], folio olusatri[22], caule cubitali, genicu-

quod ex minore, mesosphærum : quod ex minimo denique, microsphærum. Γίνεται δὲ γένη τρία· ἐκ μὲν τοῦ μείζονος φύλλου, τὸ ἁδρόσφαιρον μαλάβαθρον λεγόμενον· ἐκ δὲ τοῦ ὑποδεεστέρου, τὸ μεσόσφαιρον· ἐκ δὲ τοῦ μικροτέρου, τὸ μικρόσφαιρον. Nota locutio, *incendere annonam*, vel ut Varro loquitur, *excandefacere annonam* : Galli dicunt, *enchérir*. H.

14. *Majoribus foliis*. Sic Auctor Peripli mox laudatus. At in MSS. Reg. et Colb. *pipulis* legitur, forte pro *pilulis* (ut jam placebat Salmasio), seu sphærulis. Hard.

15. *X. L.* Ita MSS. omnes. H. — Denarii quinquaginta, sunt monetæ gallicæ 35 fr. 58 c. Denarii LX, 42 fr. 46 c. Denique LXXV, 53 fr. 9 c. Ed.

16. *Nardo color*. Rufus. H.—*Qui invet.* Cod. Dal. *si inveteraverit*. Ed.

17. *In nostro orbe*. In romano imperio. Nam quare Syriaca nardus diceretur, quam tamen India mitteret, perridiculam rationem Diosc. I, 6, excogitavit, vel ab aliis proditam probavit; quod nempe montis Indici, in quo nardus nasceretur, pars una Syriam, altera Indos spectaret : quod ante nos risit Dalecampius, Histor. Plant. VIII, 21. Syriaca dicitur, quæ in Syria oritur, ut gallica et cretica, quæ in Galliis Cretaque provenit. Hard.

18. *Proxime*. Post Indicum. H.

19. *Syriacum*. Spicam nardi Syriacæ ad torminosos commendat Scribonius Largus, Compos. CXIII; gallicam, κελτικὴν νάρδον, Dioscor. I, 7. In officinis *spica celtica* dicitur; recte pingitur a Clusio, Hist. pl. IV, 39, et a Matthiolo in Diosc. I, 7; in Pyrenæis montibus frequens. Hard.

20. *Creticam*. Et creticæ nardi meminit Galen. de Antid. I, 14. Hard. — Si Dioscoridi credas, in Ponto nascitur. Ed.

21. *Aliqui agrium vocant, alii Phu*. Hoc est, silvestre. Dioscor. lib. I, cap. 10 : φοῦ, οἱ δὲ καὶ τοῦτο ἀγρίαν νάρδον καλοῦσι. Ex hac porro Dioscoridis ac Plinii descriptione, sunt enim ambæ geminæ ac plane pares, nardum creticam liquet esse eam, quam et herbarii, et officinæ vocant Valerianam majorem, quæ in Gallia frequens, locis montuosis. Hard. —Valeriana major officinarum eadem est atque *Valeriana Phu* Linn. (*Triand. monogyn.* gen. 77, Pers. *Dipsac.* Juss.). Vid. Excurs. VII ad calcem hujus libri. Ed.

22. *Folio olusatri*. Ἱπποσελίνου, de quo XIX, 48. Hard.

lato, in purpura albicante[23], radice obliqua villosaque[24], et imitante avium pedes. Baccharis vocatur nardum rusticum, de quo dicemus[25] inter flores. Sunt autem ea omnia
4 herbæ præter Indicum. Ex iis Gallicum[26] et cum radice vellitur, abluiturque vino. Siccatur in umbra, alligatur fasciculis in charta, non multum ab Indico differens, Syriaco tamen levius. Pretium[27], X. III. In his probatio una, ne sint fragilia et arida potius, quam sicca, folia. Cum Gallico nardo semper nascitur[28] herba, quæ hirculus vocatur, a gravitate odoris et similitudine, qua maxime adulteratur. Distat, quod sine cauliculo est, et quod minoribus foliis, quodque radicis neque amaræ, neque odoratæ.

23. *In purpura albicante.* Caulis, inquit, in purpura albicat. Diosc. ait caulem purpurascere, flores in purpura albicare : Καυλὸν ἐμπόρφυρον, ἄνθη ἐν τῷ λευκῷ διαπόρφυρα. H.

24. *Villosaque.* Fibrosa. Hard. — *Et imitante avium pedes.* Id est, veratrum, nigrum, seu melampodium, ex Dioscoride. Ex ista voce *melampodium* vetustorum exemplarium corruptores effecerunt τοὺς τῶν ὀρνίθων πόδας. Dalec.

25. *De quo dicemus inter flores.* Lib. XXI, cap. 16. Hard.

26. *Ex iis gallicum.* Dioscorid. I, 7 : Ἡ δὲ Κελτικὴ νάρδος γεννᾶται μὲν ἐν τοῖς κατὰ Λιγυρίαν Ἄλπεσιν, ἐπιχωρίως ὠνομασμένη Ἀλιούγγια· γεννᾶται δὲ ἐν τῇ Ἰστρίᾳ· ἔστι δὲ θαμνίσκος μικρὸς, σὺν ταῖς ῥίζαις εἰς δέσμας ἀναλαμβανόμενος χειροπληθεῖς· ἔχει δὲ φύλλα ὑπομήκη (alii, ἐπιμήκη), ὑπόξανθα, ἄνθος μήλινον. Μόνων δὲ τῶν καυλῶν ἐστι, καὶ τῶν ῥιζῶν ἡ χρῆσις, καὶ ἡ εὐωδία, κ. τ. λ. Idem paulo post adjicit de herba hirculo : « Adulteratur autem herba persimili, quæ una cum ea vellitur, quamque propter virosum odorem, *hirculum* nominant. Facile vero est hanc ab illa internoscere : quandoquidem herba est sine cauliculo, et candidior, minusque oblonga habet folia; quin neque radicem amaram, aut aromaticam, quemadmodum legitima nardus. » De his vide not. 28 fin. Ed.

27. *Pretium X. III.* Ita scribendum, non conjunctim, XIII. Hard. — Hoc est, denarii tres, monetæ nostræ, 2 fr. 12 c. Ed.

28. *Cum gallico semper nascitur*, etc. De suo id Plinius. Dioscorides ea tantum herba nardum adulterari scribit. Dalec. — Inter nardi celticæ fasciculos herbam eam, quæ hirculus dicitur, deprehendisse se testatur Clusius Arom. I, 33, ubi ejus iconem repræsentat. Hard. — *Semper nascitur*, etc. Nec semper, immo raro cum nardo gallico nascitur. Brot. — *Et similitudine.* Cum nardo celtica, ut testis est Clusius, qui contulit. Hard.

XXVII. (XIII.) Nardi vim habet et asarum[1]: quod et ipsum aliqui silvestre nardum[2] appellant. Est autem ederæ foliis, rotundioribus tantum mollioribusque, flore purpureo, radice Gallici nardi: semen acinosum[3], saporis ca- 1

XXVII. 1. *Asarum*, etc. *Asarum europæum* L. (*Dodec. monogyn.* gen. 1156, Pers. *Aristoloch.* Juss.) Vulgo *cabaret*, *nard sauvage*. Humillima est, et perpetuo virens planta, radice tenui, repente, angulosa, nodosa, fibrosa, spadicea, vel cinerea, acri, amaricante, nauseabunda, aromatica, Valerianam hortensem redolente; foliis rotundis, auritis, rigidis, nitidis, obscure virentibus, longis pediculis innixis. Flores prope radicem inter folia reconditi, tenui ac brevi pediculo insident, staminei, purpurei et vix conspicui, si calycem excipias, qui crassior est, et in tria segmenta divisus, acuta et atropurpurascentia. Hujus autem posterior pars, quæ hexagona est, abit in fructum in capsulas sex divisum, in quibus semina continentur subrotunda, exigua, acinis uvarum quoad formam externam similia, fusca tunicula involuta, quæ medullam albam continent acriusculam. Delectatur silvosis, et frequens occurrit in Gallia. Radices et folia in officinis usitata sunt. Conf. Tract. de Mat. med. auct. Geoffroy, tom. III, pag. 130, ex quo lnculentam descriptionem exprompsimus. Sunt viri et quidem doctissimi, quibus asarum et baccharis, de qua Noster egit cap. 26, eædem videantur plantæ ita, ut quam Veteres βάκχαριν dixerint, eam nos vernacula lingua per μετάθεσιν *cabaret* appellaverimus. Nec nos fugit varias fuisse de bacchare opiniones, dum eam alii Valerianam celticam, Digitalem alii purpuream, nonnulli Asarum europæum esse dictitent; quæ fusius ad lib. XXI cap. 16 exponemus. Non tamen abs re fuerit Plinii locum hic exscribere, ubi baccharin ab asaro diversam judicare ipse videtur, loco supra cit. « Bacchar quoque radicis tantum odoratæ est, a quibusdam nardum rusticum appellatum... sed eorum corrigendus error est qui bacchar *rusticum nardum* appellavere. Est enim *alia* herba sic cognominata, quam Græci asaron vocant, cujus speciem figuramque diximus in nardi generibus. Quin immo asaron invenio vocitari, quoniam in coronis non addatur. » Scilicet quasi ἄσειρον, quod vinctum in sertis et corollis non adhiberetur: εἰς σειρὰς (coronarum nexus) οὐκ ἐλθόν. Baccharin autem coronariam fuisse plantam testatur Dioscor. III, 51: Βάκχαρις... θαμνώδης, εὐώδης, καὶ στιφωματική. Nempe ex bacchare plectebantur corollæ, quibus capita vates redimerent, tanquam ἀποτροπαίῳ fascini ex nimia laude. Inde Virgil. Ecl. VII, vss. 27, 28: « Aut, si ultra placitum laudarit, bacchare frontem Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro. » Ed.

2. *Silvestre nardum.* Ἄσαρον, οἱ δὲ νάρδον ἀγρίαν καλοῦσι, Diosc. I, 9, a quo iisdem fere verbis describitur. In officinis retinet nomen. H.

3. *Semen acinosum.* Florem habet

lidi ac vinosi. Montibus[4] in umbrosis bis anno floret. Optimum in Ponto, proximum in Phrygia, tertium in Illyrico. Foditur quum folia mittere incipit, et in Sole siccatur, celeriter situm trahens, ac senescens. Inventa nuper et in Thracia herba est, cujus folia nihil ab Indico nardo distant.

1 XXVIII. Amomi uva[1] in usu[2] est, Indica vite la-

purpureum, inquit Oribasius, lib. XI, p. 191, in quo semen est acino simile. Hard. — In MSS. Reg. Colb. et Chiffl. *radice gallici nardi simile acinosum*; unde infeliciter nescio magis an audacter tentabat refingere Salmasius: flore purpureo radici alligato alterci simili, acinoso, etc. « *Altercus* ait, Latinis ὑοσκύαμος, quod mentem alteret et alienet. De saliunca minime dubium, quin Latini nardum montanum ita appellarint. » Ed.

4. *Montibus.* Hæc Diosc. l. c. H.

XXVIII. 1. *Amomi uva.* Diosc. lib. I, cap. 14: Ἄμωμόν ἐστι θαμνίσκος οἱονεὶ βότρυς, ἐκ ξύλου ἀντεμπεπλεγμένος ἑαυτῷ. Varia quæ huic loco accommodari potest interpretatio, effecit haud dubie ut hacteuus de amomo vix quisquam recentiorum certi quidquam prodiderit... Equidem in re dubia et ancipiti non ausus Plinii, gravissimi auctoris, auctoritati fidem derogare, ita converti (*in uvæ modum snopte ligno in seipsum convolutus*), ut tamen hoc loco βότρυν, qui proprie racemus est, et Latinorum uvam, pro ipsa vite acciperem, quemadmodum etiam usurpavit Virgil. Georg. II: « Et turpes avibus prædam fert uva racemos. » Quasi voluerit Dioscorides, quemadmodum vitis sarmento suo, ita et amomum suis virgultis ligneis in se ipsum convolvi, aut etiam vitis instar, ligno seu arbori, cui adnascitur, sese circumplicare, atque, ut ne a Plinii dictione discedam, convolvere. Saracenus. — Aliter sentit Bodæus a Stapel, not. in Theophr. p. 1015: « Sensum verborum Dioscoridis, inquit, salvo meliori judicio, hunc puto: nempe amomum esse fruticulum cujus lignum ita in se ipsum convolutum est et invicem implexum, ut uvæ effigiem repræsentet. Alia tamen videtur Plinii sententia: « Amomi uva in usu est, Indica vite labrusca; ut alii existimavere, frutice myrtuoso. » Duas quidem refert de amomo opiniones, quorum altera uvam esse ex Indica vite labrusca statuit, altera fruticem myrtuosum: ipse vero priorem paulo infra opinionem amplectitur, quum dicit: « pretium uvæ in libras, etc. » Ed. — In codicib. *amomi juba*, lectione haud aspernanda. Hard. — *Amomi*, etc. Nullam fere in exoticis plantam reperias, de qua virorum, et doctissimorum quidem, opiniones discrepare magis videantur. Nempe sup. sæculis, amomum aliis fuit Ribes nigrum, aliis Geranium columbinum; Scaligero et Cordo, rosa Hierochuntis (*Anastatica hierochuntina* Linn.), quos multis argumentis refellit Matthiol. ad Diosc. I, 14; Gesnero, Piper hortense (*Solanum*

brusca : ut alii existimavere, frutice myrtuoso[3], palmi

bacciferum Tourn.); Cæsalpino, Piper caudatum (*Piper cubeba* L.); Harduino, ut sup. vidimus, Amomum racemosum, qua in opinione nonnulli recentiorum fuere. Spregelius denique, præeunte Pluknetio, amomum Veterum nihil aliud esse contendit, quam *Cissum vitigineam* (*Tetrand. monogyn.* gen. 294, Pers. *Vitic.* Juss.), Arabibus autem *hamama* dictam. Cl. viri verba hic transcribere non piget : « In amomo Virgilii, Eclog. IV, 25, quod manifeste *assyrium* vocat, exponendo desudarunt tot tantique viri, ut dissuadeatur fere quivis novus conatus. Et plurimas quidem difficultates gignit Dioscoridis descriptio, qui fruticem esse bryoniæ foliis et leucoii floribus, crescere autem tum in Armenia, tum in Media tradit. Quod Plinius fere lib. XII, c. 28, repetit. Possemus quidem cum Salmasio (Exercitt. Plinian. 284) autumare ἄμωμον esse sæpius aroma quodvis sincerum et incorruptum. Hoc vero casu certa quædam ac determinata planta intelligi videtur. Longissime certe abfuit a veritate Enric. Cordus, qui amomum idem cum Anastatica credit hierochuntina, defensus a filio Valerio (in Dioscor. I, 14), quod folia conspici in siccata planta nequeant. Refutarunt hanc opinionem jure suo Amatus Lusitanus (in Dioscor. lib. I, cap. 14), item Ant. Musa Brasavolus (Exam. Simplic. pag. 156). Ad veritatem vero proxime accedere Andr. Cæsalpinus pluribus videtur, qui Piper cubebam, quod Garcias ab Orto (Aromat. Histor. I, 23) primus descripserit, pro amomo Veterum habet (Cæsalpin. de Plant. II, 23). At ea species piperis nec in Armenia, nec in Media crescit, nec faciem eam habet, quam amomo Dioscorides tribuit. Ad primum respondet J. Bauhin. (Hist. II, 197), plures fructus et plantas indicas a Veteribus nominatas fuisse ab emporiis, e quibus proxime eas habuerint. Siquidem multis aliis exemplis constat, Armeniam et Pontum delata fuisse aromata indica, unde denique Romam transvecta fuerint. Nec a Busbequii (Legat. Turc. I, pag. 34) inde temporibus quisquam in Armenia similem amomo plantam invenire potuit. Quod faciem Piperis cubebæ a descriptione Dioscoridis plane alienam attinet (nam illud folia cordata integra et flores omnino nullos habet), Joh. Bauhinus sentit, Dioscoridem hanc nunquam vidisse plantam, sed peregrinatorum fide mancam dedisse descriptionem. Adjungam verba Aloysii Anguillaræ, e rarissimo libello, Simplici (Vineg. 1561, 8), pag. 34 : « Oggi nel regno di Benin ed a Manicongo si trova una sorte di Pepe, la quale i Portughesi chiamano Pimenta del Rabo... l'istesso si trova anco in Soria ed è chiamato Pepe salvatico. È questo un sottofrutice con foglie di vite et fiori in graspi di color bianco, che dopo il loro disfiorire lasciano alcuni grani grandi come un granello di vescia di sapore acutissimo. » Castor Durantes (Herbar. pag. 24) pingit quidem

altitudine: carpiturque cum radice, manipulatim[4] leniter

amomum, sed forte ex imaginatione, quæ atriplicis potius species est. Tandem Pluknetius (Mantiss. plant. 27) arbusculam bacciferam circumplicatilem huc trahit, quæ Cissus est vitiginea. Eam autem verum sistere amomum, Arabes secuturus deinde evincam.—Supra jam probabili conjectura assequutus sum, amomum Veterum huc (ad Cissum vitigineam) pertinere. Id vero nunc ad certitudinis speciem quamdam evehendum est, quum Arabes uberius suum hamama describant, quam Græci ἄμωμον. Incipiam autem ab Avicenna qui pag. 173, fruticem nominat, vitis modo arboribus circumplicatum, foliis bryoniæ, floribus cheiranthi colore, ligno odorato, hyacinthino. Optimam speciem esse, quæ fulvo colore sit, e montibus Armeniæ veniat, atque odore suavi polleat: pejorem viridem, odore rutaceo, e locis humidis provenientem. His addit Honainus apud Serap. cap. CCLXXIX, ingredi et lignum, et baccas medicamenta odorifera, atque adeo inebriare. Rubellum autem florem indicat Davides Antioch. ap. Hyd. ad Periz. p. 103, aliique, quos idem citat, acrem, aromaticum saporem baccarum prædicant. Summa confusio orta fuit medio ævo ex incuria ejus, qui Serapionem interpretatus erat. Vertit enim *hamama* pedem columbinum, unde seplasiarii fere omnes Geranium columbinum, aut molle, pro eo habuerunt. Fere primus refutavit eum errorem Ruellius, Nat. Stirp. I, 232. His omnibus rite perpensis, Anguillaræque supra loco cit. assumpto, non possum quin huic speciei adjudicem quidquid Arabes de suo *hamama* perhibuerunt. Folia enim cordato-subrotunda, lobata, utrinque villosa, semper fulva, flores pallidi, baccæ acri aromate prægnantes, cærulescentes, lignum odoratum, subrubens, in hac planta conveniunt. Rauwolfius, pag. 128, ipse ex Armenia acceperat. Primus delineavit Pluknetius, Mantiss. t. 337, fig. 4; uberius descripserunt Lamarkius, Encyc. I, 30; et Walbius, Symb. III, 18. SPRENG. — *Amomis* aut eadem videtur cum amomo species, quæ nondum maturuerat, aut certe ei affinior, ut ex verbis Plinii patet. ED.

2. *In usu*. In compositione theriacæ. Galen. Pharm. cap. XX. HARD. — *Vite labrusca*. Postremam vocem glossema esse censebat eruditus Petavius. BROT.

3. *Frutice myrtuoso*. Scaliger legit *frutice myrteolo*: nempe coloris myrtei, id est, inter nigrum et flavum medii, ut hac appellatione id nos intelligamus, quod Dioscorides dixit ὑπόκιῤῥον. DALEC. — *Myrtuoso*. Simili myrto. Sincera hæc lectio est librorum omnium, tum MSS. tum etiam editorum: quam dum convellere Salmasius nititur, in Solin. pag. 1069, ut *frutice botruoso* legat, et ab exemplarium fide temere discedit, et vocem invehit in latinitatem, non modo Plinii stilo alienam, sed cæteris, quos quidem legi, scriptoribus incognitam, præter unum Apuleium, hominem Africanum, cap. 66, in descriptione bryoniæ. Denique ταυτολογίαν Plinio perri-

componitur, protinus fragile. Laudatur[5] quam maxime Punici mali foliis simile, nec rugosis, colore rufo[6]. Secunda bonitas pallido. Herbaceum pejus, pessimumque candidum, quod et vetustate evenit. Pretium uvæ in libras[7] x. lx. friato[8] vero amomo x. xlviii. Nascitur[9] et in Ar- 2
meniæ parte, quæ vocatur Otene, et in Media, et in Ponto. Adulteratur foliis Punicis, et gummi liquido, ut cohæreat convolvatque se in uvæ modum. Est et quæ vocatur amomis[10], minus venosa atque durior, ac minus odorata: quo apparet, aut aliud esse, aut colligi immaturum.

XXIX. Simile his[1] et nomine et frutice cardamomum[2], 1

diculam affingit, si sit hæc hujus loci sententia: alios ex Indica vite, alios ex βοτρυώδει frutice, quod plane idem est, amomi uvam nasci dixisse. Hard.

4. *Carpiturque cum radice, manipulatim*, etc. Cod. Dalec. *capitur c. r. manu paulatim et leniter*. Chiffl. *leviter*. Ed.

5. *Laudatur*, etc. Dioscor. l. c. Virgil. Ecl. III, 89: « Mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum. »

6. *Colore rufo*. Dioscorid. recens et candidum, vel subrubrum præfert. Armeniacum, optimum, χρυσίζει: Ponticum, secundum, subrufum est: Medicum, deterrimum, ὑπόχλωρον, subviride. Dalec.

7. *In libras, X. LX.* Denarii sexaginta, hoc est, nostræ monetæ, 42 fr. 46 c. Ed.

8. *Friato... X. XLVIII.* Hoc est, 33 fr. 97 c. Friatum dicitur amomum, cujus acini a pediculo divulsi. Ed.

9. *Nascitur*, etc. Non in India solum, inquit, sed et in Armenia. Ad Pontum vero quod attinet, Busbequius, qui eas lustravit oras, sic retulit, ep. 1, p. 34: « Amomum, quod Dioscorides etiam in Ponto nasci scribit, nequicquam magno studio requisivimus: ut nesciam stirpsne ea interierit, an solum verterit. » Hard.

10. *Amomis*. Ἀμωμὶς Dioscorid. loc. cit. qua amomum ipsum adulterari scribit, ut et Oribas. lib. XI, pag. 189 Hard.

XXIX. 1. *Simile his*, etc. Amomo, et amomidi. Hard.

2. *Cardamomum*. Καρδάμωμον, de quo Diosc. I, 5. In officinis retinet nomen. Hard. — Quatuor species in hoc capite Nostrum enumerare bene vidit Bodæus; quibus vero ab auctoribus eas acceperit, se plane ignorare fatetur, quum unius tantum Græci meminerint, nec non diversæ multum ab iis quas Arabes descripsere. Sprengelius, Hist. rei Herb. pag. 37, in Hippocrat. de Morb. mul. I, 603, cardamomum ante Alexandri ἀνάβασιν Græcis prorsus ignotum fuisse animadvertit; libros etiam, in quibus memoratur, Ptolemæorum ævum sapere. Hippocrateam tamen speciem Amomi

semine oblongo. Metitur eodem modo et in Arabia[3]. Quatuor ejus genera : viridissimum ac pingue, acutis angulis, contumax fricanti[4], quod maxime laudatur : proximum e rufo candicans : tertium brevius atque nigrius. Pejus tamen varium et facile tritu, odorisque parvi : qui verus[5], costo vicinus esse debet. Hoc et apud Medos[6] nascitur. Pretium optimi in libras x. duodecim[7].

1 XXX. Cinnamomo proxima gentilitas[1] erat, ni prius Arabiæ divitias indicari conveniret, causasque, quæ cognomen illi felicis ac beatæ dedere. Principalia ergo in illa thus, et myrrha : hæc et cum Troglodytis communis : (XIV.) thura[2], præter Arabiam, nullis, ac ne Arabiæ quidem universæ. In medio ejus fere sunt Atramitæ[3], pagus[4] Sabæorum, in monte excelso, a quo octo mansionibus[5]

cardamomini nomine insignivit; Dioscoridea vero, ibid. pag. 157, an sit eadem cum Amomo zedoaria recentiorum, non ausus est pronuntiare. (Amomi spec. *Monand. monog.* gen. 4. *Scitamin.* Pers. *Cann.* Juss.). Ed.

3. *Et in Arabia.* Et in India, inquit, et in Arabia metitur eodem modo : hoc est, carpitur cum radice, manipulatimque componitur. Diosc. loc. cit. Hard.

4. *Contumax fricanti.* Frangenti. Dioscorid. δύσθραυστον. Oribas. lib. XI, fol. 200; quod difficulter frangitur. Hard.—Habent quidem codd. *fricanti;* sed hæc sæpe confundunt. Sic in MS. Reg. 1, infra XIII, 7, *fricatur* pro *friatur;* nos *frianti* edidimus. Brot. — Mox Chiffl. *hoc maxime.* Ed.

5. *Qui verus.* Subintellig. *odor.* Confidenter nimis emendat Dalecamp. *quod verius, costo vicinius esse debet.* Hard.

6. *Et apud Medos.* Hoc est, non in India solum, et Arabia. Diosc. l. c.

7. *In libras, X. duodecim.* Denarii notam, quæ exciderat adjecimus. Hard. — Efficiunt duodeni, monetæ gallicæ 8 fr. 48 c. Ed.

XXX. 1. *Gentilitas.* Nominis affinitas, propter quam proxime post amomum et cardamomum, dici de cinnamomo opportunum videbatur. Hard.

2. *Thura.* Transcribit hic Plinium Solinus, c. XXXIII; Plinius Theophrastum Hist. Pl. IX, 4. Hard.

3. *Atramitæ.* Dalec. *Adramyta*, ex Theophrast. loc. cit. Idem mox *caput;* et paulo post Chifflet. cod. *Saribus appellatur, hoc.* Ed.

4. *Pagus.* Non κώμην ea vox, vicumve : sed regionem, præfecturam, toparchiamque significat. Glossæ : *Pagus*, τοπαρχία, χώρα, νομός. De his egimus VI, 32. H.

5. *Mansionibus.* Mansiones camelorum sunt unius diei iter : earum

distat regio eorum thurifera, Saba appellata[6], quod signifi-
care Græci mysterium dicunt : spectat ortus Solis æstivi,
undique rupibus invia, et a dextra mari scopulis inaccesso.
Id solum[7] e rubro lacteum traditur. Silvarum longitudo 2
est, schœni[8] xx : latitudo dimidium ejus. Schœnus patet
Eratosthenis ratione, stadia XL, hoc est, passuum quinque
millibus : aliqui XXXII. stadia singulis schœnis dedere.
Attolluntur colles alti[9], decurruntque et in plana arbores
sponte natæ. Terram argillosam[10] esse convenit, raris
fontibus ac nitrosis. Attingunt et Minæi, pagus alius, per
quos evehitur uno tramite angusto. Hi primi commer-
cium thuris fecere, maximeque exercent : a quibus et Mi-
næum dictum est. Nec præterea Arabum alii thuris ar-
borem vident, ac ne horum quidem omnes : feruntque 3
MMM.[11] non amplius esse familiarum, quæ jus per succes-
siones id sibi vindicent. Sacros vocari ob id, nec ullo

magnitudo intelligitur ex sequenti capite 33. Brot.

6. *Saba appellata, quod*, etc. Lege : *Saba appellatur, quod*, etc. Salm.— *Saba*, etc. Paucioribus verbis duo exemplaria : « Saba appellatur, hoc sig. myst. Græci dicunt : spectat ortus solis æstivi, undique maris scopulis inaccessa. » Pint. — An ἀπὸ τοῦ σέβειν, quod in cultu Deorum præcipuus thuris usus est ? Σαβοὺς appellatos esse, qui Deo Sabasio, hoc est, Baccho, initiati forent, scribit Harpocration, pag. 265. Hard. — *Quod significare.* MSS. Reg. Lang. et edit. princeps *hoc significare*. Brot. — *In accesso.* Sic e MSS. restituit Hard. Ed.

7. *Id solum*. Terra, humus. H.

8. *Schœni XX*. De schœnis egimus VI, 30. Hard. — Dalec. Elzev. Gronov. et vett. edd. *schœnorum*. Ed. — *Schœnus patet, Eratosthenis ratione, stadia XL*. Herodoti ratione, sexaginta ; aliorum, triginta stadia. Vid. supra lib. V, cap. 11. Dalec.

9. *Colles alti*. Iidemque operti nive, inquit Theophrast. IX, 4. H.

10. *Terram argillosam*. Theoph. loc. cit. Vet. apud Dalec. *arenosam*. Ed.

11. *Feruntque MMM.* etc. Deest in libris numerus familiarum, et sane tot familiæ urbem vel populosam facere queant ; scriptum, ut opinor, fuerat : *ferunt* CIC *non amplius*, etc. Salm. — Deest in Reg. et Colb. 2, familiarum numerus. At in Colb. 3. : « Feruntque non amplius esse familiarum quinque, quæ jus, etc. » Habet hæc quoque Solin. tacito familiarum numero, cap. XXIII. Hard.

congressu feminarum, funerumque, quum incidant[12] eas arbores, aut metant, pollui : atque ita religione merces augeri. Quidam promiscuum jus iis populis esse tradunt in silvis : alii per vices annorum dividi.

1 XXXI. Nec arboris ipsius quæ sit facies[1], constat. Res in Arabia gessimus, et romana arma in magnam partem ejus penetravere. Caius etiam Cæsar[2] Augusti filius inde gloriam petiit, nec tamen ab ullo (quod equidem sciam) Latino arborum earum[3] tradita est facies. Græcorum exempla variant. Alii folio piri[4], minore dumtaxat et herbidi coloris prodidere[5]. Alii lentisco similem[6] subrutilo. Quidam terebinthum[7] esse, et hoc visum Antigono
2 regi allato frutice. Juba[8] rex iis voluminibus, quæ scripsit ad C. Cæsarem Augusti filium ardentem fama Arabiæ, tradit contorti esse caudicis[9], ramis aceris maxime Pontici, succum amygdalæ modo emittere : talesque in Carmania apparere, et in Ægypto satas studio Ptolemæorum regnan-

12. *Incidant... metant.* Dalec. *incidunt... metunt.* Idem mox, *religionem mercis.* Ed.

XXXI. 1. *Nec arboris ipsius quæ sit facies*, etc. Commerciorum facilitate et peregrinationibus nunc nobis notissima thuris facies. Thus autem non uni concessum est Arabiæ. Pars maxima et melior advehitur e regno *Siam*, insulisque *Sumatra*, *Java*, etc. Vid. Cl. Niebuhr, *Description de l'Arabie*, pag. 126. Brot.

2. *Caius etiam Cæsar.* Vid. quæ diximus lib. VI, cap. 32. Hard.

3. *Earum.* Sic Elzev. et Hard. suffragante Chiffletio; Dalec. et Gronov. *etiam*; male; et mox idem Dalec. *exemplaria.* Ed.

4. *Alii folio piri.* Theophrastum signat loc. sup. cit. Hard.

5. *Prodidere.* Vulgg. ante Hard. *prodire.* Ed.

6. *Alii lentisco similem.* Et arboris specie, et ipso fructu, sed folio subrutilo. Theophr. ibid. quod et Garcias probat, Arom. I, 6. H.

7. *Quidam terebinthum esse.* Sic Theophr. loc. cit. Fuit Antigonus, de quo hic sermo, Macedoniæ rex, Demetrii Poliorcetæ filius. H.—De arbore thurifera (*Boswellia thurifera*) vid. Exc. VIII ad calc. hujus libri.

8. *Juba rex*, etc. Plinius, lib. VI, cap. 31; et nos in Auctorum Indice. Hard.

9. *Contorti esse caudicis.* Solinus : « intorto vimine : » male. Nam aliud vimen, aliud candex est. Vimina sunt virgæ thuris, quas minime intortas esse, sed teretes, ex Plinio mox liquebit. Hard.

tium. Cortice lauri[10] esse constat: quidam et folium[11] simile dixere. Talis certe fuit arbor Sardibus[12]. Nam et Asiæ reges serendi curam habuerunt. Qui mea ætate legati ex Arabia venerunt, omnia incertiora fecerunt, quod jure miremur, virgis etiam thuris ad nos commeantibus; quibus credi potest, matrem quoque terete et enodi fruticare trunco.

XXXII. Meti semel anno solebat, minore occasione vendendi. Jam quæstus alteram vindemiam[1] affert. Prior atque naturalis vindemia circa Canis[2] ortum flagrantissimo æstu, incidentibus qua maxime videatur esse prægnans, tenuissimusque tendi cortex. Laxatur hic plaga, non adimitur[3]. Inde prosilit[4] spuma pinguis. Hæc concreta densatur, ubi loci natura poscat, tegete[5] palmea excipiente, aliubi area circumpavita. Purius illo modo, sed hoc ponderosius. Quod in arbore hæsit, ferro depectitur, ideo corticosum[6]. Silva divisa certis portionibus 1

10. *Cortice lauri.* Lævi ex omni parte cortice, lauri ritu. Theophr. loc. cit. λειόφλοιον δὲ πᾶν ὥσπερ τὴν δάφνην. Hard.

11. *Quidam et folium simile dixere.* Hæc pariter habet Theophr. loco cit. δαφνοειδὲς καὶ λειόφυλλον. Nec certe multum abludit a similitudine cum lauri foliis ramus ille, quem in Trajani nummo mulier dextra tenet, cum epigraphe, ARAB. ADQ. hoc est, *Arabia adquisita.* Hard.

12. *Sardibus.* Plinius iterum XVI, 59: « Vixit et in Lydia thuris arbor. » Ex Theophr. loc. cit. Hard.

XXXII. 1. *Alteram vindemiam.* MSS. Reg. Colb. et Chiffl. *alteram viam*, haud pœnitenda lectione: subintellig. *metendi.* Hard. — *Vindemiam*, etc. *Alterum vim* proponebat Salmasius, quem vide hac de re latius disserentem pag. 601 et 602. Ed.

2. *Circa Canis.* Theoph. Hist. Pl. IX, 2. Hard.

3. *Non adimitur.* Sic arbos inciditur, ut nihil de cortice detrahatur. Hard.

4. *Inde prosilit*, etc. Quæ sequuntur deinceps ad eum usque locum, « at hercules Alexandriæ, » ea totidem verbis Theophr. habet lib. IX, cap. 4. Hard.

5. *Tegete palmea excipiente.* Ita ex codd. emendavit Hard. quem secuti sumus. Gronov. et edd. vett. *poscat tegere*, *palmea*, etc. Ed.

6. *Quod in arbore hæsit, ferro depectitur, ideo corticosum.* Admixtum corticem habet: διὸ καὶ φλοιὸν ἐνίοις προσεῖναι. Confer. Theophr. loc. cit. Hard.

mutua innocentia tuta est : neque ullus saucias[7] arbores
2 custodit : nemo furatur alteri. At hercules Alexandriæ, ubi thura interpolantur, nulla satis custodit diligentia officinas. Subligaria[8] signantur opifici : persona adjicitur capiti, densusve reticulus : nudi emittuntur. Tanto minus fidei apud nos[9] pœna, quam apud illos silvæ habent. Autumno legitur[10] ab æstivo partu. Hoc purissimum, candidum. Secunda vindemia est vere, ad eam hieme corticibus incisis. Rufum hoc exit, nec comparandum priori. Illud carpheotum[11], hoc dathiatum vocant. Creditur[12] et novellæ arboris candidius, sed veteris odoratius. Quidam et in insulis melius putant gigni. Juba in insulis negat nasci.

7. *Neque ullus saucias.* Incisas ac thus emittentes custodit. Hard. — Dalecamp. cod. *nemo saucias.* Mox idem, *densumve reticulum.* Ed.

8. *Subligaria.* Vox Martiali etiam usurpata, Epig. III, LXXXVII, 4; et Juvenal. Satir. VI, 72. Cicero subligaculum dixit, tegumentum quo obscena velantur. Signabantur ea porro opifici, ab hero, impresso annulo, ne partem thuris aliquam opifex in ea conjiceret. Eam ob rem persona vultui obducebatur, aut reticulus, *un mouchoir*, ne videret opifex quo thus deferret, aut ubi reconderetur. Hard.—Fallitur Harduinus, qui reticulum, *mouchoir* interpretatur, qni obducebatur opificis capiti ne videret quo thus deferret. Nos credimus hic unice de reticulo agi, *réseau*, cui plagæ (*mailles*) erant quam densissimæ, ne quam thuris particulam in os conjectam furari quis posset. Poinsinet de Sivry.

9. *Apud nos.* In orbe romano, atque in primis Alexandriæ. H.

10. *Autumno legitur.* Nempe quod incisis æstate arboribus manavit; vere, qnod incisis hieme corticibus fluxit. Hard.

11. *Illud carpheotum, hoc dathiatum.* Legend. *Illud carphioton, hoc dadioton*, ἀπὸ τοῦ δαδίου, quod simile esset τῷ δαδίῳ sive resinæ quæ ex arboribus πισσοφόροις manat: resina quidem picea candidior est, ideo thus ea adulterabant, τὸ καρφιωτὸν, ἀπὸ τῶν καρφίων, ita vocabant thus quod autumno colligebatur candidissimum et purissimum. Salm. — *Carpheotum.* A festucacea levitate, κάρφος enim Græci *festucam* dicunt. *Dathiatum.* Ἀπὸ τῆς δᾳδὸς καὶ τοῦ θείου : quod incensum tædam aut sulphur oleat : aut quod ἐν τῷ θύειν, in sacrificiis odorem tædæ imitetur : quo etymo scribendum fuerit dathyaton. Dalec. — Illud, quod autumno thus legitur. In MSS. Reg. Colb. aliisque, *carfiathum*, et *dathiatum* : quæ barbara potius, quam græca vocabula esse reor : etsi aliter Salmasio visum, in Solin. pag. 505, ubi *carphioton* et *dadioton* legi jubet. Hard.

12. *Creditur... et in insulis*, etc. Arabiæ vicinis. Theophr. l. c. H.

Quod ex eo rotunditate guttæ pependit, masculum 3
vocamus, quum alias non fere mas vocetur, ubi non sit
femina. Religioni tributum, ne sexus alter usurparetur.
Masculum[13] aliqui putant a specie testium dictum. Præci-
pua autem gratia est mammoso, quum hærente lacryma
priore consecuta alia miscuit se. Singula[14] hæc manum
implere solita invenio, quum minore[15] diripiendi aviditate
lentius nasci liceret. Græci stagoniam[16] et atomum tali
modo appellant: minorem autem orobiam. Micas concussu 4
elisas mannam vocamus[17]. Etiamnum tamen inveniuntur
guttæ, quæ tertiam partem minæ[18], hoc est, XXVIII de-

13. *Masculum*, etc. *Melato* Arabes hodie vocant. Masculum thus ab iis, qui sacris operando eblandiri favorem Deorum omni industria et cura cupiebant, et ab iis, qui magico sacro et amatoriis carminibus mentem alicujus mutare, aut Deos placare, propensioresque reddere conabantur, potissimum adolebatur. Virg. eclog. VIII, 65: « Verbenasque adole pingues, et mascula thura. » *Mascula thura* Virgilius adoleri præcipit tanquam excellentia, quoniam ea primam bonitatis gloriam obtinent. Dalec.—Etiamnum in officinis, *l'encens mâle, ou oliban.* Hard.

14. *Singula*, etc. Theophr. loc. cit. « Singulæ, inquit, glebæ, seu guttæ, mole sua manum implent, et pondere tertiam partem minæ æquant. » Hard.

15. *Quum minore.* MSS. Reg. Colb. Chiffl. Paris. *quum inope.* H.

16. *Græci stagoniam... appellant.* Σταγονίας Diosc. lib. I, cap. 81, a stillando, ἀπὸ τοῦ στάζειν. Et ἄτομος, sive ἄτμητος, indivisus, integer, qui sectionem passus non fuerit. Ἀτμήτου λιβανωτοῦ meminit Hesychius: Polemon item apud Athen. lib. XI, pag. 426. — *Orobiam.* Sic Dioscorides loc. citato, Δευτερεύει δὲ ὁ ὀροβίας, *secundas tenet orobias appellatus.* Nam ab ὄροβος, hoc est, ab ervi magnitudine: quo sensu ὀροβίαν ἐρέβινθον, cicer ervi mole appellat Galenus, lib. VI de Fac. simp. med. Hard.

17. *Micas concussu elisas mannam vocamus.* Ita Sextus Platon. cap. II de lepore, num. 6, thuris mannam vocat quod alii thuris micas, et pollinem. Glossæ: Thuris pollen, Μάννα. Hard.

18. *Tertiam partem minæ, hoc est, XXVIII denariorum.* Minæ nomen hoc primum loco Plinius ad romanæ libræ pondus accommodat: quam LXXXIV denariorum esse disertis verbis admonet, l. XXXIII, cap. 46. Nam tertia pars LXXXIV denarium, denarii sunt XXVIII. — *Tertiam*, etc. Sic restituimus ope codicum Reg. Colb. Chiffl. Paris. et Rigalt. quem Salmasius vidit, ipso prodente in Sol. p. 508; quanquam in libris vulgatis, *XXXIX.*

nariorum pondus æquent. Alexandro Magno [19] in pueritia sine parcimonia thura ingerenti aris, pædagogus Leonides dixerat, ut illo modo, quum devicisset thuriferas gentes, supplicaret. At ille Arabia potitus, thure onustam navem misit ei, exhortatus ut large Deos adoraret.

5 Thus collectum Sabota [20] camelis convehitur, porta ad id una patente. Degredi [21] via capitale leges fecere. Ibi decimas Deo [22], quem vocant Sabin, mensura, non pondere sacerdotes capiunt. Nec ante mercari licet : inde impensæ publicæ tolerantur. Nam et benigne certo itinerum [23] numero Deus hospites pascit. Evehi non potest, nisi per Gebanitas [24] : itaque et horum regi penditur vectigal. Caput eorum Thomna abest a Gaza nostri littoris in Judæa oppido XLIV XXXVI millia passuum [25], quod dividitur in mansiones camelorum LXV. Sunt et quæ sacerdotibus dan-

Ciaconius lib. de Ponder. p. 42; Agricola, lib. IV de Pond. p. 104, et Mariana lib. de Pond. p. 66, *XXIX*; Hotomannus, lib. de Re Nummar. pag. 114, et Pintianus *XXXIII* reponere nituntur. Sed minæ voce, hoc loco Plinius, ut in prioribus notis indicavimus, pro libra romana abutitur : nec Atticam intelligit, quæ centum drachmarum fuit : cujus tertia pars proinde drachmæ XXXIII fuere. Sic idem lib. XIV, cap. 21, quas *mellis decem libras*, ad oxymeli concinnandum postulat, has ipse lib. XXIII, cap. 29, *mellis minas decem* appellat. H.

19. *Alexandro Magno*. Hoc totidem verbis Plutarchus in Apophth. pag. 179. HARD.

20. *Sabota*. Τὰ Σάβοτα, vel, ut auctor Peripli, τὰ Σάββαθα, numero multitudinis. Vid. VI, 32. HARD.

21. *Degredi via*. Bene MS. Reg. 1, et hæc est vetus scriptura, non *digredi*, ut ferunt Hard. editt. BROT.

22. *Deo*. Solem ait esse Theophrast. Hist. Pl. IX, 4. Jovem tamen hunc intelligunt aliqui, et Assabinum vocant, Plinio teste, cap. 43. HARD. — Non decimas, sed tertiam partem Deo sacerdotes capere auctor est Theophr. ibid. ED.

23. *Itinerum*. MSS. omnes, *iterum*. Sententia est certo dierum numero mercatores, qui thus vehunt, pro hospitio uti ædibus ei Deo sacris, ejusdemque sumptibus ibi ali. HARD.

24. *Gebanitas*. Gebanitæ porro sunt, qui aliis Gebalitæ dicuntur, ab oppido *Gebala*. Vid. SALM. pag. 494. ED. — De his et de Thomna oppido egimus VI, 32. HARD.

25. *Abest a Gaza... XLIV XXXVI millia passuum*. Ita MSS. omnes. Hoc est, quadragies et quater centena, ac triginta sex millia passuum. HARD.

tur portiones, scribisque regum certæ. Sed præter[26] hos 6
et custodes, satellitesque, et ostiarii, et ministri populantur. Jam quacumque iter est, aliubi pro aqua, aliubi pro pabulo, aut pro mansionibus, variisque portoriis pendunt, ut sumptus in singulos camelos denarium[27] DCLXXXVIII ad nostrum littus colligat: iterumque imperii nostri publicanis penditur. Itaque optimi thuris[28] libra X. VI pretium habet: secunda X. V; tertia X. III. Apud nos adulteratur[29] resinæ candidæ gemma perquam simili: sed deprehenditur, quibus dictum est[30], modis. Probatur candore[31], amplitudine, fragilitate, carbone, ut statim ardeat. Item ne dentem recipiat potius, quam in[32] micas frietur.

XXXIII. (XV.) Myrrham in iisdem silvis permixta 1
arbore[1] nasci tradidere aliqui, plures separatim: quippe multis in locis Arabiæ gignitur, ut apparebit in generibus[2]. Convehitur et ex insulis[3] laudata, petuntque eam etiam ad Troglodytas Sabæi transitu maris. Sativa quoque

26. *Sed præter hos*, etc. Theophrast. loc. cit. Hard. — *Ostiarii.* Chiffl. *hostearii*; Gron. *hostiarii*. Ed.

27. *Denarium DCLXXXVIII.* Monetæ nostræ 441 fr. 23 c. Ed.

28. *Optimi thuris libra X. VI*, etc. Denarii sex, monetæ nostræ sunt 4 fr. 24 c. Denarii quinque, 3 fr. 55 c. Denique tres, 2 fr. 12 c. De iis pretiis hoc loco variis codicibus non convenit; nos ab Harduino non discessimus. Ed.

29. *Adulteratur*, etc. Dioscorid. lib. I, cap. 81: Δολοῦται δὲ πᾶς λίβανος τῇ πιτυΐνῃ ῥητίνῃ μεθοδευόμενος, καὶ κόμμι. « Adulteratur porro omne thus pinea resina, et gummi artificiose tractatum. » — *Gemma.* Gemmam pro mica, sive gutta dixit.

30. *Quibus dictum est, modis.* Nempe odore, colore, pondere, gustu, igne, ut dictum est cap. 19. Ita Diosc. I, 81. Hard.

31. *Probatur*, etc. Dioscorid. loco citato. Hard.

32. *In micas.* « In miculas minutas, et ut sabulum dissipetur, » inquit auctor libri de simpl. Med. ad Patern. inter opera Galeni, tom. XIII, pag. 1002. Hard.

XXXIII. 1. *Permixta arbore.* Ex MS. Reg. 1, et edit. princ. *permixtam arborem* recepit Broterius. Ed.

2. *In generibus.* Quum myrrhæ genera plura dicentur, cap. 35. H.

3. *Et ex insulis.* Uti de thure dictum est cap. sup. De his insulis odoriferis egimus lib. VI, cap 32. Hard. — Chifflet. aliique codd. apud Dalec. *ex silvis*. Ed.

provenit, multum silvestri prælata. Gaudet rastris[4] atque ablaqueationibus, melior[5] radice refrigerata.

1 XXXIV. Arbori[1] altitudo ad quinque cubita, nec sine spina, caudice duro et intorto, crassiore[2], quam thuris, et ab radice etiam, quam reliqua sui parte. Corticem lævem, similemque unedoni[3] : scabrum alii, spinosumque[4] dixere. Folium olivæ[5], verum crispius, et aculeatum : Juba olusatri. Aliqui similem junipero[6], scabriorem tantum spinisque horridam, folio rotundiore, sed sapore juniperi. Nec non fuere, qui e thuris arbore utrumque nasci[7] mentirentur.

1 XXXV. Inciduntur bis et ipsæ[1], iisdemque temporibus[2], sed a radice usque[3] ad ramos qui valent. Sudant autem sponte prius, quam incidantur, stacten[4] dictam,

4. *Gaudet rastris*, etc. Solinus, cap. XXXIII; Diod. quoque, lib. V Bibl. pag. 317 : Ὀπίζεται δὲ περισκαφείσης τῆς γῆς ἀπὸ τῶν ῥιζῶν. « Effossa circum radices terra, quod quidem ablaqueare dicunt, succus emanat. » HARD.

5. *Melior.* Solini paraphrasis : « Radices nudatæ, pinguiore fluunt lacryma. » HARD.

XXXIV. 1. *Arbori.* Solin. loc. cit. ex Plinio; Plinius ex Theophr. IX, 4. HARD.

2. *Crassiore quam thuris.* Sic libri omnes, etiam MSS. Haud inanis tamen Dalecampii conjectura, legentis, *crassiore, quam cruris.* Sic enim Theophr. loc. sup. laudato : παχύτερον δ' ἢ κνημόπαχυς, *crassiore quam sit sura hominis.* HARD.

3. *Unedoni. L'arbousier.* Theophr. loc. cit. τῇ ἀδράχνῃ, hoc est, portulacæ, cujus folia unedoni simillima : quam ob causam quoties fere ea vox ἀδράχνη apud Theophrastum occurrit, unedonem Plinius habet. De unedone dicemus ad lib. XV, cap. 27. HARD.

4. *Spinosumque.* Spinæ ægyptiacæ similem facit myrrhæ arborem Dioscorides I, 77. HARD.

5. *Folium olivæ.* Solinus, et Theophr. loc. cit. HARD.

6. *Junipero.* Theophr. *terebintho* : reliqua in utroque scriptore paria ac gemina sunt. HARD.

7. *Utrumque nasci.* Thus scilicet ac myrrham. Theophr. ibid. HARD.

XXXV. 1. *Bis et ipsæ iisdemque.* Dalec. cod. *binis et ipsæ denique.* ED.

2. *Iisdemque temporibus.* Quibus thuris arbor, hoc est, æstate et hieme, ut dictum est capite 33. Vere et æstate dixit Diodor. Sic. Bibl. lib. V, pag. 317. HARD.

3. *Usque*, etc. Usque ad ramos qui possunt incidi. HARD.

4. *Stacten dictam.* Duplex est vis hujus vocis ςακτή. Nam et myrrham sonat, quæ sponte manet ex

cui nulla præfertur. Ab hac sativa, et in silvestri quoque melior æstiva [5]. Non dant ex myrrha portiones Deo, quoniam et apud alios nascitur. Regi tamen Gebanitarum quartas partes ejus pendunt. Cætero passim a vulgo coemptam in folles conferciunt, nostrique [6] unguentarii digerunt haud difficulter odoris atque pinguedinis argumentis.

(XVI.) Genera complura [7] : Troglodytica silvestrium 2
prima [8]. Sequens Minæa, in qua et Atramitica est, et Ausaritis Gebanitarum regno. Tertia Dianitis [9]. Quarta [10] colla-

arbore; et recentis myrrhæ pinguedinem, quæ per se unguentum faciat sine oleo. Priore significatu a Plinio modo accipitur; posteriore, lib. XIII, c. 2; et a Diosc. lib. I, c. 73 et 77. Ab Athenæo quoque, lib. XV, pag. 688. Denique a Theophr. loc. cit. ubi ςακτὴν myrrham omnem vocat, quæ fluit ex arbore, ut distinguatur a πλαςῇ, quæ in pastillos conformatur. Plinii sententiam de stacte quæ ex arboribus sponte manet, secuti sunt Mercurialis, Antiquit. lect. lib. V c. 24, aliique quos citat et sequitur P. Servius, lib. de Odoribus, p. 57, ubi eam sententiam egregie tuetur. E vetustioribus subscribit Solinus, cap. XXXIII : « Sponte manans, inquit, pretiosior ex ea sudor est : elicitus corticis vulnere vilior judicatur. » Ac si poetas licet in partes advocare, Ovid. Met. X, 500 et seqq. ubi Myrrhæ puellæ in arborem describit transformationem : « tepidæ manant ex arbore guttæ. Est honor et lacrymis : stillataque cortice myrrha Nomen herile tenet, nulloque tacebitur ævo. » H. — Chiffl. *stacte dicta*. Ed.

5. *Melior æstiva*. Quæ æstate incipit, legiturque autumno. Hard.

6. *Nostrique*. Sic Dalec. cod. et Chiffl. Al. ante Hard. *ipsique*. Ed. — *Unguentarii digerunt*. Odore et pinguitudine genera myrrhæ diversa discriminant. Hard.

7. *Genera complura*. A regionibus, in quibus nascuntur, pleraque nomen sortita. De his regionibus lib. VI, qui de geographicis agit, dictum est abunde, cap. 32. Troglodyticæ primas attribuunt, et Diosc. lib. I, cap. 77, et Galenus, de Antid. I, 14. Hard.

8. *Prima sequens*, etc. Vet. apud Dalec. *prima : Erythræa sequens et Minæa, in qua stactæa et Atramitica*. Mox al. cod. et Chifflet. *Atramitica est et Gebanitica*. Ed.

9. *Tertia Dianitis*. Ita libri omnes. Forsan ab insula Dia, cujus meminit Strabo, lib. XVI, p. 777. H.

10. *Collatitia*. Ita libri omnes, etiam manu exarati. Collatitia est nempe, quæ non uno genere constabat, sed ex permixtis earum generibus, quarum portiones a mercatoribus diversarum regionum, sacerdotibus, scribis, custodibus, satellitibusque conferebantur, ut dictum est cap. 33. At quum nullum hic myrrhæ genus enumeretur, quod non a patria, in qua nascitur, no-

titia. Quinta Sembracena[11], a civitate regni Sabæorum mari proxima. Sexta, quam Dusaritin[12] vocant. Est et candida uno tantum loco, quæ in Messalum oppidum confertur. Probatur Troglodytica[13] pinguitudine, et quod aspectu aridior est, sordidaque ac barbara, sed acrior cæteris. Sembracena prædictis caret vitiis, antea alias hilaris,
3 sed viribus tenuis. In plenum[14] autem probatio est minutis glebis, nec rotundis, in concretu[15] albicantis succi et tabescentis: utque fracta candidos ungues[16] habeat, gustu leniter amara. Secunda bonitas intus varia[17]. Pessima, intus nigra: pejor, si etiam foris. Pretia ex occasione ementium varia. Stactæ vero a XIII ad XL[18]. Sativæ sum-

men obtineat, præter illud: quid si legas, *Quarta Caucalitia?* Nam Diosc. lib. I, pag. 77, de myrrhæ generibus disserens, ἡ δὲ Καυκαλὶς, inquit, λεγομένη, κ. τ. λ. HARD.

11. *Sembracena.* De hoc oppido, et de Messalo diximus VI, 32. H.

12. *Dusaritin.* Δουσαρηνοὶ Arabes Ptolemæo cogniti, lib. VI, cap. 7, in Arabia Felice. Tertull. in Apol. « Unicuique provinciæ et civitati suus est Deus, ut Syriæ Astarte, ut Arabiæ Dusares. » Dusarin quoque Arabum Deum Stephanus vocat. Is autem Bacchus ipse est. Nam Hesychius ex Isidoro, Δούσαριν τὸν Διόνυσον Ναβαταῖοι ὀνομάζουσιν. Igitur vel a Dusarenis populis, apud quos nascebatur, vel a Dusari Deo, cui offerebatur, id ei myrrhæ nomen factum. HARD.

13. *Troglodytica.* Silvestris nimirum, et quæ ἐργασίμη a Diosc. dicitur, lib. I, cap. 77. Nam sativa Troglodytica, quam Diosc. laudat, et Galenus loc. cit. adeo non sordium et squaloris plena est, ut διαυγὴς potius dicatur, et pellucida: et hæc, ut dictum est, silvestri præfertur. HARD.

14. *In plenum.* Ὅλως δὲ, universe, generatim. HARD.—Dioscorides de probanda myrrha hæc habet, lib. I, cap. 77: Ἐκλέγου δὲ τὴν νέαν, ψαθυρὰν, κούφην, ὁμόχρουν, πανταχόθεν, καὶ τὴν ἐν τῷ θλασθῆναι ἔνδοθεν λευκὰς, ὀνυχοειδεῖς, ἔχουσαν διαφύσεις λείας, μικρόβωλόν τε, καὶ πικρὰν, εὐώδη, δριμεῖαν, θερμαντικὴν, κ.τ.λ. ED.

15. *In concretu.* Dum liquida concrescit. HARD.

16. *Candidos ungues.* Intercurrentes lineas candidas, unguium speciem præ se ferentes, ac læves: ἐν τῷ θλασθῆναι ἔνδοθεν λευκὰς, ὀνυχοειδεῖς, ἔχουσαν διαφύσεις, λείας. Talem probat et Charasius, in Pharmac. Galen. pag. 296; talem et ipsi vidimus. HARD.

17. *Varia.* Quæ intus varii coloris est, secundas tenet. Undequaque concolorem laudat Diosc. loc. cit. (vid. not. 14). HARD.

18. *A XIII ad XL.* Ita MSS. omnes. HARD. — A denariis tredecim, id est, monetæ nostræ 9 fr.

mum[19], x. xi. Erythrææ, ad xvi. Hanc[20] volunt Arabicam intelligi. Troglodyticæ nucleo, xvi; ejus vero, quam odorariam[21] vocant, xiiii. Adulteratur lentisci glebis, et[22] gummi. Item cucumeris[23] succo amaritudinis causa : sicut ponderis, spuma argenti. Reliqua vitia deprehenduntur sapore gummi, dente lentescentis[24]. Fallacissime autem adulteratur Indica myrrha, quæ ibi de quadam spina colligitur. Hoc solum pejus[25] India affert, facili distinctione : tanto deterior est. 4

XXXVI. (xvii.) Ergo transit[1] in mastichen, quæ et ex alia spina fit in India, itemque in Arabia : lamam vocant. Sed mastiche quoque gemina est : quoniam et in Asia Græciaque reperitur herba[2] radice folia emittens, et car- 1

18 c. ad quadraginta denarios, sive 28 fr. 31 c. Ed.

19. *Sativæ summum, X. XI.* Denarii undecim, h. e. 7 fr. 78 c. — *Ad XVI.* Sedecim denarii, sive 11 fr. 32 c. *Ad* in Chiffl. deest. Ed.

20. *Hanc.* MSS. omnes, *hac.* — *Nucleo.* Subintellige pretium. Quod in thure micam, manna pollinem, id in myrrha nucleum vocat : nempe grana concussa. Hard.

21. *Odorariam.* Ita MSS. omnes, non *adorariam.* Hard. — *XIV.* Denarii quatuordecim, hoc est, 9 fr. 90 c. Ed.

22. *Adulteratur... et gummi.* Dioscorides, lib: I, cap. 77 : Δολίζεται δὲ κόμμει βραχέντι (vet. cod. interserit ἐν) σμύρνης ἀποβρέγματι, καὶ μιγνυμένῳ. Ed.

23. *Cucumeris.* Cucumeris agrestis succo. Nam, ut inquit Dioscorides, frutex totus amarus est. Nec amaritudinis tantum causa, sed ut color subvireat. Dalec.

24. *Lentescentis.* E MSS. Reg. et edit. principe, Broterius edidit, *sapore ; gummis, dente lentescens.* Ed.

25. *Pejus.* Quam quod alibi nascitur : quum indica omnia fere sint reliquis toto orbe nascentibus præstantiora. Hard.

XXXVI. 1. *Ergo transit.* Igitur ea myrrha, quæ ex indica spina colligitur, in mastichen degenerat, et mastiche verius appellanda : quæ mastiche et ex alia rursum indica spina legitur : item et in Arabia ; utrobique lamam, seu lainam vocant. Hard. — *Lainam* legit Broter. Ed.

2. *Herba radice folia emittens*, etc. Theophrast. lib. VI, cap. 4 : Ἡ ἰξίνη δὲ φύεται μὲν οὐ πολλαχοῦ· ῥιζόφυλλον δέ ἐστιν· ἀπὸ δὲ τῆς ῥίζης μέσης ὁ σπερματικὸς ἄκανος ἐπιπέφυκεν, ὥσπερ μῆλον εὖ μάλα ἐπικεκρυμμένον ἐπὶ τῶν φύλλων. Οὗτος δὲ ἐπὶ τοῦ ἄκρου φέρει τὸ δάκρυον εὔοσμον, καὶ τοῦτό ἐστιν ἡ ἀκανθικὴ μαστίχη. Eamdem herbam *helxinen* appellat Plinius, lib. XXI, cap. 56.— *Atractylis gummifera* (*Syngen. æqual.* gen. 1792, Pers. *Atractyl. gummifera*

duum similem malo, seminis plenum: lacrymaque erumpit incisa parte summa, vix ut dignosci possit a mastiche vera. Nec non et tertia[3] in Ponto est, bituminis similior. Laudatissima autem Chia candida[4], cujus pretium in[5] libras, xx; nigræ vero, xii. Chia[6] e lentisco traditur gigni gummi modo: adulteratur, ut thura[7], resina.

1 XXXVII. Arabia etiamnum et ladano[1] gloriatur: forte casuque hoc et injuria fieri odoris[2], plures tradidere.

Desfont. Atlant. flor. II, pag. 252. *Acarna gummifera* Willd. *Cinarocephal.* Juss.) Habitat in Hispania, Italia, Creta, Barbaria, etc. Ed.

3. *Et tertia.* Quæ nigra, ut dicitur XIV, 25. Hard. —Eam vini condituris olim admisceri solitam vide lib. XIV, cap. 20. Dalec.

4. *Chia candida.* De qua Galen. de Facult. simp. medic. lib. VII, pag. 206: Μαστίχη ἡ μὲν λευκὴ καὶ Χία. Nostris, *mastic.* Hard.

5. *In libras XX.* Denarii viginti sunt monetæ nostræ, 14 fr. 14 c. nigræ vero pretium duodeni denarii, id est, 8 fr. 48 c. Ed.

6. *Chia e lentisco.* Dioscorides, lib. I, cap. 90: Γεννᾶται δὲ καὶ ῥητίνη ἐξ αὐτῆς σχινίνη καλουμένη, ὑπ' ἐνίων δὲ μαςίχη... γεννᾶται δὲ καὶ καλλίςη, καὶ πλείςη ἐν Χίῳ τῇ νήσῳ, κ. τ. λ. Effluit ex lentisco resina, mastiche dicta. Non cadunt lentisci folia; floret vere, baccas (*drupas*) autumno maturas reddit. Provenit in plurimis regionibus, Lusitania, Bætica, Italia, Narbonensi Gallia, Syria, Creta, sed in insula Chio præcipue, in qua vel sola diligenter, et mastiches quidem causa colitur, quæ ex cultis lentiscis illic ab indigenis, vulnerato caule, singulis annis, diligenti adhibita cura colligitur, ut refert Bellonius, Observ, II, 8, ubi ait solam insulam Chiam generare mastichen, quanquam Galen. lib. II ad Glauconem, ægyptiam mastichen commendat. Lentisci per Galliam Narbonensem, Provinciam et Italiam nascentes, iis quæ in Chio crescunt, sunt similes; nullam tamen resinam stillant. Conf. Bod. in Theophr. III, 15.—*Pistacia lentiscus* Linn. (*Diœc. pentand.* gen. 2212, Pers. *Terebinth.* Juss.) Ed.

7. *Ut thura.* A veterum omnium exemplarium consensu non discedo, quorum hæc constans lectio est: quanquam, si Dioscoridem unum in consilium advocem (id quod quidam inconsulte facere ausi sunt, ut Plinium erroris insimularent), legi posse videtur, *adulteratur thure et resina:* sic enim ille, lib. I, c. 90: Δολοῦται δὲ, λιβάνου καὶ ῥητίνης ςροβιλίνης μιγνυμένων αὐτῇ. At vero nunc respicit, ut diximus, ad eum locum auctor, in quo similiter adulterari thura scripsit.

XXXVII. 1. *Ladano.* In officinis retinet nomen, quod in Creta fit, teste Bellonio Observat. I, 7; sed minime sincerum illud quidem, immo nullarum virium. Hard.

2. *Odoris.* Odoratorum fruticum,

Capras[3] maleficum alias frondibus animal, odoratorum vero fruticum appetentius, tamquam intelligant pretia, germinum caules[4] prædulci liquore turgentes, distillantemque ab his (casus mixtura[5]) succum improbo barbarum villo abstergere: hunc glomerari pulvere, incoqui Sole: et ideo in ladano caprarum pilos esse: sed hoc non alibi fieri, quam in Nabatæis[6], qui sunt ex Arabia contermini Syriæ.

Recentiores ex auctoribus strobon[7] hoc vocant, tra- 2
duntque silvas Arabum pastu caprarum infringi, atque ita succum villis inhærescere: verum autem ladanum Cypri insulæ esse (ut obiter quæque genera odorum dicantur, quamvis non terrarum ordine): similiter[8] hoc et ibi fieri tradunt, et esse œsypum[9] hircorum barbis genibusque villosis hærens, sed ederæ flore[10] deroso,

quos, maleficum animal, capræ rodunt. Vid. not. 13. Hard.

3. *Capras*. Herodot. III, 112: Τὸ δὲ δὴ λήδανον, τὸ Ἀράβιοι καλέουσι λάδανον, ἔτι τούτου θωυμασιώτερον γίνεται· ἐν γὰρ δυσοδμοτάτῳ γινόμενον, εὐωδέστατόν ἐστι· τῶν γὰρ αἰγῶν τῶν (τε ex conjectura Tidemanni) τράγων ἐν τοῖσι πώγωσι εὑρίσκεται ἐγγινόμενον, οἷον γλοιὸς ἀπὸ τῆς ὕλης· χρήσιμον δ' ἐς πολλὰ τῶν μύρων ἐστί, κ. τ. λ. Ed.

4. *Germinum caules*. Vel germina caulium. Hard.

5. *Casus mixtura*, etc. Habent has voces codices omnes; sed glossema inutile esse, quod ab ora in contextum irrepserit, recte censuit Pint. (adstipulante Salmasio). Hard. — Glossema est: tentabat tamen eruditus Patavinus, *casu in terram*, Brot.

6. *Nabatæis*. De his VI, 32. H.

7. *Strobon*. Ita Reg. et Colb. At in Indice libri hujus tum his ipsis codicibus, tum aliis consentientibus, *stobolon* legitur. Hard.

8. *Similiter*, etc. Quemadmodum in Arabia: succo nempe ex germinibus erosis stillante, ac barbis hircorum adhærescente, etc. H. — Vet. apud Dal. *succo villos inhorrescere*, haud aspernanda lectione. Ed.

9. *Œsypum*. Sordes pecudum sudoremque feminum et alarum adhærentes lanis œsypum vocant, inquit Plin. lib. XXIX, c. 10, cum Dioscor. II, 84. Hard. — *Genibusque*. Vet. apud Dalec. *genisque*. Ed.

10. *Sed ederæ flore deroso*. Recte ne an secus senserint ii, quorum placita de ladano Plinius refert, qui ex ederæ succo, seu flore deroso, atque ex matutino rore qui ex eodem flore decutitur, inhærescitque barbis hircorum, constare crediderunt, non est nostrum dijudicare quod Plinius ipse reliquit in medio, rem indicans tantum,

pastibus matutinis, quum est rorulenta Cypros. Deinde nebula sole discussa, pulverem madentibus villis adhærescere, atque ita ladanum depecti.

3 Sunt qui herbam[11] in Cypro, ex qua id fiat, ledam

non judicans. Duo interim ausim affirmare : primum, minime deceptum Plinium, ut Dalecampio aliisque visum est, neque κισσοῦ, hoc est, ederæ, pro κισθοῦ, hoc est, pro cistho frutice, apud scriptorem græcum, unde hæc mutuatus sit, temere legisse : quoniam ἐκ κισθοῦ fieri ladanum Galenus affirmet, lib. VII de Fac. simpl. medic. pag. 191 ; Diosc. lib. I, cap. 128, aliique : nam alteram de ladano sententiam statim huic subjungit Plinius, quæ ex leda herba, seu verius frutice, nasci ladanum asseverat : est autem leda cisthi genus, ut diximus. Et de edera ita veteres aliquos sensisse, testis adhuc est, cujuscumque demum is fidei est, Auctor libri de simpl. Medic. ad Patern. inter Galeni opera, t. XIII, pag. 996 : « Aliquando etiam, inquit, genibus et feminibus caprarum quæ edera vescuntur, adhærens hoc ipsum ladanum invenitur, etc. » Nisi forte Plinium transcribit, quod ab eo scriptore factitatum non semel intellexi. Alterum quod subnotari non pigeat, istud est : multo minus Jos. Scaligerum audiendum, quum lib. I, epist. 17 ad Franc. Vertunianum, legi præcipit : *sphærulæ flore deraso;* ac sphærulam σφαίριον vocat, cisthi corymbum : nam et MSS. pugnant codices universi, et a Pliniano maxime stilo id abhorret. Nec minus confidenter ab exemplarium omnium fide discedit, dum ex iis verbis, *quum est rorulenta Cypros*, postremam hanc vocem *Cypros* expungit : aut quum pro *attractis funiculis*, *tractis* legit, et *funiculis* eradi jubet; etsi eam vocem sententiamque Dioscorides his verbis præ se ferat, loco citato : ἔνιοι δὲ καὶ τὰ σχοινία ἐπισύρουσι τοῖς θάμνοις, etc. Hard. — *Ederæ flore.* Errat Plinius; et κισσοῦ, *ederæ* scilicet flore legit, quum esset legendum κισθοῦ, *cisthi*. Brot.

11. *Sunt qui herbam.* Paulo illi latius accepto herbæ nomine locuti : etenim fruticem, θάμνον, cum Dioscor. I, 128, et αὐτοψίᾳ ipsa verius dixissent. Sic Plinio, XXIV, 61, herba sabina dicitur, quæ frutex est. Ut ii porro herbam genere muliebri ledam, sic Dioscor. virili fruticem λῆδον vocat, aitque esse alterum cisthi genus : quod unus omnium recte describit Prosper Alpinus de Pl. exot. c. 40. In Creta hodieque nascitur. Genera ejus plura depinguntur a Clusio Hist. rar. plant. I, 50, quæ fere omnia in horto regio vidimus. H. — Ladanum frutex est duorum triumve pedum altitudinis ; et dicitur cistus ladanifera, cretica, flore purpureo. Ejus descriptionem vide apud Tournefort. *Voyag. du Levant*, tom. I, pag. 89, in-8°. Brot. — Suffruticem hunc, quem eumdem esse cum *Cisto ladanifero* Willden. affirmat Sprengelius, Histor. rei herbariæ, tom. I, pag. 177, retulisse videtur Cl. Lamarck. ad *Cistum Cyprium*, *Encyclop.* tom. II, pag. 15. (*Cistus*

appellant (etenim illi ledanum[12] vocant) : hujus pingue insidere[13] itaque attractis funiculis[14] : herbam eam convolvi, atque ita offas fieri. Ergo in utraque gente[15] bina genera, terrenum[16] et factitium. Id quod terrenum est, friabile; factitium, lentum.

Necnon[17] et fruticem esse dicunt in Carmania, et super 4.
Ægyptum per Ptolemæos translatis plantis : aut (ut alii) generante et id[18] thuris arbore, colligique, ut gummi, inciso cortice, et caprinis pellibus excipi. Pretia sunt laudatissimo in libras, asses[19] XL. Adulteratur myrti baccis et aliis animalium sordibus. Sinceri odor debet esse ferus, et quodammodo solitudinem redolens : ipsum visu aridum, tactu statim mollescere, accensum fulgere, odore jucundo gratum[20]. Myrtata[21] deprehenduntur, crepitantque in igne.

laurifolius, var. β, *Polyand. monog.* gen. 1313, Pers. *Cistin.* Juss.) Ladanum e *Cisto Cretico* Linn. non e *Cisto*, quem Ladaniferum vocavit vir alias omnibus botanicis verendus, depecti ex Cl. nostrati Fontanesio constat. Ed.

12. *Ledanum.* Id medicamentum scilicet, eumve succum quem alii *Ladanum* appellavere. Λήδανον Herodot. III (not. 3 sup.). Hard.

13. *Hujus pingue.* Lego : *huic pingue insidere.* Dioscor. loc. ante dicto : « Sunt etiam qui tractis per frutices funibus inhærentem illis pinguitudinem deradunt, confirmatamque pariter servant. » Pint. — Hujus herbæ foliis pinguitudinem quamdam verno tempore aiunt insidere : Φύλλα λιπαρίας τινὰς κατὰ τὸ ἔαρ ἐπισπώμενα, inquit Dioscor. I, 128. Hard.

14. *Attractis funiculis.* Ita libri omnes. Funiculos, inquit, in fruticem eum, seu folia fruticum, injiciunt, quibus funiculis pinguitudo ea adhærescit : iisdem attractis ea exprimitur deraditurque; et in offas cogitur, circa quas herbam ipsam, seu folia convolvunt. Ita fere Dioscor. loc. citat. Hard. — Funiculus, *le fouet*, quo attrahitur ladanum, depictus est a Tournef. loc. sup. cit. p. 87. Brot.

15. *In utraque.* Arabica et Cypria.

16. *Terrenum.* Terrenum est, quod hircorum caprarumve villis adhærens glomeratur pulvere; factitium, quod funiculis ex herba ea legitur. Hard.

17. *Necnon et fruticem*, etc. Tertium ladani genus. Hard.

18. *Generante*, etc. Vet. ap. Dal. *generari et id in iis, ut t. arborem.* Ed.

19. *Pretia... in libras, asses XL.* Seu denarii quaterni, monetæ nostræ 2 fr. 83 cent. Ed.

20. *Odore jucundo gratum.* In utroque exemplari rectius : *odore jucunde gravi.* Pint.

21. *Myrtata.* Myrti baccis adulterata, ut dictum est. Hard. —

Præterea sincero[22] calculi potius e rupibus inhærent quam pulvis.

XXXVIII. In Arabia[1] et olea dotatur lacryma, qua medicamentum conficitur, Græcis enhæmon[2], dictum, singulari effectu contrahendis vulnerum cicatricibus. In maritimis eæ fluctibus æstuque operiuntur[3]. Nec baccæ

Myrtata. Sic Dal. Elzev. et omnes ante Gron. qui *myrrata* perperam obduxit. Ed.

22. *Sincero*. Subintelligend. *ladano*. Ed.

XXXVIII. 1. *In Arabia et olea dotatur lacryma, qua medicamentum conficitur*, etc. Hæc totidem fere verbis Theophrast. Histor, Pl. IV, 8 : ἐν δὲ τῇ θαλάττῃ ἐρυθρᾷ δένδρα τινὰ φύεται, καὶ καλοῦσιν αὐτὰ δάφνην καὶ ἐλαίαν· ἔστι δὲ ἡ μὲν δάφνη ὁμοία τῇ ἀρίᾳ· ἡ δὲ ἐλαία τῷ φύλλῳ (Const. φέλλῳ)· καρπὸν δὲ ἔχει ἡ ἐλαία· παραπλήσιον δὲ ταῖς ἐλαίαις· ἀφίησι δὲ καὶ δάκρυον· ἐξ οὗ οἱ ἰατροὶ φάρμακον ἔναιμον συντιθέασι, ὃ γίνεται σφόδρα ἀγαθόν. Hæc græcus auctor. Postremam orationis partem : « In maritimis eæ fluctibus, æstuque operiuntur ; nec baccæ nocetur, quum constet et foliis salem relinqui, » aliunde quam ex Theophrasto hausisse videtur Plinius. Nec in maritimis Arabiæ arbores operiri inquit Eresius; nec usquam tradidit oleas esse arbores quæ æstu operiuntur. Quæritur utrum oleæ hujus lacryma a recentioribus cognita sit, et quod nunc elemi vocant, ipsa lacryma sit? *Elemi* dictum putant quasi *enhæmi*, quod apud Græcos ἔναιμον sonat. Nomen non male convenit, uti nec natale solum. Elemi ex Arabia et Perside advehitur; vires utrique eædem; nihil ergo impedit quominus credamus, esse eamdem lacrymam. Conf. Bod. a Stapel in Theophrast. lib. IV, cap. 8; et not. seq. Ed.

2. *Enhæmon*. Ἔναιμον, Theophr. hoc est, sistendo sanguini utile, ut Gaza vertit; vel ut alii, quod cruentis injicitur vulneribus. Celsus, lib. V, cap. 19 : « Ex emplastris, ait, nulla majorem usum præstant, quam quæ cruentis protinus vulneribus injiciuntur: ἔναιμα vocant. » Sunt qui hanc lacrymam esse officinarum *Elemi* putant, quæ ex Arabia et Perside affertur. Neque id immerito : quia vires utrique eædem : sanguinem enim fluentem sistit, inflammationesque arcet. H. — Sprengelius, Antiquit. botanic. spec. I, pag. 86, ex *Amyride Zeylanica* (*Octand. monog.* gen. 696, Pers. *Terebinthac.* Juss.) gummin *elemi* manare, sed hanc ibidem esse eamdem dicit cum τῷ καγκάμῳ Dioscorid. lib. I, cap. 23; idem postea Hist. rei herb. I, pag. 172, ex *Amyride kafal* Forsk. *cancamum* sumi credit. In re adhuc incerta satis certi quid statuere nos non habemus. Ed.

3. *Eæ fluctibus æstuque operiuntur*. Prorsus ut eæ oleæ pelagiæ esse videantur, aut certe iis similes, de quibus rursum lib. XIII, c. 51. De his certe id quoque Theophr.

nocetur, quum constet et in foliis salem relinqui. Hæc sunt peculiaria Arabiæ, et pauca præterea communia, alibi dicenda, quoniam in iis vincitur[4]. Peregrinos ipsa mire[5] odores et ad exteros[6] petit. Tanta mortalibus[7] suarum rerum satietas est, alienarumque aviditas.

XXXIX. Petunt igitur in Elymæos[1] arborem bratum[2], 1

prodidit, loc. citat. Hard. — Non de Arabicis oleis Theophrast. loco citato id scribit, sed de oleis Indicarum insularum. Vide locum eum et confer. Dalec.

4. *In iis vincitur.* Præstantiora sunt ea in aliis regionibus, quam in Arabia. Hard.

5. *Mire.* Quidam teste Dalecampio *myrrhæ*; et mox idem *ab exteris*, sed frustra. Vid. not. infer. Ed.

6. *Ad exteros.* Hoc est, ab exteris. Locutio apud Nostrum haud infrequens, ut constabit ex Indice. Simili ratione dixit hujus lib. cap. 33, pag. 53: « Petuntque etiam (myrrham) ad Troglodytas Sabæi. » Vid. et cap. 1, not. 8. Ed.

7. *Tanta mortalibus.* In eam sententiam præclare Plinius jun. VIII, 20, tom. II, p. 40 edit. nost. Ed.

XXXIX. 1. *Elymæos.* Sic Hard. e MSS. Gronov. et vett. edd. *Helimæos.* De Elymaide conf. ad lib. VI, cap. 31. Ed.

2. *Bratum.* Esse quidam volunt arborem Paradisi. Dalec. — *Arborem bratum.* Recentiores bratum, sive brathum Plinii, eamdem esse volunt cum sabina cupressi folio, quam Dioscorides I, 104, βράθυν appellat, et Plinius ipse lib. XXIV, cap. 61, Latinis herbam sabinam esse dicit. « Hoc habet perpetuum Secundus, quod rem eamdem, ex diversis auctoribus sumptam, diversam quoque putare soleat, ut sæpe observavimus. Ex Claudio Cæsare arborem brathyn lib. VIII, quæ Arabes in Elymæos nascitur, et eam inde Arabes petebant, putavit esse diversam ab ea brathy, quam cæteri auctores græci memorarunt, quæ Latinis herbæ sabinæ nomine veniebat, quanquam pumila arbor esset, non herba. » Hæc de brato viri doctissimi et celeberrimi qui non facile persuadebunt, arborem eam et sabinam eamdem esse. Sabina accensa odorem emittit valde ingratum; nec est exalbidis ramis, sed ramis interius rubentibus, exterius cortice tectis rufo; nemo nisi sanitatis gratia, sabinæ folia libenter insperget potionibus; quæ quum ita sint, sabinam et bratum duas omnino diversas fuisse arbores, necesse est ut credamus. Bon. a Stapel. — Ita MSS. non *brutam*. Et in Indice libri hujus, *Bratus arbor*. Peregrina hæc arbos fuit: a sabina herba, quæ et brathy appellata est, de qua dicetur XXIV, 61, diversa. Hebræis, ut quidam volunt, *brath*, cujus mentio in sacris paginis, Cant. I, 17. Hard. — Bratum Plinii arborem ad Juniperum referre item videtur Adansonius, *Famill. des Plant.* tom. II, pag. 564; quæ species non esset diversa a *Junipero sabina* (*Diæc. monad.* gen. 2286,

cupresso fusæ similem[3], exalbidis ramis, jucundi odoris accensam, et cum miraculo historiis[4] Claudii Cæsaris prædicatam. Folia ejus inspergere potionibus Parthos tradit. Odorem esse proximum cedro, fumumque ejus contra ligna[5] alia remedio. Nascitur ultra Pasitigrin[6] in finibus oppidi Sittacæ in monte Zagro.

1 XL. Petunt et in Carmanos arborem strobum[1] ad suffitus, perfusam vino palmeo accendentes. Hujus odor redit a cameris ad solum jucundus, sed aggravans capita, citra dolorem tamen. Hoc somnum ægris quærunt. His commerciis Carrhas[2] oppidum aperuere, quod est illis nundinarium[3]. Inde Gabbam[4] omnes petere solebant, dierum

Pers. *Conifer.* Juss.) Quid de hac planta dicturi sumus, vid. ad lib. XXIV, cap. 61. Ed.

3. *Cupresso fusæ.* Pumilioni, atque in latitudinem magis fusæ, quam in sublime elatæ. Hard.

4. *Historiis.* Quas Claudius Cæsar scripsit, ut diximus in Auctorum Indice. Hard.

5. *Contra ligna.* Quorum gravis exitiosusque fumus : ut sunt ipsius myrrhæ sarmenta. Hard.

6. *Pasitigrin.* De Pasitigri, Sittace et Zagro, VI, 31. Hard.

XL. 1. *Strobum.* In indice hujus libri, ex MSS. omnibus, *Stobrum.* Hard.—Quæ sit strobus arbor, non facile dignoscas; quum notam præter patriæ, nullam, ut fere solet in exoticis, arboris nomini Plinius adjungat : nisi, quod ad suffitus faciendos petebatur, inde quoddam ad genus *Coniferarum* eam pertinuisse conjicias. Cæterum ubi de plantis exoticis agitur, indicatione patriæ nihil apud Veteres incertius. Ne mireris tamen quod in arboribus herbisque describendis tam frequenter botanici *Patres* cespitaverint, quum nostris etiam diebus minime constet unde usitatissimæ res multæ, multis abhinc sæculis in Europam advehantur, e. c. kino, bdellium, myrrha, etc. ita, ut quibus ex arboribus proveniant, qua in regione crescant, viri rei herbariæ peritissimi certo vix indicio demonstrent. De strobo nihil apud Theophrastum, nihil apud Dioscoridem invenimus. Ed.

2. *Carrhas.* Mesopotamiæ, sive Arabiæ, ut dictum est V, 21. Hard.

3. *Nundinarium.* Nundinis frequens ac celebre. Dal. — Et lib. VIII, cap. 77 : « forum nundinarium, » dixit : « epulas nundinarias, » Ulpianus : Plautus, « coquum nundinalem. » Hard.

4. *Inde Gabbam.* Ita libri omnes; de ea, V, 16; de Palæstina Syria, cap. 14; de Charace VI, 31. Herodot. lib. III, Thalia, p. 202 : Ἀράβιοι δὲ χίλια τάλαντα ἀγίνεον λιβανωτοῦ ἀνὰ πᾶν ἔτος. Dario nempe Persarum regi id vectigal Arabes pensitabant. Hard.

xx itinere, et Palæstinam Syriam : postea Characem peti cœptum, ac regna Parthorum ex ea causa, auctor est Juba. Mihi ad Persas etiam prius ista portasse, quam in Syriam aut Ægyptum, videntur, Herodoto teste, qui tradit singula millia talentum thuris annua pensitasse Arabas regibus Persarum.

Ex Syria revehunt styracem[5], acri odore ejus in focis 2
abigentes suorum[6] fastidium. Cætero, non alia ligni genera sunt in usu, quam odorata; cibosque Sabæi coquunt thuris ligno, alii myrrhæ, oppidorum[7] vicorumque non alio, quam ex aris, fumo atque nidore. Ad hunc[8] ergo sanandum urunt styracem in pellibus hircinis[9], suffiuntque tecta. Adeo nulla est voluptas, quæ non assiduitate fastidium[10] pariat. Eumdem et ad serpentes fugandas urunt, in odoriferis silvis frequentissimas.

XLI. (XVIII.) Non sunt eorum[1] cinnamomum aut casia: 1
et tamen Felix appellatur Arabia, falsa et ingrata cognominis, quæ hoc acceptum superis ferat, quum plus ex eo inferis[2] debeat. Beatam illam fecit hominum etiam in

5. *Styracem.* De quo dicemus cap. 56. Hard.

6. *Suorum.* Subintellige, odorum, sive lignorum odoratorum. Solini paraphrasis, cap. XXXIII : « Arabes sarmentis myrrhæ ignes fovent, quorum fumo satis noxio, nisi odore cremati storacis occurrant, plerumque insanabiles morbos contrahunt. » Hard.

7. *Oppidorum.* Non alius ibi ex oppidis, vicisque, quam ex aris, nidor convolvitur. Hard.

8. *Ad hunc.* Nempe nidorem abigendum, fastidiumque sanandum. Ita lib. omnes. Hard.

9. *In pellibus hircinis.* Hæc verba suo loco mota existimat Pintianus, ponendaque esse post ea quæ non longe ante præiere, *revehunt styracem;* quandoquidem et de ladano excipi caprinis pellibus supra dictum est, et de myrrha conferciri in follibus promiscue. Sed reclamant omnes libri. Ed.

10. *Assiduitate fastidium.* Vulgg. ante Harduin. *assiduitate sui.* Mox *et* Gronov. omittit, quod nos post Hard. e Chiffl. restituimus. Ed.

XLI. 1. *Non sunt eorum.* Non sunt Arabum propria et peculiaria : sed ab Æthiopia ad eos deferuntur. H. — *Cinnamomum aut casia* (*Lauri species, Enneand. monog.* gen. 994, Pers. *Laurin.* Juss.). De his vide Exc. IX ad calcem hujus libri. Ed.

2. *Inferis debeat.* Quum odores ii magno redempti pretio, in mor-

morte luxuria[3], quæ Diis intellexerat genita, adhibens[4] urendis defunctis. Periti rerum asseverant[5], non ferre tantum annuo fetu, quantum Nero Princeps novissimo Poppææ suæ die concremaverit. Æstimentur postea toto orbe singulis annis tot funera, acervatimque congesta honori cadaverum, quæ Diis per singulas[6] micas dantur.
2 Nec minus propitii erant mola[7] salsa supplicantibus, immo vero (ut palam est) placatiores. Verum Arabiæ etiamnum felicius mare est: ex illo namque margaritas mittit: minimaque computatione millies centena[8] millia sestertium annis omnibus India et Seres, peninsulaque illa[9] imperio nostro adimunt. Tanto nobis deliciæ et feminæ constant. Quota enim portio ex illis ad Deos, quæso, jam, uti ad inferos, pertinet?

1 XLII. (XIX.) Cinnamomum et casias fabulose narravit antiquitas, princepsve Herodotus[1], avium nidis, et

tuorum busta et rogos insumantur, ibi cremari soliti, et ungendis corporibus adhiberi. Quo Juvenalis allusit, Satir. IV, vss. 108 et 109: « Et matutino sudans Crispinus amomo, Quantum vix redolent duo funera. » HARD.

3. *Etiam in morte luxuria.* Persius Satir. III, vss. 103-105: « Hinc tuba, candelæ, tandemque beatulus alto Compositus lecto, crassisque lutatus amomis In portam rigidos calces extendit. » DALEC.

4. *Adhibens.* Hæc vox abest a nostris MSS. HARD.

5. *Asseverant.* In MSS. omnibus legitur, *adstruxerunt.* HARD.

6. *Singulas micas.* Minuta grana. Tibull. lib. IV, Eleg. 1, vs. 14: « Parvaque cælestes placavit mica. » HARD.—Cf. Tibull. p. 241 ed. nost.

7. *Mola salsa.* Utrumque morem complexus est Poeta comicus, in Amphitr. act. II, sc. 2, v. 108: « Prodigiali Jovi, Aut mola salsa hodie, aut thure comprecatum oportuit. » Mola, inquit Festus, a molito farre, dicitur far tostum et sale sparsum, quod eo molito hostiæ asperguntur. HARD.

8. *Millies centena millia sest.* Monetæ nostræ, 17,790,000 fr. ED.

9. *Peninsulaque illa.* Arabia de qua nunc sermo: quam peninsulam inter duo maria procurrentem vocat, Rubrum Persicumque. HARD.

XLII. 1. *Herodotus.* Lib. III, Thalia, unde hæc mutuatus est Noster, pag. 205 et 206: Τὸ δὲ δὴ κιννάμωμον ἔτι τούτων θωυμαστότερον συλλέγουσι· ὅκου μὲν γὰρ γίνεται, καὶ ἥτις μιν γῆ ἡ τρέφουσά ἐστι, οὐκ ἔχουσι εἰπεῖν, πλὴν ὅτι λόγῳ εἰκότι χρεώμενοι, ἐν τοισίδε χωρίοισί φασί τινες αὐτὸ φύεσθαι, ἐν τοῖσι ὁ Διόνυσος ἐτράφη· ὄρνιθας δὲ λέγουσι μεγά-

privatim phœnicis, in quo situ[2] Liber Pater educatus esset,
ex inviis rupibus arboribusque decuti[3], carnis quam ipsæ
inferrent[4] pondere, aut plumbatis sagittis. Item[5] casiam
circa paludes propugnante unguibus diro vespertilionum
genere, aligerisque serpentibus : his commentis augentes
rerum pretia. Comitata[6] vero fabula est, ad meridiani
Solis repercussus inenarrabilem quemdam universitatis[7] halitum
e tota peninsula[8] exsistere : tot generum[9] auræ
spirante concentu, Magnique Alexandri classibus Arabiam
odore[10] primum nunciatam in altum. Omnia falsa, siqui- 2
dem cinnamomum, idemque cinnamum, nascitur in
Æthiopia[11] Troglodytis connubio permixta. Hi mercantes
id a conterminis[12], vehunt per maria vasta ratibus, quas
neque gubernacula regant, neque remi trahant, vel impel-

λας φορέειν ταῦτα τὰ κάρφεα, τὰ ἡμεῖς ἀπὸ Φοινίκων μαθόντες κιννάμωμον καλέομεν· φορέειν δὲ τὰς ὄρνιθας ἐς νεοσσιὰς προσπεπλασμένας ἐκ πηλοῦ πρὸς ἀποκρέμνοισι οὔρεσι, ἔνθα πρόσβασιν ἀνθρώπῳ οὐδεμίην εἶναι, κ. τ. λ. Ed.

2. *In quo situ.* In quo terrarum tractu. Hard.

3. *Decuti.* Nidis per se ac sponte discissis, sive dehiscentibus, quum impares essent carnium ponderi ferendo; vel sagittarum jactu dejectis. Hard.

4. *Ipsæ inferrent.* Dalecampii cod. *ipse inferret.* Ed.

5. *Item casiam.* Herodot. loc. cit. De cinnamomo Theophr. Hist. Pl. IX, 5. Hard.

6. *Comitata vero.* Ita MSS. non *commutata.* Simili forma loquendi usus est IX, 58 : Comitatur fama unionis ejus parem, etc. Hard.

7. *Universitatis.* Omnium simul odorum. Hard.

8. *Halitum e tota peninsula.* Ex Arabia scilicet, ut diximus. Hard.

9. *Tot generum.* Tot odorum, quot in Arabia nascuntur, afflatu suavi simul adspirante. Hard.

10. *Odore primum.* Odore Arabiam prope positam ex alto sensisse. Hard.

11. *Nascitur in Æthiopia.* Insulse Plinius apud Æthiopas nasci tradit, mox subjungens Æthiopas mercari a conterminis. Si enim apud illos nasceretur, ab aliis non emerent. Multo magis etiam oscitat, quum per vasta maria eas merces Æthiopas vehere scribit. Nam si contermini sunt qui vendunt, navigatione tam longa quorsum opus est? Dalec. — De hac gente Æthiopum dictum est VI, 34. Hard. — Cinnamomum, *la canelle*, ab insulis *Ceylan*, *Java*, etc. nunc petitur, semperque petitum videtur. Plinium autem errare satis indicat itineris et ventorum ratio. Brot.

12. *Mercantes a conterminis.* Troglodytæ ab Æthiopibus. Hard.

lant, non vela, non ratio ulla adjuvet, quum omnium instar ibi sint, homo tantum et audacia. Præterea hibernum mare
3 exigunt[13] circa brumam, Euris tum maxime flantibus. Hi recto cursu[14] per sinus impellunt, atque a[15] promontorii ambitu Argeste deferunt, in portum Gebanitarum, qui vocatur Ocila[16]. Quamobrem illi maxime id petunt, produntque vix quinto anno reverti negotiatores, et multos interire. Contra revehunt vitrea, et ahena, vestes, fibulas cum armillis ac monilibus. Ergo negotiatio illa feminarum maxime[17] fide constat.

4 Ipse frutex[18] duum cubitorum altitudine amplissimus, palmique minimus, IV digitorum crassitudinis[19], statim a terra sex digitis surculosus, arido similis. Quum viret, non odoratus, folio origani[20], siccitate gaudens, sterilior imbre, cæduæ naturæ[21]. Gignitur in planis quidem, sed densissimis in vepribus, rubisque, difficilis collectu. Metitur[22] non nisi permiserit Deus (Jovem[23] hunc intelligunt

13. *Exigunt.* Decurrunt: ita lib. omnes. HARD.—Dalec. *eligunt.* ED.

14. *Hi recto.* Euri rates impellunt per singulos sinus, ita ut a terra vix illæ abscedant, sed oram semper legant. HARD.

15. *A promontorii.* Arabici nimirum ejus promontorii a quo ad continentem Troglodytarum L millia passuum intervallum est, ut dictum est VI, 32. — *Argeste.* Ventus est qui ab occasu solstitiali spirat, ut est dictum II, 46. H.

16. *Ocila.* Variant manu exarati codd. Alii, *Ocilia*; alii, *Occhilia*: variant et editi libri; vetustissimi, *Occilia*; recentiores, *Ocila.* Emendandum *Ocelis*, ut patet ex Plinio, VI, 26. BROT.

17. *Fide constat.* Ex mutabili feminarum ingenio pendet. Nam si cupidius affectare illæ monilia armillasque desierint, tum sublata omnis permutatio negotiatioque intelligetur. HARD.

18. *Ipse frutex.* Ita fere Theophr. IX, 5. HARD.

19. *IV digitorum crassitudinis, statim a terra sex digitis surculosus.* Hæc ita Dalec. Elzev. Gronov. et edd. veteres exhibent; omisit Harduinus in secunda editione, neque causam retulit. Nos omissa reponere, post Broterium, nulli dubitavimus. ED.

20. *Folio origani.* De quo dicemus XX, 67. HARD.

21. *Cæduæ naturæ.* Hoc est, quæ cæditur. Sic silvam cæduam dicimus. HARD.

22. *Metitur.* Hæc Solin. a Plinio mutuatur, cap. XXX, p. 57. HARD.

23. *Jovem... intelligunt.* Solem alii, ut diximus cap. 33, et Solin. l. c. H.

aliqui: Assabinum illi vocant): XLIV boum, caprarumque, et arietum extis impetratur venia cædendi. Non tamen aut ante ortum Solis, aut post occasum licet. Sarmenta hasta dividit sacerdos, Deoque partem ponit : reliquum mercator in massas[24] condit. Est et alia fama cum Sole dividi, ternasque partes fieri : dein sorte gemina[25] discerni : quodque Soli[26] cesserit relinqui, ac sponte conflagrare.

Præcipua bonitas virgultorum[27] tenuissimis partibus, 5
ad longitudinem palmi. Secunda proximis breviore mensura, atque ita ordine. Vilissimum, quod radicibus proximum, quoniam ibi minimum corticis, in quo summa gratiæ[28]. Qua de causa præferuntur cacumina, ubi plurimus cortex. Ipsum vero lignum in fastidio est, propter origani acrimoniam[29] : xylocinnamomum vocatur. Pretium[30] est in libras XX. Quidam cinnami[31] duo ge-

24. *Massas.* Sic Hard. e codd. Elzev. Gronov. *nassas.* Dalecamp. legebat *naves.* Ed.

25. *Sorte gemina.* Ita MSS. omnes Reg. Colb. etc. non *cremia.* — *Sorte..... discerni.* Repetita iterum subsortitione discerni, « quæ cui sit tribuenda pars : quæ Soli, quæ Jovi, quæ mercatori. » Hard.

26. *Quodque Soli.* Solin. loc. cit. a Plinio; Plinius a Theophr. loc. cit. Hard.

27. *Præcipua bonitas virgultorum,* etc. Et hæc a Theophr. accepta Hist. Pl. IX, 5. Hard.

28. *Summa gratiæ.* Dalec. *grâtia.* Ed.

29. *Propter origani.* Quoniam origani instar, gustui acerbum est. Dioscorides non cinnamomum, ut Dalecamp. affirmat, sed amomum dixit origanum olere, I, 14. Hard.

30. *Pretium.... XX.* Denarii viceni, hoc est, monetæ nostræ 14 fr. 14 c. Quod si ex Harduini Broteriique conjectura interpungamus X. X, erunt denarii deni, sive monetæ gallicæ 7 fr. 8 c. Ed.

31. *Quidam cinnami.* Theoph. duo, Dioscorides vero quinque genera cinnamomi refert. Ex iis duo tantum peculiari nomine vocata, mossyliticum, et montanum, reliqua odore, colore, et aliis hujusmodi notis distincta. Casiæ idem Dioscorid. septem genera memorat, achy sive daphnitin, hic daphnoeidem, et isocinnamum, quod bonitate et viribus æquet cinnamomum, aut pretio : nam, quod inquit Galenus, quum cinnamomum abest, ejus loco duplum casiæ substituitur : Zigir, hic balsamoden : mossyliticum germen, id est, e Zei-

nera[32] tradidere, candidius nigriusque. Quondam præferebatur candidum, nunc contra nigrum laudatur, atque etiam varium præferunt candido. Certissima[33] tamen æstimatio, ne sit scabrum, atque ut inter sese tritum tarde frietur. Damnatur in primis molle, aut cui labat[34] cortex.

6 Jus ejus a Gebanitarum rege solo proficiscitur : is edicto[35] mercatu vendit. Pretia quondam fuere in libras denarium millia. Auctum id parte dimidia[36] est, incensis, ut ferunt, silvis ira barbarorum. Id acciderit[37] ob iniquitatem præpotentium, an forte, non satis constat. Austros ibi tam ardentes flare, ut æstatibus silvas accendant, invenimus apud auctores. Coronas ex cinnamo interrasili auro[38] inclusas, primus omnium in templis Capitolii atque

lan, hic lactam : Aphemon, hic unguentariam : Darca, Persis Dardimi, id est, Chinæ lignum : Citto, corrrupte pro *Cuurdo*, quo nomine Zeilani vocant : et Pseudocasiam. D.

32. *Duo genera*. Candidum et nigrum, λευκὸν καὶ μέλαν, aliaque genera Diosc. affert I, 13 : et idem nigrum candido anteponit. Hard. — *Nigriusque*. Codd. Dalec. et Chifflet. *nigricansque*. Ed.

33. *Certissima tamen æstimatio*, etc. Similia habet Dioscor. I, 13, a quo et scabra casia rejicitur, cap. 12. Hard.

34. *Aut cui labat cortex*. Prius legebatur, *aut cui albet cortex*. Verum inter cinnamomi genera nullum memoratur, cui cortex sit albidus. In MSS. Reg. Colb. Paris. *cui labit cortex*. In Chifflet. teste Dalec. et in Tolet. teste Pintiano, *cui labitur*. Nos propius litterarum ductus et codicum vestigia secuti, *cui labat cortex*. Adjuvat mirum in modum Plinius, cap. 44, ubi in casia corticem, contra atque in cinnamo, levari et exinaniri, pretium esse ait : ubi *labare* cod. Toletanus, Reg. et Colb. *levare* legunt. Hard. — Broterius ex lib. sup. laud. et edit. principe, *labitur* recepit. Ed.

35. *Edicto*. Vet. apud Dalec. *indicto*. — *Denarium millia*. Vulgg. ante Hard. *mille*. Sunt monetæ nostræ, 637 fr. Ed. — Nunc in Sinensi imperio lignum *Calamba* (Agallochum, *Excæcaria agallocha* Willd. vid. cap. 44, not. 2), quale Pekino, imperatoria urbe, missum vidi, pari auri pondere rependitur. Tanta semper fuit odorum ambitio. Broter.

36. *Auctum id parte dimidia est*. Ita ut foret pretium in libras denarii mille et quingenti, hoc est, 955 fr. 50 c. Ed.

37. *Acciderit ob iniquitatem*, etc. Elzev. Gronov. et vulgg. ante Hard. *id acciderit ne*. Ed.

38. *Interrasili auro*. Partim cælato, partim plano. Sic *interrasa* vasorum latera dixit XXXIII, 49.

Pacis dicavit Imperator Vespasianus Augustus. Radicem ejus magni ponderis vidimus in Palatii templo[39], quod fecerat Divo Augusto conjux Augusta[40], aureæ pateræ impositam: ex qua guttæ editæ[41] annis omnibus in grana durabantur, donec id delubrum incendio consumptum est.

XLIII. Frutex et casia[1] est, juxtaque cinnami campos 1
nascitur: sed in montibus crassiore sarmento, tenui[2] cute verius, quam cortice, quem contra atque in cinnamo, levari[3] et exinaniri pretium est. Amplitudo frutici trium cubitorum. Color triplex. Quum primum emicat, candidus

Interrasum marmor, lib. XXXV, c. 1. Papias: « Interrasilis, anaglypha, sculpta. » Will. Brito, in Vocabul. « Interrasile dicitur interpolatum cælatura, et plano. Planum enim inter cælaturas, quasi rasum videtur. » Rasili igitur interrasile opponitur, quod subinde cælatura et plano variatur ac distinguitur. Alexander: « Quod nunc sculpturis, nunc planitia variatur, Hoc et non aliud opus interrasile dicas. » Anonymus de gestis Constantini M. « Laminam auream jussit interrasilem fieri. » Anastasius Bibl. in Leone III: « Hic idem Præsul fecit..... crucem anaglypham interrasilem ex argento purissimo. » Plura apud V. Clar. Du-Cangium in Glossario vide, unde ista fere omnia decerpsimus. Hard.

39. *Vidimus in Palatii templo.* Vidit et Galenus in scriniis Trajani, cæterorumque Impp. usque ad Severum, cui coævus fuit, ipso ita prodente, lib. I de Antid. cap. 13. Pharmacopolæ cinnamomi nomine nihil hodie aliud præter casiam intelligunt, quam *canellam* vocamus. Et sane casiam optimam in cinnamomum degenerare, auctor est idem Galenus cap. 11, pag. 882. Hard.

40. *Augusta.* Livia. A Tiberio et Livia perfectum id fuisse, tum Dio testatur lib. LVI; tum veteres Tiberii nummi, quos habemus, in quibus templum visitur, cum epigraphe: Rom. et. Aug. Quanquam alii non templum ibi esse, sed aram, censent. De Augustæ cognomine dicemus XV, 40. Hard.

41. *Ex qua guttæ editæ.* Ex qua radice guttæ manantes. Hard.

XLIII. 1. *Frutex et casia est.* Græcis κασσία, nos *canellam* vocamus: quod suo volumine tubos et canales imitatur. Hæc ejus fruticis descriptio a Theophrasto accepta, Hist. Pl. IX, 5. Ab insula Taprobane, vulgo dicta *Ceylan*, nunc ad nos advehitur. Hard. — *Frutex et casia est.* Vet. apud Dalec. *casiæ est.*

2. *Tenui cute.* Nempe interiore libro, ex quo fistularum tubuli parantur. Alioqui crassi corticis sarmentum habet, ἔχει δὲ ῥάβδον παχύφλοιον, inquit Dioscorides lib. I, cap. 12. Hard.

3. *Levari.* Hoc est, a caudice, seu stirpe eximi. Hard. — *Frutici.* Vulgg. ante Hard. *fruticis*; mox

pedali mensura : dein rubescit addito semipede : ultra nigricans. Hæc pars[4] maxime laudatur, ac deinde proxima : damnatur vero candida. Consecant surculos longitudine binum digitorum[5] : mox præsuunt recentibus coriis quadrupedum ob id interemptarum, ut iis putrescentibus vermiculi lignum erodant, et excavent corticem[6] tutum amari-
2 tudine. Probatur recens[7] maxime, et quæ sit odoris mollissimi, gustuque quam maxime fervens potius, quam lento tepore leniter mordens, colore purpuræ, quæque plurima minimum ponderis faciat, brevi tunicarum[8] fistula, et non fragili. Lactam vocant talem barbaro nomine. Alia est balsamodes[9], ab odore simili appellata, sed amara, ideoque utilior medicis, sicut nigra[10] unguentis. Pretia nulli diversiora. Optimæ in libras[11] X. L ; cæteris X. V.

dein pro *deinde*, et paulo post *binum digitorum* ex codd. manu exaratis, præeunte Pintiano, reponimus, quum prius legeretur *b. cubitorum*. — *Rubescit*. Chiffletii cod. *rufescit*. — *Consecant*. Vet. apud Dalec. *tum secant*. Ed.

4. *Hæc pars*. Sic Dioscorid. lib. I, cap. 12. Hard.

5. *Binorum digitorum*. In libris editis, *bin. cubitorum*, contra omnium exemplarium fidem; quodque haud paulo est gravius, contra Theophrast. ipsum a quo hæc manarunt : sic enim ille Histor. IX, 5 : ὅταν οὖν τέμνουσι τὰς ῥάβδους, κατακόπτειν ὡς διδάκτυλα τὸ μῆκος, ἢ μικρῷ μείζω, κ. τ. λ. Hard. — Emendationem Pintiano acceptam referre debemus. Ed.

6. *Excavent corticem*. Fabulosum id est. Dalec. — *Tutum*. A vermiculorum erosione tutum, propter amaritudinem. Hard. — Vet. apud Dalec. *cortice tuto*, minus bene. Ed.

7. *Probatur recens maxime, et quæ sit odoris mollissimi*, etc. Dioscorid. lib. I, 12, recentem probat, odore vinoso, gustu mordacem, et aromaticam. Hard.

8. *Tunicarum fistula*. Tunicæ, seu corticis, qui fistulæ instar habet, quum vaginæ in morem a ligno sejungitur, divelliturque, angusto foramine ac meatu. Sic auctor libri de Simp. Med. ad Patern. t. XIII operum Galeni, pag. 989. Casiæ fistulas appellat quoque Scribonius Largus, Compos. 36. Casiam fistulam, Plin. Valer. lib. II, cap. 37. Sic Galenus lib. I de Antid. cap. 14 : σύριγγα καλοῦσιν. Hard.

9. *Balsamodes*. Quæ Dioscoridi purpurascens, rosæ odorem spirans, et ad usus medicos maxime accommodata, βαλσαμώδης. Hard.

10. *Sicut nigra*. Quæ vilis habetur, εὐτελὴς, Diosc. loc. Hard.

11. *In libras*, *X. L.* Denarii quinquaginta, id est, monetæ no-

(xx.) His addidere, mangones, quam daphnoiden[12] vo- 3
cant, isocinnamon[13] cognominatam : pretiumque[14] ei faciunt x. ccc. Adulteratur[15] styrace, et propter similitudinem corticum, lauri tenuissimis surculis. Quin et in nostro orbe[16] seritur : extremoque in margine imperii, qua Rhenus alluit, vivit in alveariis apum sata. Color abest ille torridus Sole, et ob id simul idem odor.

XLIV. Ex confinio casiæ cinnamique, et cancamum[1] 1

stræ fere 35 fr. 58 c. Denarii quinque, 3 fr. 55 c. Ed.

12. *Daphnoiden.* Diosc. lib. I, cap. 12 : ἔχει δὲ ῥάβδον παχύφλοιον, φύλλα δὲ ὡς πεπερέως· ἐκλέγου δὲ τὴν ἔγκιρρον, εὔχρουν, κοραλλίζουσαν, στενὴν λίαν, μακρὰν καὶ παχεῖαν, τοῖς συριγγίοις πλήρη, δηκτικὴν ἐν τῇ γεύσει, καὶ στύφουσαν μετὰ πολλῆς πυρώσεως, ἀρωματίζουσαν, οἰνίζουσαν τῇ ὀσμῇ. Ἡ δὲ τοιαύτη ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων ἄχυ καλεῖται· δαφνῖτις δὲ προσαγορεύεται ὑπὸ τῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐμπόρων. Δαφνοειδῆ, a similitudine cum lauri cortice, ut mox dicetur. Ab indigenis ἄχυ id genus vocatur : ab Alexandrinis mercatoribus Δαφνῖτις, inquit Diosc. loc. cit. Casia daphnitis Scribonio Largo laudata, Compos. xxxix. Hard.

13. *Isocinnamon.* Quasi pari virtute cum cinnamo : ab ἴσον et κίνναμον. Hard.

14. *Pretiumque ei.* Sic e Chifflet. restituit Hard. antea, *ejus*. Mox in cod. Chifflet. aliisque, *laurus*, quod recepit Broterius. — *X. CCC.* Denarios trecentos, hoc est monetæ nostræ 191 fr. 10 c. Ed.

15. *Adulteratur.* Casia, styrace adulteratur et lauro.—*Lauri.* MSS. omnes *laurus*. Hard.

16. *In nostro orbe.* Casia nempe aromatica, sed degenerans, cæli solique natura. De ea rursum idem XVI, 59, ubi de peregrinis arboribus, quæ alibi nasci fastidiunt. « Vivit tamen, inquit, in Italia piperis arbor : casiæ vero etiam in septemtrionali plaga. » Nugantur, qui casiam alteram hic intelligunt, de qua XXI, 29, quum sit ea Italici magis cæli, quam septemtrionalis. Quin et in ipsa Italia Arabicam sive aromaticam illam casiam visam esse jam ævo suo Columella est auctor, de Re Rustic. III, 8 : « Judæam aiunt, inquit, et Arabiam pretiosis odoribus illustrem haberi : sed nec nostram civitatem prædictis egere stirpibus : quippe quum pluribus locis Urbis jam casiam frondentem conspicimus, jam thuream plantam, florentesque hortos myrrha et croco. » Hard.

XLIV. 1. *Cancamum.* Dioscorides, lib. I, cap. 23 : κάγκαμον δάκρυόν ἐστιν Ἀραβικοῦ ξύλου σμύρνῃ προσεοικὸς, βρωμῶδες ἐν τῇ γεύσει, ᾧπερ ὡς θυμιάματι χρῶνται. Ὑποκαπνίζουσι δὲ καὶ τὰ ἱμάτια μετὰ σμύρνης καὶ στύρακος, κ. τ. λ. Ex his Dioscoridis verbis, Κάγκαμον arboris est Arabicæ lacryma, myrrham quadamtenus referens, virosi gustus. Hard. — De cancamo vide Excur-

ac tarum [2] invehitur, sed per Nabatæos Troglodytas, qui consedere [3] ex Nabatæis.

1 XLV. (XXI.) Eo comportatur et serichatum, et gabalium, quæ intra se consumunt Arabes, nostro orbi tantum nominibus [1] cognita, sed cum cinnamo casiaque nascentia. Pervenit tamen aliquando serichatum, et in unguenta additur ab aliquibus. Permutatur in libras X. VI [2].

1 XLVI. Myrobalanum [1] Troglodytis, et Thebaidi, et

sum X ad calcem hujus libri. Ed.

2. *Tarum invehitur*, etc. Tarum hodie Lusitanis *Aquila brava*, id est, Agallochum silvestre : lignum odoratum, Agallocho vero nonnihil simile. Nascitur in promontorio Comorin, quod olim Cori nuncuparunt, et in Zeilam insula. In Malaca Agallochum *Garo* vocant, inde sumptum Tari nomen. Garc. lib. I, cap. 6. Dalec. — Aetius XVI, 137, « Tari, inquit, quod est lignum aloes. » In officinis et Agallochi et ligni aloes nomen habet; sed rarum admodum. Hard. — *Excæcaria agallocha* Willd. (*Diœc. monadelph.* gen. 2293, Pers. *Euphorbiac.* Juss.) præstantissimum est lignum agallochum, quod toties ab Arabibus celebratur. Avicenna, c. 231, hoc tradit afferri e Sin, et India, et Arabia per Sofalam; optimas species esse mondeliam, kakeliam, kadmurinam et semandurinam. Conf. commentarium doctissimum Cels. Hierobot. I, 140 seqq. Fructus similis piperi, sed colore subflavo, et odore suavissimo. Avicenn. c. 163. E Comaria, insula Javæ propinquâ, aut ex ipsa Java, præcipue venire id lignum, peregrinatores pristini Arabes, scriptoresque testantur. E Sumatra optimam agallochi speciem, *calampat* dictam, evehi; vendi autem omnem fere Chinensibus, ut pote ditioribus auro, refert Lud. Barthema; viliores species *bochor* appellat et *loban*. Conf. Garciam apud Clus. Exotic. pag. 173. Sprengel.

3. *Qui consedere*, etc. Qui ex Nabatæis, Syriæ vicinis, huc commigrantes, sedes ibi suas posuere. Hard. — Dalecamp. cod. *Troglodytasque confines Nab.* Ed.

XLV. 1. *Tantum nominibus.* Neque magis etiamnum cognita. Hard. — Dalecampius ait quosdam opinari *serichatum*, nostrum esse *benjuinum*, quod a *Terminalia benzoe* defluere diximus (vid. cap. 19, not. 2); *Gabalium* vero, *caphuram* (*Laurum camphoram*, *Enneand. monogyn.* gen. 994, Pers. *Laurin.* Juss.): alios *serichatum* nihil esse aliud quam *santalum* flavum contendere (*Santalum*, *Tetrand. monog.* gen. 319, Pers. *Onagr.* Juss.), *gabalium* vero, *benjuinum*; mera fortasse et inani conjectura. Ed.

2. *In libras, X. VI.* Denarii sex, monetæ nostræ, 4 fr. 24 c. Ed.

XLVI. 1. *Myrobalanum.* Ita Dioscor. lib. IV, cap. 160, a quo βάλανος μυρεψική, glans unguentaria nominatur. In officinis priscum re-

Arabiæ, quæ Judæam ab Ægypto disterminat commune est, nascens unguento, ut ipso nomine[2] apparet. Quo item indicatur et glandem esse arboris, heliotropio, quam dicemus[3] inter herbas, simili folio. Fructus magnitudine avellanæ nucis[4]. Ex his in Arabia nascens Syriaca appellatur, et est candida : contra in Thebaide nigra. Præfertur illa[5] bonitate olei, quod exprimitur : sed copia
Thebaica. Inter hæc Troglodytica vilissima est. Sunt qui 2
Æthiopicam iis præferant, glandem nigram, nec[6] pinguem, nucleoque gracili, sed liquore, qui exprimitur, odoratiori, nascentem in campestribus. Ægyptiam pinguiorem esse, et crassiore cortice rubentem : et quamvis in palustribus nascatur[7], breviorem siccioremque. E diverso Arabicam viridem ac tenuiorem, et quoniam sit montuosa[8], spissiorem. Longe autem optimam Petræam, ex quo diximus oppido[9], nigro cortice, nucleo candido. Unguentarii[10] au-

tinetur nomen, *Myrobalan :* sed res plane diversa. Ibi genera quinque Myrobalanorum, quæ ex America advehuntur; sed ea Veteribus prorsus incognita : pruna potius, quam glandes, appellanda. Plinii et Dioscoridis myrobalanum officinæ *Ben* vocant. HARD. —*Moringa Zeylanica* et *M. Arabica* (*Decand. monogyn.* gen. 1023, Pers. *Hyperantheræ* species, Willd. *Leguminos.* Juss.). De myrobalanis Græcorum et Arabum, vide Excursum XI ad calcem hujus libri. ED.

2. *Ut ipso nomine apparet.* Μύρον unguentum, βάλανος glandem sonat. Martialis, lib. XIV, Epigr. 57, cui lemma, *Myrobalanum :* « Quod nec Virgilius, nec carmine dixit Homerus, Hoc ex unguento constat, et ex balano. » Ὃ ῥῥ οὐ Βιργιλίοιο, καὶ οὐκ ἔπος εἶπεν Ὁμήρου, Ἔκ τε μύρου συνέρυ τοῦτο, καὶ ἐκ βαλάνου. HARD.

3. *Quam dicemus.* Lib. XXII, cap. 29. HARD.

4. *Avellanæ nucis.* Sic Discorid. loc. citat. HARD.

5. *Præfertur illa.* Syriaca, Dioscorid. loc. cit. HARD.

6. *Nec pinguem.* Ita MSS. omnes : ubi perperam exhibent libri hactenus editi, *et pinguem.* HARD.

7. *Nascatur.* In MSS. omnibus, *nascitur.* HARD.

8. *Montuosa.* Ita codd. omnes : Elzev. Gronov. *montosa.* ED.

9. *Oppido.* Petra, de quo oppido dictum est lib. VI, cap. 32. HARD.

10. *Unguentarii.* Sic Theophr. tum Hist. Pl. IV, 2; tum de Odorib. τοῦ καρποῦ δὲ τοῖς κελύφεσι, inquit ille priore loco, χρῶνται οἱ μυρεψοί, κόπτοντες· εὐῶδες γάρ τι ἔχει. HARD.

tem tantum cortices premunt: medici nucleos, tundentes[11] affusa eis paulatim calida aqua.

1 XLVII. (XXII.) Myrobalano in unguentis similem proximumque usum habet palma in Ægypto[1], quæ vocatur adipsos[2], viridis, odore mali cotonei, nullo intus lignum

11. *Nucleos, tundentes.* Cod. Dalec. *med. nucleos tundunt, affusa*, etc. Ed.

XLVII. 1. *Palma in Ægypto.* Palma hoc loco fructus arboris est, ipsa nimirum balanus. Solin. eadem refert cap. XXXII, et Dioscorid. I, 148, ubi palmam ægyptiam Arabicæ myrobalano similem pariter ipse prodit. Hard. — Φοῖνιξ ἐν Αἰγύπτῳ γίνεται· τρυγᾶται δὲ μεσοπωρούσης τῆς κατὰ ὀπώραν ἀκμῆς, παρεμφέρων τῇ Ἀραβικῇ μυροβαλάνῳ, πῶμα δὲ λέγεται, χλωρὸς τὸ χρῶμα, ἐμφερὴς κυδωνίῳ κατὰ τὴν ὀσμήν· εἰ δὲ ἀρεθῇ πεπαινόμενος, γίνεται φοινικοβάλανος, κ. τ. λ.. Dioscorid. lib. I, cap. 148. Palmam Ægyptiam *adipson* vocari ait Dioscorides, quod sitim sedet; humore quippe multo plena, non aliter sitim minuit, quam si bibatur aqua. Non tantum Ægyptiæ palmæ proprium, ut scribit Plinius, quod viridis et immatura decerpatur ac ἄδιψος sit: sed omnes palmæ quæ servari non poterant, virides, gulæ sitisque sedandæ causa, edebantur. Dioscorides palmam immaturam, non ἄδιψον, sed πῶμα vocari scribit; quod in eamdem fere significationem recidit; πῶμα enim dicitur, quod potionis vicem præbet. Malunt alii, Plinii fortassis auctoritate decepti, πῶμα dici quod nullum intus lignum habeat. Cui, inquiunt, lignum ideo intus nullum est, quia viridis et immatura decerpitur, prius quam genitus sit nucleus. Palmulis enim, ut testatur Plinius XIII, 4: « Prima nascitur pomi caro, postea lignum intus, hoc est, semen ejus. Argumentum, quod parvæ sine hoc reperiantur in eodem palmite. » Verum quidem est in omnibus palmulis nasci, ac perfici glandis carnem primum, deinde intus nucleum: sed hoc in palmis non tantum, sed in aliis, quibus nucleus est, observatur; quæ tamen idcirco ἀπύρηνοι non dicuntur. Conf. Bod. a Stapel not. in Theophrast. lib. II, cap. 8. De variis palmarum generibus, fusius dicemus lib. XIII, cap. 14. — *Phœnix dactylifera* (*Diæc. Hexand.* gen. 2238, Pers. *Palm.* Juss.). Habitat in Africa, Oriente et India; locis irriguis. Ed.

2. *Adipsos.* Palmula ægyptiaca medio maturitatis suæ tempore, πῶμα, quasi *potus*, sive *potio* vocatur Dioscor. auctori ἄδιψος, quoniam humore multo plena non aliter sitim minuit, quam si bibatur aqua, nec caput tentat; ac maturitate peracta a puniceo, sive phœniceo colore Phœnicobalanus dicitur: atque sic caput gravat, ut quod ait Solinus, sensus intercipiatur, gressus præpediatur, lingua retardetur, obsessæque mentis et corporis officiis, imitetur vitium ebrietatis. Had. Jun. lib. V, cap. 2. Daleo. — Ἄδιψος, a siti quam sedat: Græcis δίψα, vel δίψος, sitis. Hard.

gno[3]. Colligitur autem paulo ante, quam incipiat maturescere. Quod si relinquatur, phœnicobalanus[4] vocatur, et nigrescit, vescentesque inebriat[5]. Myrobalano pretium in libras, x.[6] bini. Institores[7] et fæcem unguenti hoc nomine appellant.

XLVIII. Calamus quoque odoratus[1] in Arabia nascens, 1
communis Indis atque Syriæ est, in qua vincit[2] omnes, a nostro mari centum L stadiis[3]. Inter Libanum[4] mon-

3. *Nullo intus ligno.* Hoc est, molli adhuc teneroque nucleo. Colligitur enim, antequam is gignatur. Dioscorid. loc. cit. Hard.

4. *Phœnicobalanus.* Hoc est, palma cum nucleo. Dioscor. εἰ δὲ ἀφεθῇ πεπαινόμενος, γίνεται φοινικοβάλανος. Hard.

5. *Inebriat.* Si copiosius eo vescare. Diosc. Hard.

6. *In libras, X. bini.* Denarii bini qui fere sunt monetæ nostræ, 1 fr. 41 c. Ed.

7. *Institores.* Negotiatores. Hard.

XLVIII. 1. *Calamus quoque odoratus.* Calamus aromaticus, sive odoratus duplex est: alter Syriacus, ad ripas lacus Generasetici, quem alii mare Galilææ, alii mare Tiberiadis vocant, nascens, a vulgari nihil dissimilis, præterquam quod, post quadragesimum diem siccatus, nonnihil flagrat : alter Indicus, descriptus a Diosc. olim, nuper a Garcia *Horto Lusitano*, diversissimus a Syriaco. Dionysius de Situ orbis ἐρυθραῖον vocat a colore, non ut Eustathius putat, quod ejus altrix India Erythræo mari contermina sit. Dioscor. κιῤῥὸν esse tradit. Apud Veget. lib. IV, de re veterinaria, Absyrtus in confectione pulveris quadrigarii calamum Syriacum et aromaticum, id est, Indicum, memorat. Ea calami genera plurimum inter se discrepantia Plin. ignoranter miscuit ac confudit. Guillandin. — *Calamus.* In officinis *Calamus aromaticus* vocatur : sed perrarus : sic ut pro eo *Acorum verum*, qui ex Tartaria convehitur, in trochiscis et medicamentis myropolæ adhibeant. Hard. — *In Arabia nascens.* Plut. libro, Quod bruta ratione utuntur, id quoque prodidit, sed errore manifesto. Guilland.—*Acorus calamus*; var. β, *A. Asiaticus* (*Hexand. monog.* gen. 839, Pers. *Aroid.* Juss.). De calamo odorato confer. Bod. in Theophr. lib. IX, cap. 7. Acorus calamus, variet. indica, quæ in Guzarate sponte crescit, post Alexandri demum expeditionem, Græciam adlata fuit, teste Sprengelio, Hist. rei herbar. I, pag. 41. Ed.

2. *In qua vincit.* Qua in Syria qui calamus provenit, cæteris aliarum gentium bonitate antecellit. Hard. — *Vincit omnes.* Vet. apud Dalec. *vivit omnis.* Ed.

3. *Centum L. stad.* XVIII M. DCCCL. passus. Hard.

4. *Inter Libanum.* Hæc ad verbum habet etiam Theophr. Hist. Pl. IX, 7. Hard. — Ὁ δὲ κάλαμος

tem, aliumque ignobilem, non (ut quidam existimavere) Antilibanum, in convalle modica juxta lacum, cujus palustria æstate siccantur, tricenis[5] ab eo stadiis calamus et juncus[6] odorati gignuntur. Sane enim dicamus et de junco, quamvis alio herbis dicato volumine, quoniam
2 tamen hic unguentorum materia tractatur. Nihil ergo a cæteris sui generis differunt aspectu : sed calamus præstantior odore, statim e longinquo[7] invitat, mollior tactu, meliorque qui minus fragilis : et qui assulose[8] potius, quam raphani modo frangitur. Inest[9] fistulæ araneum, quod vocant florem. Præstantior est, cui numerosius. Reliqua probatio[10], ut niger sit. Damnatur aliubi. Melior, quo

γίνεται καὶ ὁ σχοῖνος ὑπερβάλλοντι τὸν Λίβανον, μεταξὺ τοῦ τε Λιβάνου καὶ ἄλλου τινὸς ὄρους μικροῦ ἐν τῷ αὐλωνίσκῳ τούτῳ· καὶ οὐχ ὥς τινές φασι τοῦ Ἀντιλιβάνου. Καὶ μεταξὺ τούτων ἐστὶν, ὃν αὐλῶνα καλοῦσι, πεδίον πολὺ καὶ καλόν· ὅπου δὲ ὁ κάλαμος καὶ ὁ σχοῖνος φύεται, λίμνη μεγάλη τυγχάνει, καὶ ἐν τῷ ἕλει τῷ ἀνεξηραμένῳ πεφύκασι, κ. τ. λ. Hard.

5. *Tricenis ab eo.* Juxta eum lacum, ubi siccata palus est, spatio stadiorum tricenum, sive MMM. DCCL. pass. Hard.

6. *Et juncus.* In officinis, *Juncus odoratus.* Nunc ex Nabatæa Arabiæ regione defertur : et ævo ipso Plinii, ut ipse docet XXI, 72. Hard. — Dioscorides, lib. I, cap. 16 : Σχοῖνος, ἡ μέν τις γίνεται ἐν Λιβύῃ· ἡ δὲ, ἐν Ἀραβίᾳ· ἑτέρα δὲ ἐν τῇ Ἀβαταίᾳ (forte Ναβαταίᾳ) λεγομένη· ἥτις ἐστὶ κρατίστη· δευτερεύει δὲ ἡ Ἀραβικὴ, ἣν ἔνιοι Βαβυλώνιον καλοῦσιν, τὴν δὲ Τευχῖτιν. Ἡ δὲ Λιβυκὴ ἄχρηστος. — *Andropogon schœnanthus* (*Triand. digyn.* gen. 186, Pers. *Gramin.* Juss.). Habitat in Indiæ maritimis; in hortis colitur ob odorem gratum. Ed.

7. *Statim e longinquo.* Aliena fide Theoph. hoc scripsit, quod minime verum esse Guillandinus testatur, qui eam regionem peragravit. Idem scripsit et Vitruvius VIII, 3. Dal.

8. *Assulose.* Qui in assulas multas frangitur, inquit interpres Oribasii, lib. XI, pag. 200 : εἰς πολλοὺς σκινδαλμοὺς θραυόμενος, inquit Dioscor. lib. I, cap. 17, quem Oribasius transcribit. Assulose, vel assulatim fracta dicuntur ea fragmenta, quæ in longitudinem dissecantur : cujusmodi sunt, quæ desiliunt, quum franguntur asserculi. Hard.

9. *Inest fistulæ.* Serapionis interpres, cap. 205 : « Canna ejus plena est cujusdam rei similis texturæ araneæ, cujus color est albus et viscosus. » Oribasii interpres, loco citat. « Fistulis aranearum plenis. » Secutus Diosc. loc. cit. γέμων ἀραχνίων τὴν σύριγγα. Araneum vocant junci medullam, quæ telæ aranearum similis est. Hard.

10. *Ut niger sit.* Ille nimirum

brevior, crassiorque, et lentus in frangendo[11]. Calamo pretium in libras[12], XI; junco, XV: traduntque[13] juncum odoratum et in Campania inveniri.

XLIX. Discessimus a terris Oceanum spectantibus ad convexas[1] in nostra maria. (XXIII.) Ergo Æthiopiæ subjecta Africa[2] Hammoniaci[3] lacrymam stillat in arenis suis (inde nomine etiam Hammonis[4] oraculo, juxta quod gi- 1

Syriacus juncus: nam is color, ut statim subdit, damnatur alibi: subalbidus commendatur in Indico, ὑπόλευκος, ut monet Dioscor. loc. cit. subcandidus, ut Oribasii interpres loc. cit. HARD. — *Probatio, ut niger sit.* Cod. Dalec. *ne niger sit.* ED.

11. *In frangendo.* Præsertim dum frangitur, dum commanducatur, ἐν τῇ διαμασσήσει γλισχρὸς, inquit Diosc. loco citat. HARD. — *Crassiorque, et lentus in frangendo.* Sic cum Harduino e MSS. reposuimus. ED.

12. *In libras XI.* Denarii scilicet undecim; monetæ nostræ, 7 fr. 78 c. quindeni, 10 fr. 60 c. ED.

13. *Traduntque.* Id quidem ait ab aliis tradi: sed fidem ipse suam non adstringit. Et vero falsum esse Matthiolus asseverat, in Dioscorid. lib. I, cap. 16. HARD.

XLIX. 1. *Convexas.* Quæ nostro mari prætenduntur. Forte *conversas* sincerius. Sic libro VI, c. 22: « versa in meridiem plaga: » quæ familiaris ei admodum locutio est. Africæ nunc oram intelligit, quæ mediterraneo alluitur: deinde Syriam, Ægyptum, et Asiam Minorem. HARD. — Quidam apud Dalec. *conversas.* ED.

2. *Africa.* Pars Africæ, quæ juxta Cyrenem. Diosc. III, 98. H.

3. *Hammoniaci.* Adhuc in officinis pharmacopolarum nomen servat, *gomme ammoniaque.* HARD. — Conf. ad lib. XXIV, cap. 14. Dioscorid. lib. III, cap. 98: Ἀμμωνιακὸν, καὶ τοῦτο ὀπός ἐστι νάρθηκος, γεννωμένου ἐν τῇ κατὰ Κυρήνην Λιβύῃ· καλεῖται δὲ αὐτοῦ ὅλος ὁ θάμνος σὺν τῇ ῥίζῃ, Ἀγασυλλὶς, κ. τ. λ. — *Heracleum gummiferum* Willd. Hort. Berol. I, tom. 53, 54. (An idem cum *Laserpitio gummifero*, Desfont. Flor. Atlant. I, tom. 72? *Pentand. digyn.* gen. 693, Pers. *Umbellifer.* Juss.) Habitat in ea Africæ parte quæ Ævgpto ad occasum adjacet, et quæ hodie dicitur regnum *de Barca*, in quo fuit olim templum Jovi Hammoni dicatum, unde gummi nomen. GEOFF. — Item in Barbaria et Lusitania, in cultis aridis. Rami succum glutinosum et graveolentem fundunt. DESFONT. ED.

4. *Inde nomine etiam Hammonis.* Ita MSS. Reg. Colb. etc. Hoc est, Hammonis oraculo ipsi nomen est etiam ab arenis: ἄμμος enim arenam sonat. Alii ab arietino Jovis vultu, ut diximus V, 5, nominis originationem petunt. Quamobrem Ovidio, Met. V, 17, dicitur *Corniger Ammon.* HARD. — *Inde nomine.* Vet. apud Dalec. *inde et nomen.* ED.

gnitur arbor[5]): quam metopion[6] vocant, resinæ modo aut gummi. Genera[7] ejus duo : thrauston[8], masculi thuris similitudine, quod maxime probatur : alterum pingue et resinosum, quod phyrama[9] appellant. Adulteratur arenis, velut nascendo apprehensis. Igitur quam minimis glebis probatur, et quam purissimis. Pretium optimi in libras, asses XL[10].

1 L. Sphagnos[1] infra eos situs[2] in Cyrenaica provincia maxime probatur, alii bryon[3] vocant. Secundum locum obtinet Cyprius, tertium Phœnicius. Fertur et in Ægypto nasci : quin et in Gallia : nec dubitaverim. Sunt enim hoc nomine[4] cani arborum villi, quales in quercu[5] maxime vide-

5. *Arbor*. Ferulacea illa quidem, δένδρον ναρθηκοειδὲς, Dioscor. loco cit. et Galen. de Fac. Simp. Med. VI, 17. Arbori nomen Ἀγασυλλὶς, ex eodem Dioscor. Hard.

6. *Quam metopion*. Quam nempe lacrymam μετώπιον vocant. Id quoque nomen lacrymæ, sive succo galbani attributum, auctore Diosc. III, 97, quoniam cum Hammoniaco similitudinem habet, ut Plinius docet, cap. 57. Hard.

7. *Genera*. Reliqua deinceps totidem verbis habet Dioscorid. lib. II, cap. 98, et Oribasius, lib. XI, pag. 189. Hard.

8. *Thrauston*. Θραυστὸν, sive ut habet Dioscor. θραῦσμα, quasi fragmentum, sive friaturam hammoniaci dixeris. Hard.

9. *Phyrama*. Φύραμα, hoc est, mixtura : quoniam admixta terra calculisve sordidum. Hard.

10. *Asses XL*. Sive denarii quaterni: monetæ Francicæ, 2 fr. 83 cent. Ed.

L. 1. *Sphagnos*. Dioscoridi, lib. I, cap. 20 : Σπλάγχνον. Hesychio, Σφακὸς, et φάσκος. Aliis etiam σφάγνος. Hard.

2. *Infra eos situs*. Infra eas regiones in quibus Hammoniacum legitur: nempe propius a mari, in Cyrenaica provincia. Hard.

3. *Alii bryon*. Βρύον Dioscorid. Galli *mousse*. Muscum Latini vocant. Hard. — Bryon, sive splanchnon, teste Dioscoride loco cit. in cedro, populo alba, vel quercu reperiebatur: præstabat cedrinum; proximum huic populneum : quo in genere probatius, quod odoratius esset et candidum; deterius autem nigricans habebatur. Bryon vero cedrinum, *Parmelia jubata* est Sprengelio, Histor. rei herbar. p. 193. (*Cryptogam*. Linn. *Musc*. Juss.) Vide quod de bryo populi albæ mox dicturi sumus infra, cap. 61. Ed.

4. *Sunt enim hoc nomine*, etc. Hæc deinceps ad verbum Oribasius, lib. XI, pag. 193. Hard.

5. *In quercu*. In quercu, cedro, et populo alba. Diosc. loc. citat. et Oribas. Galenus item VI, p. 166,

mus, sed odore præstantes. Laus prima candidissimis, atque altissimis[6]: secunda rutilis, nulla nigris. Et in insulis[7] petrisque nati improbantur; omnesque quibus palmarum, atque non suus odor est.

LI. (XXIV.) Cypros[1] in Ægypto est arbor ziziphi[2] foliis, 1
semine coriandri, candido[3], odorato. Coquitur hoc in oleo, premiturque postea, quod cyprus vocatur[4]. Pretium

de Fac. Simp. Med. Adde et ægilopem, seu fagum Latinorum, cujus villos iis similes, quos quercus habet, præter odorem, nunc Plinius præcipue signat, ipso teste, XVI, 13. Hard.

6. *Altissimis.* Recte. Nam ut Theophrast. ait, Hist. Pl. III, 9, et similiter Plinius XVI, 13, cubitali longitudine maxime commendantur. Hard.

7. *Et in insulis.* Hæc τῶν βρύων genera in insulis nata a superiore diversa sunt: terrestre, saxatile, marinum. Vide Dalec. lib. XI, Hist. Plantar. cap. 59. Hard. — Mox *odor est*, ex MSS. post Hard. rescripsimus; antea *sit*. Ed.

LI. 1. *Cypros.* Mira in hac arbore describenda Plinium inter ac Dioscoridem dissensio est. Illi cyprus est ziziphi foliis: isti oleæ: illi semen coriandri simile: isti, sambuci: illi semen candidum, et odoratum: isti, nigrum. Et arborem tamen esse, et in Canopo atque Ascalone nasci, inter utrumque convenit: plane ut licet natale solum ac nomen ipsum utrique arbori idem sit, genus omnino dispar esse constet. Hard. — *Lawsonia inermis* Linn. (*L. inerm.* v. *α*, *alba* Desfont. Flor. Atl. I, pag. 325. *Octand. Monog.* gen. 941, Pers. *Salicar.* Juss.). Habitat in India, Ægypto, et Barbaria. Est cyprus Antiquorum, et tincturæ croceæ inservit, qua cutis et pedum, et manuum phalanges a mulieribus fucantur. Lawsoniam autem *spinosam* et *inermem* certo docuit loco citato Clar. Fontanesius eamdem esse speciem, quæ junior inermis, vetusta vero spinescit ramis induratis. Ed.

2. *Ziziphi.* De hac arbore, XV, 14. Hard.

3. *Semine coriandri, candido, odorato.* Sic libri omnes tum manuscripti, tum editi ante Hermolaum, qui *flore candido* reposuit, ut Dioscoridi, vel ea saltem parte, cum Plinio conveniret. At sequitur statim, « coquitur hoc in oleo, » quod sane de semine accipiendum est. Itaque quod prætermisit Barbarus, Dalecampius confecit, dum ex eodem Dioscorid. *coquitur hic* legi jubet. Nos in peregrina ignotaque arbore, invitis exemplaribus omnibus, aut nihil movendum, aut amplius quærendum, arbitramur. Hard.

4. *Cyprus vocatur.* Κύπρος, quod non arbori modo, sed et unguento nomen est: est enim hic cyprus, unguentum cyprinum. Sic τὴν κύπρον dixit Theophr. lib. de Odorib. pag. 187, pro ipso unguento. Sic ἶριν et οἰνάνθην pro irino

ei[5] in libras[6], x. v. Optimum habetur[7] e Canopica in ripis Nili nata : secundum Ascalone Judææ : tertium Cypro insula, odoris suavitate. Quidam hanc esse dicunt arborem quæ in Italia ligustrum vocetur[8].

1 LII. In eodem tractu[1] aspalathos[2] nascitur, spina

et œnanthino dixit Apollonius apud Athen. lib. XV, p. 688. Sic νάρδου nomine, non herba tantum, sed unguentum ex nardo paratum designari solet, tum a Græcis, præsertim Diosc. lib. I, cap. 76, tum a Latinis. Horatius, Carm. lib. II, Ode 11 : « Dum licet, Assyriaque nardo Potamus uncti. » Hard. — *Cypros* Arabibus dicitur *al henna;* nobis vulgo *alcana*. Laudatur in Cantic. Cant. I, 14, *botrus cypri*. De hac arbore vid. P. Sicard, *Mémoires des Missions dans le Levant*, t. VII, pag. 106; et Shaw, *Voyages*, t. II, pag. 101. Brot.

5. *Pretium ei.* Unguento videlicet. Hard.

6. *In libras X. V.* Ita MSS. omnes. Denarii quinque, nostræ monetæ sunt 3 fr. 55 c. Ed.

7. *Optimum habetur.* In edit. principe, *optimum hoc;* inde male emendatum in recentioribus editoribus, *optimum habetur*. Sed Reg. codd. exhibent tantum, *optimum e Can.* E Canopica antem, id est, e cypro arbore nata prope Canopum, nunc *Aboukir*, Nilique ostia. Brot.

8. *Quidam hanc esse dicunt arborem quæ in Italia ligustrum vocetur.* Errant ii, neque vero Plinius audire se illos ait. Et cyprus quidem peregrina arbor est, non hujus cœli solive : ligustrum, quod Gallis *troëne*, ne arbor quidem est, sed frutex : et in sepibus passim ac fruticetis ubique provenit. Cypro semen coriandri, quod rotundum est, ac subflavum : atrum ligustro, et altera parte latum, modiceque concavum. Cypro Dioscoridis folia oleæ similia sunt, flores suavis odoris : quæ gemina dos a ligustro abest : quare nec Plinii nec Dioscoridis cypros esse illud potest. Hard. — Ligustrum, *le troëne*, de qua sup. Harduinus, est *Lig. vulgare* Linn. (*Diand. Monog.* gen. 35, Pers. *Jasmin.* Juss.). Habitat in collibus glareosis, ad sepes; in regionibus nostris non infrequens, a cypro Veterum omnino diversum. Ed.

LII. 1. *In eodem tractu.* In Ægypto. Vide quæ dicturi sumus XXIV, 69. Hard.

2. *Aspalathos*, etc. Sprengelius, de μελαίνῃ ῥίζῃ apud Hippocrat. Morb. Mul. II, pag. 660 : Galenus : ἀσπάλαθον ἀρωματικὸν explicat : hic autem, nisi fuerit *Genista canadiensis* (quod negat Valer. Cordus, annot. I, 6) est saltem *Gen. aspalathoides*, species a Poireto in Barbaria inventa. Item Sprengelius de ἀσπαλάθῳ, Dioscoridis lib. I, cap. 19 : eumdem esse cum ligno rhodio, fide Constantini Rhodii, rhizotomi cretensis, perhibet Anguillara. pag. 36, delineavit Pona, Bald. pag. 16. Lignum Rhodium alii *Convolvulo scopario* tribunnt : hujus vero patria Teneriffa

candida, magnitudine arboris modicæ, flore rosæ. Radix unguentis[3] expetitur. Tradunt[4], in quocumque frutice curvetur arcus cælestis, eamdem quæ sit aspalathi[5], suavitatem odoris existere: sed si in aspalatho, inenarrabilem[6] quamdam. Quidam eum erysisceptrum[7] vocant, alii sceptrum. Probatio[8] ejus in colore rufo vel igneo, tactuque spisso, et odore castorei. Permutatur in libras x. v[9].

LIII. In Ægypto nascitur et maron[1], pejus quam Lydium, majoribus foliis ac variis. Illa brevia ac minuta, et odorata. 1

LIV. (xxv.) Sed omnibus odoribus præfertur[1] balsamum, 1

Veteribus, ante infantem Henricum, ignota fuit. — *Spartium aspalathoides* Willd. (Desfont. Fl. Atl. II, pag. 136; Lam. *Encyc.* II, pag. 620 sub *Genista*. *Diadelph. decand.* gen. 1690, Pers. *Legumin.* Juss.). Habitat in Barbaria. Ed.

3. *Radix.* Et toto etiam alterius aspalathi frutice, sive ligno utuntur unguentarii ad nnguenta spissanda, nt recte Diosc. I, 19. Hard.

4. *Tradunt.* Id vero in aspalatho maxime, et rhamno, evenire tradit Aristoteles, cap. 12, problem. 3. Vide etiam Theophr. lib. VI, cap. 25, cujus verba afferemus lib. XXI, cap. 18. Hard.

5. *Quæ sit aspalathi.* Gronov. et al. ante Hard. edition. *sed in aspalatho.* Ed.

6. *Inenarrabilem.* Perpetuo verum hoc non esse, vide apud Rhodiginum, lib. XXI, cap. 31. Inde, nec absque ratione quidem, non ἐρυσίσκηπτρον vocandum censent, sed ab incubitu et innixu iridis, ἰρίσκηπτρον. Conf. Plutarch. in Sympos. Quæst. IV, 2. Dalec.

7. *Erysisceptrum.* Dioscorid. loc. cit. Ἀσπάλαθος, οἱ δὲ ἐρυσίσκηπτρον, θάμνος ἐςὶ ξυλώδης, ἀκάνθας πολλὰς κεκτημένος. Hard.

8. *Probatio.* Probatur, inquit Dioscor. ponderosus, detracta cortice rubens, aut in purpuram vergens, densus, odoratus, gustuque subamarus. Hard.

9. *Permutatur in libras X. V.* Denarii quinque sunt monetæ nostræ 3 fr. 55 cent. Ed.

LIII. 1. *Maron.* Retinet in officinis hortisque nomen. Hard. — *Teucrium marum.* L. (*Didyn. gyn.* gen. 1372, Pers. *Labiat.* Juss.). Id Dioscorides lib. III, cap. 49, maron, seu hysobrion; quum vero caput hoc totum in quibusdam codicibus non exstet, descriptionem forte supposititiam hic referre supersedimus. Ed.

LIV. 1. *Balsamum.* Balsamum primum fuit in Judæa, deinde in Ægypto; nunc est in Arabia, et dicitur *le baume de la Mecque.* Brot. — *Balsamum*, etc. *Amyridis* species; *opobalsamum*, scilicet aut *gileadensis* (*Octand. monog.* gen. 936, Pers. *Terebinthac.* Juss.). Ed.

uni terrarum Judææ[2] concessum, quondam[3] in duobus tantum hortis, utroque regio, altero jugerum xx non amplius, altero pauciorum. Ostendere arbusculam[4] hanc Urbi Imperatores Vespasiani: clarumque dictu, a Pompeio Magno in triumpho arbores quoque duximus[5]. Servit nunc hæc, et tributa pendit cum sua gente, in totum alia
2 natura, quam nostri externique prodiderant. Quippe viti similior est, quam myrto. Malleolis[6] seri dicitur, nuper vincta[7], ut vitis: et implet colles vinearum[8] modo, quæ

2. *Uni terrarum Judææ.* Et Ægypto, Diosc. Strabo lib. XVI, silvestre nasci tradit in maritimis Sabæorum. Pausanias in Bœoticis balsami arbores in Arabia describit, myrtorum magnitudine, foliis amaraci. Dalec. — *Uni terram.* Theophrast. Hist. Plant. IX, 6. Dioscoridis ævo etiam in Ægypto nascebatur, ipso id prodente I, 18. In officinis, *le baume blanc de Judée.* Sed vix haberi potest, nisi adulterinum. Hard.

3. *Quondam.* Dum regnum Juda staret; sive usque ad captam a Nabuchodonosore Judæam: vel et sub Herode. Hard.

4. *Arbusculam.* MSS. omnes, Reg. Colbert. Paris. Chifflet. *arbutum.* Hard.

5. *Duximus.* In MSS. *diximus.* Supra cap. 9, ebenum arborem in Mithridatico triumpho Romæ ostensam a Pompeio dixit. Hard.

6. *Malleolis seri dicitur.* Ramulis ex stirpe decisis, et in terram defossis. Galli malleolos, *des marcottes,* malleolis serere, *marcotter,* vulgo dicunt. Habet hæc Solinus quoque, cap. xxxv. Hard.

7. *Nuper vincta... implet colles.* Dalecampius legit, *et nunc implet colles vinearum modo*, etc. inepte, quasi non et ante victoriam Romanorum colles impleret balsami frutex. Præcedit: *quippe viti similior quam myrto malleolis seri dicitur, nuper vincta, ut vitis:* hæc falsa: nam sequitur: *et implet colles vinearum modo, quæ sine adminiculis se ipsæ sustinent:* si sine adminiculis se ipsa sustinet hæc arbuscula, quid opus eam vinciri? frustra vinciatur, quæ adminiculatione non eget. Salm. — *Nuper vincta.* In MSS. Reg. *nuper dicta.* Antiqua manu emendatum in cod. Reg. 2, *victa.* In edit. principe, *juncta;* unde male emendatum in recentt. editt. *vincta.* Sine adminiculis, sine vinculis se sustinet balsamum: at nuper a Romanis erat vinctum, ut malleolis, *les marcottes*, sereretur, et major citiorque esset proventus. Brot.

8. *Et implet colles vinearum modo.* Et, si non vinciatur, se ipsa in collibus sustinet, nec adminiculatione eget. Justinus, lib. XXXVI, cap. 3, in vinearum morem excoli prodidit. Solinus: « Jam nobis latissimi colles sudant balsama. » Hard.

sine adminiculis se ipsæ sustinent. Tondetur similiter fruticans[9], ac rastris nitescit, properatque nasci, intra tertium annum fructifera. Folium proximum rutæ[10], perpetua coma[11]. Sæviere in eam[12] Judæi, sicut in vitam quoque suam. Contra defendere Romani, et dimicatum pro frutice est: seritque nunc eum fiscus[13]: nec umquam fuit numerosior, aut procerior. Proceritas intra bina[14] cubita subsistit.

Arbori tria genera[15]. Tenui[16] et capillacea coma, quod vocant eutheriston. Alterum scabro aspectu, incurvum, fruticosum, odoratius: hoc trachy[17] appellant. Tertium eumeces, quia est reliquis procerius, lævi cortice. Huic secunda bonitas, novissima eutheristo[18]. Semen[19] est vino proximum gustu, colore rufum, nec sine pingui: pejus in grano, quod levius atque viridius. Ramus crassior, 3

9. *Tondetur similiter fruticans.* Chifflet. cod. *fructificans.* Ed.

10. *Folium proximum rutæ.* Theophrast. loc. cit. Sic etiam Diosc. I, 18. Hard.

11. *Perpetua coma.* Perpetuo vireus, ἀείφυλλος. Theophr. Hard.

12. *In eam.* Elzev. Gronov. et vett. Hard. *eandem.* Ed.

13. *Seritque nunc eum fiscus.* Fisco principis addictus balsami reditus omuis: arborem is idcirco colendam ac serendam curabat. Hard.

14. *Intra bina.* Simeon Sethi: Μικρόν ἐςι τὸ τοιοῦτον φυτὸν πηχέων ἔλαττον δύο. Tit. *de balsamo.* Hard.

15. *Tria genera.* Sic Dioscorid. loc. cit. διαφέρον αὐτὸ ἑαυτοῦ τραχύτητι, καὶ ἰσχνότητι. Quod Salmasius non intellexit, quum Plinium erroris insimulat, in libello, cui titulum fecit præfationis in Plinium, pag. 96. Hard.

16. *Tenui et capillacea coma.* Hoc est, quod tenues surculos gerit, et capillaceæ gracilitatis virgulta, quæ ob gracilitatem facile tonderi et amputari possint: τὸ λεπτὸν καὶ τριχῶδες τοῦ θάμνου θεριςόν· ἴσως διὰ τὸ εὐχερῶς θερίζεσθαι, ἰσχνὸν ὄν. Diosc. loc. cit. Cave enim de capillaceis foliis hæc accipienda putes, quæ Plinius paulo antea, ut et Theophrast. et Diosc. rutæ similia esse recte dixit. Unus etsi Justinus loc. cit. Plinii verba perperam interpretatus, ejusmodi folia balsamo attribuit, qualia iu piceis arboribus cernere est. Hard.

17. *Trachy.* Τραχὺ, *asperum.* Et mox εὐμήκης, *procerum.* Hard.

18. *Eutheriston.* Εὐθέριςον, quod facile amputatur. Solent certe surculi, non folia, amputari. Hard.

19. *Semen.* Sive fructus, καρπὸς, Dioscor. loc. cit. In officinis Carpobalsamum: sed sincerum hodie nullum fere. H.—*Sem. est vino.* Sic

quam myrto. Inciditur vitro[20], lapide, osseisve cultellis. Ferro lædi vitalia odit[21]. Emoritur protinus, eadem amputari supervacua patiens. Incidentis manus[22] libratur artifici temperamento, ne quid ultra corticem violet.

4 Succus e plaga manat, quem opobalsamum vocant, suavitatis eximiæ[23], sed tenui gutta ploratu, lanis[24] parva colligitur in cornua. Ex his novo fictili conditur, crassiori similis oleo, et in musto candida[25]. Rubescit[26] deinde, simulque durescit e translucido. Alexandro[27] Magno res ibi gerente, toto die æstivo unam concham impleri justum erat. Omni vero fecunditate[28] e majore horto congios[29] senos, minore singulos, cum duplo[30] rependebatur[31] ar-

e codd. Hard. vulgg. *ejus vino*. Ed.

20. *Inciditur vitro*, *lapide*, etc. Hæc Solinus, cap. XXXV. Hard.

21. *Ferro lædi vitalia odit.* Tacit. Hist. V, 6: «Si vim ferri adhibeas, pavent venæ: fragmine lapidis, aut testa, aperiuntur.» Vitalia Plinius vocat, interiora, quæ cortice, veluti cute, ambiuntur. Theophr. tamen et Diosc. locis citatis, σιδηροῖς ὄνυξι, ferreis unguibus scribunt incidi arborem: quod Plinio non adversatur, qui hoc unice velit, sic librandum ictum esse, ut ne quid ultra corticem violetur: tutiusque idcirco ferri acie abstinere. Hard.

22. *Incidentis manus libratur*, etc. Solinus loco citato. Hard.

23. *Suavitatis eximiæ.* Balsamum bene ac suaviter olere, adversus quosdam recentiores, probat Petr. Servius, lib. de Odorib. p. 10. H.

24. *Lanis.* Lanis colligitur, sive excipitur: mox iisdem expressa lacryma, in cornua parva reconditur. Hard.

25. *In musto candida.* Dum novella, ac recens. Hard.

26. *Rubescit.* Chifflet. *Rufescit;* mox vet. apud Dalec. *Durescit et translucida.* Ed.

27. *Alexandro.* Et hæc habet etiam Theophr. Histor. Plant. IX, 6. Hard.

28. *Omni vero fecunditate.* Hoc est, maxima et annua fecunditate: quum maxime fecunda lacrymæ arbos est. Hard.

29. *Congios.* Congius sextarios sex continet. De sextario dicemus lib. XXI, cap. ult. Hard. — *Congios senos.* Ergo annuos proventus utriusque horti erat librarum fere gallicæ monetæ 6,536 (6,450 fr.). Brot.

30. *Cum duplo.* Alexandri Magni ævo. Hard.

31. *Toto die æstivo unam concham impleri justum erat. Omni vero fecunditate e majore horto congios senos, minore singulos, cum duplo rependebatur argentum.* Sic totidem plane syllabis et apicibus libri tum editi (etsi horum nonnulli *argento* male), tum vero etiam MSS. Quæ tamen Budæo, de Asse, lib. V, Salmasio-

gentum. Nunc etiam singularum arborum[32] largior vena: ter omnibus percutitur æstatibus, postea deputatur.

Et sarmenta quoque in merce sunt. DCC. IIi. amputatio[33] ipsa surculusque veniit intra quintum devictæ[34] annum. Xylobalsamum vocatur, et coquitur in unguentis: pro succo ipsum substituere officinæ. Corticis[35] etiam ad medicamenta pretium est. Præcipua autem gratia lacrymæ, secunda semini[36], tertia cortici, minima ligno. Ex hoc

que non placent. Ille, « anni vero fecunditate e majore horto congios senos singulis annis, quum et duplo, etc. » Salmasius, pag. 591 in Solin. « Concham impleri justum erat homini. Anni vero, etc. » At formam hanc loquendi, « impleri justum erat homini, » quo demum scriptore tuebitur? quo codice? Budæum coarguit Theophrastus; sic enim ille Hist. Pl. IX, 6: Γίνεσθαι δὲ ἐκ μὲν τοῦ μείζονος παραδείσου ἀγγεῖα δώδεκα ὅσον ἡμιχόεα· ἐκ δὲ τοῦ ἑτέρου, δύο μόνον. Impleri ex majore horto vasa semichoea duodecim, hoc est, congios senos: ex altero vero duo tantum, hoc est, congium unum. Est enim χοῦς Græcis, qui Romanis congius, ut alibi dicemus. Diosc. quoque, lib. I, cap. 18: Ῥεῖ δὲ ὀλίγον, ὡς καθ' ἕκαστον ἔτος μὴ πλεῖον ἢ ἓξ ἢ ἑπτὰ χόας, etc. Hard.—*Argentum*. Elzev. Gronov. et al. ante Hard. *argento*. Ed.

32. *Nunc etiam singularum arborum largior vena*, etc. Tunc temporis dicit, vel singularum arborum venam largius balsamo sudasse, majoremque balsami copiam dedisse, quam duos hortos illos, qui soli erant ætati Alexandri: septenos congios hi reddebant; hoc unum est τῶν ἀδυνάτων. Salm. 593. Sequitur quod ita legend. *DCC. HS amputatio ipsa*, etc. hoc est septingenties sestertia. Ibid. Salm.

33. *DCC. IIi. amputatio.* Hoc est, sestertiis septingentis, ut diximus, VII, 40; non uti Salmasius putat, in Solin. pag. 593, septingenties sestertiorum. Ita porro MSS. omnes. Reg. Colb. Paris. Chiffl. non ut edit, *DCCC amputatio*, etc. Hard. — Ita MS. Reg. 1; in Reg. 2, Lang. et edit. principe DCCC. Septingenta autem sestertia sunt monetæ nunc nostræ, 124,530 fr. Adeone creverat amputationis et surculi pretium? At si sunt tantum sestertii septingenti, id efficiet monetæ nostræ 124 fr. 53 c. Quod quoque minimum est. Brot.

34. *Intra quintum devictæ.* Post eam arborem, Judæamque devictam. Ita MSS. proxime laudati. Frigide editi, « intra quintum demum annum. » Nummi Vespasiani, et Titi, IVDAEA. CAPTA. Hard. — Quintus ille annus a devicta Judæa fuit Urbis conditæ 828; post Christ. nat. 75. Brot.

35. *Corticis.* Valet cortex ad medicamenta, et est in pretio. Hard.

36. *Secunda semini.* Sive fructui, sive pomo. Solini paraphrasis, cap. XXXV: « Secundum in pretiis

buxosum[37] est optimum, quod est odoratissimum : e semine[38] autem maximum et ponderosissimum, mordens gustu, fervensque in ore. Adulteratur Petræo[39] hyperico: quod coarguitur magnitudine, inanitate, longitudine, odoris ignavia, sapore piperis.

6 Lacrymæ probatio, ut sit pinguis, tenuis, ac modice rufa, et in fricando odorata. Secundus candido colos, pejor viridis crassusque, pessimus niger : quippe ut oleum senescit. Ex omni incisura maxime probatur, quod ante semen fluxit. Et alias adulteratur seminis succo, vixque maleficium deprehenditur gustu amariore : esse enim debet lenis, non subacidus, odore tantum austerus. Vitiatur et oleo rosæ[40], cypri, lentisci, balani, terebinthi, myrti; resina, galbano, cera cypria[41], prout quæque res[42] fuit.
7 Nequissime[43] autem gummi, quoniam ipsum quoque inhæ-

locum poma obtinent. » Hard.

37. *Buxosum*. Colore buxeo. H.

38. *E semine*. Diosc. similiter I, 18. Hard.

39. *Adulteratur Petræo hyperico*. Asportatur ab oppido Arabiæ Petra semen hyperico simile, inquit Diosc. quo balsami fructus adulteratur : sed ex eo fraus dignoscitur, quod majus illud sit, inane, ignavum, sapore piperis. De hyperico dicemus XXVI, 53 et 54. Hard.

40. *Vitiatur et oleo rosæ*. Hæc similiter Diosc. loco cit. Hard. — *Cypri*. In libris editis, *cyperi*, male. Nam Diosc. lib. I, cap. 18 : Δολοῦται δὲ ποικίλως· οἱ μὲν γὰρ χρίσματα μίσγουσιν αὐτῷ, ὡς τὸ τερεβίνθινον, κύπρινον, σχίνινον, σεύσινον, βαλάνινον, etc. Et vero MSS. Reg. Colb. Paris. Chiffl. *cypri* habent. Hard.

41. *Cera Cypria*. Quod κηρωτὴν Dioscorides, hoc Plinius ubique ceram appellat : alii ceratum vertunt. Cave porro credas ceram cypriam, quam κηρωτὴν κυπρίνην nunc Dioscorides vocat, a Cypro insula cognominatam, quæ ceræ laudem nullam habet. Nomen enim ἀπὸ τοῦ κύπρου, qua de arbore dictum est, cap. 52. Ceratumque cyprinum ex cera oleoque cyprino, certa portione paratur, ut ex cera oleoque rosaceo, rosaceum ceratum. Hard.

42. *Res fuit*. Subintellige, in promptu, ad manum, obvia. Hard.

43. *Nequissime*. Nequissime adulteratur, quia difficillime fraus deprehenditur. Hard.

44. *Inhærescit*. Ita recte : non *inarescit*, ut Salmasio placet, Exercitt. in Sol. pag. 494. Hard. — *Inhærescit manu inversa*. Sic Elzev. Gronov. Hard. et libri pleriq. ante Broterium editi. Ed. — In editione principe, *quin arescit*. Recte monuit Salmasius emendandum, *inarescit*. Audacler emendatum in recentt.

rescit[44] manu inversa, et in aqua sidit : quæ[45] probatio gemina est. Debet sincerum et inhærescere : sed hoc e gummi arescere[46] addita fragili crusta evenit. Et gustu deprehenditur. Carbone[47] vero, quod cera resinaque adulteratum est, nigriore flamma. Nam melle mutatum statim in manu contrahit[48] muscas. Præterea sinceri densatur in tepida aqua gutta sidens ad ima vasa[49] : adulterata olei modo[50] innatat : et si metopio[51] vitiata est, circulo can-

editt. *quoniam ipsum quoque inhærescit manu inversa*. MSS. et edit. princeps habent, *in manu*. Brot. — Mox idem Broter. *inarescere*, pro *inhærescere* e lib. cit. adstipulante Chifflet. et vet. apud Dalec. cod. reposuit. Ed.

45. *Quæ probatio*. Sinceri balsami. Geminam hanc notam in sincerissimo balsamo candido, quod ex America ad nos missum est, deprehendimus : nam manu inversa hæret tamen ; et in aqua sidit primum, sed mox emergit : Judææ balsamum semper sidit. Hard.

46. *E gummi arescere*. Sed ut inhærescat gummi addito, id non fit, nisi fragili crusta simul enata arescat. Hard.

47. *Carbone*. Igni impositum, deprehenditur id quod cera resinave adulteratum est. Hard.

48. *Contrahit*. Congregat. Sic XXVIII, 42 : « Sanguine cervino contrahi serpentes tradunt. » Hard.

49. *Gutta sidens ad ima vasa*. Ut accepi ab oculatis et expertis testibus, alia nunc probatio sinceri balsami Constantinopoli et in Oriente viget. Nempe balsami gutta cyatho aquæ infunditur; aquæ innatat in tenuem pelliculam diffusum : si illa pellicula ita secum cohæret, ut acus acie tota et illæsa possit colligi, sincerum est balsamum. Si disrumpitur pellicula, nec potest tota et illæsa colligi, adulteratum est balsamum. Brot. — De balsamo sincero sic nostras Guerroult : « La plantation de *Beder-Houssein*, l'ancienne *Petra* dans l'Arabie Pétrée, est le seul endroit bien connu aujourd'hui qui fournisse le baume. Le grand-seigneur n'en reçoit par an que trois livres. On en donne une livre au Pacha du Caire, et une à l'*Émir-hadji*, ou conducteur de la caravane de la Mecque. Un flacon de ce baume est conservé au Jardin des Plantes comme un objet du plus grand prix. Le véritable baume qui découle de l'arbre par incision n'entre pas même dans le commerce. Ce qu'on vend sous ce nom n'est que de l'huile tirée par cuisson des graines, des noix (Amyridia fructus bacca drupacea, monosperma per abortum. Pers.) et des branches de l'arbre, le carpobalsamum et le xylobalsamum des Anciens. » (*Morceaux extraits de Pline*, t. I, p. 528, 1809.) Ed.

50. *Adulterata olei modo innatat*, etc. Diosc. hæc omnia totidem verbis expressit. Cf. lib. I, c. 18. Ed.

51. *Si metopio*. Et metopio adul-

dido cingitur. Summa[52] probatio est, ut lac coagulet, in
8 veste maculas non faciat. Nec manifestior alibi fraus : quippe millibus[53] denarium, sextarii empti vendente fisco trecentis denariis, veneunt. In tantum expedit augere liquorem. Xylobalsamo pretium in libras x. v[54].

1 LV. Proxima Judææ Syria supra Phœnicen styracem[1] gignit, circa Gabala[2], et Marathunta, et Casium Seleuciæ montem. Arbor est[3] eodem nomine, cotoneo malo similis, lacrymæ ex austero jucundioris, intus similitudo arundinis, succo prægnans. In hanc circa Canis ortus[4] advolant pennati vermiculi erodentes : ob id in[5] scobe

terari balsamum, scribit etiam Diosc. I, 18. Est antem metopion Hammoniaci lacryma, nt diximus cap. 50. Hard.

52. *Summa probatio.* Hæc pariter Diosc. loco cit. et auctor libri de Simp. Medic. ad Patern. inter opera Galeni, t. XIII, p. 997. H.

53. *Millibus denarium.* Purum balsamnm, ἄκρατον, vendente fisco in singulos sextarios trecentis denariis venibat. Institores qui a fisco emebant, sic liquorem illnm angebant, admixtis alienis succis, ut mille denarios facerent ex ea mensura, pro qua trecentos dedissent. Hard. — Mille denarii, hoc est, monetæ nostræ, 637 fr. trecenti, 191 fr. 10 c. Ed.

54. *In libras X. V.* Denarii quinque, 3 fr. 55 c. Ed.

LV. 1. *Styracem.* In officinis *Storax*, gummi, seu lacrymæ indnratæ genus : sed illud perrarum, ac vix nmquam adulterationis vitio carens. Hard.—Discor. lib. I, cap. 79 : Στύραξ δάκρυόν ἐστι δένδρου τινὸς ὅμοιον κυδωνίῳ· διαφέρει δὲ αὐτοῦ ὁ ξανθὸς καὶ λιπαρὸς, ῥητινώδης, θρόμβους ἔχων ὑπολεύκους, ἐπιδιαμένων τῇ εὐωδίᾳ ὡς ὅτι πλεῖστον, καὶ ἐν τῷ μαλάσσεσθαι ἀνεὶς ὑγρασίαν τινὰ μελιτώδη, κ. τ. λ. Arborem cum Pyro cydonia non immerito comparat : optime crescere ait in Pisidiæ montibns et Ciliciæ, quod et testatur Strabo, lib. XII, et Moses Chorenensis, Geog. Armen. p. 353. Sprengel. — Nobis dicitur *Styrax officinale* (*Decand. monogyn.* gen. 1095, Pers. *Guiacan.* Juss.). Invenitur in Judæa, Syria et Italia. Ed.

2. *Gabala.* Unde styrax Γαβαλίτης a Diosc. laudatur I, 79. De his oppidis in Geographicis egimus, V. Hard.

3. *Arbor est eodem nomine*, etc. Diosc. loco cit. Hard.

4. *Ortus.* Editi ante Hard. libri *ortum.* Ed.

5. *In scobe.* Scobe arboris admixta, quæ vermiculorum erosione fit, adulteratur ea lacryma, atque adeo vilescit, sordetque. Diosc. loc. cit. et auctor libri de Simp. Medic. tom. XIII operum Galeni, pag. 1000. Hard.

sordescit. Styrax laudatur post supra dicta ex Pisidia[6],
Sidone, Cypro, Cilicia, Creta minime. Ex Amano Syriæ
medicis, sed unguentariis magis. Colos in quacumque 2
natione præfertur rufus[7], et pinguiter lentus : deterior
furfurosus, et cano situ obductus. Adulteratur cedri resina
vel gummi, alias melle, aut amygdalis amaris : omniaque
ea deprehenduntur gustu. Pretium optimo[8], x. VIII. Exit
et in Pamphylia, sed acrior[9], minusque succosus.

LVI. Dat et galbanum[1] Syria in eodem Amano monte 1
e ferula[2], quam ejusdem nominis resinæ modo[3] stagonitin
appellant. Quod maxime[4] laudant, cartilaginosum, purum
ad similitudinem Hammoniaci[5], minimeque lignosum. Sic

6. *Pisidia.* Pisidiacum, Ciliciumque styracem commendat etiam Diosc. loco cit. Pamphylium Galenus, lib. I de Antid. cap. 14, cujus regionis oppidum Side. Sed hic MSS. omnes *Sidone* habent, præter Chiffl. Et vero de styrace Pamphylio mox dicetur. HARD.

7. *Rufus.* Dioscor. ξανθὸς, καὶ λιπαρὸς, ῥητινώδης, rufus, pinguis, resinosus. Idem mox furfurosum improbat, τὸν πιτυρώδη. HARD.

8. *Pretium optimo, X. VIII.* Octo denarii, seu 5 fr. 66 c. ED.

9. *Sed acrior.* Sic MSS. Reg. Colb. Paris. non *aridior.* HARD.

LVI. 1. Legend. « Dat et Galbanum Syria in eodem Amano monte, e ferulaque ejusdem nominis, » resinæ modo stagonitin appellant. » Χαλβάνην σταγονῖτιν maxime laudari dicit, quæ ita dicitur, quod guttatim fluit : nam σταγόνες sunt guttæ. SALMAS. pag. 352.— *Dat et galbanum Syria.* Vide infra cap. 5, lib. XXIV. Theophr. Hist. cap. 7, lib. IX, ferulam eam *Paco* vocari tradit. Dioscor. vero a quibusdam nominari *Metopion.* Rotundum et masculum thus Diosc. *Stagonian* vocat. DALEC. — *Galbanum.* Retinet in officinis nomen. HARD. — Dioscor. III, 97 : Χαλβάνη ὀπός ἐστιν νάρθηκος ἐν Συρίᾳ γεννωμένου, ἣν ἔνιοι μετώπιον καλοῦσιν· ἔστι δὲ αὐτῆς ἀρίστη λιβανοειδὴς, χονδρώδης, καθαρὰ, λιπαρὰ, ἄξυλος, κ. τ. λ. Sprengelio, Hist. rei herb. I, p. 40, est *Bubon galbanum* (*Pentand. digyn.* gen. 702, Pers. *Umbellifer.* Juss.). ED.

2. *E ferula.* Ex arbore ferulacea. Galenus, lib. de Fac. Simp. Med. pag. 240 : Χαλβάνη, ὀπός ἐστι ναρθηκώδους φυτοῦ. HARD.

3. *Stagonitin.* Ipsa resina, quæ galbanum dicitur, etiam σταγονῖτις appellatur, quod guttatim fluit : arbor eodem nomine, quod illam guttatim emittat. Σταγόνες guttæ sunt. HARD.

4. *Quod maxime*, etc. Diosc. lib. III, pag. 97. HARD.

5. *Hammoniaci.* Quo idcirco permixto galbanum adulterari prodit Diosc. loco cit. HARD.

quoque adulteratur faba, aut sagapeno[6]. Sincerum[7] si uratur, fugat nidore serpentes. Permutatur in libras, x. v[8]. Medicinæ hoc tantum.

1 LVII. (xxvi.) Panacem[1] et unguentis[2] eadem gignit[3],

6. *Sagapeno.* In MSS. *Sacopenio.* Recte. Nam Sacopenio, qnod est inferioris notæ, adulterari galbanum, simile veri est : quum sagapennm, qnod pretii majoris est ac facultatis, adulterari galbano prodat auctor libri de Simp. Med. ad Paternianum, tomo XIII operum Galeni, pag. 999 : « Sagapenum, inquit, est lacrymæ genus..... Hoc ipsum galbauo aliqui adulterant, formatis ex eo guttulis ejusdem magnitudinis. » De utroque dicemus opportunius XX, 75. HARD. — Brot. *Sacopenio.* An *Ferula Persica* (*Pent. digyn.* gen. 692, Pers. *Umbellif.* Juss.), ut vult Sprengelius tom. I, pag. 165? ED.

7. *Sincerum.* Nicander in Theriac. pag. 4, et Diosc. loco citato.

8. *In libras, X. V.* Id est, 3 fr. 55 c. ED.

LVII. 1. *Panacem.* Pharmacopolis, *Panaces Heracleum* dicitur : ipsique Dioscor. lib. III, cap. 55 : Πάναχες Ἡράκλειον. Succus vero, Opopanax. De eo rursum XXV, 11. HARD. — Tria panacis genera distinguit Dioscorides, lib. III, cap. 55, et 57 : prima nempe species : Πάναχες Ἡράκλειον, ἐξ οὗ ὁ ὀποπάναξ συλλέγεται..... φύλλα δὲ ἔχει τραχέα, χαμαιπετῆ, χλωρὰ σφόδρα πρὸς τὰ τῆς συκῆς, ἐν τῷ περιφερεῖ ἐπεσχισμένα πενταμερῶς· καυλὸν δὲ ὥσπερ νάρθηκος ὑψηλότατον, ἔχοντα χνοῦν λευκόν, καὶ φύλλα περὶ αὐτὸν μικρότερα, σκιάδιον δὲ ἐπ' ἄκρου ὡς μακρόν. Adjungit flore esse luteo, semine odorato urendique vi prædito; radicibns denique ab una origine compluribus, iisque candidis, graveolentibus, crasso et subamari gustus cortice vestitis. Nasci autem in Bœotia, Arcadia, Macedonia et Cyrene Libyæ. Secnnda panacis species est Panaces Æsculapii : canlem e terra emittit tenuem, cubitalem, geniculatum, circa quem folia visuntur fœniculi, majora tamen et hirsutiora, odorata; et in cacnmine umbella, in qua flores emicant aurei, acres, et odorati; radix est parva, etc. Denique species tertia dicitur : Panaces Chironinm, in Pelio monte potissimum proveniens; foliis ἀμαράκῳ similibus, floribus aureis ; radice tenui, neque alta, gustu acri. Panaces Heracleum nobis est *Pastinaca opopanax* Linn. (*Pentand. digyn.* gen. 818, Pers. *Umbellifer.* Juss.). Habitat in Italia, Sicilia et Syria. ED. — Seriores addito ἡρακλείῳ id genns distinxerunt, ab Ἀσκληπιοῦ panace (*Laserpitio hirsuto*, gen. 693, Pers.) et a Χειρωνίῳ (*Laserpitio Chironio*, ibid.); sed Las. Chironinm Linn. valde dubium est. Gouanus enim, Illustr. pag. 20, contendit idem esse cum Pastinaca opopanace. Addit etiam se ex bac planta nullum principinm elicere potuisse. Qnod conceditur, quum clima monspeliacum a græco longe differat. Cf. SAVIGNY in Encycl. IV, p. 719, 720. SPRENGEL.

2. *Unguentis.* Maxime irino. Reprehendit hoc loco Plinium Dale-

nascentem et in Psophide[4] Arcadiæ, circaque Erymanthi fontes, et in Africa, et in Macedonia : ferula[5] sui generis quinque cubitorum, foliis primo quaternis, mox senis in terra jacentibus, ampla magnitudine rotundis[6], in cacumine vero oleagineis, semine in muscariis[7] dependente, ut ferulæ. Excipitur[8] succus inciso caule messibus, radice in autumno : laudatur[9] candor ejus coacti. Sequens pallido statera[10]. Niger color improbatur. Pretium optimo in libras,[11] x. bini.

LVIII. Ab hac ferula differt[1], quæ vocatur spondy- 1

campius : negat panacem unguentis utilem. At tuetur Plinium Theophrastus, qui ad unguentum irinum panacis radicem utilem esse testatur, propter suavitatem eximiam : lib. IX Hist. Plant. cap. 10 : χρήσιμος δὲ καὶ πρὸς τὸ ἴρινον μύρον διὰ τὴν εὐωδίαν. Hard.

3. *Eadem gignit.* Syria nimirum. Theophrast. Hist. Pl. IX, 10 : Γίνεται δὲ περὶ Συρίαν. Hard.

4. *Et in Psophide*, etc. Diosc. loco cit. De his regionibus in Geographicis egimus. Hard.

5. *Ferula.* Arbor ferulacea peculiaris generis. Hæc descriptio totidem fere verbis exstat apud Diosc. loco cit. Hard.

6. *Rotundis*, etc. Ad folia ficulnea proxime accedentibus. Dioscorides. Hard.

7. *In muscariis.* Muscarium dicitur ea veluti coma quarumdam herbarum, in qua semina dependent, qualis est ferulæ, feniculi, anethi, et similium. Σκιάδιον Dioscorid. appellat loco cit. quasi umbellam : σκιάδιον, inquit, ἐπ' ἄκρου, ὡς ἀνήθου. Hard.

8. *Excipitur succus inciso caule messibus, radice in autumno.* Dioscorides loco cit. et Theophrast. Hist. Plant. IX, 10. Galenus opopanacem et ex radice pariter, et ex caule inciso colligi prodit, lib. VIII de Simp. Med. Fac. Καὶ ὁ καλούμενος ὀποπάναξ γίνεται τῶν ῥιζῶν αὐτοῦ, καὶ τῶν καυλῶν ἐκτεμνομένων. Hard.

9. *Laudatur candor ejus coacti.* Diosc. loco cit. Hard.

10. *Sequens pallido statera.* Vilius pretium pallido est. Hard.

11. *In libras, X. bini.* Hoc est monetæ nostræ, 1 fr. 41 c. Ed.

LVIII. 1. *Ab hac ferula differt*, etc. Dioscorides lib. III, cap. 90 : Σφονδύλιον φύλλα μὲν ἔχει κατὰ ποσὸν ἐοικότα πλατάνῳ, πρὸς τὰ τοῦ πάνακος· καυλοὺς δὲ πηχυαίους, ἢ καὶ μείζονας, ἐοικότας μαράθρῳ· σπέρμα δὲ ἐπ' ἄκρῳ ὅμοιον σεσέλει, διπλοῦν, πλατύτερον δὲ καὶ λευκότερον, καὶ ἀχυρωδέστερον, βαρύοσμον· ἄνθη λευκὰ, ῥίζαν λευκὴν, ῥαφάνῳ ἐμφερῆ. Subjungit nasci in palustribus et aquosis. — *Heracleum sphondylium* Linn. (*Pentand. digyn.* gen. 696, Pers. *Umbellifer.* Juss.); in pratis, ad vias non infrequens. Ed.

lion, foliis tantum, quia sunt minora, platani[2] divisura. Non nisi in opacis gignitur. Semen eodem nomine silis speciem[3] habet, medicinæ[4] tantum utile.

1 LIX. Dat et malobathron Syria[1], arborem folio convoluto, arido colore[2]: ex quo exprimitur oleum ad unguenta: fertiliore ejusdem Ægypto. Laudatius[3] tamen ex India venit. In paludibus ibi gigni tradunt[4] lentis modo,

2. *Platani divisura.* Divisa sunt spondylii folia exiguis per ambitum incisuris, ut platani. HARD.

3. *Silis speciem.* Hoc est, seselis, quod seli Romani veteres appellavere. Diosc. loco cit. σπέρμα δ' ἐπ' ἄκρῳ ὅμοιον σεσέλει. HARD. — *Silis.* Gronov. *filis*, manifesto operarum errore. ED.

4. *Medicinæ.* Ad quos nsus adhibeatur, dicemus lib. XXIV, cap. 16. HARD.

LIX. 1. *Dat et malobathron Syria.* Hine Horatius, lib. II, Ode 7: « Coronatus nitentes Malobathro Syrio capillos. » HARD. — Dioscorides lib. I, cap. 21, docet quosdam pro nardi indicæ folio μαλάβαθρον habere: esse autem peculiare quoddam genus folii, quod paludibus innatet, nulla radice fultum: id collectum, statim filo trajectum, reconditum servari. Repetit id Plinius XII, 59, novo addito errore, in Syria nempe id gigni malabathrum. Galenus duobus locis, de Facult. simpl. med. VII, 98, 114, μαλάβαθρον et φύλλον μαλαβάθρου recenset; congruere virtutem cum vi nardi. Mox usus increbuit, φύλλα cum μαλαβάθρῳ eadem putare, quum Plutarchus, Gryll. 990, dicat νάρδους, καὶ φύλλα, καὶ καλάμους ἀραβικούς. At vero in Digest. l. 39, tit. 4, de Public. et Vectig. l. 16, distinguitur malabathrum a folio barbarico. His aliisque argumentis victus primus fere Anguillara, pag. 29, bene distinxit folium barbaricum, quod idem ac *Piper betle*, malabathrum autem dici *Tembul.* Idem tembul vero tanquam piperis speciem quoque describit. Falli autem et eum Garcias (Clus. Exotic. 175-177) perhibet, malabathrum enim Cassiæ ligneæ (*Lauri cassiæ, Enneand. monog.* gen. 994, Pers. *Laurin.* Juss.) esse folium, folium vero κατ' ἐξοχὴν esse *betle* Indorum (*Piper betle, Diand. Trigyn.* gen. 74, Pers. *Urtic.* Juss.). Conf. Trew in Nov. Act. nat. cur. vol. II, append. pag. 385. Coram habeo etiam iconem *folii*, quod manifesto *Lauri cassiæ* est, et *betle* dicitur, apud Ramusium, Viaggi I, 363. SPRENGEL. De malabathro vid. Exc. VII ad calcem hujus libri. ED.

2. *Arido colore.* In Chiffl. *colore aridi soli.* HARD.

3. *Laudatius.* Et jam alterius generis malabathrum. Μαλάβαθρον Dioscor. I, XI. Galenus, de Fac. Simp. Med. lib. VII, aliique Græci appellant. Etiamnum in officinis *Malabathrum*, et *Folium Indum.* H.

4. *Gigni tradunt.* Incerta id fama tradi haud obscure innuit: tradidit

odoratius croco, nigricans, scabrumque, quodam salis gustu. Minus probatur candidum. Celerrime situm in vetustate sentit. Sapor ejus[5] nardo similis esse debet sub lingua. Odor vero in vino suffervefacti antecedit alios. In pretio quidem prodigio simile est a x. singulis[6] ad x. ccc. pervenire libras : oleum autem ipsum in libras, x. lx.

LX. (xxvii.) Oleum et omphacium[1] est. Fit[2] duobus 1
generibus, et totidem modis, ex olea et vite : olea adhuc alba expressa : deterius ex druppa[3] : ita vocatur priusquam cibo matura sit, jam tamen colorem mutans. Differentia, quod hoc viride[4] est, illud candidum. E vite[5] fit psythia aut amminea, quum sint acini ciceris magnitudine, ante Canis ortum. In prima lanugine[6] demetitur uva[7], ejusque melligo[8]. Reliquum corpus[9] Sole coquitur. No-

tamen Diosc. loco cit. et ex recentioribus Dalecampius, Histor. Plaut. lib. XVIII, cap. 15, aliique : quos hallucinatos esse recte evincit Charasius in Pharmac. pag. 294, ubi arboris ingentis folium esse ait in Cambaiæ regno, aliisque Indiæ locis enatæ. Ante eum viderat Saracenus, in notis ad Diosc. fictitiam hanc esse malobathri descriptionem, qualis a Dioscoride, et ab iis quos Plinius commemorat, nunc affertur. Hard.

5. *Sapor ejus nardo similis*, etc. Diosc. loc. cit. Hard.

6. *A X. singulis ad CCC.* Denarius est unus Plinianis temporibus circ. 70 c. Trecenti, 191 fr. 10 c. Mox sexaginta, 42 fr. 46 c. Ed.

LX. 1. *Oleum et omphacium est.* Ὀμφάκινον Dioscoridi, I, 29; ita dictum, quia ex acerbis et immaturis uvis oleisve exprimitur. Catoni, oleum viride. Hard.

2. *Fit duobus.* Genera sunt, olea et vitis : ex singulis generibus fit oleum duobus modis. Hard.

3. *Druppa.* De hoc genere et nomine dicemus lib. XV, cap. 2. Hard.

4. *Hoc viride est, illud candidum.* Hoc, quod ex druppa fit : illud, quod ex alba. Hard.

5. *E vite.* De his vitium nominibus dicemus lib. XIV, cap. 4, et 11. Hard.

6. *Lanugine.* Hoc est, incipientis uvæ pubertate, ut dicetur XXIII, 4. Hard.

7. *Uva.* In MSS. Reg. Colb. Chiffl. etc. *juba*. Male. Hard.

8. *Melligo.* Quum ex effervescente succo ceu lanugo quædam, in ambitu lateribus vasis adhæserit, tum ea pariter demetitur. Decuti in subjectum liquorem Dioscor. jubet, III, 5; Plinius, seponi. Quid melligo esset, nec Ruellius intellexit, libro I de Nat. Stirp. pag. 269, nec ante nos alii. Hard.

9. *Reliquum corpus.* Reliquus suc-

cturni rores caventur [10]. In fictili condita melligo colligitur : subinde Cyprio ære servatur. Optima quæ rufa, acriorque et aridior. Pretium omphacio in libras [11] x. vi. Fit et alio modo, quum in mortariis uva immatura teritur : siccataque in Sole, postea degeritur in pastillos.

1 LXI. (xxviii.) Eodem [1] et bryon [2] pertinet, uva populi albæ. Optima circa Gnidum aut Cariam in sitientibus aut siccis, asperisque : secunda in Lyciæ cedro [3]. Eodem et œnanthe [4] pertinet : est autem vitis labruscæ uva : colligitur quum floret [5], id est, quum optime olet : siccatur in umbra substrato linteo, atque in cados conditur. Præcipua ex Parapotamia [6] : secunda ab Antiochia, atque Laodicea Syriæ : tertia ex montibus Medicis. Hæc utilior medicinæ. Quidam omnibus [7] iis præferunt eam, quæ in Cypro

cus e vite expressus, sive omphacium ipsum, *le verjus*. Sed hic parandi modus obsolevit. Hard.

10. *Nocturni rores caventur*. Obstant enim, quominus spissescat, cogaturque. Κωλύουσι γὰρ αἱ δρόσοι τὴν σύστασιν αὐτοῦ, Diosc. lib. III, pag. 5. Hard.

11. *In libras X. VI.* Denar. seni, 4 fr. 24 c. Ed.

LXI. 1. *Eodem*. Ad unguenta facienda, quæ ex silvis petuntur. — De bryo vid. Excurs. XII ad calcem hujus libri. Ed.

2. *Bryon*. Βρύον, quæ vox muscum sonat, Gallis *mousse* : ut diximus cap. 51. A similitudine aliqua uvam in populo alba vocat, tum hoc loco, tum libro XXIV, 34. Hard. — *Optima circa Gnidum*, etc. Optimum bryon, deinde populneum, λεύκικον ex Dioscoride; Plinius legisse videtur Λύκιον. Jam antea cap. 50 de sphagno, sive splanchno, quod idem esse puto cum bryo, Plinius disseruit. Dal.

3. *Lyciæ cedro*. De cedro Lycia, libro seq. cap. 11 : Βρύον τὸ ἐπὶ κεδρίνων εὑρισκόμενον ξύλων, quod in cedrinis lignis reperitur, commendat etiam Galenus, lib. VI. de Fac. Simp. med. pag. 166. Hard.

4. *Œnanthe*. Οἰνάνθη, inquit Diosc. lib. V, cap. 5, Καλεῖται ὁ τῆς ἀγρίας ἀμπέλου καρπὸς ὁπότε ἀνθεῖ, vitis silvestris, sive labruscæ fructus, quum floret : qui maturitatem numquam assequitur. Hard.

5. *Quum floret*. In MSS. *cum flore*. Geopon. auctor, lib. V, cap. 49 : Ληπτέον τὴν οἰνάνθην..... παρὰ τὸν καιρὸν τοῦ ἄνθους. At Galenus, VIII, 1, κατὰ τόπους, « Œnanthen appello, inquit, silvestrium germen cum floribus » : Οἰνάνθην δ' ὀνομάζω τὸ τῶν ἀγρίων ἀμπέλων ἐκβλάστημα σὺν τοῖς ἄνθεσιν. Hard.

6. *Parapotamia*. De his regionibus libro V et VI diximus. Hard.

7. *Omnibus*. Non ad medicos tan-

insula nascitur. Nam quæ in Africa fit, ad medicos tantum pertinet, vocaturque massaris. Omnibus autem ex alba labrusca præstantior, quam e nigra.

LXII. Est præterea arbor ad eadem unguenta perti- 1
nens[1], quam alii elaten[2] vocant, quod nos abietem, alii palmam, alii spathen. Laudatur Hammoniaca maxime, mox Ægyptia, dein Syriaca, dumtaxat in locis sitientibus odorata, pingui lacryma, quæ in unguenta additur ad domandum oleum[3].

LXIII. In Syria gignitur et cinnamum, quod camacum[1] 1

tnm, sed ad omnes usus. Ita MSS. non *omnis*, Hard.

LXII. 1. *Ad eadem unguenta pertinens.* Unde unguentum ἐλάτινον apnd Diosc. I, 54. Hard.

2. *Est præterea arbor..... elaten vocant*, etc. Fallitur Plinius multiplici τῆς ἐλάτης significatione. Est autem elate ad nnguenta pertinens, sive σπάθη Archigeni lib. II κατὰ τόπους, φοίνικος σκεύασιν, gliscentis palmæ floris involucrum, et tegumentum. Dalec. — *Alii elaten.* Diosc. I, 150 : Φοίνιξ, ἣν ἔνιοι ἐλάτην καὶ σπάθην, περικάλυμμά ἐστι τοῦ καρποῦ τῶν φοινίκων ἀκμὴν ἀνθούντων. « Palma quam nonnulli elaten (hæc vox Latinis et *abietem* sonat), aut spathen appellant, fructus palmarum adhuc florentium involncrum est. » Hæc in ipsam quoque arborem nomina cadere Plinius putavit: rectene an secus, an errore proprio, an eorum etiam qui ei præiverint, statuere haud proclive est. Qnin etiam, qunm ad unguenta spissanda addi lacrymam, quam hæc arbor exsudet, Plinius dicat; Diosc. ad enm usum id involncrnm adhiberi velit; non eamdem arborem utrumque descripsisse, plannm est; etsi vires in medicina utrique quædam affines. Hard. — Hic aliquid hnmanitus passus est Plinins; nec de peculiari aliqna arbore, sed de parte arboris agitur. Abies, *le sapin*, dicitur quoque elate. At hic non agitur de elate, quæ abies est; sed nt ex Dioscor. I, 150 patet, palma, qnam nonnulli elaten, aut spathen appellabant, est fructus palmarum florentinm involucrum. Eo involucro, non abiete, teste eodem Dioscoride spissescebant unguenta. In Indice hnjus libri Plinius non memoraverat abietem : inde verba illa, *quod nos abietem*, spuria esse puto. Nec abietem, sed Phœnicem elaten memorat infra Noster, XXIX, 13. Brot.

3. *Ad domandum oleum.* Ad cogendum, spissandumque. Hard.

LXIII. 1. *Camacum.* Ita MSS. Reg. Colbert. Paris. Chiffl. etc. nbi *caryopon* substituit Hermolaus. In Indice hujns libri, *Comacum*. Libro item XIII, 2, *comacum*. Paulo post, « Multum a succo vero cinnami differens » : ubi libri editi, « mnltum a surculo veri » : MSS.

appellant. Hic est succus nuci expressus, multum a succo vero cinnami differens, vicina tamen gratia. Pretium in libras, asses quadraginta [2].

« Multum masculo vero. » Salmasius parum sane apposite, in Solin. « multum a masculo viro. » HARD.

2. *Asses quadraginta*. Qui denarii quatuor, hoc est, nostratis monetæ, 2 fr. 83 c. ED.



EXCURSUS I

DE CITRO MEDICA.

Ad ea Plinii verba, cap. 7, pag. 10:

Malus Assyria, quam alii vocant Medicam, etc.

Arboris modus nostratibus in hortis modicus est. Radix ramosa, alte lateque diffusa, lignosa, corticosa, foris lutea, intus albicans. Truncus gracilis, ligno albo duroque, cortice coloris e viridi pallentis. Rami numerosi, prolixi, tenues, ductilique lentitia obsequentes: ex his vetustiores diluto virore flaventes pallidisque aculeis armati; recentiores vero læta viriditate nitidi; summa ramorum foliorumque teneritas rubente virore fusca. Folium ad juglandis folii magnitudinem accedens, persæpe obtusum, interdum etiam acuminatum, triploque fere in longitudinem quam in latitudinem porrectius, supina parte quam prona viridius, oris leviter incisis serratum, fibris a medio crassiore nervo excurrentibus venosum, nonnunquam corrugatum et veluti bullans, spisso ambitu ramos convestiens et tota hieme exornans, bene odoratum, gustatu amarum, soli si objiciatur, instar foliorum hyperici, foraminibus, vel potius punctulis translucidis undique respersum. Spina foliorum plerisque superne contigua, gemmæque finitima, acumine subrubens, cætero viridis, apprime rigida et satis longa. Flores confertim summis ramulis velut odorarium in fasciculum frequenter cohærentes, rosacei, petalis carnosis, persæpe quinis per ambitum resupinatis, foris interfusis rubore, cæterum candidis, in orbem positis, ex calyculo viridi quinquefido emergentibus constantes, albentibus flavo sub apice, staminibus numerosis bene capillati, languide olentes, gustu primo subdulcis, mox amari, partim frugiferi, exstante inter stamina longulo pistillo fructus rudimento, partim citra hoc indicium infecundi, et hi quidem cito decidui, at illi tenacius hærentes. Fructuum figura sæpius oblonga, nonnunquam globosa, fastigio alias mucronato, alias retuso, superficie rugosa tuberosaque, longitudine non raro dodrantali, imo quandoque majori; magnitudo enim varia, pondusque diversum, siquidem nonnulli ad sex, novem, imo ad triginta usque libras proveniunt. Cortex exterior coriaceus, tenuis, amarus et fervidus, colore primum viridi, in maturitate vero aureo seu citrino, odore fragranti: cortex interior seu caro crassa, veluti cartilaginea, firma, candida, subdulcis, aliquantisper acida et leviter odorata, intus divisa in varia loculamenta succi acidi, vesiculis membranaceis contenti, plena. Denique semina cuique pomo complura, alicui quinquagena supra centena in medullæ vesicularis sinu inclusa, oblonga, semiuncialia, utrinque fere acuminata; duriuscula et membranacea, amara, foris flava,

7[2]

striataque cute vestita, nucleo duplici, candido, amaricante cum quadam admixta dnlcedine referta. In eadem arbore sæpe visitur eodem tempore tempestivum, et pulchre confusum ver cum pomifero autumno, pomis aliis cadentibus, aliis maturescentibus, aliis subnascentibus; sed per autumnum proveutus nberior. (Conf. ad cap. 7, notam 7 Harduini.)

In Gallo-provinciæ hortis colitur hæc arbor ab Assyria et Media primum in Græciam et inde in meridionales Europæ regiones translata. Unde fructus *mala Medica*, *mala Assyria* dicuntur. Fructus partes omnes, cortex exterior, seu flavedo citri (*zeste*), cortex interior seu caro, pulpa seu succus, et semina eximii usus sunt in medicina. Geoff. Tract. de Mater. med. tom. III, pag. 330. (Conf. etiam Linn. Mater. med. pag. 210, curante Schrebero).

Jam lectorem admonuimus ad hunc Plinii locum, ne malum Assyriam, quæ procul dubio nobis est *Citrus medica* Linn. (*citronnier*) cum *Citro aurantio* Linn. (*oranger*) confunderet. Quem in errorem delapsos esse Veterum nonnullos testantur Athenæi loca, quæ breviter hic transcribere non piguerit. Scilicet lib. II, nbi disputat an *citrium* Antiqnis cognitum: Αἰμιλιανὸς δὲ, inquit, ἔλεγεν Ἰόβαν τῶν Μαυρυσίων βασιλέα, ἄνδρα πολυμαθέστατον ἐν τοῖς περὶ Λιβύης συγγράμμασι, μνημονεύοντα τοῦ κιτρίου, καλεῖσθαι φάσκειν αὐτὸ παρὰ τοῖς Λίβυσι μῆλον Ἑσπερικὸν, ἀφ' ὧν δὲ Ἡρακλέα κομίσαι εἰς τὴν Ἑλλάδα, τὰ χρύσεα διὰ τὴν ἰδέαν λεγόμενα μῆλα. « Tum Æmilianus Jubam dixit Manritaniæ regem, virum doctissimum, in suis de Libya commentariis facta citri mentione, scripsisse apud Libyas id vocari Hesperidum malum, inde Herculem in Græciam transtulisse, aureaque vocata fuisse ejus arboris mala, ob coloris speciem. » Aliud argumentum ex Antiphane in Bœotio petunt, cujus versus apud eumdem reperiuntur Atheuæum: Καὶ περὶ μὲν ὄψον γ' ἠλίθιον τὸ καὶ λέγειν Ὥσπερ πρὸς ἀπλήστους· ἀλλὰ ταυτὶ λάμβανε, Παρθένε, τὰ μῆλα. Καλά γε δῆτ' ὦ θεοί. Νεωστὶ γὰρ τὸ σπέρμα τοῦτ' ἀφιγμένον εἰς τὰς Ἀθήνας ἐστὶ παρὰ τοῦ βασιλέος. Παρ' Ἑσπερίδων ᾤμην γε, νὴ τὴν φωσφόρον· φασὶν τὰ χρυσᾶ μῆλα ταῦτ' εἶναι τρία Μόν'. Ἔστιν ὀλίγον τὸ καλὸν, ἔστι πανταχοῦ καὶ τίμιον. « De obsonio quidem stultum est quidquam apud vos dicere tanquam ad iusatiabiles, sed hæc accipe, o virgo, mala. — Pulchra quidem dii boni. — Nuper semen hoc pervenit Athenas a magno Persarum rege. — Ab Hesperidihus credidi, sic mihi Lucifera propitia sit: aurea hæc mala tria esse inquiunt tantummodo. — Paucum est quod pulchrum et ubivis in honore. » Bodæus miratur Athenæum de citrio et Hesperidum malo seorsim egisse, si eadem sunt. Jubæ auctoritati opponit Democriti judicium apud eumdem Atheuæum loco citato: Πρὸς τούτους ἀποβλέψας ὁ Δημόκριτος, ἔφη, εἰ μέν τι τούτων Ἰόβας ἱστορεῖ, χαιρέτω Λιβυκαῖσι βίβλοις, ἔτι δὲ ταῖς Ἄννωνος πλάναις· ἐγὼ δὲ τὸ μὲν ὄνομα οὔ φημι κεῖσθαι τοῦ κιτρίου παρὰ τοῖς Παλαιοῖς τοῦτο, τὸ δὲ πρᾶγμα ὑπὸ τοῦ Ἐρεσίου Θεοφράστου οὕτως λεγόμενον, ἐν ταῖς περὶ φυτῶν ἱστορίαις, κ. τ. λ. « Hos sic loquentes Democritus commodum intuitns, si quid hornm, inquit, Juba narrat, valeto cum libris suis Libycis, prætereaque Hannonis erroribus: ego vero pernego citrii nomen exstare apud

Veteres, at ipsa res descripta prorsus ab Eresio Theophrasto in plantarum historiis, etc. » Jubæ igitur auctoritas nulla. Certe, si Medicum malum a Veteribus vocatum fuisset *citrium* vel Hesperidum, id prodidisset Theophrastus, qui plura hujus mali nomina recenset. Satis clare Dioscorides a Romanis *citrii* nomen impositum ait. Insuper malum medicum Veterum nemo in Africa nasci, vel inde afferri tradidit, sed in Media et Perside, vel Assyria, ut scribit Plinius. Unde arbor Plinio Assyria malus dicitur. Malum Medicum Theophrasti sæculo valde rarum, vile Hesperidum. Quod vel ex lib. VI de Caus. cap. 25, apparet; ubi tamquam in transitu, ac vulgaris, omnibusque notæ arboris Hesperidum mali meminit: « Πλὴν εἴ τινων ὀσμαὶ καὶ πεπάνσεις τοῦ ἀέρος σύμμετροι πρὸς τὰς ὀσμὰς (τὴν ὥραν alii) καί ἐστιν ἐπὶ τῆς Ἑσπερίδος καλουμένης, αὕτη γὰρ τῆς νύκτος ὄζει μᾶλλον ἢ καθ' ἡμέραν. « Præterquam si qua suos odores maturitatesque tempore alio capere solent, aut cæli temperies aliqua ad odores conficiendos accommodata contingat, sicut malus cui nomen *Hesperis*; hæc enim noctu plus redolet, quam interdiu »... Quum itaque Theophrastus medica mala optime depingat; nec Hesperidum, nec aureorum mentionem faciat, nec dicat, Græciæ jam olim ab Hercule illata, non potest sibi persuadere Bodæus quæ Juba post commentus est, præsertim quum ab antiquis Græcis κίτρια vocata scribat, quod falsum supra demonstratum est.

Versus Antiphanis si quis recte perpenderit, animadvertet puellam flocci pendere aurea mala, ac nullius pretii æstimare, et ea quæ de aureis malis ferebantur, ad punica mala, a Venere in Cypro plantata detorquere. Versuum Antiphanis hic sensus: Commendat Bœotius rusticum et exile suum donum: quod ut magis faciat, non de vulgari cotoneorum genere (hæc enim sunt *aurea mala*, ut mox dicetur), mala se afferre inquit, sed omnium longe pulcherrima; quippe semen a Perside allatum... Quod autem a rege magno semen missum dicat, salsam, contumeliosam et amarulentam habet in Athenienses accusationem, eos nimirum qui regiis pecuniis, quas per mala aurea indicat, se sinerent corrumpi... Quod si Antiphanis jam sæculo arbor hæc familiaris apud Græcos fuisset, ut etiam rusticus inde mala sibi compararet, multo ante Virgilii ævum in Italiam allata fuisset... Medicum autem malum neutiquam hac in regione fuisse, ex his Maronis versiculis cognosci potest: « Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta Aurea mala decem misi; cras altera mittam. » Quid? *citria*ne, sive mala medica decem, ac altera decem pauper Menalcas mitteret, quæ ne in ipsius quidem Augusti imperatoris, ac totius terrarum domini, hortis tunc temporis crescebant? Claudii Cæsaris temporibus *citrum* in Italia necdum fuisse cultam ex eo probari potest, quod Columella quomodo serenda ac tractanda sit, memoriæ non prodiderit. Pastoris non erat *citria* decem, ex Perside magnis sumptibus advecta, ære suo comparare; nec ipse pastor, ut tale quid suspicemur, locum ullum relinquit, dum ait se aurea mala nec emisse, neque ex culta domesticaque arbore legisse, sed e *silvestri* decerpsisse. Quærendum ergo pomum aureum, vile et silvestre. Tale est *cydoneum*, cujus genus aliquod

a Plinio ab aureo colore, χρυσόμηλον dicitur, lib. XV, c. 10. Quid autem de *malis aureis* Virgilii senserit Propertius, libet transcribere: « Cedite Romani scriptores, cedite Graii, Nescio quid majus nascitur Iliade: Tu canis umbrosi subter pineta Galesi Thyrsin, et attritis Daphnin arundinibus; Utque decem possint corrumpere mala puellam, Missus et impressis hædus ab uberibus. Felix qui viles pomis mercaris amores, etc. » Nemo non videt vilia esse mala, quæ aurea Virgilius dixit, minime ex Perside, Media aliave Asiatica regione maximis expensis comparata. Cydonia, mala esse aurea, in elegia, qua puellarum sui ævi avaritiam reprehendit, idem Propertius adeo clare docet ut nulla dubitandi videatur superesse occasio: « Felix agrestum quondam pacata juventus, Divitiæ quorum messis et arbor erant. Illis pompa fuit decussa *cydonia* ramo, Et dare puniceis plena canistra rosis. » Confer. Bodæus a Stapel not. in Theophr. lib. IV, cap. 4.

Fuere olim et sunt hodieque commentatores nonnulli, qui, re attentius perspecta, malum, quam Plinius *Assyriam* nuncupat, *Medicam* Virgilius, a *Citro aurantio* diversam censeant; sed pertinacius contendant poma, quæ dicuntur *oranges*, eadem esse omnino cum iis de quibus Virgilius, Eclog. III, 70, 71: « Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta Aurea mala decem misi, etc. », et Eclog. VI, 61: « Tum canit Hesperidum miratam mala puellam. » (Vid. tom. I, pag. 112 et 162 edit. nostræ.)

« Etenim, inquiunt, quodnam aliud fructuum genus *aureorum* malorum nomine Veteres insignivissent, præter *Citrum aurantium*? Neque profecto *Citrum medicum* intellexere, *tristis succi, tardique saporis* arborem (Virgil. Georg. II, 126, tom. I, pag. 357 edit. nost.), cui « *fortunatorum nemorum* locum *inter amœna vireta* » (Virgil. Æneid. VI, v. 739) datum fuisse vix quisquam crediderit. Neque Goropius Becanus audiendus est, quem vir doctrinæ minime spernendæ Gallesius auctorem inducit, Romæ videlicet repertam fuisse quamdam Herculis statuam, tenentis manu tria mala, cotonea Veteribus dicta, nobis *coings*; unde appareret *mala* illa *aurea* Virgilii nihil aliud fuisse quam dona *Pyri cydoniæ* L. subalbidi partim, partim subflavidi fructus. Sed mali istiusmodi color quam tristis! quam male aptus ad oculos regiæ puellæ percellendos nitor! Neque etiam morandi sunt qui *Citrum aurantium* in regionibus illis nasci negant, ubi *beatas sedes* poetæ collocaverunt: nam illæ ubi essent, aut esse fingerentur, nullo modo Veteribus satis liquet, nedum recentioribus. »

Ea sunt fere argumenta quibus *aurantium* nostrum Antiquis notum pauciores docti probare conantur. Attamen doctissimorum recentioris ævi scriptorum sententiæ non adhærere non possumus. Plurima enim exstant historicorum testimonia, tempus certo definientium, quo primum in Europam malus Assyria transvecta fuit, nempe non sexto aut septimo, ut dictum est not. 2, cap. 7, sed nono fere post Virgilium sæculo. Et in hoc consentiunt viri rei herbariæ peritissimi, MURRAY, DESFONTAINES, etc. *aurantium* non solum a Veteribus agnosci potuisse, sed etiam ex iis, quas nobis reliquere, descriptionibus, patere fructum illum longe a variis

citri speciebus diversum esse. Neque adducendum fuisse putant Virgil. locum sup. cit. « Aurea mala decem misi, etc. » Quum enim *Citrum medicam* nemo Latinorum ante Palladium noverit (vid. not. 7, cap. 7), coIueritque, nondum ea *silvestris* Italiæ arbor esse potuit. Cæterum vide Gallesii Tractat. de *Citro* medica; conf. quoque ad eumdem Virgilii locum Martin. qui poma Punica (*Punicæ granati* fructus) forsan ibi significari non temere contendit. Ad hoc minime probabile est Virgilium, qui malum medicam tam diligenter et accurate describit Georg. II, vs. 121, de *Citro aurantio* prorsus tacuisse, aut certe speciem illam a congeneribus non certis quibusdam notis discrevisse; idem de aliis apud Romanos Geoponicis dicendum. Accedit quod Theocritus, quem Virgilius Eclog. III imitatus est, lib. III, 10, simpliciter μᾶλα dicit, ut epitheton Maronianum adeo tantum ornatus causa adjectum, et τὸ *aurea* idem esse ac τὸ *pulchra* videri possit.

Postremo nulli dubitamus ad hunc locum arripere verba, quæ litem adhuc ambiguam prorsus dirimunt, Viri in lingnarum Orientalium scientia versatissimi, qui luculentissimam (*Relation de l'Égypte*, *Paris*, *imprim. impériale*, 1810) Abdollatiphi historiæ ægyptiacæ compendii interpretationem edidit, notis quum ad sensum auctoris illustrandum, tum ad percipiendam rerum notitiam utilissimis locupletatam: sic enim clariss. Sylvestre de Sacy, ad cap. 1, not. 103, pag. 117: « Macrizii locum de *Citro medica* hic adducere pretium fuerit, qui sic sese habet: Masoudi in historia sua (forte pro فى التايخ, *in historia*, legendum esset فى النارنج, scilicet de *Citro aurantio loquendo*) prodidit citrum *rotundam*, non nisi post trecentesimum Hegyræ annum ex India advectam, et in hac, quæ dicitur *Oman*, regione satam: translatam inde *Busram* (*Irak*) et in Syriam, ita ut non multo post in hortis Tarsi conterminarumque urbium frequentissima fuerit, et Antiochiæ, et in Syriæ littoribus Palæstinaque et Ægypto; quibus in regionibus nemo prius arborem eam noverat. Quum vero nec eadem esset cæli temperies, nec eadem soli natura, multum nitidi coloris, multum suavis odoris, quem in India, patrio solo, servabat, perdidit. Huc usque Macrizius. Κίτρια *conica* quæ Abdollatiphus in Ægypto suis temporibus culta dicit, cum iis quæ vulgo recentioribus *bergamottes* vocantur, eadem esse puto. Quos vero in magna sua Ægypti historia fructus recenset Ebn-Ayyas, ii sunt: Citrus medica, *cablad*, Citrus medica, var. 6, *C. Limon*, Citrus aurantium, *hammadh schoairi* (forte *bigarade*)... Ibi etiam reperitur *le limon rouge français*, quem trecentesimo Hegyræ anno in Ægyptum transvectam fuisse dicit. Credo equidem citri speciem, quam *limon rouge* Ebn-Ayyas, Masoudi *citron rond* vocat, nihil aliud esse quam *Citrum aurantium* (*C. dulcem* Polyand. monog. gen. 1310 Pers. *Aurant.* Juss.). » De varietatibus, vid. *Encyclopéd. Botaniq.* tom. IV, pag. 579.

EXCURSUS II

DE LANIGERIS SERUM ARBORIBUS.

Ad ea Plinii verba, cap. 8, pag. 12, et cap. 21, pag. 32:

« *Lanigeras Serum in mentione gentis ejus narravimus* ». Eodem lib. cap. 21: « *Ejusdem insulæ (Tyli) excelsiore suggestu lanigeræ arbores, alio modo quam Serum. His folia infecunda; quæ ni minora essent, vitium poterant videri. Ferunt cotonei mali amplitudine cucurbitas, quæ maturitate ruptæ, ostendunt lanuginis pilas, ex quibus vestes pretioso linteo faciunt. Arbores vocant gossympinos*, etc.

Nemini dubium est quin Plin. l. XII, c. 21, plantam designare voluerit, quam recentiores plerique Gossypium arboreum appellant (*le coton*), nisi fuerit Gossypium herbaceum, quod in Barbariæ desertis ligneum fieri, et altitudine in senos et ultra pedes excrescere auctores sunt Clar. nostrates Desfontaines et Delille. Jam nos libri hujus cap. 21, not. 10, pag. 33, quas ad species revocanda essent gossympinorum apud Veteres genera, strictim indicavimus; duximus tamen operæ pretium fore, varias auctorum opiniones, quas nostrarum notularum angustiæ non caperent, de *gossypio* ac *serico* disquirere.

Prima de *Gossypio arboreo*, et *Bombace gossypino* in sacris paginis mentio occurrit, quæ, ut jam diximus, ex antiquis inde temporibus in Ægypto culta, lanam *xylinam* largiebantur, e qua pretiosam *byssum* Ægyptii texebant. Duplici nomine, בַּד antiquo copiose, בּוּץ recentiori semel Paral. XV, 23, byssus ea citatur. (Cf. Spreng. Hist. rei herb. I, p. 15.) Byssum apud Indos lini genus ait Pollux, lib. VII, cap. 17: Καὶ τὰ βύσσινα, καὶ ἡ βύσσος λίνου τι εἶδος παρ' Ἰνδοῖς. Eamdem Philostratus, Vit. Apoll. lib. II, cap. 20, et Pausanias, lib. V, cap. 5, ex arbore colligi tradunt: colore autem esse flavo aureoque Pausanias: Θαυμάσαι δὲ ἄν τις ἐν τῇ γῇ Ἠλείᾳ τήν τε βυσσὸν, ὅτι ἐνταῦθα μόνον, ἑτέρωθι δὲ οὐδαμοῦ τῆς Ἑλλάδος φύεται... ἡ δὲ βυσσὸς τῇ Ἤλει, λεπτότητος μὲν εἵνεκα οὐκ ἀποδεῖ τῶν Ἑβραίων, ἔστι δὲ οὐχ ὁμοίως ξανθή.

Herodotus, Thalia, lib. III, cap. 106, primus apud Græcos de gossypio Indico meminit: Τὰ δὲ δένδρα τὰ ἄγρια αὐτόθι φέρει καρπὸν εἴρια καλλονῇ τε προφέροντα, καὶ ἀρετῇ τῶν ἀπὸ τῶν οἴων· καὶ ἐσθῆτι οἱ Ἰνδοὶ ἀπὸ τούτων τῶν δενδρέων χρέωνται. « Agrestes arbores illic pro fructu lanam ferunt,

ovillæ tum pulchritudine, tum bonitate præcellentem, et ab his arboribus veste Indici utuntur. »

Arrianus in Indicis de eadem hac arbore loqui videtur: Σιτέεσθαι δὲ τῶν δενδρέων τὸ φλοιόν· καλέεσθαι δὲ τὰ δένδρα ταῦτα τῇ Ἰνδῶν φωνῇ τάλα· καὶ φύεσθαι ἐπ' αὐτῶν, καθάπερ τῶν φοινίκων ἐπὶ τῇσι κορυφῇσιν, οἷάπερ τολύπας. « Arborum corticibus Indi vescuntur : vocantur autem eorum lingua arbores *tala*. Innascitur iis quemadmodum in summitatibus palmarum, glomera, id est, pila lanigera. » Quum ait Arrianus, καθάπερ τῶν φοινίκων ἐπὶ τῇσι κορυφῇσι, noluit dicere tamquam in summitatibus palmarum, ita in laniferarum arborum vertice τολύπας istas gigni, aut quod magis absurdum, summitates palmæ arboris, tales laneas ferre pilas, aut illas arbores summas nescio quid simile palmarum fructui producere : sed voluit græcus auctor, τολύπας illas, sive lanæ globos, summo vertici earum arborum lanigerarum sic vulgo innasci, ut dactyli proveniunt in summitate palmarum arborum. Neminem botanicorum latet, palmam arborem ἀκρόκαρπον esse, fructumque tantum ferre in summitate. Sed et palmarum fructus nonnihil similitudinis habet cum nucleo, sive nuce lanigeræ arboris. Nam spatha tectus est, quæ connivet et clausa habetur, priusquam maturescat dactylus, deinde expanditur maturitate et dehiscit. Ita etiam arborum laniferarum nux, sive calyx, in quo lana continetur, ante maturitatem clausus est; demum ubi maturitatem adeptus est, panditur, dehiscit, ac rumpitur.

Theophrasti locum jam laudavimus cap. 22, not. 2, pag. 34, ubi apud Indos et Arabas gossypium nasci testatur, Plinio suffragante, lib. XIX, cap. 1 : « Superior pars Ægypti in Arabiam vergens gignit fruticem, etc. » Alpinus de plant. Ægypt. cap. XVIII : « Gossypium Ægyptii ad ipsorum usum aliunde afferunt. Neque enim apud ipsos herbacea illa planta, ex qua Syri, vel Cypri gossypium colligunt, adnascitur. Sed tantum quæ arboreus frutex est, quæque tantum in quibusdam provenit viridariis. » Ergo in ipsa Ægypto non nascitur, sed in Ægyptum affertur, ex Arabia scilicet. Quum *alio modo quam Serum* Plinius subjungit, significare videtur eo, quo scribebat, sæculo, *sericum* a *bombycino* distinctum fuisse. (Interiorem gossypii lanuginem *bombycem* vocat Plinius, lib. XIX, cap. 1.) Bombycinum vocabatur, quod ex bombyce contexebatur; vestes ex bombycino paratæ, promiscuæ erant viris et mulieribus. Sericum vero dicebatur, quod a Seribus invehebatur, eratque in multo majore pretio. Viros vestes sericas gestare non licebat, solis id feminis concessum. Dio : Τιβέριος ἀπεῖπε ἐσθῆτι σηρικῇ μηδένα ἄνδρα χρῆσθαι. « Tiberius Cæsar edicto promulgavit, ne quis vir serico vestimento indutus foras prodiret. » Plinius lib. VI, cap. 20 : « Tam multiplici opere, tam longinquo orbe, petitur, ut in publico matrona transluceat. » Seneca, epist. CXXII : « Nonne videntur tibi contra naturam vivere qui commutant cum feminis vestem ? » et epist. CXIV : « Quod vides istos sequi... qui lacernas coloris improbi sumunt, qui perlucentem togam. » Apud Tacit. Annal. lib. III, cap. 53, Tiberius accusat « promiscuas viris et feminis vestes. » Plinius

iterum lib. XI, cap. 27 : « Nec puduit has vestes (de Cois loquitur) usurpare etiam viros, levitatem propter æstivam. In tantum a lorica gerenda discessere mores, ut oneri sit etiam vestis. » Plura etiam petantur e Clem. Alexand. Pædag. III, 3, cujus index, πρὸς τοὺς καλλωπιζομένους τῶν ἀνδρῶν.

Quod si diligenter ad bombycis Coæ et sericei fili a Seribus invecti historiam attendamus, quæ Plinius de utroque tradit, animadvertemus et Coam bombycem, et sericeum filum eamdem rem esse. Probat hanc sententiam, quod ætate Solini et Martiani Capellæ sericum a bombycino non discernebatur. Nam sericum e bombyce fieri omnibus tunc persuasum fuit; nec bombycini alterius usus. Hinc *sericum* dixere Solinus et Martianus pro veste e bombyce, ut ipse Plinius : quum tamen ejus tempore magna esset bombycini differentia. Bombycem non solum vocavere quæ ex vermibus *bombycibus* dictis texebatur, sed molliorem omnem lanæ linique lanuginem, ut supra ex Plinio notavimus : « cujus ex interiore bombyce lana netur. » Bombycem hodie vocant vermem qui sericum net. Hujus etiam meminit Pollux, lib. VII, cap. 17 : Τὰ δὲ ἐκ βομβύκων· σκώληκές εἰσιν οἱ βόμβυκες ἀφ' ὧν τὰ νήματα ἀνίενται, ὥσπερ ὁ ἀράχνης· ἔνιοι δὲ καὶ τοὺς Σῆρας ἀπὸ τοιούτων ἑτέρων ζώων ἀθροίζειν φασὶ τὰ ὑφάσματα. « Aliud ex bombycibus fit; sunt autem bombyces, qui telas ad modum araneorum texunt vermes; nonnulli Seres ab hujusmodi animalculo, colligere telas volunt. » Servius apud Seres vermiculos esse prodit, qui bombyces dicuntur. Alia Strabonis de serico sententia, lib. XV : Τοιαῦτα δὲ καὶ τὰ σηρικὰ ἔκ τινων φλοιῶν ξαινομένης βύσσου. « Serica etiam ejusdem generis esse, bysso scilicet e corticibus quibusdam excarminata. » Doctissimi autem viri Strabonis codicem corruptum scribunt, et legunt ἀντὶ φλοιῶν, φύλλων, foliis videlicet. Huic lectioni favet admodum Virgil. Georg. II, 121 : « Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres. » (Conf. ad hunc locum Virgil. tom. I, pag. 356 edit. nost. ibique notam. Brotier. Diss. *Mémoires de l'Acad. des Inscript.* tom. XLVI.) Plinius lib. VI, cap. 20 : « Seres lanicio silvarum nobiles, perfusam aqua depectentes *frondium* canitiem, unde geminus feminis nostris labor, redordiendi fila, rursumque texendi, etc. » At idem ubi de arboribus miræ naturæ agit : « Ne quis jam sericarum arborum lanata *folia* miretur, etc. » Ex ipso stipite colligi Claud. canit, I, 179 : « Stamine quod molli tondent de stipite Seres. » Cæterum quod vulgo sericum (*la soie*) vocamus, ab animalculo, bombyce (*ver à soie*) dicto, generatur in mori arboribus; quod non satis liquido Veteribus notum fuisse constat. Visa sunt ex Perside allata mori albæ folia convoluta, vellere sericeo undique obducta, quod bombyx intus occultatus neverat; ita ut conjectari possit Plinium, quum liniferam ex Theophrasto describit arborem, ac mori folia ei tribuit, nihil nisi *Morum albam* (*Monœc. tetrand.* gen. 2062, Pers. *Urtic.* Juss.) describere; Theophrastum autem rem ab Alexandri Magni comitibus non satis fideliter narratam accepisse, vel negligentius observata principio fuisse, quæ

ad serici pertinent historiam. Conf. sup. lib. XII, cap. 13, not. 3. Bod. a Stapel not. in Theophr. lib. IV, cap. 9, pag. 426.

Neque hic transcribere piget, quæ de serico, nostra quidem sententia felicissime annotavit vir doctrina judicioque minime contemnendus : «Les Romains qui n'avaient point de commerce immédiat avec la Chine, et chez qui la soie n'arrivait qu'après avoir passé par bien des mains étrangères, avaient entendu dire qu'on la recueillait sur les arbres, d'où ils concluaient qu'elle était la production des arbres mêmes. Or nous savons aujourd'hui que l'on trouve à la Chine une espèce de ver aussi commune que le sont les chenilles en Europe, qui se nourrit et se métamorphose sur toutes sortes d'arbres, et une autre qui couvre de ses fils les arbres mêmes. Les étoffes de soie que les Romains achetaient au poids de l'or, n'étaient que des gazes qui laissaient voir ce qu'elles paraissaient couvrir. Outre la raison de bienséance, une sage politique engageait les Romains à interdire la soie. Ils craignaient avec raison que le libre achat de cette précieuse marchandise ne fît passer aux extrémités de l'Orient des sommes immenses qui ne reviendraient pas à l'empire. Il me semble que la nature en donnant la soie au genre humain nous a fait un présent très-équivoque. Si d'un côté la soie est une source d'agréments, de commodités et de richesses, de l'autre elle est nuisible aux progrès de l'agriculture. Plus l'usage de la soie est commun, moins on a besoin de laine, moins on nourrit de troupeaux, moins on a d'engrais pour fertiliser les terres. Cette raison, quoique vieille, n'en est pas moins sensée. C'était elle qui avait prévenu le sage Sully contre les manufactures de soie. Peut-être ne devrait-on les admettre que dans des pays stériles, ou dans ceux qui regorgent d'habitants et de cultivateurs, comme la Chine.» LABLETTERIE.

Nonnulli videntur auctores (conf. not. 10, p. 34) *Gossympinos* Plinii arbores, vel *cynas*, ad *Bombacem ceibam*, aut *B. gossypinum* retulisse, quod ad hunc locum jam notavimus. Falso : nam ut Clar. nostras Fontanesius animadvertit, setas *ceiba* breviores habet, quam ut ex eis telæ confici possint; nec dubium est quin Plinius gossypium recentioribus apprime notum hic significare voluerit, ut ex ejus descriptione patet.

EXCURSUS III

DE EBENO.

Ad ea Plinii verba, c. 8, p. 13:

Unam (arborem) *e peculiaribus Indiæ Virgilius celebravit ebenum, nusquam alibi nasci professus. Herodotus eam Æthiopiæ intelligi maluit*, etc.

De ebeno sic Herodotus lib. III, Thalia, n. 97: Αἰθίοπες οἱ πρόσουροι Αἰγύπτῳ, τοὺς Καμβύσης ἐλαύνων ἐπὶ τοὺς Μακροβίους Αἰθίοπας κατεστρέψατο· οἵ περί τε Νύσην τὴν ἱρὴν κατοίκηνται, καὶ τῷ Διονύσῳ ἀνάγουσι τὰς ὀρτάς· οὗτοι οἱ Αἰθίοπες καὶ οἱ πλησιόχωροι τούτοισι... οὗτοι συναμφότεροι διὰ τρίτου ἔτεος ἀγίνεον, ἀγινέουσι δὲ καὶ τὸ μέχρι ἐμεῦ, δύο χοίνικας ἀπύρου χρυσίου, καὶ διηκοσίας φάλαγγας ἐβένου, κ. τ. λ. « Æthiopes Ægypto contermini, quos Cambyses in expeditione contra Macrobios Æthiopes sumpta subegit, quique sacram Nysam incolunt, et Baccho dies fastos agunt, isti Æthiopes eorumque finitimi.... horum utrique tertio quoque anno portabant, portantque ad meam usque memoriam, binos chœnicas auri non igniti, et ducentas trabes ebeni, etc. » Locus Virgilii exstat Georgic. II, 116 et 117: « Divisæ arboribus patriæ; sola India nigrum Fert ebenum; solis est thurea virga Sabæis. » Male poeta solam Indiam ebenum nigrum ferre cecinit, ut annotavit Plinius, sententiam suam auctoritate Herodoti confirmans. Pro Virgilio dici potest, Indiæ nomen ab eo late accipi, ut omnem Æthiopiæ plagam eadem denominatione comprehendat.

Theophrastus lib. IV, cap. 5, quem sequi Maro loco citato videtur, unam quoque e peculiaribus Indiæ arborem dixit ebenum: Ἴδιον δὲ καὶ ἐβένη τῆς χώρας ταύτης. Ταύτης δὲ δύο γένη· τὸ μὲν, εὔξυλον, καὶ καλὸν, τὸ δὲ φαῦλον· σπάνιον δὲ τὸ καλὸν, θάτερον δὲ πολὺ, κ. τ. λ. « Ebenus quoque vernacula est ejus regionis. Hujus duo genera constant, alterum materie laudatum, alterum vile vitiatumque. Rarum quod præstantius, reliquum permultum habetur. »

Plinius quoque duo genera esse testatur, ut supra diximus. Idem facit Dioscorides, lib. I, cap. 129; sed duo hæc genera in India reperiri non docet: nec duo Indicæ ebeni genera tradit, sed alterum Æthiopicum, alterum Indicum. Et de Æthiopum ebeno, cujus non meminit Theophrastus, hæc tradit: Ἔβενος κρατίστη ἡ Αἰθιοπικὴ καὶ μέλαινα, καὶ μὴ ἔχουσα κτηδόνας, ἐμφερὴς κέρατι εἰργασμένῳ τῇ λειότητι, κ. τ. λ. « Ebenus optima censetur Æthiopica, nigra, venarum pectinumve expers, cornu elaborato similis lævore, etc. » Κτηδόνας ma-

culas exponere videtur Isiodorus, quum ait, « Æthiopicum vero quod præstantius accipitur, in nullo est maculatum, sed est nigrum, læve et corneum. » Κτηδόνες non sunt maculæ, sed venarum in arboribus et eorum materia cursus, pectines, per longitudinem rectæ pectinum modo lineæ et intervalla, venæ lineatim discurrentes pectinum modo. Plinius κτηδόνας, *venarum cursus* vertit lib. XVI, cap. 76: « Communia his pinoque, ut quadripartitos venarum cursus bifidosque habeant. » Hæc ex Theophrasto, lib. V, cap. 2. Vulgare ebenum non esse Æthiopicum Dioscoridis vel his argumentis probatur; quod gustu non sit mordax, nullam dum manducatur ostendit acrimoniam, nullum igni injectum emittit odorem, nec ullam pinguedinem, si accendatur, fundit. Malunt alii Guiacum ebenum Æthiopicum esse, quod igni injectum odorem spirat bonum et jucundum, multa pinguedine scatet, eamque prunis injectum exsudat. Sed quum non sit nigra materia, nec venas discurrentes pectinum modo habeat, nomen ebeni non meretur. Conf. ad hunc locum Bod. a Stapel not. in Theophr. lib. IV, cap. 5.

Ex Herodoti loco sup. citat. colligi potest, quam pretiosa fuerit in Perside ebeni materia; sed non clarior inde Plinii sententia elucet. Videtur ebenum palmis annumerare; ideoque imperatam Æthiopibus innuit, quod vix aliud quidquam eorum regio ferret quam palmas. Recentiores tamen auctores pro ebeno Veterum accipiunt *Diospyron ebenum* sive *D. ebenastrum* (an *D. melanoxylon?* Linn. *Diœc. octand.* gen. 2250, Pers. *Guiacan.* Juss. Fay, Flor. Virgil. tom. VIII, pag. 48 edit. nost.), quæ a palmis longe distat. Truncus enodis, lignum minime venosum; cæteri qui apud Antiquos occurrunt characteres, ambigui et parum certi, rem in dubio linquunt. Indica fortasse ebenus, una et altera species Diospyri fuit; Æthiopica, arbor aliqua nobis ignota forte e palmarum familia. Mithridaticam autem tertiam quamdam fuisse necesse est; nam quid Mithridati commune cum Æthiopibus et Indis? Cæterum niger ligni color facile potuit apud Veteres diversissimis arboribus idem *ebeni* nomen imponere. Triumphatam illam ebeni speciem *Ebenum creticam* Linn. fuisse crediderim (*Anthyllis? cretica*, *Diadelph. decand.* gen. 1695, Pers. *Legum.* Juss.). Alteram vero ebeni speciem de qua Plinius: « Alterum fruticosum cytisi modo, » an revera ad cytisum pertineat, dubito. Nec tamen cogitandum, ut quidam volunt, puto de *Cytiso laburno* (*Diadelph. decand.* gen. 1721, Pers. *Legum.* Juss.), quæ apud nos *faux ébénier* vulgo dicta, colitur; in Italia, Sabaudia, Helvetia sponte frequens. *Ebenus cretica* L. etiam Theophrasto cytisus est. Conf. de ebeno Veterum ac Recentiorum Whitelau Ainslie, Materia medic. *Madras*, 1813; Fay, Flor. Virgil. p. 48, tom. VIII edit. nost. De « spina indica simili, sed deprehensa vel lucernis, igni protinus transiliente, » nihil adhuc satis certi reperimus, quanquam de cactorum aliqua specie nonnullos perperam cogitavisse arbitramur.

EXCURSUS IV

DE PIPERE ET ZINGIBERI.

Ad ea Plinii verba, cap. 14, pag. 20 :

Passim vero quæ piper gignunt, juniperis nostris similes, etc.

De pipere sic Theophrastus, lib. IX, cap. 22 : Τὸ δὲ πέπερι καρπὸς μέν ἐςι· διττὸν δὲ αὐτοῦ τὸ γένος· τὸ μὲν γὰρ ςρογγύλον ὥσπερ ὄροβος, κέλυφος ἔχον καὶ σάρκα καθάπερ αἱ δαφνίδες, ὑπέρυθρον· τὸ δὲ ὑπόμηκες, μέλαν, σπερμάτια μηκωνικὰ ἔχον· ἰσχυρὸν δὲ πολὺ τοῦτο μᾶλλον θατέρου. « Piper fructus est ejus; genera duo : unum enim rotundum, ervi modo, tegmine carneque constans : sicut laurina bacca, subrutilum. Alterum oblongum, nigrum, semina papaveris continens: longe hoc validius altero. » De eodem Dioscorides, lib. II, cap. 189 : Πέπερι δένδρον ἱςορεῖται φυόμενον ἐν Ἰνδίᾳ, βραχύ· καρπὸν δὲ ἀνίησι, κατ' ἀρχὰς μὲν προμήκη καθάπερ λοβούς, ὅπερ ἐςὶ μακρὸν πέπερι· ἔχον τὸ ἐντὸς κέγχρῳ παραπλήσιον, τὸ μέλλον ἔσεσθαι τέλειον πέπερι· ὅπερ κατὰ τοὺς οἰκείους καιροὺς ἀναπλούμενον, βότρυς ἀνίησι, κόκκους φέροντας οἵους ἴσμεν· τοὺς δὲ καὶ ὀμφακώδεις, οἵτινές εἰσι τὸ λευκὸν πέπερι, εὔθετοῦν μάλιςα εἰς τὰ ὀφθαλμικὰ καὶ ἀντιδότους, καὶ θηριακὰς δυνάμεις. Ἔςι δὲ τὸ μὲν μακρὸν ἐπιτεταμένον τῇ δήξει, καὶ ὑπόπικρον, διὰ τὸ ἄωρον, καὶ ἐπιτήδειον εἰς τὰς ἀντιδότους, καὶ θηριακὰς δυνάμεις. Τὸ δὲ μέλαν, ἥδιον καὶ δριμύτερον τοῦ λευκοῦ, καὶ εὐςομώτερον, καὶ μᾶλλον διὰ τὸ εἶναι ὥριμον ἀρωματίζον, εὐχρηςότερόν τι εἰς τὰς ἀρτύσεις. « Piper brevis arbor esse traditur in India nascens, quæ quidem fructum promit inter initia oblongum, siliquarum instar, quod longum piper. Is habet intus aliquid milio simile, quod tandem in perfectum piper evadit. Et ille quidem suis temporibus dehiscens paudensque sese, racemos emittit grana ferentes, qualia novimus: e quibus nonnulla acerba et immatura piper faciunt candidum, aptissimum remediis oculorum, antidotis et iis medicaminibus quæ contra venenatas bestias parantur; theriaca vocant. Est porro longum, intensa mordacitate præditum et subamarum, quoniam immaturum: antidotis itidem et theriacis medicaminibus accommodatum. At nigrum albo suavius est, acrius, orique ac magis aromaticum, propterea quod tempestiva maturitate collectum est; quin et ad condimenta utilius est. » Comparat græcus auctor piper longum siliquis, quia est oblongum, siliquæ modo, et quod grana intus contineat; sed non addit quibus siliquis sit simile. Plinius Dioscoridem non bene assecutus videtur; quum tradit hoc loco in piperis longi siliquis parvis esse semina quæ a junipero distant parvulis siliquis, quales in phaseolis videmus. Pisi est similior. (Conf. infra descriptionem piperis a doctiss. GEOFF. pag. 111.)

Piper antiquitus notum fuisse constat; Plutarchus tamen in obsoniis apud Veteres nsum uullum habnisse scribit Sympos. lib. et Quæst. IX: πολλὰ γὰρ τῶν ἀγεύςων καὶ ἀβρότων πρότερον, ἥδιςα νῦν γέγονεν, ὥσπερ οἰνόμελι καὶ μήτρα· λέγουσι δὲ μηδὲ ἐγκέφαλον οὕτως διὰ τὸ ῥίπτειν καὶ ἀποβάλλειν, μυσαττομένους πρὸς εἰπόντα· σικύου δὲ καὶ πέπωνος καὶ μήλου μηδικοῦ, καὶ πεπέρεως πολλοὺς ἴσμεν ἔτι τῶν πρεσβυτέρων γεύσασθαι μὴ δυναμένους. «Quippe multa eorum quæ gustari olim et comedi non solebaut, nunc pro suavissimis haberi videmus; qualia sunt vino-mel et vulva; quin et cerebrum autiquitus abominabantur et projiciebant; uude factum ut Achilles ei Agamemnonem compararet. Novimus etiam adbuc multos antiquorum gustare syciopepouem, malum medicam, et piper non sustinuisse.» Quod utrum de pipere verum sit, asserere non ausim. Martialis antiquior Plutarcho piper oleribus admisceri solere auctor est, lib. XIII, ep. XIII, 1: «Ut sapiaut fatuæ fabrorum prandia betæ, O quam sæpe petet vina, piperque coquus.» Notum adagium: Τὸ ἐν λαχάνοις πέπερι, «iu oleribus piperi.» Ex altero tameu discimus non vulgare fuisse piper addere oleribus, «Qui multum habet piperis, etiam oleribus admiscet.» Non itaque omnes admiscebaut, sed ii tantum quibus largior erat copia, et hoc voluisse videtur Bilbilitanus betam insipidam esse, nisi viuum piperque addatur, quod fabris aliisque fortunæ tennioribus, uon licebat. Quoad Dioscoridis locum pertinet, plura hic in considerationem veniuut, quæ ex Bodæo transcribere, ut sæpissime solet, nos non piguerit. (Conf. Bod. a Stapel not. iu Theophr. lib. IX, cap. 22, pag. 1179 seqq.)

Qualis planta sit ex iis quæ ex Garcia ipsaque Batavorum experientia diximus, quilibet facile percipere potest. Plin. lib. XII, c. 14: «Passim vero quæ piper gignunt juniperis nostris similes, quanquam in fronte Caucasi solibns opposita gigni tantum eas aliqui tradidere.» Hunc locum, ex mente Plinii, perbelle expressit Soliuus cap. LII: «Idem fronte qua soli obversus est, arbores piperis ostendit, quas ad juniperi similitudinem diversos fructus edere asseverant.» Atqui, inquiunt viri docti, juniperus fructus diversos uon habet; et clare Plinius semina piperis a juuipero distare testatur: sane juniperis similes idem asseverat arbores, quæ piper gignuut. Quod est falsissimum; nihil enim tam dispar ac differeus. Nec Plinius, nec Solinus piperis plantam quoad faciem figuramve similem volunt juuiperis, ut inepte Isiodorus putavit, qui piper ad similitudiuem juniperi folia babere scribit. Sed ea in re junipero piper comparat, quod uno eodemque tempore fructus ostendit maturos et immaturos. Et hæc quidem est mens Solini, qnum diversos fructus edere ait. Qnod tamen, uti ex Garcia audivimus, fabulosum est. «Credunt tamen (et recte, ut diximus cap. 14, uot. 2) docti piper album quod ad uos advehitur, nou aliud esse, quam ipsum piper nigrum, cortice sno nigro et rugoso spoliatum. Eo euim cortice, inquiunt, spoliari, fit veri simile, dum soli expositum nimium torretur.»

De pipere nigro sic Doct. GEOFFROY, Tract. de Materia med. tom. II, p. 377: «Piper Latinorum, Πέπερι Græcorum: *Fulful* et *Fulfel* Ara-

bum. Species est aromatica, omnibus sæculis et omnibus terris ad cibaria condienda expedita. Græcis veteribus, Arabibus et neotericis cognita fuit, nec minus usitata. Dioscorides, Galenus, et alii ejus tria genera distinguunt, nigrum, candidum et longum, quæ eosdem fructuum maturitate tantum inter se diversos esse existimaverunt. Verum tres illæ species, quæ sub iisdem nominibus in officinis adhuc reperiuntur, sunt fructus plantarum diversarum. Quarum unam hoc loco considerabimus. Piper nigrum, *Off.* (*Piper rotundum*, C. Bauh. *Pin.* 411; *Piper nigrum*, Willd. *Trigyn.* gen. 74; *Piper nigrum* (*aromaticum*), Pers. gen. 74; *Urtic.* Juss.). Fructus est, seu granum exsiccatum, parvum, pisi minoris magnitudine, rotundum, cortice rugoso, nigro aut fusco, quo detracto substantia conspicitur duriuscula et compacta; cujus exterior orbita ex viridi flavescit, interior albicat, et scrobiculum in medio vacuum relinquit, sapore acri et fervido, totum os et fauces adurente. Ex India orientali affertur. Planta cui fructus ille adnascitur, dicitur *Lada*, aliis *Molanga*; *Melago codi*, Rheed. *Hort. Mal.* VII, p. 23, t. XII. Nascitur in Java, Sumatra et per totam Malabariam. Colitur per fragmenta ramorum terræ intrusa ad radices arborum, vel appositis perticis, quibus annititur more vitis. Ex pipere nigro decorticato fit album illud piper arte factum, quod solum hodie nobis affertur. Maceratione enim cortex exterior niger tumescendo dehiscit, atque ita facillimo negotio album intus inclusum granum eximitur et exsiccatur, quod nigro multo mitius est et præstantius. »

Piper (antiquorum) est nobis *Pip.* nigrum (Piperis nigri et albi fructus, Linn. Mat. medic. pag. 43), cujus fructus soli, et albidi, cortice externo cincti, et nigri, cortice destituti, distinguuntur. Fabulosus Philostratus plura narrat de piperis cum vitice similitudine et de simiarum cultura, quod credulum vulgus delectare potest. Serap. cap. 367; Avic. 236. Bacui (*Notices et Extraits*, II, 418) in Malabaria crescere piper dicit, fructus foliis obumbrari; alioquin a solis calore corrumpi. Abulfeda (Buschings Mag. IV, 270) ibidem arbores eas scandere ait. Sprengel. Hist. rei herb. tom. I, pag. 76 et 244.

EXCURSUS V

DE LYCIO VETERUM.

Ad ea Plinii verba, cap. 15, pag. 23:

Fert (India) et in spinis piperis similitudinem, præcipua amaritudine, foliis parvis densisque, etc.

Lycii Dioscorides duo tradit genera, vulgare et Indicum; sic prius describit: Λύκιον ὃ ἔνιοι πυξάκανθαν καλοῦσι, δένδρον ἐστὶν ἀκανθῶδες, ῥάβδους ἔχον τριπήχεις ἢ καὶ μείζονας· περὶ ἃς τὰ φύλλα πύξῳ ὅμοια, πυκνά... Καρπὸν δὲ ἔχει ὡς πέπερι μέλανα, πικρὸν, πυκνὸν, λεῖον, καὶ τὸ φλοιὸν δὲ ὠχρὸν, ὅμοιον τῷ διεθέντι λυκίῳ. « Lycium, quod nonnulli Pyxacantham vocant, arbor est spinosa, virgis trium cubitorum, aut etiam longioribus, circa quas sunt folia buxo similia, densa... Fructum habet piperis instar nigrum, amarum, densum, lævem; corticem vero pallidum, Lycio diluto similem. » Addit succum elici e radicibus, cum frutice ipso tusis, et per dies multos maceratis, deinde coctis; liquorem vero adulterari admixta inter coquendum amurca, aut absinthio, aut felle bubulo, etc. Quæ omnia fere Plinius totidem verbis expressit. Et ea de Lycio vulgari, sive Cappadocio Dioscorides: nunc de Indico: Λέγεται δὲ, inquit, τὸ Ἰνδικὸν λύκιον γίνεσθαι, ἐκ θάμνου τῆς λεγομένης λογχίτιδος· ἔστι δὲ εἶδος ἀκάνθης, ῥάβδους ἔχουσα ὀρθὰς, τριπήχεις, ἢ καὶ μείζους, πολλὰς ἀπὸ τοῦ πυθμένος, παχυτέρας βάτου· φλοιὸς ῥαγεὶς ἐνερευθής. « Fertur et Lycium Indicum fieri ex frutice lonchitide appellato. Est is e spinarum genere, virgas habens rectas, tricubitales, aut etiam majores, a fundo numerosas, et rubo crassiores; ruptus cortex rubescit. » Ex istis locis patet Indicum Lycium sive *lonchitidem* non idem esse cum Lycio vulgari, quod in Cappadocia, Lyciaque crescere ait Dioscorides; Pliniumque, quod jampridem Salmasius animadvertit, utriusque plantæ, ut sæpius fit, historiam confudisse. Conf. Bod. a Stapel, not. in Theophrast. pag. 353, seqq.

Quod si vero naturam et nomen requires plantarum, ex quibus olim Lycium quondam eliciebatur, nodus erit sane intricatus, nec facile expediendus. Sic Harduinus ad hunc locum: « Lycium porro quid sit ignorari etiam a peritis herbariis pronuntiat Anguillara de Simp. Part. lib. III, pag. 62. Nos arborem in Goana, Indiæ regione, aliisque, *Hacchic*, succum ipsum *Cate*, vocitari (Dalecampio et) Clusio credimus, lib. I, cap. 10, pag. 163. »

Si vero Garciam audiamus de Aromat. Indicis, *Hacchic* arbor est magnitudine fraxini, folio minuto ericæ aut tamarisci simillimo, perpetuo

virente, multis spinis horrida. Ex ramis illius contusis, coctis, etc. succum elici, quem vocant *cate*, *catechu*, *caetchu*, etc. Nobis vulgo *cachou*. Jacobus Bontins eamdem describit arborem creberrimis in trunco et ramis spinis obsitam, foliis fere Sabinæ, vel arboris quem vocant *vitæ*, sed non tam pinguibus ac crassis. Fabas fert rotundas, punicei coloris, in quibus tres aut ad summum quatuor nuces clausæ latent, tanta duritie ut dentibus frangi nequeant. Ex ejus radice, cortice et foliis extractum, *cate* dictum excoqui, etc. Hæ descriptiones, minime cum Plinii Dioscoridisque verbis conveniunt; unde concludendum censuerunt viri peritiores nonnulli nos Græcorum Lycio Indico carere. Lycium autem Cappadocium in officinis jam non reperitur. Conf. Geoffroy, Mat. med. t. II, pag. 722, seqq.

In tanta opinionum diversitate, nos Sprengelii sententiæ libenter acquiescimus, qui primam Lycii speciem Dioscoridis, i. e. Cappadociam ad *Lycium Europæum*, aut *barbarum* (*Pentand. monog.* gen. 510, Pers. *Solan.* Juss.) retulit, Hist. rei herb. t. I, pag. 162: secunda vero, id est, Indica, teste eruditiss. viro (ibid. pag. 191), nihil aliud nobis erit quam *Acacia catechu* (*Mimosa* Pers. *Monadelp. polyand.* gen. 1655. *Legumin.* Juss.)

EXCURSUS VI

DE MACIRE, VEL MACERE.

Ad ea Plinii verba, cap. 16, pag. 25:

Et macer ex India advehitur, cortex rubens radicis magnæ, nomine arboris suæ, etc.

Mira inter doctos de Macere opinionum varietas. Plinii novissimus ad hunc diem, ut opinamur, interpres, pronuntiat hanc plantam eamdem esse atque *Rheum palmatum* aut *R. compactum* Linnæi, cujus radix, e Tataria septemtrionali Sinarumque finibus advecta, in officinis nostris est usitatissima. Sententiam autem suam sic tueri conatur: « Le macir ou maker, comme l'appelle Dioscoride, n'est autre selon moi que la vraie rhubarbe, c'est-à-dire que la racine d'un arbre indien de la contrée de Malabar, nommé encore aujourd'hui *Macre*... Ces grands et gros morceaux de rhubarbe, sujets à cette carie précieuse, appartiennent bien évidemment à une autre racine que les petits bâtons de rhubarbe qui en sont exempts... Le mot oriental *macir* ou *maker*, ou *makre*, paraît

avoir sa source dans l'hébreux *makar*, *contabescere*, ou *macha demoliri*, *destruere:* ce serait la vraie rhubarbe définie par sa carie ou par son desséchement.» Non abs re fore judicavimus boc loco transcribere clarissimi Gerardi notam, nondum prælo commissam, qua gallici interpretis opinionem rejiculam prorsus esse demonstrat: «Selon la note de M. Poinsinet de Sivry, la rhubarbe cariée serait le vrai macir, et les petits bâtons de rhubarbe, exempts de cette carie, appartiendraient à tout autre plante, d'où il s'ensuivrait que mal à propos on confond ces deux racines; mais ces grands et gros morceaux de rhubarbe, sujets à cette carie précieuse, n'ont aucun rapport avec le macir, qui est une écorce selon le témoignage de Dioscoride, de Pline, de Galien et d'Avicenne parmi les anciens, auxquels se joint celui de Christophe Acosta, tandis que la rhubarbe saine ou vermoulue est un bois compact dépouillé de son écorce.

«Au surplus, cette carie de la rhubarbe n'est pas un caractère essentiel et distinctif d'après lequel on doive admettre deux sortes de rhubarbe provenant d'espèces différentes. La racine de la rhubarbe n'a pas le privilège d'être absolument exempte de carie. La précaution avec laquelle on la fait sécher, les trous que l'on y fait pour l'enfiler et la suspendre, sont autant de moyens mis en usage dans la vue de la garantir de corruption. Mais s'il restait quelque doute là-dessus, et si la rhubarbe cariée avait une origine différente de celle qui est intacte, on ne verrait jamais des morceaux de rhubarbe à moitié cariés; il n'est cependant pas rare d'en rencontrer dont la partie vermoulue devrait appartenir à cette carie précieuse, tandis que celle qui ne l'est pas encore serait de la nature de ces petits bâtons de rhubarbe qu'on a cru devoir distinguer des gros morceaux sujets à la carie. Toute la différence qui existe entre ces deux rhubarbes, c'est que certains morceaux sont plus sujets à être attaqués par les vers que d'autres. Si elles n'avaient point une origine commune, et si l'une nous venait du Malabar, tandis qu'il est certain que l'autre nous est apportée de Tartarie et de la Chine, nous ne les recevrions pas toutes par la même voie.

«C'est donc fort mal à propos qu'on a voulu faire un bois du macir qui n'est qu'une écorce, et c'est avec moins de fondement encore qu'on a prétendu que la rhubarbe cariée est le vrai macir. Sur le premier point, on est désavoué par les anciens naturalistes, *et macir... cortex rubens radicis magnæ*. Sur le second, on le serait par l'exemple que je viens de citer, d'un bâton de rhubarbe dont la moitié restée intacte serait de la vraie rhubarbe, tandis que la portion vermoulue serait du macir, suivant l'auteur de cette note. La rhubarbe cariée conserve ses propriétés essentielles, parce que les vers n'attaquent pas sa résine; à dose égale, elle doit être plus active que celle qui est exempte de carie.» (Ex ineditis Gerardi notis in Plinium, part. botan.) Quum nullam esse censeamus *Maceris* Veterum et *Rhei* Recentiorum ὁμοιότητα, item arbitramur rejiciendam quorumdam doctorum conjecturam, qui *Macer* ad *Quassiam*

simarubam Linn. referuut. *Guiana* est Simarubæ natale solum; verum enimvero quomodo fieri potuit nt plauta Americæ meridionali peculiaris, Plinii Dioscoridisve temporibus, Europæ incolis innotuerit? Satius fuerit fateri nihil adhuc certi de *macere* Veterum recentiores compertum habere. Nos Sprengelii auctoritatem ad bunc locum, ut sæpe alias, adducere nulli dubitamus. Scilicet postquam meritis laudibus *acre* Nostri auctoris *ingenium*, *studium incredibile*, *summam vigilantiam*(1) magnifice ornavit extulitque: « Neque tamen rari sunt (in tam vasto opere) errores gravissimi, ait, e cognitione plantarum manca orti. Confundit e. g. casiam Romanorum (Daphnen cneorum, lib. XII, cap. 20) cum Lauro cassia; fabam græcam appellat Celtim australem, lib. XVI, cap. 32; oryzæ florem tribuit purpureum, lib. XVIII, c. 7, etc. *Macer*, sive *Macis*, *ipsi cortex rubens radicis cujusdam magnæ est*, etc. etc. »

Ex his verbis clare satis apparet Plinii Dioscoridisque macer, teste et anctore Sprengelio, uihil aliud esse quam membranam vestientem semen aromaticum nucis *moschatæ*, ut seplasiarii vocant (*noix muscade*), sive partem fructus *Myristicæ moschatæ* (*Diœc. monadelph.* gen. 2298, Pers. *Laurin.* Juss.) quæ olim ex Moluccis insulis in Indiam fortasse transvehi poterat.

(1) Plinii jun. Epist. III, 5, 8, tom. I, p. 158 edit. nost.

EXCURSUS VII

DE VARIIS NARDI SPECIEBUS, ET DE MALABATHRO.

Ad ea Plinii verba, c. 26, p. 37:

De folio nardi plura dici par est, ut principali in unguentis, etc.

Multa etiamnunc docti disputant de Nardi folio et Malabathro, dum alii unam eamdemque plantam, alii contra duas esse species contendunt omnino diversas, neque tamen in illis definiendis vel determinandis satis inter se conveniunt. Nonnullas auctorum opiniones strictim disquirere forsan operæ pretium hoc loco fuerit.

Primam de nardo mentionem Sacris in Scripturis deprehendisse sibi videtur Sprengelius (Historia Rei herbariæ, tom. I, pag. 8), at solummodo Cantic. 1, 14; 4, 13; ubi נֵרְדְּ, *nerd*, vox occurrit, quæ gramen radice fragrantissima significat; et sane τὸ ἔτυμον huic sententiæ favet.

Non idem forte dixeris de σχοίνῳ εὐόσμῳ Hippocratis (*Morb. Mulier.* II, 673), quem pro nardo vir doctus habet, fretus argumentis minus, ut opiuamur, probabilibus, qunm epitheton εὔοσμος ad aliam plantam pertinere quoque posse videatur.

Pauca aut fere nulla de nardo Theophrastus, Histor. Plant. lib. IX, cap. 7. Dioscorides contra plures agnoscit species describitque, lib. I, cap. 6: Νάρδου ἐστὶ δύο γένη· ἡ μὲν γάρ τις καλεῖται Ἰνδική· ἡ δὲ Συριακή· οὐχ ὅτι ἐν Συρίᾳ εὑρίσκεται, ἀλλ' ὅτι τοῦ ὄρους ἐν ᾧ γεννᾶται, τὸ μὲν πρὸς Συρίαν τέτραπται, τὸ δὲ πρὸς Ἰνδούς. « Nardi sunt duo genera; una scilicet *Indica*, altera *Syriaca* nuncupatur: non quod in Syria inveniatur, sed quod montis, in quo nascitur, pars una Syriam, altera Indos spectet. » (Vid. ad hunc locum notam 17, pag. 39, ubi Dioscoridis rationem rejiculam censet Harduinus post Dalec.) Et paulo post: « Ex Indicæ vero nardi genere est quæ *Gangetica* dicitur, a fluvio Gange, qui montem ad cujus radices ea nascitur, præterfluit... Est et quædam cui *Sampharitica* nomen a loco inditum est. » Mox capite sequenti, de spuriis nardi speciebus tractando: « *Celticam nardum* describit, dictam vernaculo sermone *Gallicam*, quam testatur nasci quidem in Liguriæ Alpibus, sed etiam in Istria provenire. » Cap. 8: « Nardus *montana*, eodem teste, quæ a qnibusdam *Thylacitis* et *Neris* appellatur, in Cilicia et Syria provenit. » Cap. 10: « *Phu*, quod et ipsum aliqui *silvestre* nardum dicunt, in Ponto nascitur, etc. » (Vide not. 21, pag. 39). His excerptis apparet Dioscoridem duas nardi legitimas species agnovisse, Indicam scilicet et Syriacam, utramque tamen in India provenientem, et eas pro natali solo in varietates quasdam divisisse; cæteras vero species, quas spurias diximus, a præcedentibus jure ac merito distraxisse.

De malabathro quod « nonnulli nardi Indicæ folium esse arbitrantur, odoris quadam cognatione decepti, » nihil est quod satis compertum apud Dioscoridem habeamus. Etenim: Ἴδιον γάρ ἐστι (Μαλαβάθρον) γένος φυόμενον ἐν τοῖς Ἰνδικοῖς τέλμασι, φύλλον ὂν ἐπινηχόμενον τῷ ὕδατι, καθάπερ ἡ ἐπὶ τῶν τελμάτων φακῆ, ῥίζαν οὐκ ἔχον· ὅπερ συλλέγοντες, εὐθέως διαπείρουσι λίνῳ, καὶ ξηράναντες ἀποτίθενται. « Etenim peculiare genus est, quod in paludibus Indicis gignitur. Folium id est, quod lentis palustris modo aquæ innatat, nulla fultum radice; id ipsum collectum statim lino trajicitur, siccatumque reconditur. » Quæ omnia fere ad verbum transcripsit Plinius, cap. 59; patet vero ex allato loco, Anazarbæi sententia, malabathrum a nardo prorsus diversum fuisse. Nunc Sprengelium audiamus (Hist. Rei herb. tom. I, pag. 194), de eo ipso loco disserentem: « Non desunt plura, quæ satis obscura manent ab ipso auctore non cognita aut male descripta. Exemplo adducam μαλάβαθρον, quod aliqui pro nardi Indicæ folio habeant. Esse autem peculiare quoddam genus folii quod paludibus innatet, sine ulla radice; id collectum, statim filo trajectum, siccatumque, reconditum servari. Repetit id Plinius, novo addito errore, in Syria nempe gigni id malabathrum. Galenus duobus locis (Facult. Simpl. VII, 93, 114), μαλάβαθρον et φύλλον μαλα-

βάθρου recenset, congruere virtutem cum vi nardi. Mox usus increbuit, φύλλα cum μαλαβάθρῳ eadem putare, quum Plutarchus (*Gryll.* 990) dicat νάρδους καὶ φύλλα, καὶ καλάμους ἀραβικούς. At vero Digest. l. 39, tit. 4, de Publican. et vectig. l. 16, distinguitur malabathrum a folio barbarico. His aliisque argumentis victus primus ferme Anguillara (pag. 29) bene distinxit folium barbaricum, quod idem cum *Pipere betle;* Malabathrum autem dici *tembul;* idem vero *tembul* tamquam piperis speciem quoque describit. Falli autem et eum Garcias (Clus. Exotic. 175-177) perhibet, Malabathrum enim Cassiæ ligneæ (*Lauri Cassiæ*) esse folium, folium vero κατ' ἐξοχὴν esse *betle* Indorum. Conf. *Trew.* in *Nov. Act. nat. Curios.* vol. II, app. pag. 385. Coram habeo etiam iconem *folii*, quod manifesto Lauri Cassiæ est, et *betle* dicitur apud Ramusium (*Viaggi* I, 363). » Hactenus de Malabathro Sprengelius; argumentorum vero hinc inde allatorum fide attentius perpensa, nihil invenimus, fatebimur ingenue, quo meus huc aut illuc potius inclinaret; litem igitur integram peritiorum judicio dirimendam relinquimus.

Nardus antiquorum nobis erit *Andropogon nardus* (*Triand. digyn.* gen. 186, Pers. *Gramin.* Juss.). « Jonesius quidem, ait Sprengelius, tom. I, pag. 8, probare studet (*Transact. of the Soc. of Bengal.* tom. II, pag. 405), *Valerianæ spicæ* Vahl. radicem nardum Veterum exhibere. Perperam autem id fieri, patet e Dioscoridis loc. sup. citat. Avicennæ lib. II, pag. 425: « Maxime vero ex Abu'l Faldi (Cels. *Hierobot.* II, 3) descriptione, qui gramen esse Nardum, diserte aiunt. Copiosissime autem ea planta proveuit in Gedrosiæ provincia, hodie *Mekran* dicta, quæ Indico Oceano contermina, a septemtrione *Turan* contingit; ubi Alexandri exercitus tanta abundantia eam deprehendit, ut pedibus calcata aerem fragrantia impleret. » Conf. Arrian. Exped. Alexand. lib. VI, c. 22: « Naves Punicæ, Arriano eodem teste, inde Nardum advehebant, quo factum est, ut et Salomonis tempore gens Israelitica eam obtineret. » Νάρδον Κελτικὴν Diosc. sive Nardum Gallicam Plinii eamdem esse putamus cum Valeriana Celtica (*Triand. monog.* gen. 77, Pers. *Dipsac.* Juss.). Νάρδον ὀρεινὴν ἣ καὶ θυλακῖτιν, i. e. nardum montanam, dictam quoque *Thulacitin*, nihil aliud esse pronuntiat Sprengel. quam *Valerianam tuberosam* Gerard. textu Dioscoridis ex ingenio Matthioli emendato. Conf. Histor. Rei herb. I, 158. Nardus Cretica Plinii est *Valeriana Italica* Lam. et hujus quoque meminit Galenus, *Compos. medic. sec.* loca 9, 4; sed descriptio Plinii ex Dioscoride de *Phu* desumpta. Conf. Ponæ *mont. Bald.* pag. 49 et 50.

EXCURSUS VIII

DE THURIFERA ARBORE.

Ad ea Plinii verba, cap. 31, pag. 48:

Nec arboris ipsius quæ sit facies constat... Græcorum exempla va riant. Alii folio piri, minore dumtaxat et herbidi coloris prodidere. Alii lentisco similem subrutilo. Quidam terebinthum esse, etc.

Thurifera arbor, Theophrasto et Dioscoridi, Λίβανος; Λιβανωτὸν, Hippocrati; *Thus* vel *Tus*, Latinis; *Khondor*, Arabibus; *Olibanum*, *Thus masculum*, Officin. Vulgo *encens*, *oliban*. Non solnm Græcis et Arabibus, sed omnibus fere gentibus, et temporibus remotissimis cognitum fuit, celeberrimusque ejus usus ac freqnentissimus in sacris. Thure enim sacrificabant olim, eoque in templis utebantur ad suffitus, et etiamnunc utuntur; hic mos per omnes ætates, inter omnes fere gentes ac religiones inolevit. De natali thuriferæ arboris loco apud anctores non satis constat. Nonnulli Arabiam solam Thns gignere scribunt, nec tamen totam, sed illam tantummodo partem quæ Sabæa, Panchaia dicebatur. Alii Æthiopiam quoque cnjns quidam populi Sabæi quoque nnncupabantur, hanc odoriferam resinam proferre tradunt. De arbore thurifera minns adhuc certi sumus; mera Theophrasti verba Plinius retulit: Diodorus Siculus Acaciæ Ægyptiacæ formam illi attribuit, et salicis folia; Garcias thuris arborem humilem esse et folia habere lentisco similia: e contra Thevetus eam pinus resiniferas referre scribit. Guelf. Mat. med. tom II, pag. 550; conf. etiam Fée, Flor. Virgil. tom. VIII, pag. 172 edit. nostræ.

Frequens occurrit Sacris in Scripturis de Thure mentio. Arborem quæ Hebræis לְבֹנָה, resinam *lebonah* dictam largiebatur, Sprengelius eamdem esse dicit cum *Amyride kataf* Forsk. (*Octand. monogyn.* gen. 936, Pers. *Terebinth.* Juss.) Addit exemplar illius arboris, quod secum Adansonins nostras advexerat, a Cl. Lamarckio examinatum fuisse. Conf. Hist. Rei herb. tom. I, pag. 8.

Primus apud Græcos Thuris meminit Herodotus, Thalia, lib. III, num. 197, sed sine nlla partium descriptione, et multas narrationi fabulas admiscuit. Scilicet Thus in Arabia sola nasci creditnm, serpentibus snbalatis servari, nec posse colligi, nisi styracem Arabes suffiant. Styracem antem ad serpentes fugandas Arabes urere Herodoti exemplo Plinius tradidit, XII, 40, fin. Plura de Thure Theophrastus, lib. XI, cap. 4, pag. 974, et veriora quidem, sed quæ dubinm non prorsus tollant: Γίνεται μὲν οὖν ὁ Λίβανος ἐν τῇ τῶν Ἀράβων χώρᾳ μέσῃ, περί τε Σαβὰ,

καὶ Ἀδραμύττα, καὶ Κιτίβαινα, καὶ Μάλι... Εἶναι δὲ τὸ μὲν τοῦ λιβανωτοῦ δένδρον, οὐ μέγα, πεντάπηχυ δέ τι καὶ πολύκλαδον· φύλλον δὲ ἔχειν ἐμφερὲς τῇ ἀπίῳ, πλὴν ἔλαττον πολὺ, καὶ τῷ χρώματι ποῶδες σφόδρα, καθάπερ τὸ πήγανον· λειόφλοιον δὲ πᾶν ὥσπερ τὴν δάφνην... Ἄλλοι δέ τινες τὸ μὲν τοῦ λιβανωτοῦ δένδρον ὅμοιον εἶναί φασι σχίνῳ... φύλλον δὲ ὑπέρυθρον... Τὸ δὲ παρόμοιον εἶναι τὸ δένδρον τῇ τερμίνθῳ, καὶ ἄλλοι τινὲς λέγουσι· οἱ δὲ καὶ ὅλως τέρμινθον εἶναι, κ. τ. λ. Hæc omnia ad verbum fere transcripsit Plinius; item ea quæ ad Thuris colligendi transvehendique modum pertinent; in recensendis vero æstimandisque odoratæ resinæ speciebus Dioscoridem secutus est. Sic enim Anazarbæus, lib. I, cap. 81 : Πρωτεύει δὲ ὁ ἄῤῥην καλούμενος σταγονίας, στρογγύλος φυσικῶς : ἔστι δὲ ὁ τοιοῦτος ἄτομος... Δευτερεύει δὲ ὁ ὀροβίας, κ. τ. λ. Myrrham de qua Noster agit cap. sequent. speciem quamdam thuriferæ arbori affinem facile ex Theophrasto crediderimus, sed in re incerta nihil certi pronuntiandum est.

Recentiores rei botanic. scriptores de Thure etiamnunc non conveniunt. Adansonius videlicet, *Fam. des Plantes*, tom. II, pag. 564; Linnæus, Mater. medic. cur. Schrebero, pag. 260, thuriferam arborem ad *Juniperum Lyciam* (*Diœc. monadelph.* gen. 2286, Pers. *Coniferæ*, Juss.) retulere, et in suam sententiam Botanicos plerosque attraxerunt (1). Negant alii olibanum e *Junip. Lycia* desumptum, at tantummodo *sandaracam* officinarum collectam autumantur. Spreng. ex *Amyride Kataf* Thus desumi asseverat (Conf. Rei herb. Hist. passim). Taudem Britanni arborem vere thuriferam se in India deprehendisse jactitant, quam *Boswellam thuriferam* (*Terebinthac.* Juss.) nuncuparunt, et satis probabilibus argumentis eamdem esse cum Thure Veterum, ut opinamur, probavere. Adeat *Transact. of Soc. of Bengal*, qui plura de hac re noscere velit.

(1) Conf. Merat, *Dictionn. des Scienc. Médic.* tom. XXXVII, voce *Oliban.*

EXCURSUS IX

DE CINNAMOMO ET CASSIA.

Ad ea Plinii verba, cap. 41, pag. 65 :

Non sunt eorum Cinnamomum aut Cassia: et tamen felix appellatur Arabia, etc.

Cassia et cinnamomum apud priscos, si non res una et eadem, maxima saltem cognatione et affinitate conjunguntur. Duo præcipua cassiæ genera distinguunt Græci scriptores, unum κασίαν σύριγγα, vel

συριγγίδα nominant, alterum surculosum qnod ξυλικὴν κασίαν aut ξυλοκασίαν quidam nuncuparunt.

Κασία σύριγξ ex cortice solo composita erat in tubnlos sive fistulas convoluto, nnde nomen, ξυλοκασία sive ξυλικὴ κασία. Cassia lignea surculis constabat lignosis, cortice adhuc coopertis, quam etiam Dioscorides βλαςὸν μοσυλίτην vocat, id est, surculum mosyliticum.

Cassia syrinx, seu cassia fistula vulgaris erat usus ac notitiæ, et vilis emptu, ut refert Galenns: eademque erat quæ ab Andromacbo tum seniore, tum juniore in theriaces compositione expostulabatur. Omnes aliæ cassiæ, sen xylocassiæ species rariores erant, quarum plurimæ a Galeno recensentur; scilicet ἀσύφη, μωτὼ, γίζειρ, quam quidem dicit cinnsmomo simillimam, surcnlosam aut fistulis pleuis, καράβω et δαφνῖτις.

Cinnamomi vero plura quoque sunt genera parum inter se discrepantia, μόσυλον mosyliticum nempe quod præstantissimnm est, nigricans seu ex vinoso in cinereum vergens, læve, tenuibus ramulis ac frequentibus nodis cinctum, acre, mordens, et cum calefactione quadamtenus salsum: deinde ὀρεινὸν montanum, μέλαν nigrum, λευκὸν candidum, ὑπόκιῤῥον subfulvum, quibus addunt xylo-cinnamomum et pseudo-cinuamomum.

Quidquid discriminis cassiam inter et cinnamomum Græci veteres constituere voluerint, id in eo tantum positum deprebenditur, quod cinnamomum odore et sapore grato, suavi et aromatico, cassiam tum fistulosam, tum surculosam longe superet. Et reipsa Galenus observat supremam cassiam ab infimo cinnamomo parum distare, eamque pro cinnamomo substitui, sed duplicato pondere.

Neque ex scriptis Arabum, apud quos Græci cassiam et cinnamomum nasci arbitrabantur, barumce rerum historia magis illustratur. Nam Avicenna cassiam Dioscoridis appellat *Selicha*, quæ vox derivatur ab arabico *Selach*, quo significatur cortex; nisi illud a græco ξυλικὴ derivare maliut. Quæcumque vero de cassia Dioscoridis scripta sunt, eadem ferme leguntur sub titulo *Selicha*, qnod in cassiam ligneam nostram Arabum interpretes convertunt, fortasse minus bene. Avicenna cinnamomum sub nomine *Dar Sini* tradidit; et quidquid Dioscorides de cinnamomo tradidit, in suam linguam ad verbnm convertit et exposuit. Eo autem capite quo omnes cinnamomi differentias verbis Dioscoridis pretexuit, quod xylo-cinnamomnm græco auctori vocatnr, ipse arabice *Kerfa* vocatum affirmat et interpretatur, forte derivatum a græco κάῤφη, surculus, sicut *Dar Sini* significat surculum sinensem.

Nunc vero considerandum est, an cassia Veterum et eorumdem cinnamomnm nna res eademque sit atque cinnamomum nostrum, canella vulgo dictum, anne res diversæ? Non levis est ea de re inter auctores controversia.

Auctorum plurimi, inter quos Matthiolus, cassiam Dioscoridis esse nostrum cinnamomum existimant, nec immerito, ut ex ipsa Dioscoridis

et Galeni descriptione patet; Veterumque cinnamomum nobis nunc ignotum esse, aut prorsus perditum fuisse. Alii cum Dodonæo suspicantur eorum cinnamomum fuisse teneros ramulos arboris caryophylli aromatici; quod quidem rationi non est prorsus dissentaneum, quandoquidem mosylitici cinnamomi descriptio ex Dioscoride et Galeno tenuibus ramulis vel virgulis hujusce arboris convenire videatur. Attamen non verisimile est caryophylleos fructus, nempe adeo aromaticos ac præstantes, latuisse viros qui assidue inter has arbores versabantur, et præsertim mercatores lucri avidos qui tanta sollicitudine ramusculos colligebant.

Alii credunt cassiam et cinnamomum Veterum esse unam et eamdem rem, seu ex eadem arbore oriunda; ea tamen differentia quod Cassia fuerit cortex a ligno separatus, cinnamomum vero tenuiores arboris surculi adhuc integri: quod maxime simile vero mihi videtur. Dioscorides enim cinnamomum aliquantulam retinere similitudinem cassiæ, quæ mosylitis dicitur, affirmat; et Galenus universam cinnamomi naturam similem esse quodammodo optimæ cassiæ, quam Barbari *Gizi* vocant. Præterea refert idem Galenus se vidisse cassiæ ad fruticis magnitudinem elatæ ramos quosdam cinnamomo penitus similes aspectu, corticis tenuitate et hisce signis quæ cinnamomum certissime ostendunt, ac gustu, olfactuque percipiuntur. Insuper quum Theophrastus aliique Veteres corticem solummodo in cinnamomo utilem esse scribant, probabilius inde inferri existimo cinnamomum nostrum hodiernum seu canellam vulgarem, cinnamomum Veterum, eorumque Cassiam, unam et eamdem rem esse; nec aliter inter sese differre tot cinnamomi, cassiæ et xylocassiæ species, quam ratione afferendi, aut natali solo. Etenim antiquitus tota planta adolescens aut juniores surculi integri (cortex nempe cum ligno) sub cinnamomi nomine afferebantur, et sub Cassiæ nomine cortex tantummodo a ligno separatus. At vero quum fuisset animadversum lignum inutile prorsus esse, cortex solus, rejecto ligno, allatus fuit: qui mos in hunc usque diem fuit servatus. Nec parvum quoque erat discrimen a cæli, solique differentia oriundum, inter has aromatum species; siquidem adhuc hodie observatur eamdem cinnamomi arboris diversis in regionibus natæ speciem corticem cinnamomeum diversum suppeditare. Aliud enim est Zeylanicum, aliud Malabaricum et Javanense cinnamomum; aliud excultum, aliud sylvestre. Quin etiam pro diversa arborum ætate et pro diversis ejusdem arboris partibus ex quibus cortex extrahitur, quædam exsurgit varietas: cinnamomum novellæ arboris a vetustiore, cortex trunci a ramorum cortice, cortex radicis ab utroque differunt.

Quidquid de cassiæ et cinnamomi origine Veteres tradiderunt, aut fabulosum est, aut incertum. Tam longa enim difficilique via petebantur olim hæc aromata, ut perfectam eorum notitiam consequi Veteribus haud facile fuerit. Quoniam vero ingens eorum erat pretium, majorque in hominibus lucri cupiditas, mercatores de earum mercium origine et colligendi difficultate varias fabulas narrabant, ut his commentis earum

mercium pretia adaugerent. Sic enim de cassia et cinnamomo Herodotus, *ab uno disce omnes :* Τὴν δὲ κασίην, ὧδε (κτῶνται Ἀράβιοι). Ἐπεὰν καταδήσωνται βύρσῃσι καὶ δέρμασι ἄλλοισι πᾶν τὸ σῶμα καὶ τὸ πρόσωπον, πλὴν αὐτῶν τῶν ὀφθαλμῶν, ἔρχονται ἐπὶ τὴν κασίην· ἡ δὲ ἐν λίμνῃ φύεται οὐ βαθέῃ· περὶ δὲ αὐτὴν καὶ ἐν αὐτῇ αὐλίζεται θηρία πτερωτά, τῇσι νυκτερίσι προσείκελα μάλιστα καὶ τέτριγε δεινόν, καὶ ἐς ἀλκὴν ἄλκιμα· τὰ δὴ ἀπαμυνομένους ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν, οὕτω δρέπειν τὴν κασίην. Τὸ δὲ δὴ κιννάμωμον ἔτι τούτων θωυμαστότερον συλλέγουσι· ὅκου μὲν γὰρ γίνεται, καὶ ἥτις μιν γῆ ἡ τρέφουσά ἐστι, οὐκ ἔχουσι εἰπεῖν, πλὴν ὅτι λόγῳ εἰκότι χρεώμενοι, ἐν τοισίδε χωρίοισί φασί τινες αὐτὸ φύεσθαι, ἐν τοῖσι ὁ Διόνυσος ἐτράφη. Ὄρνιθας δὲ λέγουσι μεγάλας φορέειν ταῦτα τὰ κάρφεα, τὰ ἡμεῖς ἀπὸ Φοινίκων μαθόντες κιννάμωμον καλέομεν· φορέειν δὲ τὰς ὄρνιθας ἐς νεοσσιὰς προσπεπλασμένας ἐκ πηλοῦ πρὸς ἀποκρήμνοισι οὔρεσι, ἔνθα πρόσβασιν ἀνθρώπῳ οὐδεμίην εἶναι· πρὸς ὦν δὴ ταῦτα τοὺς Ἀραβίους σοφίζεσθαι τάδε· βοῶν τε καὶ ὄνων τῶν ἀπογινομένων, καὶ τῶν ἄλλων ὑποζυγίων τὰ μέλεα διαταμόντας ὡς μέγιστα, κομίζειν ἐς ταῦτα τὰ χωρία, καί σφεα θέντας ἀγχοῦ τῶν νεοσσιέων, ἀπαλλάσσεσθαι ἑκὰς αὐτέων· τὰς δὲ ὄρνιθας καταπετομένας, αὐτῶν τὰ μέλεα τῶν ὑποζυγίων ἀναφορέειν ἐπὶ τὰς νεοσσιάς· τὰς δὲ, οὐ δυναμένας ἴσχειν, καταῤῥήγνυσθαι ἐπὶ γῆν· τοὺς δὲ ἐπιόντας, συλλέγειν οὕτω μὲν τὸ κιννάμωμον. (Herodot. Thalia, lib. III, num. 110, 111. Vid. etiam Geoffroy, Tract. de Mater medic. tom. II, pag. 160, seqq.)

« Casiam autem sic (comparant Arabes). Postquam et totum corpus, et faciem, præter solos oculos, obligavere coriis aliisque pellibus, ad casiam pergunt. Ea nascitur in palude non alta, circa quam et in qua degunt feræ alatæ, vespertilionibus simillimæ, stridore diro, et viribus prævalentibus ; quas ab oculis arcentes Arabes, sic casiam metunt. Cinnamomum etiam quam superiora mirabilius colligunt, nam aut ubi nascatur, aut quæ terra nutriat illud, nequeunt dicere : nisi quod, probabili ratione utentes, quidam narrent id gigni in iis regionibus ubi Bacchus educatus est ; et ipsas festucas, quas nos a Phœnicibus edocti vocamus cinnamomum, afferri a grandibus quibusdam avibus ad nidos e luto constructos in præruptis montium et homini inaccessis. Ad ista igitur Arabes hæc excogitaverunt : boum asinorumque mortuorum et aliorum jumentorum membra concisa quam maxima in ea loca portant, et ubi juxta nidos posuere, procul inde abscedunt. Ad hæc frusta delapsæ volucres, ad nidos carnem apportant, cui sustinendæ impares nidi, dirupti in terram labuntur. Tunc Arabes accedentes hac ratione colligere cinnamomum. » Casiam et cinnamomum Veterum, nihil aliud esse quam *Laurum Cinnamomum* et *Laurum Cassiam* Linnæi ad hunc locum monuimus.

EXCURSUS X

DE CANCAMO.

Ad ea Plinii verba, pag. 73, cap. 44:

Ex confinio casiæ cinnamique et cancamum, etc.

Qui Dioscoridi et Plinio sæculo XVI lucem fœnerare satagerent, hanc arboris cujusdam lacrymam modo pro hac, modo pro illa venditarunt gummium specie: neque tamen arbitror prius potuisse veram gummis ejus naturam investigari, quam simplicia, quæ felix Arabia profert, curiosius explorata fuerint. Contigit id tandem nostris temporibus, Forskalei maxime studio, licet plurima etiamnum supersint, amplius a posteris atque uberius illustranda.

Nomen autem ipsum, Cancamum, κάγκαμον, græcæ potius quam barbaræ originis esse videtur, quum a καγκαίνειν *comburere*, ξύλοις καγκάνοις apud Homerum obviis, derivandum esse videatur. Suffimenti enim genus fuit κάγκαμον, Græcis Alexandriam et Ægyptum habitantibus præprimis gratum et acceptum (1). Transeamus autem protinus ad ipsam Dioscoridis, primi, qui gummin illam cognovit, descriptionem.

En itaque Dioscoridis verba: Κάγκαμον δάκρυόν ἐστιν Ἀραβικοῦ ξύλου σμύρνῃ προσεοικός, βρωμῶδες ἐν τῇ γεύσει, ᾧπερ ὡς θυμιάματι χρῶνται· ὑποκαπνίζουσι δὲ καὶ τὰ ἱμάτια μετὰ σμύρνης καὶ στύρακος. Addit deinde corpora obesa emaciandi vim habere, si ternum obolorum pondere ex aqua aut aceto mulso plusculos dies ebibatur. Dari et lienosis, comitialibus et suspiriosis. Menses ex aqua mulsa prolicere: oculorum cicatrices confestim extergere, et hebetudini eorum mederi, vino dilutum. Quin et adversus gingivas humore prægnantes (μυδήσεις οὔλων) et ad dentium dolores esse, si quid aliud, efficax (2).

Et Plinius cancamum aromatis accenset, quæ ex confiniis casiæ cinnamomique per Nabatæos Troglodytas invehantur (3). Et Paullus Ægineta, Alexandriæ artem exercens, repetit de καγκάμῳ, quæ Dioscoride-

(1) Cf. Hesych. vol. II, col. 96.
(2) Dioscorid. lib. I, c. 23, p. 19.
(3) Plin. lib. XII, c. 20.

præceperat (1). Hesychius denique, παρ' Ἰνδοῖς esse ξύλου δάκρυον καὶ θυμίαμα, perhibet (2).

Hæc vero sunt testimonia fere omnia, quæ de suffimentorum eo genere apud Græcos occurrunt. Namque Galeni ipsiusque asseclarum κάγκανον, quum herba sit, radice celebrata, huc haudquaquam pertinere, quivis fatebitur (3). Hinc itaque omnino effici posse videtur, veteres Græcos latuisse eam gummin, neque prius innotuisse, quam Ptolemæorum commercium insignem aromatum copiam ex Oriente invexisset. Differentia autem ea, quæ collatis Hesychii verbis cum Dioscoridis descriptione elucere videtur, quum alter Indicæ, alter Arabicæ perhibeat arboris esse lacrymam, postea exponemus. Jam vero videamus, quænam fuerit Arabum de cancamo sententia.

Interpres Græcorum auctorum inter Arabes, cæteris prior, Maserdschawaihus, Dschaldschalis filius, Judæus, natione Bassorensis, qui sæculo septimo floruit, primus fuit, qui κάγκαμον Dioscoridis explicare sibi sumeret. Esse id *laccam*, arboris Indicæ lacrymam, perhibuit (4). Rhazeus ipse vero cadere eam gummin ex cælo in ramos arboris *Gubera* (Sorbi *domesticæ*) maxime frequentis prope ab urbe *Siraf* (5) juxta mare Persicum credit. Obstructiones eam gummin reserare.

Alius auctor, Izhack ebn Amram, incertæ ætatis, quem Serapion ubique adlegat, manifesto confundit κάγκαμον cum lacca Arabum. Esse enim rem rubeam, lignis subtilibus adhærentem, saporis boni (quem neque vero cancamo tribuit Dioscorides, neque in lacca nostra deprehendimus). Ferri eam ex Armenia (quod iterum alienum plane ab utraque gummium specie), aqua coctum præhere pigmentum, nomine *Kermes* venditum (6). Quæ vero omnia quam erronea sint, postea latius patebit.

Alium citat Serapion (7) auctorem, Atabarich, qui Galenum interpretatus fuerit, ex quo Paulli verba quum adducat, Brassavolus (8) eumdem hunc Atabarich cum Paullo habet. Id quod ratione carere mihi quidem videtur. Etenim exstitit omnino Tabri quidam, natione Indus, qui et Galenum arabice interpretatus fuit, et sua etiam commentaria in

(1) Paull. lib. VII, p. 239.

(2) Loc. citat.

(3) Galen. de Facult. Simpl. medic. lib. VII, p. 87; Oribas. lib. XV, f. 267, b; AEt. tetr. I, serm. 1, col. 38.

(4) Rhaz. contin. lib. XXIII, c. 701, f. 467, b.

(5) *Siraf* urbs sita est in provincia Laristan Persici regni. Emporium autem fuit celeberrimum ad sæculum usque decimum. (Sprengel's Gesch. der geograph. Entdeck. S. 331.)

(6) Serapion simplic. aggreg. c. 181, f. 148, a.

(7) Ibidem.

(8) Examen omn. Simplic. p. 407. (Lugd. 1537, in-8.)

lucem edidit, nomine frequenter obvio et apud Rhazeum et apud Serapionem. Quo vero tempore ille vixerit, nondum constat (1).

Avicenna denique primum, de *lacca* præcipiens, ea repetit, quæ Paullus de καγκάμῳ docuerat. Esse, qui eamdem arbitrentur ac *Charabe* (succinum), sed omnino utrumque differre (2). Deinde aliud describit simplex remedium nomine *Kankehar*, pro quo legendum arbitror *Kankeham* (κάγκαμον) (3). Id esse صمغ gummin virosi gustus, quæ العرب من بالد) ex regionibus Arabiæ (4) advehatur : varios habere eam pro *Sandaracha*, diversam tamen esse : suffumigari ea et styrace et myrrha. Quæ quidem luculenter ostendunt, Avicennæ laccam, quamvis alio loco descriptam, eamdem tamen ab eo haberi, ac κάγκαμον Dioscoridis.

Taceam absonam plane Matthæi Sylvatici expositionem (5), qui sub voce *Æchars*, *anchusab* habet laccam, arboris gummin ultramarinæ, qua panni tingantur. Novus enim patet ipsius error, Anchusam *tinctoriam*, κάλχην Græcorum, cum lacca commutantis.

Primus autem fere, qui nuperis temporibus κάγκαμον Dioscoridis rite inquirere satageret, fuit Antonius Musa Brassavolus (6), qui nec Serapionis laccam, nec Dioscoridis cancamum nostram aut suorum potius temporum laccam esse, inde efficit, quod nullo odore prædita sit, neque suffumigiis adhiberi possit. In eo vero falli vir doctus mihi videtur, quum nostram laccam *in granis*, et odore præstanti præditam esse, et scarlatino aut purpureo posse colore tingere lanas, certum sit. Longe alia promere licuisset argumenta, quibus, quantopere alienum Dioscoridis cancamum a nostra lacca, evinci potuisset.

(1) Haller. biblioth. med. pract. vol. I, p. 363.

(2) Canon, lib. II, tr. 2, p. 199.

(3) Ib. p. 247. Invenire eum locum nequiit Salmasius, quum interpretatione latina, quæ *Keikhen* habet, seductus, alibi eum quæreret. Miror autem, Scaligerum, virum doctissimum (ab Garcia et Clusio editum, p. 245), verba Avicennæ ita citare, quasi حشيشة صمغ *herbæ* cujusdam *gummin* dixerit, adeoque emendare حشيشة in حشبة ut ξύλον Dioscoridis referat. Miror, Salmasium (Homonym. hyl. iatr. p. 139) vindicare eam lectionem Avicennæ, cujus locum tamen numquam introspexerit, dum e Paullo sumpsisse verba, δάκρυον πόας, Avicennam contendit. Neque enim πόαν lego apud Paullum, neque حشيشة apud Avicennam.

(4) Male itaque interpres vulgaris *e regionibus Occidentis* habet. Legit forte pro عرب مغرب, quod *Occidentem* exprimit.

(5) Pandectar. c. 13, f. 5, a.

(6) Exam. omn. Simplic. p 408.

Qui eum sequebatur, Petr. Andr. Matthiolus, fatetur quidem (1), id esse discriminis laccam inter nostram et cancamum Dioscor. quod *viroso sapore* nostra lacca omnino careat. Quum tamen neque Paullus, neque Serapion, exscripto illo loco Dioscor. saporis eam commemorent indolem, supposititius Matthiolo ille locus, atque τὸ βρωμῶδες ἐν τῇ γεύσει exsulare debere videtur. Quodsi vero meum interponere judicium licuerit, nescio sane, cur παρέγγραπτον et ὑποβολιμαῖον habere oporteat illum locum. Etenim ad litteram eum Avicenna expressit, quem suo cancamo tribuit كريه للطعم, *saporem virosum*, ideoque eadem etiam verba legisse Avicennam in suo Dioscoride opus est. Quæ quum ita se habeant, Matthiolus videtur in Arabum abire sententiam, qui caucamum Dioscoridis pro lacca haberent.

Difficultates autem, quas gignit ea opinio, bene perspexit Amatus Lusitanus (2), primus fere auctor, qui laccæ historiam naturalem prioribus melius illustraverit. Expensis variorum auctorum sententiis, maxime improbat eos, qui laccam esse cancamum crediderint; illam enim ex India orientali, in regno Pegu provenire, hoc vero Arabicæ arboris esse lacrymam: illam esse formicarum in arboris ramis nidulantium stercus, hoc vero gummin ex arbore exstillantem. Hinc itaque efficit, aliam gummin esse substituendam, neque dubitat, Brissoti sententiam proxime ad veritatem accedere, qui, quum in Lusitania degens resinam *anime* vidisset, statim eam esse Veterum caucamum sibi persuasit.

Quæ vero sententia, quamvis confirmata sit a Christophoro a Costa (3), multo minus mihi rem ipsam tangere videtur. Namque primum ac validissimum contra eam militat argumentum, quod Hymenæa *Courbaril*, quæ resinam *anime* largitur, nequaquam in Arabia, sed in America duntaxat meridionali proveniat (4). Alterum vero argumentum petendum mihi esse videtur ex virosi saporis defectu in anime resina, quam multoties mandere memini. Color etiam anime resinæ longe differt a colore laccæ, quam *Izhak ebn Amram* describit, cui omnino simile esse debuit Græcorum caucamum. *Anime* enim resina pallide flavet, lacca fusco rubore tingitur. Accedit odoris nulla præstantia in anime resina, qualis in cancamo prædicatur. Licet itaque talium doctissimorum virorum testimoniis fulciatur hæc sententia, non possum tamen non, quin ab ea recedam.

Neque infirmare potest meam opinionem, quidquid quartus testis, Garcias ab Orto (5), adduxerit, ut eam stabiliret. Is quidem primum bene observat, ex ramis *Ber* (Rhamni *Jujubæ*) arboris, quæ in juglan-

(1) Comment. in Dioscorid. lib. I, c. 23, p. 60.

(2) Enarrat. in Dioscorid. lib. I, c. 23, p. 44. (Argent. 1554, in-4.)

(3) Aromat. Hist. c. 3, p. 258, ad Clus. exoticor.

(4) Pison. Hist. nat. Brasil. p. 123. (fol. Amst. 1658.)

(5) Aromat. Hist. lib. I, c. 8, p. 158, ad Clus. exoticor.

dis magnitudinem crescat, in regnis Pegu et Bengalia colligi laccam : carpit Avieennam merito, quod cum myrrha comparet, a qua tamen oduris suavioris defectu differat. Deinde addit, maguopere eos errasse, qui in Arabia aut in Armenia provenire eam arborem, atque vel mespili vel sorbi speciem præ se ferre arbitrati fueriut. Tunc assentiri se upinioui eorum fatetur, qui *anime* habeant resinam eamdem eum caucamo.

Neque tameu credo, Garciam resinam *anime* solam, quam Hymeuæa *Courbaril* largitur, eo uomiue compreheudisse, quum tria faciam ejus genera : 1° fulvum, pellucidum, quod succiuum crudum referat; 2^u nigricans, velut tauriuum glnten aut colophoninm; 3° pallidum et resinaceum. Omnia vero suavem spirare odurem. Nostrorum *anime* ultimu generi tantum congrua est, priora vero videutur ad resinam *elemi* vel orientalem, vel occidentalem referenda esse. Orieutalis enim ex Amyride *zeylanica* (1), occideutalia ex Amyride *elemifera* exstillat (2). Multo propius autem hanc Garciæ resinam, quam ipse *anime*, nos *elemi* vocamus, ad eancamum Veterum accedere, deinde luculeutius exponam.

Videor autem mihi in Arabum more, quo cancamum Veterum laccæ suæ componcre semper solerent, veritatem perspicere. Sequenti autem modo res se habere videtur. Lacca Arabum, id est, Rhazis aliorumque, omuino est Caucamum. Neque tamen ea Lacca eum nostra commutari debet. Illa enim ad littura maris Persici, iu proviucia *Laristan* occurrebat, hæc iu Bengalia provenit : illa virosum habebat gustum, hæc nequaquam eo prædita esse mihi quidem videtur : illa myrrhæ similis, hæc nullo modo cum myrrha componi potest : illa in arbore sorbo simili reperiebatur, hæc vel in Rhamuo *Jujuba*, vel in Ficu *religiosa*, quibus uulla est cum sorbo similitudo.

Receutiurum autem laccam, cujus naturalem historiam Kerrius egregie adumbravit (3), prima fere vestigia iu Izhaki, Amraui filii, fragmeutis apud Serapionem existimo depreheudi. Ille enim modum, ea tingeudi pannos et lanas, commemorat, quod nequaquam de caucamo aut de lacca Rhazis valere potest.

Ex tutu vero vux *laccæ*, vel urieutalis, quodvis designat pigmeutum (4), vel græca rubrum quemvis aut purpureum designat colurem.

(1) Retz. fascicul. observ. bot. IV, p. 25.

(2) Marcgrav. Hist. nat. Brasil. p. 98. (fol. Amst. 1648.)

(3) *Philos. transact.* vol. LXXI, Y, 1781, p. 374-382.

(4) Persice omnino لك , لقا *pigmentum quodvis* dicitur. Hine in ipsa Iadia nomen *Lak* et *Lakscha* non solum Laccam nostram, sed aliud etiam rubrum pigmentum signat, in ramis Mimosæ *cinereæ* ab animalculo quodam formatum (*Asiatic researches*, vol. III, p. 361), et ipsum tralatitium ex *Lawsonia inermi* pigmentum, quod al *Henna* dicitur. (Sakontala, S. 115. Cf. Russel's Naturgesch. von Aleppo, S. 134.)

Siquidem constat, κάλχης nomen, ex quo deinde λάκχην mutatum fuisse Salmasius arbitratur (1), non solum πορφύρας τι εἶδος (2), sed κόκκινον quodvis χρῶμα (3), βοτάνιον maxime ἀνθοφόρον (4), quin Anchusam *tinctoriam* (5) significasse. Hinc etiam undecimo sæculo Davides Kimchi filius πορφύραν ארגמן explicat: הוא צבע שקורין לאקא, *colorem esse qualis lacca* (6). Nihil itaque mirum, si et cancamum, ob purpureum colorem, vel seriores Græci, vel Arabes, laccæ nomine insigniverint: nihil mirum, si, quum vera primum ex India lacca advecta fuisset, eam cancamo obiter compositam pro eodem babuerint, utramque substantiam eodem nomine appellantes.

Jam vero finire audeamus, quid demum fuerit cancamum. Data vero nobis ad cognoscendum id, sunt sequentia:

1° Gummis est virosi gustus, odoris suavis, qua utebantur Veteres ad suffumigia.

2° Rubri videtur fuisse coloris, quum Arabes laccæ nomine id insigniverint.

3° Myrrbæ simile fuit.

4° Ex arbore stillat arabica, copiosa præcipue ad oras sinus Persici.

5° Arbor illa sorbum domesticam referre dicitur.

6° Gummis elemi maxime affinis cancamo videtur.

E quibus efficio, cancamum Dioscoridis nihil aliud esse, quam gummin ex Amyridis quibusdam speciebus, præsertim ex Amyride *Kataf* et *Kafal* Forskalei (7) promanantem. Utraque vero species adeo similis sibi, ut, an vere distincta sit, necne, noudum constet. Copiose invenitur hæc arbor in regione Arabiæ, Abu-Arisch dicta. Procera est, ligno albo vel rubro: foliis ternato-pinnatis, apice serratis, quæ omnino sorbi quamdam speciem præ se ferunt. Baccas etiam fert sorbis similes, e quibus balsamum stillat fragrantissimum.

Arbor myrrham ferens huic arbori similis est.

Quovis anno mensibus pluviosis intumescere dicitur arbor, prægnansque evadere pulvere rubro fragranti, quo mulieres capita adspergere, vel lavare solent.

Lignum *Kafal* magna commerciorum pars est, et in Ægyptum transfertur, ubi vasa bydrophora fictilia hujus fumo imprægnantur, ut gu-

(1) Plin. Exercit. p. 810.

(2) Schol. Sophocl. Antigon. v. 20; Schol. Nicandr. alexipharm. 393.

(3) Strabo, lib. XI, p. 802. Cf. Suid. tom. III, p. 281, voc. σάνδυξ.

(4) Hesych. vol. II, col. 130.

(5) Schol. Nicandr. theriac. v. 640. De echiis enim Nicander loquitur, quorum alterum genus, Anchusam nostram, scholiastes κάλχην vocat. (Cf. § 120.)

(6) Ad II, Chron. II, 6, citante Celsio in hierobot. vol. II, p. 102.

(7) Forskal. flor. Arab. p. 80.

stum contrahant huic genti expeditum. Gummis hujus arboris alvum ducit, adeoque obesos emaciat, menstrua provocat, obstructiones viscerum abdominalium reserat. Cancamum itaque Dioscoridis esse videtur.

Elemi autem, ex ejusdem arboris alia quadam, et Americana quidem specie, Amyride *elemifera*, stillans, parum differt a vero cancamo, ut Garciæ omnino ignoscere possis, utrumque componenti.

Alia demum species, Amyris *zeylanica*, orientale elemi proferens, ea forte est, quam Hesychius Indicum vocavit κάγκαμον.

EXCURSUS XI

DE MYROBALANIS.

Ad ea Plinii verba, cap. 46, pag. 74:

Myrobalanum Troglodytis, et Thebaidi, et Arabiæ, etc.

Plurimum interesse inter eos fructus, quos Græci μυροβαλάνους appellarunt, eosque, quibus Arabes id nomen impertierunt, jamdudum, tum a Matthæo Silvatico(1), tum a Valerio Cordo (2), animadversum est. Neque tamen ad hunc usque diem diserte uberrimeque illustratum est utrumque genus. Utinam meis itaque studiis aliquid lucis tam difficili plantarum generi fœnerari posset!

Ordiar a fructu, cujus plurima mentio apud antiquos, a Theophrasti inde temporibus, fit. Transcribam autem ipsius verba, quæ deinde amplius exponam. Βάλανος, inquit, ἔχει μὲν τὴν προσηγορίαν ἀπὸ τοῦ καρποῦ· φύλλον δὲ αὐτῇ παραπλήσιον τῷ τῆς μυῤῥίνης, πλὴν προμηκέστερον. Ἔστι δὲ τὸ δένδρον ἀπαθὲς μὲν καὶ εὐμέγεθες, οὐκ ἀφυὲς (εὐφυὲς) δὲ, ἀλλὰ παρεστραμμένον. Τοῦ καρποῦ δὲ τοῖς κελύφεσι χρῶνται οἱ μυρεψοὶ, κόψαντες, εὐῶδες γάρ τι ἔχει· τὸ δὲ καρπὸν ἀχρεῖον. Ἔστι δὲ τῷ μεγέθει καὶ τῇ ὄψει παραπλήσιος τῷ τῆς καππάριος· ξύλον δὲ ἰσχυρὸν, καὶ εἰς ἄλλα τε χρήσιμον, καὶ εἰς τὰς ναυπηγίας. I. e. « Glans a fructu nomen accepit. Folium simile atque myrto, magis vero oblongum. Arbor ad noxas durata est et magna, verum non recta, sed contorta. Fructus putamine contuso unguentarii

(1) Pandectar. c. 548, f. 132, a.

(2) Annotat. in Dioscorid. lib. IV, c. 160, p. 74.

nti solent : est enim boni odoris. Sed fructus ipse (ad hoc) inutilis, magnitudine visuque capparis proximus. Materies valida, et tam ad alia quam ad navigia percommoda (1). »

Alio vero etiam loco prædicat unguenta ex glande Ægyptia atque Syrica confecta, quæ σπουδαῖα nominat, putamina enim fructus odorata reddere olea, in quæ conjiciantur. Idem oleum dicit διαμονώτατον, διὸ καὶ πυρούμενον, μάλιστα ἀπαθές : « maxime durabile, et, igne adflatum, minime offensum (2). »

Ante Theophrastum nullum memini auctorem hunc fructum commemorare, qui Alexandri tandem expeditionibus in Græciam advectus fuisse videtur. Jure itaque suo dixit de myrobalano Martialis (3):

> Quod nec Virgilius, nec carmine dixit Homerus,
> Hoc ex unguento constat et ex balano.

Ob syllabarum fere omnium, quæ hanc vocem construunt, brevitatem, poetas non potuisse illam adhibere, Cl. de la Cerda addit.

Solet quidem adduci locus de myrobalanis primum ex Aristotele (4), sed alibi jam probasse mihi videor, ὑποβολιμαῖον esse, multoque juniorem eum librum (5). Auctor ille, more Aristotelis, cujus tamen dicendi genus omnino imitari nequit, exponit dulcem myrobalanorum saporem, qui postmodum austerus evadat et amarus, ex raritate frondium arboris, quæ a calore dilatatæ atque diductæ a frigore deinde contrahantur et stringantur, ut dulcis fructuum sapor in austerum abeat et acerbum.

Quam Dioscorides nobis reliquit, myrobalani descriptio ex toto quidem congruit cum Theophrasti historia, neque tamen differentiis vacat. Nasci arborem in Æthiopia, Ægypto et Arabia, et ad Petram in Judææ confiniis, speciem autem μυρίκης, i. e. *tamaricis*, præ se ferre. Fructum similem esse avellanis aut dactylis, eumque cæteris præstare, qui candidus sit ac recens et εὐλέπιστος, cujus cortex facile secedat. Interiorem fructus partem, velut amygdala amara, tritam humorem præbere, quo unguentarii ad unguenta pretiosa conficienda utantur (6). Considerandum hic quidem venit, Dioscoridem componere hanc arborem cum tamarice, quod alienum omnino tum a Theophrasti descriptione, tum ab ipsa veritate, quum myrti potius folia referre videatur. Mendosus itaque textus Dioscoridis, atque pro μυρίκης, μυῤῥίνης legendum esse credibile est, quamvis Oribasius ipse, transcripto hoc loco, μ[illegible]κην lege-

(1) Hist. Plant. lib. IV, c. 2, p. 286; ed. Bod.
(2) Theophrast. de odoribus, p. 444, sq. ed. Heins.
(3) Lib. XIV, 57.
(4) De plantis, lib. II, c. 10, p. 1071.
(5) Gesch. der Arzneyk. Th. I, S. 336.
(6) Lib. IV, c. 160, p. 304. Cf. lib. I, c. 148, p. 75

rit (1). Deinde etiam discrepat a Theophrasto, quod interiorem fructus partem tritam oleum unguentarium exhibere contendat, quum Theophrastus potius putamine contuso odoratum reddi illud oleum doceat, sicut et recentiora id probant experimenta. Oleum enim ipsum odore expers, putaminibus fructus contusis additis, fragrans evadit.

Eo oleo Romani, perinde ac Græci, frequenter utebantur, ut et Persii locus (2) inde declarari possit, et medici fructum, tamquam alvum ducentem et vomitum cientem, et adstringentem adhiberent (3). Neque tamen desunt plura Romanorum auctorum loca, ubi longe alium fructum, dactylos nempe, eo nomine insignitum fuisse patet. Plinius quidem glandem unguentariam myrobalani nomine fere eodem modo describit ac Theophrastus et Dioscorides, præter folia, quæ cum heliotropii foliis comparat, quod a veritate omnino recedit. Optimam glandem esse Petræam, nigro cortice, nucleo candido : præterea crescere in Æthiopia, Arabia ac Syria : bene quoque addit, cortices tantum ab unguentariis premi, a medicis nucleos, tundentibus affusa paullatim aqua (4). Uti enim Plinius fere nusquam sibi constare solet, ita et myrobalanum alio loco habet fructum palmæ Ægyptiæ, cui ossa desunt (5). Ita etiam Celsus ex palmulis unguentum parari dicit, ideo μυροβάλανον vocatum (6). Simili plane modo, ubi Veteres φοινικοβαλάνους, dactylos, posuerant, Theodorus Priscianus myrobalana commendat (7). Antiquus denique Alexandri Tralliani interpres disertis verbis φοινικοβαλάνοις auctoris substituendos esse μυροβαλάνους æquivocas, perhibet (8).

Solus fere Galenus cum iis, qui ipsius verba transcripserunt, pristinum servavit loquendi usum. Βάλανον μυρεψικὴν advehi ex Barbaria : uti autem unguentarios carnis ejus succo, quod melius potuisset Galenus ex Theophrasto discere. Reliqua vero terrestria et dura adstringente vi pollere et amara esse, hinc incidentem habere facultatem, vomitum autem quoque ciere et alvum ducere (9).

Arabes vero aliud nomen huic fructui impertierunt, *Been* aut *Hababbeen* appellantes. Descriptiones autem eorum ad unguem fere consen-

(1) Lib. XI, f. 192, b.

(2) Sat. IV, 37 : « Quum tu maxillis balanatum gausape pectis. »

(3) Aret. curat. diut. lib. I, c. 14, p. 128, ed. Boerh; Galen. meth. med. lib. XIII, p. 179; Dioscor. l. c. Galen. apud AEt. tetr. III, serm. 2, cap. 11, col. 524.

(4) Plin. lib. XIII, c. 21.

(5) Lib. XXIII, c. 5.

(6) Lib. IV, c. 9.

(7) Theodor. Priscian. logic. lib. II, c. 28, p. 109. (Basil. 1532, in-4.)

(8) Alex. Trall. lib. VIII, c. 8, p. 436, ed. Guinth. Andernac. Salmas. Plinian. Exercit. p. 930.

(9) Galen. facult. simplic. lib. VI, p. 77; Paull. lib. VII, p. 232.

tiunt cum Dioscoridis historia, nisi Avicenna addat, ciceris formam semina hæc habere: quod utique cum veritate congruit (1). Hinc etiam, qui primi sæculo decimo sexto Arabum plantas cum Græcis componerent, facile perspexerunt, Been Arabum nil aliud esse, quam βάλανον μυρεψικὴν Græcorum (2). Quin ipsi autoptæ, Prosper Alpinus (3), Petr. Bellonius (4) atque Tobias Aldinus (5), uberius eam descripserunt arborem, ut, proxime ad veritatem accedere Theophrasti historiam, pateret.

Christophorus a Costa tandem nomine Indico *Moringa* similem arborem cum fructu atque radice illustravit, radicem supplere in India unicornu et lapidis Bedezahar vices, alexipharmaci itaque loco adhiberi ob acrem vim atque incidentem (6). Uberius autem descripsit, *Murungæ* nomine, non dissimilem plantam Rumphius: folia arboris bipinnata oleribus inservire, copioseque ad eum usum decerpi, unde ἀπαδὴς Theophrasti lumen accipere videtur. Corticem raparum, folia sinapis saporem habere. Florem esse decapetalum, quinque autem petala longissima esse et adeo reflexa, ut pedunculum ipsum tegant: in horum medio alia quatuor locari petala paulo latiora, itidem reflexa, ex albo flavescentia, ad ortum autem virescentia: quintum vero ac infimum petalum longius esse ac instar lingulæ explicatum, quinque gerens stamina cum antheris luteis. Flores maris omnes perire, nec fructus relinquere: feminæ autem flores exarescere in ingentem siliquam, duodecim, imo octodecim pollices longam, trigono-rotundam, cujus substantia sit alba, herbacea, quæque in tres dividi partes possit. In hac substantia medullosa contineri instar majorum pisorum vel lupini semina haud male referentia, quum non sint rotunda, sed fere trigona, tribusque membranulis, pelliculis dictis, siliquam distinguentibus adnecti. Quod superest, per totam fere Indiam copiose eam arborem provenire, *Kellor*que etiam vocari (7).

Quam in hac curatissima descriptione Rumphius exponit structuram floris, eam Burmannus ita exponit, ut decapetalum non proprie posse vocari florem existimet, sed inferiora petala calyci colorato adnumeranda esse, interiora vero irregularem constituere corollam (8). Præviis

(1) Serapion, c. 278, f. 163, c; Avicenn. lib. II, p. 139.

(2) Brasavol. exam. omn. simplic. p. 300; Amat. Lusit. enarrat. in Dioscor. lib. I, c. 135, p. 137; lib. IV, c. 160, p. 471; Dodon. pempt. VI, lib. II, c. 17, p. 778.

(3) De plantis AEgypti, c. 16, f. 26, a.

(4) Observ. lib. II, c. 61, p. 126. Ad montem Sinai arborem copiose provenientem reperit.

(5) Apud Bodæum in Theoph. l. c. p. 301

(6) Aromat. c. 35, p. 278.

(7) Rumph. herbar. Amboin. lib. I, c. 63, p. 184, tab. 74.

(8) Burmann. thesaur. Zeylan. p. 163. Cf. Plukenet. almagest. p. 253.

his arboris historiis fidem hactenus habuit immortalis Linnæus, ut decimæ classi adnumeraret *Moringam*, singularique generi, quod Guilandinæ nomine insigniret. Quum vero fructus forma tantopere differre a cæteris Guilandinæ speciebus acutissimus historiæ naturalis stator videret, polygamamque esse ex Rumphii descriptione conjectaret, monuit eos, quibus vivos obtinere flores contigerit, ut attente eos examinent (1).

Iisdem motus argumentis Adansonius segregavit Moringam aliamque Guilandinæ speciem, *Bonduc*, quum hujus legumen uniloculare, illius multiloculare, hujus grana sphærica sint, illius vero triangularia atque alata (2).

Nostris tandem temporibns dilucide expositum est Moringæ genus a triumviris clarissimis, qui eodem fere tempore in hanc plantam diligenter inquisiverunt, Joanne nimirum Loureiro, Josepho Gartner et Olavo Swartzio.

Primus quidem novum constitnit genus, cui, ob florum irregularitatem, Anomæ nomen impertit. Corollam esse monopetalam, profunde decempartitam, laciniis longitudine subæqualibus, oblongis, subturbinatis, partim obtusis, partim acutis, superioribus adscendentibus. Filamenta decem snbulata, quorum quinque alterna breviora, corollæ basi insistentia, corolla breviora. Germen lineare, superum: stylum longiorem staminibus, stigma simplex. Siliquam longam, rectam, pulposam, unilocularem, multivalvem, polyspermam. Hujus generis alteram speciem in Bengala a se observatam, *Moringum* appellat: foliis alternis, bipinnatis; siliquis polygonis, seminibus triquetro-alatis, differre; alteram vero, *Morungam*, per *Cochinchinam* sponte provenire, folia habere opposita, bipinnata, siliquas trigonas, semina triquetro-alata: tertiam vero *cochinchinensem* dictam, foliis distingui iisdem, quæ Moruuga habeat, seminibus autem subrotundis, nudis. Medicas virtutes trium fere specierum eodem modo exponit, quo Veteres atque Rumphins (3).

Insignem differentiam quivis observabit inter hanc αὐτόπτου et Josephi Gartneri, meritissimi auctoris, descriptionem. Hic enim *Moringæ* generis petala exteriora calyci, interiora corollæ adnumerat; stamina habet decem, inæqualia, discreta: capsulam longissimam, snbulatam, trivalvem, unilocularem: semina globosa, triptera aut aptera, exalbuminosa. Legumen non dici vult capsulam, quia semina non marginibus, sed ipsis mediis valvulis adfixa sint. Triptera semina habere Morungam Rumphii, aptera autem Moringam, quæ Been album sit (4). Quum vero

(1) Linn. spec. plant. vol. II, p. 261, ed. Reichard.

(2) Adanson, famill. des plantes, vol. II, p. 318. (Paris. 1763, in-8.)

(3) Loureir flora Cochinchin. p. 279. (Ulyssip. 1790, in-8.)

(4) Gartner de fruct. et sem. plant. vol. II, p. 314, tab. 147.

Loureiro Moringæ seminibus alas etiam tribuat, nil superest, quam Anomam *cochinchinensem* credere balanum myrepsicam Veterum.

Simili fere modo *Moringam* describit Olavus Swartzius. Calycem nempe habet pentaphyllum, foliolis tribus superioribus, duobus inferioribus, omnibus æqualibus, reflexis, lanceolatis, obtusis, coloratis, albidis, seu pallide-rubris, pubescentibus : corollæ petala quinque, quorum quatuor anteriora æqualia, deflexa, pallida, uuum posticum erectum, paulo majus, albidum : fundum nectariferum : semina denique trigona et trialata, aliis membranaceis. Provenire in Jamaica cultam, seminibus ex India orientali, ut dicatur, olim petitis. Videri itaque diversam a *Guilandinæ* genere, fructu, staminibus et habitu. Radicem esse succedaneum præstantissimum Cochleariæ *Armoraciæ* (1).

Hyperantheræ *peregrinæ* nomine Forskaleus jamjam proposuit arborum genus in Arabia provenientium, quod eodem modo describit, ut Anomam Loureiri exprimat. Legumen proferre spithamale, teres, sexcarinatum, articulatim incrustatum (2). Coli eam in planitiebus Arabiæ, ob odorem fragrantem, præsertim circa Beit-el-fakih (3).

Id genus servavit Martinus Vahl, characterem tribuens ei : corollam inæqualem, calyci insidentem, legumen trivalve, torulosum. Ejus speciem habet Hyperantheram *semidecandram*, floribus semidecandris, foliis bipinnatis, apice simpliciter pinnatis, quæ eadem est ac Hyperanthera Forskalei et Anoma *cochinchinensi* Loureiri (4). Eamdem speciem, quam nostram itaque arbitror esse glandem unguentariam, Lamarkius dicit Gymnocladum *arabicam*.

Multo magis salebrosum adgredior disputationis genus, quod ita illustrare, ut nulla amplius indigeat uberiore expositione, plane despero. Adeo enim abrupta atque obscura apud veteres Arabas myrobalanorum aut heliledesch occurrunt vestigia, ut nequaquam protinus pronunciari possit, quænam arboris species eos fructus tulerit. Neque tamen eo minus experiar, quid meis, utut levissimis, conatis tribuere possim ad illustrandum id genus.

Qui primi τοῦ Heliledsch et Emledsch meminerunt, vetustissimi Arabes, Hhonainus, Masawaihus et Serapion, sæculo nono florentes, distinguunt jam quatuor eorum fructuum species:

1° *Heliledsch al-asfar*, *citrinos*, viridi propiores, plenos, sine rugis.

2° *Al-asud al-hindi*, *nigros*, *indicos*.

3° *Kabeli*, quos *kebulos*, *cepulos* vocarunt. Eos quidem nigros esse, differre tamen a secunda specie. Meliorem cæteris habere saporem.

4° *Sini*, *sinenses*, qui olivis similes, cortice nigro, cæterum citrini sint (5).

(1) Swartz, observ. botanic. p. 167, 168. (Erlang. 1791, in-8.)

(2) Forskal. flor. Arab. p. 67.

(3) Ib. p. XCV, CVII.

(4) Vahl, symbol. botan. P. I, p. 30. (Havn. 1790, in-fol.)

(5) Serapion, c. 107, f. 137, b.

Ab his demum diversi habentur

Emledsch, *Emblici*, quos tamen Hhobeischus componit cum *Heliledsch*, *Kabeli*, ut et *Beliledsch*, *Belliricos*, quos idem componit citrinis (1).

Saporem Heliledsch esse stypticum et amariusculum : virtutem esse frigidam primo et secundo gradu siccam. Purgare flavam bilem et firmare ventriculum, conferre insarctibus abdominalibus et hæmorrhoidibus. Maxime vero et Scharkh Indus, et Hhonain bilem flavam a citrinis, atram a nigris propelli, a kabelinis vero abstergi stomachum et exsiccari perhibent. Edulia ex iis parari cum saccharo et terendschabin, aut cum prunis, sebesten et jujubis. Eodem modo indicat Rhazeus (2).... Aly, Abbatis filius, ignorat quartam *heliledsch* speciem, sinensem, cæterum eadem habet (3).

Præter ea, quæ Veteres jam monuerunt, Avicenna addit, *Heliledsch* componi posse cum *Emledsch* et nuce avellana. Inter *Heliledsch* alios esse immaturos fructus, velut croceos, alios maturos, velut nigros, ideoque diversas haudquaquam esse species, sed ejusdem arboris, vario maturationis gradu. Sinenses esse minutos, esse صنقام *rostratos*. Emledsch pertinere ad heliledsch familiam, parari inde cum lacte *Schir-Emledsch*, edulium : aliudque præparatum vocat *Such*, quod adulteretur gallis et dactylis (4). Miror autem, Dioscoridem ab Avicenna citari, quippe qui nihil plane de heliledsch protulerit, quod explicandum arbitror ex Arabum interpretum more, sua addere iis libris, quos verterent.

Quam proposuerat Avicenna, opinio de eadem arboris specie, quæ quatuor illos fructus proferat, commemoratur etiam a Mesuach (5) : arborem nempe bis fructus largiri, de prima messe nigros esse et citrinos, kebalinos de secunda. Neque tamen negat, se in aliam abire sententiam, quæ diversas potius arbores statuat, quum facultas sit adeo diversa. Landat enim, qui primus stringentes hos fructus cum scammoneo junxerit, ut melius agerent. Kebalinos debere esse subnigros et rubedinis paucæ et graves pondere et crassos. Optimos autem citrinos vergere debere in virorem, gummosum quid monstrare, ubi confracti sint, atque sub cortice spisso continere ossicula parva.

Post hos tandem Arabas Græci recentiores μυροβαλάνων nomen transtulerunt ad hoc fructuum genus, et primum quidem, qui hunc commisit errorem, Zosimus fuit Panopolita, qui φοινικοβαλάνους interpretatus est ἑλιλὲγ ἐν Ἄραψι, additis glossis, χαλιλὲν (ἑλιλὲγ) esse τὰ ξανθὰ μυροβάλανα (6).

(1) Serapion, c. 95, f. 135, c.

(2) Contin. lib. XXIV, c. 825, f. 476, c.

(3) Pract. lib. II, c. 38, f. 101, a.

(4) Avicenn. canon. lib. II, p. 128, 144, 162, 219.

(5) Simplic. f. 48, d. (Venet. 1546, in-fol.)

(6) Du Fresne du Cange, glossar. ad scriptor. med. et infim. græcitat. vol. I, p. 375; Salmas. l. c. p. 930.

Joannes deinde Actuarius inter ea, quæ perquam modice purgent, fructus esse quosdam lignosos, qui ex Ægypto et Syria advehantur (1). Eorum alii lutei, quidam Chebule esse, et qui nigri nuncupentur, omnes communi nomine *myrobalani* vocati. Non solum eos purgare ventriculum, sed robur ipsi etiam addere. Eamdem obtinere facultatem, quos Barbari *Emplitzi* appellent; unde et ex his quinque commistis barbaros sapientes componere *tryphalam* parvam. Porro, quod *Seni* nuncupetur, similem esse fructum, e Sina advectum: drachmæ pondo adsumptum sine noxa purgare, pituitam ac bilem educere (2). Antidotum quoque Nicolaus Myrepsicus prædicat, quod alcancali (ἀγγιλόκαλιν) nominat, ex myrobalanis citrinis, cepulis, indicis, belliricis, et emblicis paratum (3).

His substiterunt medii ævi auctores, quamvis cum Matthæo Sylvatico concederent, emblicas et belliricas ad myrobalanorum genus haudquaquam pertinere (4). Pauca, quæ adderet Marinus Venetus (5), magis adhuc implicarunt doctrinam de myrobalanis. Refert quidem, emblicas e Syria advehi, belliricas ex Memphi, sed myrobalanos reliquos credit ex Peru et Hispaniola apportari, quum eorum species, quas ex herbario Antonii Michaelis, patricii Veneti, acceperat, apprime exprimere viderentur Arabum myrobalanos. Hic vero Americanus fructus producitur Spondia *Myrobalano*, quæ neque in Asia, neque in Africa provenit (6).

Quum nesciam, quonam jure summus vir Linnæus Alpini Agiahalid (7) credat myrobalanum esse chebulam (8), quippe cujus icon potius Lycium referat, missum id facere censeo: Christophoro autem a Costa gratiam habeo, quod primus illustraverit horum fructuum cognitionem (9). Citrinos myrobalanos, a medicis *Aritiqui*, a plebe *Arare* vocatos, nasci in arbore mediocris magnitudinis, foliis sorbi. *Emblicas*, *anuale* dictas, folia minutim incisa, filici fere similia, sed paulo crassiora habere. *Indicorum*, qui *Rezanuale* vocentur, folia esse salicis similia. *Belliricos* rotundos, incolis *Gotin* dictos, folia habere similia laurinis,

(1) Manifesto hariolatur bonus Actuarius, qui inconsideranter undique corradere sua soleret. Ea myrobalana, quorum cognitionem ex Agarenis infestissimis mutuat, nequaquam in Syria aut AEgypto, sed in India orientali proveniunt.

(2) Actuar. method. med. lib. V, c. 8, col. 274, coll. Stephan.

(3) Nicol. Myreps. de antidot. sect. I, c. 24, col. 363, coll. Stephan.

(4) Pandectar. f. 77, a.

(5) Comm. in Mesnen, simplic. f. 49, a. (Venet. 1546, in-fol.)

(6) Eam primus descripsit Sloaneus hist. nat. Jamaic. tom. II, tab. 219. Errat Adansonius, qui Litchi eam esse autumat. Litchi est Dimocarpus Lichi Loureir. p. 233; Bergius, von Leckereyen, Th. I, S. 194.

(7) Alpin. de plant. AEgypt. c. 11, f. 16.

(8) Linn. mat. med. n. 662, ed. Schreber.

(9) Aromat. c. 20, p. 270, ed. calc. Clus. exot.

sed minutiora et tenuiora. Inveniri autem fere per totam Malabariam, Dabul, Cambaya et Batecala. *Chebulorum* arborem se non conspexisse, sed narratum sibi meminisse, folia esse persicorum similia: arbores omnes prunorum magnitudinem habere.

Accessit Garciæ ab Horto (1) bistoria, contra eos præsertim militantis, qui ejusdem arboris esse fructus contenderint. Quinque enim esse diversa arborum genera, in regionibus LX aut C leucis a se remotis nasci. Provenire nonnullas in Goa et Batecala, alias in Malabaria et Dabul. In toto regno Cambayæ quatuor earum genera inveniri: kebalinam vero in Bisnagar, Decan, Guzurate et Bengala. Quatuor illis uti medicos Indos, præter Emblicam, quæ coriis densandis inserviat. Errat tamen Garcias, quum, Avicennam belliricorum non meminisse, atque Delegi dici apud Arabes, contendat.

In eamdem quoque sententiam abit Tournefortius, qui toto cælo differre arbores eas docet (2).

Tandem Rheedius (3) ac Rumphius (4) eas arbores uberius descripserunt. Ille nomine *Nillicamaram*, hic nomine *Boa Malacca* arborem pingere curavit, quam Phyllanthi speciem esse, veramque *Emblicam*, nemo negaverit. Sponte etiam per Cochinchinam provenire Loureiro testatur (5), atque Gartnerus fructus descriptionem exactissimam immortali suo operi inseruit (6).

Arbores autem duas alias, quæ myrobalanos ferre dicuntur, seu belliricos potius, *Panel* et *Tani* nomine descripsit, pictasque servavit Rheedius (7). Namque Plukeneti opinio (8), *Idu-Mulla* (9) magis similem esse belliricæ, mihi non arridet, quum ea arbor potius Sapindus *spinosus* habendus esse videatur.

Adansonium quoque adsentientem habeo, arborem *Panel* ferre myrobalanos, qui sequentibus verbis, specie hos fructus haudquaquam differre, fatetur: « Le Myrobolan Indien est ce fruit encore petit, et dans sa jeunesse de figure alongée : le Belliric est le même dans sa maturité, aussi oblong : enfin le Chebul et le Citrin ne sont que des variétés plus raccourcies et presque sphériques : c'est ce qui a été vérifié dans les Indes tout récemment par un observateur versé dans la botanique (10). » Is etiam decem hujus arboris flori tribuit stamina et quinque petala.

(1) Aromat. hist. lib. I, c. 27, p. 194.
(2) Mat. medic. lib. I, cap. 10, p. 94.
(3) Hort. Malab. vol. I, p. 69, tab. 38.
(4) Herbar. Amboin. auctar. c. 2, p. 1.
(5) Flor. Cochinch. p. 553.
(6) L. c. lib. II, p. 122, tab. 108.
(7) Hort. Malab. vol. II, p. 9, tab. 9; vol. IV, p. 23, tab. 18.
(8) Mantiss. p. 133.
(9) Hort. Malab. vol. IV, p. 43.
(10) Familles des plantes, vol II, p. 447.

Tandem Konigii et Gartneri studiis accidit, ut vere ea arbor finiretur. Is enim primus *Terminaliæ* generi eam adscripsit, quam *Chebule* nomine insignivit (1): hic vero ob cotyledonum spiralem convolutionem omnes myrobalanorum species ad Terminaliæ genus pertinere egregie probavit: belliricam solam a cæteris differre, *kebulos* vero ac *citrinos* et *indicos* manifesto ejusdem arboris esse fructus (2).

Inde efficiendum duco, et kebulos, et citrinos, et indos Terminaliæ *Chebule* Retz. fructus esse. Belliricos vero tribuere audeo Terminaliæ *glabratæ* Forsteri, quam, quum varietatem *T. Calappæ* habuerit Rumphius (3), optime ab ea distinxit Forsterus (4). Differt enim Terminalia glabrata tum foliis utrimque glabris, tum fructu non sulcato, glabro, ovali, apice acuto, compresso et membranaceo, appendiculato, qui bellíricos nostros apprime refert.

Ex liberalitate amicissimi Forsteri acceptam frondem floriferam hujus arboris, nunquam antea pictam, æri incidi curavi. Singularem autem illustris amici in me benignitatem, quam officiis cujusvis generis ubique et patefecit et probavit, perire apud me aut evanescere nunquam patiar.

Ex hac locupletissima Sprengelii dissertatione, quam in hoc loco totam expressimus, Myrobalanos Veterum tum *Græcorum*, tum *Romanorum*, *Arabum* item, hoc ordine describendas censuimus:

Μυροβάλανος Græcorum, id est, βάλανος μυρεψική; *Nux been* Arabum.
Anoma Cochinchinensis Loureir.
Hyperanthera peregrina Forskal.
Hyperanthera semidecandra Vahl.
Gymnocladus Arabica Lamarck. sive *Moringa Arabica* (*Decand. Monogyn.* gen. 1203, Pers. *Leguminos.* Juss.)
Myrobalanus Arabum, *Helileds̈ch* et *Emledsch*, *Beliledsch*.
Phyllanthus emblica Linn. (*Monœc. monad.* gen. 2152, Pers. *Euphorb.* Juss.)
Terminalia chebule, Retz. (*Decand. monog.* gen. 1103, Pers. *Eleægni*, Juss.)
Terminalia glabrata, Forst. (Antiquit. botanic. spec. prim. fine. Sprengel.)

(1) Retz, observ. bot. fasc. V, p. 31.
(2) Gartner, vol. II, p. 90.
(3) Herbar. Amboin. vol. I, p. 174, 175.
(4) De plantis escul. insul. Ocean. austr. p. 52, 53.

EXCURSUS XII

DE BRYO.

Ad ea Plinii verba, lib. XII, cap. 61 :

Eodem et bryon pertinet, uva populi albæ, etc.

De Bryo sic Cl. Gerardus in notis manuscriptis :

« Nous ne révoquons pas en doute la dénomination de *Bryon* appliquée par Pline dans un autre endroit à nne cryptogame parasite, qu'il appelle aussi *Sphagnos*, et qui est une espèce de lichen (*usnea*, ou *Parmelia jabata* des auteurs); mais il nous paraît évident qne le *Bryon* du peuplier blanc est d'une nature toute différente.

« Βρύω signifie germer, flenrir, pousser, pullnler, etc. Ἡ γῆ φυτοῖς βρύουσα καὶ ζώοις, *terra plantis et animalibus scatens. Arist. de Mund.* Ἔμ-βρυον, embryon, terme adopté dans notre langue. On pourrait multiplier les exemples propres à constater davantage les différentes significations de βρύω.

« Ce nom, généralisé de la sorte, a été adapté à d'antres prodnctions végétales bien différentes des mousses; pour s'en convaincre, il suffit d'alléguer ce passage de Pline : *eodem et bryon pertinet, uva populi albæ*. Le mot *uva* est bien expressif; si le *bryum* n'était qu'nne mousse du peuplier blanc, le terme *uva* serait très-déplacé, parce qu'une *mousse* et une *grappe* ne se ressemblent poiut; mais ce qui achève de démontrer qu'il s'agit ici d'une grappe, ou de quelque chose d'équivalent, c'est le passage suivant de Pline : *Eodem et œnanthe pertinet; est autem vitis labruscæ uva;* car on ne saurait discouvenir qn'il ne soit qnestion dans ce second passage d'une véritable grappe, puisque c'est la vigne qui la fournit : or, si Pline s'est servi dn mot *uva* à l'égard de la vigne, n'est-il pas évident qu'en employant le même terme à l'égard dn peuplier blanc, ce terme doit avoir nne acception analogne à celle de la vigne, lequel doit exclure toute idée de mousse ?

« Si le *bryon* de Pline n'était qu'une sorte de mousse qu'on employait à des parfums, cet antenr, en parlant du *sphagnos*, qu'il appelle aussi *bryon*, aurait dû faire mention en même temps du *bryon* du peuplier blanc; ce n'est pourtant que dans un autre chapitre qu'il s'agit de celuici. Je conviens que cette induction n'est pas une preuve de la différence de ces *bryon :* mais j'en trouve nne bien frappante dans les détails que

Pline nous a laissés au sujet de ces deux productions qui portaient le même nom; car, en traitant du *Sphagnos* ou du premier *bryon*, il ajoute *sunt hoc nomine cani arborum villi*, ce qui caractérise bien cette sorte de végétation, et ne permet pas de la confondre avec celle de l'autre *bryon*, qu'il appelle *uva populi*, *uva labruscæ*. »

Postquam Gerardi notam legimus, nullum nobis dubium esse potuit, quin *uva populi albæ* clar. viro fuerit *amentum*, gallice *chaton*, illius arboris. (*Populus alba; amentum cylindraceum*, etc. gen. 2249, Pers. *Amentac.* Juss.) Certe vix intelligimus quid amenta populea conferre possint ad rem unguentariam. Non tamen absurdum est fuisse illa in usu (de masculis loquor, non de femineis quæ in lanuginem abeunt), propter notabilem, qua referta sunt, copiam pollinis, id est, prolifici pulveris, resinacea præditi natura, et aromate aliquo fortasse non destituti.

C. PLINII SECUNDI

NATURALIS HISTORIÆ

LIBER XIII.

I. HACTENUS in odoribus habent pretia silvæ: erantque 1
per se mira singula: juvitque luxuria[1] omnia ea miscere, et e cunctis unum odorem facere: ita reperta sunt unguenta. (I.) Quis primus invenerit non traditur. Iliacis[2] temporibus non erant: nec thure supplicabatur; cedri tantum[3] et citri suorum fruticum in sacris fumo convolutum nidorem noverant[4], jam rosæ succo reperto: nominatur[5] enim id quoque in olei laude[6]. Unguentum Persarum genti[7] se debet.
Illi madent eo, et accersita commendatione, ingluvie na- 2

I. 1. *Luxuria*. Sic emendavit Hard. adstipulante Chiffletio. Elz. *juvit luxuriam.* ἀσυνδέτως, Gronov. et vett. editt. *juvitque luxuriam.* ED.

2. *Iliacis temporibus*. Unguenti meminit Homerus Iliad. Ξ, his versibus: ἀλείψατο δὴ λίπ' ἐλαίῳ, Ἀμβροσίῳ, ἑδάνῳ, τό ῥά οἱ τεθυωμένον ἦεν... Ἔμπης ἐς γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἵκετ' ἀϋτμή. DALEC. — *Iliacis*, etc. Non erant, inquit, iis temporibus ea genera unguentorum ac nomina quæ luxuria excogitavit, quum e multis simul permixtis unum odorem fecit. Hic Plinium perperam incusat, quem non intelligit, Hieron. Mercurialis, lib. de Decor. c. ult. Vide Athen. lib. XV, p. 688. H.

3. *Cedri tantum*, etc. Vide quæ dicturi sumus cap. 30. HARD.

4. *Fumo convoluto nidorem*. Plaut. in Menæchm. « Sternite lectos, incendite odorem; Munditia illecebra est animo amantum. » DALEC. — *Nidorem verius quam odorem noverant* Gron. et editt. vett. ED.

5. *Nominatur*. Homer. Iliad. Ψ, vers. 186: ῥοδόεντι δὲ χρῖεν ἐλαίῳ Ἀμβροσίῳ. HARD.

6. *In olei laude*. Id est, appellatione et vocabulo. Turn. in Theophr. lib. de Odoribus. DAL.

7. *Unguentum Persarum genti se debet*, etc. Locum hunc ita refinximus admonitu codd. Reg. Colb. et Paris. quum prius perperam legeretur, *Persarum esse debet gentis unguentum*. Salmasium non audio, qui pag. 947 in Solin. pro *ingluvie*, quæ vox paulo post sequitur, *inluvie* reponit, et ἀλουσίαν, seu balnei et lavationis neglectum ea voce si-

tum[8] virus exstinguunt. Primum, quod equidem inveniam, castris Darii[9] regis expugnatis, in reliquo ejus apparatu Alexander[10] cepit scrinium unguentorum. Postea[11] voluptas ejus a nostris quoque inter laudatissima atque etiam honestissima vitæ bona admissa est; honosque et ad defunctos[12] pertinere cœpit. Quapropter plura de eo dicemus. Quæ ex his[13] non erunt fruticum, ad præsens nominibus tantum indicabuntur : natura vero eorum suis reddetur locis.

1 II. Unguentis cognomina dedere aliis patriæ, aliis succi, aliis arbores, aliis causæ[1]: primumque id scire convenit, mutatam[2] auctoritatem, et sæpius transisse gloriam. Lau-

guari hoc loco putat. — *Et arcessita.* Et adsciscunt, arcessuntque unguento commendationem *eo nomine*, *quod ejus ope* fœtorem oris ex ingluvie ortum exstinguunt. H. — Gronov. et alii, *Persarum esse debet gentis unguentum.* Ed.

8. *Ingluvie natum.* Ex ingluvie natum fœtorem oris et animæ, unguentorum copia vincere nituntur. Persarum notat intemperantiam, sive Parthorum, qui quanto plus biberint, tanto plus sitiunt, ut dicitur lib. XIV, cap. 28. Hard.

9. *Castris Darii.* Plinium transscribit hic Solin. cap. XLVI, p. 74. Egit de hoc scrinio unguentorum jam antea Plin. lib. VII, c. 30. H.

10. *Alexander cepit. Postea voluptas* ejus, ita loquitur, quasi proxime præcessisset *unguenti*, non *unguentorum*. Quod præcedit sic legendum: *unguentum Persarum genti se debet.* Unguentum hoc ipsum quod sit in rerum natura et usu, debet se Persarum genti. Vide Salmas. pag. 947.

11. *Voluptas ejus.* Unguenti scil. Respicit enim ad superiorem sententiam, *Unguentum Persarum genti se debet.* Hard.

12. *Ad defunctos.* Lepide Martialis dicterium inde traxit in hominem, qui convivas exterius affatim, interius parce perfuderat. Lib. III, ep. 12 : « Unguentum fateor, bonum dedisti Convivis, here, sed nihil scidisti. Res salsa est, bene olere, et esurire. Qui non cœnat, et ungitur, Fabulle, Is vero mihi mortuus videtur. » Hard. — Sic e MSS Hard. *honosque is et ad* Gron. et edd. ante Hard.

13. *Quæ ex his.* Quæ unguenta erunt non ex fruticibus, sed ex herbis, arboribusve conflata. H.— *Non erunt fruticum.* Sed vel seminum, vel herbarum. Dal.

II. 1. *Aliis causæ.* Ut megalium, propter gloriam et commendationem : regale, propter Parthorum reges, quorum causa ita temperabatur. Hard.

2. *Mutatam.* Aliud alia ætate un-

datissimum fuit antiquitus in Delo insula : postea Mendesium[3]. Nec mixtura et compositione tantum hoc accidit : sed iidem succi varie alibi ad quælibet prævaluere, aut degeneravere : Irinum[4] Corinthi diu maxime placuit, postea Cyzici : simili modo rhodinum Phaseli[5] : quam gloriam abstulere Neapolis, Capua, Præneste. Crocinum[6] in 2
Solis Ciliciæ diu maxime laudatum, mox Rhodi. Œnanthinum[7] in Cypro, postea Adramytteo. Amaracinum[8] in Coo : postea eodem loco[9] prælatum est Melinum. Cyprinum[10]

guentum in pretio fuisse. Hard. — *Mutatam auctoritatem*. Dalec. codd. Chiffl. *mutata auctoritate*. Ed.

3. *Mendesium*. Paulus Ægineta, lib. VII, cap. 18, ita vocatum fuisse scribit, quod in Ægypto sit inventum, ubi Mendes colitur. Mendes hircus est. Sic autem Panem Mendesii vocabant, quod illum effigie hirci colerent. Dalec. — Ab Ægypti nomo, seu præfectura, id nomen ei unguento datum. Ea enim genera nunc Plinius enumerat, quibus patriæ appellationem dedere. Hard.

4. *Irinum*. Quod fit ex iride, de qua dicetur lib. XXI, c. 19. Habet eadem Apollonius Herophili discipulus ac sectator, cujus orationem de eo argumento satis prolixam ex libro *de Unguentis* recitat Athen. lib. XV, pag. 688 : Ἶρις μὲν ἐν Ἤλιδι χρηστοτάτη, καὶ ἐν Κυζίκῳ, etc. Hard.

5. *Phaseli*. In confinio Lyciæ, Pamphyliæque, lib. V, cap. 26. Ibi rhodinum prævaluit, quod ex rosa. Apollonius : Ῥόδινον δὲ κράτιστον ἐν Φασήλιδι, καὶ τὸ ἐκ Νέας δὲ πολέως, καὶ Καπύης. Hard.

6. *Crocinum*. Ex croco. Apollonius totidem iterum verbis : Κρόκινον δ' ἐν Σόλοις τοῖς Κιλικίοις, καὶ ἐν Ῥόδῳ. Hard.

7. *Œnanthinum*. Ex œnanthe, de qua lib. sup. c. 62. In libris vulgatis hæc interseruere Plinii interpolatores : *deinde in Ægypto præpositum :* quod nescio unde haustum sit : nam neque ea verba MSS. ulli agnoscunt, neque Apollonius ipse, cujus oratio est simillima Plinianæ : Οἰνάνθη δὲ Κυπρία, inquit ille, καὶ Ἀδραμυττηνή. Theophr. lib. de Odoribus, pag. 187 : Οἰνάνθινον ἐν Κύπρῳ. Hard.

8. *Amaracinum*. Ex amaraco, de quo lib. XXI, cap. 35. Ἀμαράκινον δὲ Κῷον, inquit Apollonius, καὶ μήλινον. Hard.

9. *Eodem loco*. In Coo præclarum est unguentum melinum quod a malis coloneis, ex quibus fiebat, nomen invenit, ut dicetur lib. XXIII, c. 54. An vero Apollonii mens ea fuerit, an Μήλινον intellexerit, amaracinum quod in Melo insula pararetur, alii æstiment. H.

10. *Cyprinum*. Quod ex cypro Ægyptia arbore, de qua superiore libro, c. 52. Apollonius : Κύπρινον δὲ προκέκριται τὸ ἐν Αἰγύπτῳ· δεύτερον δέ ἐστι τὸ Κυπριακὸν, καὶ τὸ ἐν Φοινίκῃ, καὶ ταύτης τὸ ἀπὸ Σιδῶνος. H.

in Cypro, deinde in Ægypto, ubi Mendesium[11] et Metopium subito gratius factum est. Mox hæc abstulit Phœnice, et Cyprini laudem Ægypto reliquit. Panathenaicon[12] suum Athenæ perseveranter obtinuere. Fuerat et Pardalium[13] in Tarso: cujus etiam compositio et mixtura obliterata est. Narcissinum quoque ex flore narcisso[14] desiit
3 componi. Ratio faciendi duplex[15]: succus, et corpus. Ille olei generibus fere constat, hoc odorum. Hæc stymmata vocant[16], illa hedysmata. Tertius inter hæc est[17] colos,

11. *Mendesium*, etc. De utroque mox dieetur. Apollonius: Τὸ δὲ Μετώπιον καὶ Μενδήσιον κάλλιςα ἐν Αἰγύπτῳ σκευάζεται. Hard.

12. *Panathenaicon.* Apollonius: Τὸ δὲ Παναθηναϊκὸν λεγόμενον ἐν Ἀθήναις. Hard.

13. *Pardalium.* Neque illud solum, sed et nardinum: nisi sit fortassis idem: nam Apollonius, loc. cit. Νάρδινον δὲ τὸ ἐν Τάρσῳ. H.

14. *Ex flore narcisso.* Vide lib. XXXI, cap. 75. Hard.—*Narcisso.* Sic ex MSS. emendavit Hard. consentiente Chifflet. *ex flore narcissi* Gronov. et alii. Ed.

15. *Ratio faciendi duplex.* Duo sunt, inquit, quibus confectio nardi constat: succus, sive oleum: et corpus, sive odores. Oleum, quod et ἥδυσμα, condimentum est, quo veluti condiuntur odores. Odores ipsi corpus sunt, qui in oleum adduntur, ut serventur quasi conditi. Sic in salgamis, conditurae vicem muria obtinet; herbæ, pira, mala, cæteraque similia, corporis. Hesychio ἥδυσμα eo sensu ἄρτυμα, condimentum, dicitur. Στύμματα odores, sive aromata vocitantur, quod in oleum additi corpus faciunt, et oleum spissant. Sic Galen. ςύμματα accepit, κατὰ τόπους, lib. III, c. 1. Hæc aliter Dioscorides: quem qui semper in partes vocat, ut Plinium intelligat, male calculum ponit. Hard.

16. *Hæc stymmata vocant.* Lego, « partim stymmata vocant, partim hedysmata. » *Cornarius.*—Stymmata olim nominarunt aromata, quibus scil. in unguentorum compositione oleum spissabant: ea Dioscorides fere numerat xylobalsamum, juncum, calamum: hedysmata vero ea, quibus spissatum oleum suavi odore imbuebant et perfundebant. Ea recensere solet Dioscor. amomum, nardum, myrrham, balsamum, carpobalsamum, costum, amaracum. Dalec.

17. *Tertius inter hæc est colos.* In ungentis quatuor spectantur: succus qui est oleum quodvis inodorum, tenuissimum, et minime pingue, ut balaninum: corpus quod est partim stymma, sive spissamentum, nempe quod oleum adstringit, odorem ut melius combibat, et pertinacius retineat, quemadmodum tinctores principio medicamentis quibusdam pannos imbuunt et præparant: partim hedysma, sive condimentum, cujus odorem

multis neglectus. Hujus causa adduntur cinnabaris[18] et
anchusa. Sal aspersus olei naturam coercet[19]. Quibus an-
chusa adjecta, sal non additur. Resina aut gummi adji-
ciuntur ad continendum odorem in corpore. Celerrime is
evanescit atque defluit, si non sunt hæc addita. Unguen- 4
torum expeditissimum fuit, primumque, ut verisimile est,
e bryo[20] et balanino oleo. Increvit deinde Mendesium[21],
balanino resina mixta, magisque etiamnum Metopio[22].
Oleum hoc est[23], amygdalis amaris expressum in Ægypto.
Cui addidere omphacium[24], cardamomum, juncum, cala-
mum, mel, vinum, myrrham, semen balsami, galbanum,
resinam terebinthinam. E vilissimis quidem hodieque 5
est, ob id creditum et in vetustissimis esse, quod constat
oleo myrteo[25], calamo, cupresso, cypro, lentisco[26], ma-
logranati cortice. Sed divulgata maxime unguenta credi-
derim rosæ, quæ plurima ubique gignitur. Itaque simpli-

unguentum potissimum refert : color de quo multi non valde sollicitі sunt : magma, sive fæx. Diosc. cap. de fuligine thuris χρωματισμὸν μύρων vocat, et ad id resinam coctam laudat. Daleo.

18. *Cinnabaris*, etc. De cinnabari, lib. XXXIII, cap. 39. De anchusa, lib. XXII, cap. 23. Admisceri anchusam (*Anchusa tinctoria*, Pers. p. 159) ad unguenti colorem auctor est etiam Theophrast. lib. de Odoribus, pag. 189. H.

19. *Coercet*. Ne rancescat : πρὸς τὸ μὴ φθείρεσθαι, Diosc. I, 53. H.

20. *E brya*. De bryo, lib. sup. cap. 50. De balanino oleo, c. 46 ejusdem libri. Hard.

21. *Mendesium*. Cui parando balaninum oleum, resinamque, casiam ac myrrham Diosc. desiderat, lib. I, cap. 72. Aliud est Galeni, forte Mendesium, quod ex liliis conficit et aromatibus, Explic. voc. Hipp. tom. II, pag. 81. Hard.

22. *Metopia*. Id ei unguento nomen, propter admixtum galbanum. Lignum enim e quo galbanum emanat, μετώπιον Ægyptiis appellatur. Ita Diosc. lib. I, cap. 71. Hard.

23. *Oleum hoc est*. Sic Dioscor. loco citato, et Apollonius apud Athenæum, loco citato. At Galenus proxime ante laudatus, ex spinæ Ægyptiæ flore fieri metopium prodidit. Hard.

24. *Omphacium*. De quo lib. sup. cap. 60. Hard.

25. *Oleo myrteo*. Iisdem ferme verbis oleum myrteum conficit Dioscorid. lib. I, cap. 48. Hard.

26. *Cypro, lentisco*. Dioscorides, κυπείρῳ, σχοίνῳ, hoc est, cypero, junco. Plinius apud eum scriptorem, unde istud hausit, κύπρῳ, σχίνῳ, legit. Hard.

cissima rhodini[27] mixtura diu fuit, additis omphacio, flore rosæ, crocino, cinnabari, calamo, melle, junco, salis flore aut anchusa[28], vino. Similis ratio et in crocino, additis cinnabari, anchusa, vino. Similis et in sampsuchino[29],
6 admixtis omphacio, calamo. Optimum hoc in Cypro et Mitylenis, ubi plurima sampsuchus. Miscentur et viliora genera olei e myrto, lauro, quibus additur sampsuchinum, lilium, fenum græcum, myrrha, casia, nardum, juncus, cinnamomum. E malis quoque cotoneis et struthiis fit oleum (ut dicemus[30]) melinum, quod in unguenta transit, admixtis omphacio, cyprino, sesamino, balsamo, junco, casia, abrotano. Susinum[31] tenuissimum omnium est. Constat ex liliis, balanino, calamo, melle, cinnamomo,
7 croco, myrrha. Et idem[32] cyprinum ex cypro, et omphacio, et cardamomo, calamo, aspalatho, abrotano. Aliqui et in cyprinum addunt myrrham et panacem[33]. Hoc optimum Sidone[34], mox Ægypto, si non addatur sesaminum oleum. Durat et quadriennio. Excitatur cinnamomo. Telinum[35] fit ex oleo recenti, cypero, calamo, meliloto, feno

27. *Rhodini.* Rosacei, de quo Dioscorides, lib. I, cap. 53. *L'huile rosat.* HARD.

28. *Aut anchusa.* Diosc. loc. cit. utrumque adhibet, anchusam et salem: ἄγχουσαν καὶ ἅλας. At Plinius superius admonuit, quibus anchusa adjecta esset, salem non addi. H.

29. *Sampsuchino.* Ex sampsucho, sive amaraco (*Origanum majoranoides*), de quo libro XXI, cap. 35. Ut sampsuchinum paret Diosc. simili fere ratione, vide lib. I, c. 58. HARD.

30. *Ut dicemus.* Lib. XXIII, c. 55. De unguento melino Diosc. lib. I, cap. 55. HARD.

31. *Susinum.* Σούσινον, hoc est, lirinum, sive liliaceum: de quo eadem fere Dioscorides, I, 62. HARD.

32. *Et idem.* Hoc est, pariter tenuissimum. De cyprino eadem fere Dioscorides, lib. I, cap. 65, et Theophrast. lib. de Odoribus, pag. 187. HARD.

33. *Panacem.* De quo libro sup. cap. 57. Hujus succum, qui opopanax dicitur, in cyprinum unguentum aliqui addunt. HARD.

34. *Sidone.* Phœniciæ urbe. Apollonius ante appellatus, apud Athen. lib. XV, pag. 688, cyprinum quoque laudat τὸ ἐν Φοινίκῃ, καὶ ταύτης τὸ ἀπὸ Σιδῶνος. Sed eidem præfert Ægyptium: adeo frequenter unguentorum mutata auctoritas est. H.

35. *Telinum.* Nomen habet ἀπὸ τῆς τήλεως, hoc est, a feno græco,

græco, melle, maro[36], amaraco. Hoc erat celeberrimum Menandri[37] poetæ comici ætate. Postea multo successit propter gloriam appellatum megalium[38], ex oleo balanino, balsamo, calamo, junco, xylobalsamo, casia, resina. Hujus proprietas, ut ventiletur in coquendo, donec desinat olere: rursus refrigeratum odorem suum capit. Singuli quoque 8
succi[39] nobilia unguenta faciunt. In primis malobathrum[40], postea iris Illyrica, et Cyzicena amaracus: herbarum utraque[41]. Pauca his, et alia alii miscent: qui plurima, alter-

de quo lib. XXIV, cap. 120 (*Trigonella fenum græcum*, Linn.) Eadem de telini confectione, Dioscorides, lib. I, cap. 57, ubi accuratius de singularum rerum pondere. Hard.

36. *Maro*. De eo diximus, libro superiore, cap. 53. Et illud in unguentis adhibet Theophrast. lib. de Odoribus. Hard.

37. *Menandri*. Vide Auctorum Ind. t. I, pag. 198 edit. nost. Ed.

38. *Megalium*. A magnitudine virium nomen habet. Ephesi primum laudatum, mox Alexandriæ, unguentum Μεγάλειον, auctor est Athenæus, lib. XV, pag. 689. Ejus conficiendi rationem eamdem tradit Theophrast. de Odor. pag. 188. A magnitudine virium id ei unguento nomen adscriptum, Plinium secuti diximus. Neque nos tamen præterit scriptores alios in alias abire partes. Nam a Siculo quodam, cui Megalo nomen fuit, appellationem deductam ait Sosibius apud Athenæum, lib. XV, pag. 690. Et Jul. Pollux, lib. VI, cap. 19, pag. 296: Μύρον Μεγαλεῖον ἀπὸ Μεγάλου Σικελιώτου. Suidas quoque, tom. II, pag. 112, et ante istos Galen. κατὰ τόπους, lib. II, cap. 2, pag. 380. Quin et de nomine discrepant. Nam Helladius in Chrestomathia apud Photium in Bibl. cod. 279, pag. 1585, Μύρον Μεταλεῖον, inquit, ὅπερ εὗρε Μέταλος Συρακούσιος. Hesychius quoque: Μετάλλειον μύρον... Μέταλλος γάρ τις Σικελιώτης τὴν τοῦ Μεταλλείου μύρου κατασκευὴν εὗρεν· μέμνηται δὲ καὶ Φερεκράτης. Hard.

39. *Singuli quoque succi*, etc. Legend. « Singuli quoque succi nobilia unguenta faciunt, in primis malabathrum, postea iris Illyrica et Cyzicena amaracus, herbarum utraque; pauca his et alia alii miscent. » Malabathrum succus est, id est, oleum quod ex malabathro exprimitur. *Herbæ* sunt iris et amaracus, quarum succus, id est, oleum per se unguentum faciunt, quibus pauca et alia alii miscent. Salmas. pag. 468.

40. *Malobathrum*. De quo libro sup. cap. 59. Hard.

41. *Herbarum utraque*. E genere herbarum utraque. Ita rescripsimus admonitu codd. Reg. Colb. et Par. quum prius perperam legeretur, « Herbarii in utraque pauca, sed alia alii, etc. » perinde ac si herbariorum munus foret, odores miscere, non myropolarum potius, seu unguentariorum. Hard.

utri mel, salis florem, omphacium, agni folia[42], panacem, externa omnia[43]. Prodigiosa cinnamomino pretia. Adjicitur cinnamo[44] balaninum oleum, xylobalsamum, calamus, juncus, balsami semina, myrrha, mel odoratum: unguentorum hoc crassissimum[45]. Pretia ei a x. xxv[46] ad x. ccc. Nardinum, sive foliatum[47], constat omphacio, balanino, junco, costo, nardo, amomo, myrrha, balsamo. In hoc genere conveniet meminisse, herbarum, quæ nardum Indicum imitentur, species novem[48] a nobis esse dictas: tanta materia adulterandi est!
9 Omnia autem acutiora fiunt costo, amomo, quæ maxime nares feriunt: crassiora myrrha, suavioraque: medicinæ autem utiliora croco: acerrima per se amomo. Hoc et capitis dolores facit. Quidam satis habent aspergere[49], quæ sunt pretiosissima, cæteris[50]

42. *Agni folia.* Hoc est, viticis, quem Græci agnon vocant, ut dicetur lib. XXIV, cap. 38. Hard.

43. *Externa omnia. Prodigiosa cinnamomino pretia.* Hic locus in edd. ante Hard. lib. corruptus; quanquam lectionem sinceram jampridem restituerat Pintianus, quem sequimur. Legebatur antea: *externa omnia et prodigiosa. Cinnamomino*, etc. Nobiscum facit Brot. Ed.

44. *Adjicitur cinnamo*, etc. Hæc totidem verbis Dioscorides, lib. I, cap. 74: Κινναμώμινον δὲ ἔκ τε ἐλαίου βαλανίνου, καὶ στυμμάτων ξυλοβαλσάμου, καλάμου, σχοίνου· ἡδυσμάτων δὲ κινναμώμου, βαλσάμου καρποῦ, σμύρνης τετραπλασίονος παρὰ τὸ κιννάμωμον σκευάζεται· μίγνυται δὲ καὶ μέλι εἰς τὴν φύρασιν, κ. τ. λ. Ed.

45. *Crassissimum.* Quam qnidem crassitudinem a myrrha obtinet, inquit Dioscorides, loc. citat. quod et Plinius post paulo affirmat. H.

46. *A X. XXV ad X. CCC.* A denariis xxv ad denarios ccc. H. —Sic Hard. ex MSS. Denarii viceni quini, sunt monetæ gallicæ 17 fr. 79 c. Trecenti, 191 fr. 10 c. Ed.

47. *Sive foliatum.* A folio nardi, de quo libro super. cap. 27. Hæc Dioscorides totidem verbis, lib. I, cap. 75: Τὸ καλούμενον ῥωμαϊστὶ φουλίατον, Galeno κατὰ τόπους, lib. III, cap. 1, pag. 391. Hard.

48. *Species novem.* Super. libro, c. 26 et 27. Eæ sunt: pseudonardus, nardus Syriaca, Celtica, Cretica, cyperus, cypirus, baccharis, hirculus, asarum. Hard.

49. *Quidam satis habent aspergere.* De Mendesio tantum id Dioscorides, cui ea parsimonia cinnamomum additur. Dalec.

50. *Cæteris decoctis.* His verbis subjungunt ista libri vulgati, « impendio parcentes: sed non eadem est vis, nisi una decoctis, » quæ

decoctis. Myrrha et per se[51] unguentum facit sine oleo, stacte dumtaxat: alioqui nimiam amaritudinem affert. Cyprino viride fit, susino unguinosum[52], Mendesio nigrum, rhodino candidum, myrrha pallidum. Hæc sunt antiquæ inventionis genera, et postea officinarum furta. Nunc dicetur cumulus ipse deliciarum, et summa auctoritas rei. (II.) Ergo regale[53] unguentum appellatum, quoniam Parthorum regibus ita temperatur : constat[54] myrobalano, costo, amomo, cinnamo, comaco[55], cardamomo, nardi spica, maro, myrrha, casia, styrace, ladano, opobalsamo, calamo, junco, œnanthe, malobathro, serichato, cypro, aspalatho, panace, croco, cypiro, amaraco[56], loto[57], melle,

nulla omnino MSS. exemplaria agnoscunt, non Reg. 1, 2, aut Colb. 1, 2, 3, aliive : idcirco ea, ceu spuria adjectitiaque erasimus. H.

51. *Myrrha et per se.* Hoc est, sola. Dioscorides, lib. I, c. 73, Στακτὴ, inquit, vocatur pinguitudo recentis myrrbæ cum aqua exigua contusæ et expressæ : ea perquam odorata ac pretiosa est : quippe quæ unguentnm per se faciat, quod stacte nominatur: καὶ καθ' ἑαυτὴν οὖσα, μύρον τὸ καλούμενον ςακτὴ, etc. H.

52. *Susino unguinosum.* Pinguiusculum. Unguen succus est paulo pinguior, ex quo aliquid ungi potest. Usus ea voce Plinius iterum, lib. XXIII, cap. 77. Hard.

53. *Ergo regale.* Βασίλειον μύρον, Cl. Alex. Pædag. lib. II, pag. 177, et Crateti apud Athen. lib. XXV, pag. 690; βασιλικὸν dicitur Galeno κατὰ τόπους, lib. III, cap. 1, pag. 391. Hard.

54. *Constat myrobalano.* Unguenta ex variis odoribus temperat. Empedocles apud Athenæum, p. 251, v. 37, vocat μύρους δαιδαλεόδμους· Γραπτοῖς δὲ ζώοισι, μύροις τε δαιδαλεόδμοις. Dalec. — Hæc Theophr. Histor. plantarum, lib. IX, capite 7. Hard.

55. *Cinnamomo, comaco.* Legendum, ut supra ostensum est, *comaco*, non *comaro* : sic enim habent et scripta et excusa omnia exemplaria. Pint. — *Comaco.* Ita MSS. omnes, non *comaro* : et Theophrast. ipse, loco citato. De cinnamo comaco, superiore libro, cap. 63. De calamo, juncoque Syrio, cap. 48. De serichato, capite 45 ejusdem libri. Hard.

56. *Cyprio, amaraco, colato melle,* etc. Exemplar Toletanum, *Cypro, amara, coloto.* Scribo, *Cypro, amaraco, loto*, ex Theophrasto, lib. IX de Stirpibus. Pint.

57. *Loto, melle.* Vulgg. ante Hard. lib. *colato melle.* Exemplar Toletan. *amaraco, coloto*, prave, ut sæpius fieri solet, ultima præcedent. vocis syllaba *co* a librario repetita; unde genuinam lect. refinxit Pintianus,

vino. Nihilque ejus[58] rei causa in Italia victrice omnium, in Europa vero tota, præter irin Illyricam, et nardum Gallicum[59], gignitur. Nam vinum, et rosa, et myrti folia, oleumque, communia fere omnium terrarum intelliguntur.

1 III. Siccis odoribus constant, quæ diapasmata[1] vocantur. Nam fæcem unguenti magma[2] appellant. Inter omnes potentissimus odor[3], quisquis novissime additur. Unguenta[4]

adjuvante Theophrasto, IX, 7, cujus hæc verba sunt: Οἷς μὲν οὖν εἰς τὰ ἀρώματα χρῶνται, σχεδὸν τάδε ἐστί· κασία, κιννάμωμον (καρδάμωμον, νάρδος), ναῖρον, βάλσαμον, ἀσπάλαθος, στύραξ, ἶρις, νάρτη, κόστος, πάνακες, κρόκος, σμύρνα, κύπειρον, σχοῖνος, κάλαμος, ἀμάρακον, λωτὸς, ἄνηθον. « Quibus, inquit, ad unguenta utuntur, hæc fere sunt casia, cinnamomum, nerum, balsamum, aspalathus, styrax, consecratrix, narta, costus, ligusticum, crocum, myrrha, gladiolus, juncus, calamus, amaracus, lotus, anethum, etc. » De iis singulis aut jam superiore libro diximus, aut dicemus in posterioribus. Ed.

58. *Nihilque ejus.* Notandum est, quatuor illa verba antecedentis capitis, duodecimo fere a calce versu, *externa omnia et prodigiosa*, illic per errorem posita hic inseri debere: ut sic scribendum putem: « Externa omnia et prodigiosa. Nihilque in Italia victrice omnium, in Europa vero præter irin Illyricam et nardum Gallicum nascitur. » Nam verba illa, *ejus rei causa*, adventitia putamus, et supra verba illa *victrice omnium*, scripta ab aliquo, qui exponere voluit, ideo fuisse Italiam victricem omnium, quod ab hujusmodi deliciis abstinuisset. Pint.

59. *Nardum Gallicum.* Et cyperum. Dalec.

III. 1. *Diapasmata.* Sunt odores sicci, sive in pulverem triti, ut corporibus inspergantur ad sudores coercendos, ut Plinius docet, lib. XXI, c. 73, sive in pastillis mixti, ad fœtorem oris et animæ depellendum: quo sensu Martialis, lib. I, epigr. 88: « Ne gravis hesterno fragres, Fescennia, vino, Pastillos Cosmi luxuriosa voras. Ista linunt dentes jentacula: sed nihil obstat, Extremo ructus quum venit a barathro. Quid quod olet gravius mixtum diapasmate virus, Atque duplex animæ longius exit odor, etc. » Qui diapasmata componunt, inquit Theophr. lib. de Odoribus, pag. 183, sicca siccis: qui unguenta, humida humidis: unguentarii, μυρεψοὶ, humida siccis admiscent. H.

2. *Magma.* Μάγμα, unde κροκόμαγμα, Diosc. lib I, cap. 26. Gallis, *le marc*, sive, ut vulgo pronuntiant, *le mar*. Hard.

3. *Inter omnes potentissimus odor.* Ἐπικρατεῖ γὰρ τὸ ἔσχατον ἐμβαλλόμενον, κἂν ἔλαττον ᾖ. Theophr. lib. de Odoribus, pag. 185. Dalec.

4. *Unguenta optime.* Cod. Chiffl. *unguenta optima.* Ed.

optime servantur in alabastris[5], odores in oleo: quod diuturnitati eorum tanto utilius est, quanto pinguius, ut ex amygdalis[6]. Et ipsa unguenta vetustate meliora. Sol inimicus[7] his : quamobrem in umbra coquuntur plumbeis vasis[8]. Experimentum eorum inversa manu capitur[9], ne carnosæ partis calor vitiet.

IV. (III.) Hæc est materia luxus e cunctis maxime 1
supervacui. Margaritæ enim gemmæque ad heredem tamen transeunt: vestes prorogant tempus : unguenta illico exspirant, ac suis moriuntur horis. Summa commendatio

5. *In alabastris*. Et plumbeis vasis. Theophrast. lib. de Odoribus. Dalec. — Vide lib. XXXVI, cap. 12. Hard.

6. *Ut ex amygdalis*. Theophrast. loco citato, pag. 184 : Τοῦτο γὰρ χρονιώτατον..... ἐπεὶ φύσει ἥκιστα δεκτικὸν ὀσμῆς διὰ τὴν πυκνότητα καὶ τὸ λίπος· αὐτῶν δὲ τούτων τὸ λιπαρώτατον, οἷον τὸ ἀμυγδάλινον. « Oleum enim ætatem ferre diutissime potest... alioqui suapte natura omnium minime odorem concipit, propter densitatem ac pinguitudinem : eorumque pinguissimum quodque, ut ex amygdalis. » Qui hunc locum non vidit Dalecampius, dissidere Plinium a Theophrasto credidit. H.

7. *Sol inimicus*. Theophrast. loco citato, pag. 19 : Διαφθείρει δὲ τὰ μύρα καὶ ὥρα θέρμη, καὶ τόπος, καὶ ὁ ἥλιος, etc. « Corrnmpit, inquit, unguenta calida tempestas, locus, sol, si in aprico ponantur. Quocirca unguentorum institores cœnacula quærunt, et umbras opacissimas. Sol enim et æstus odores aufert... Proinde in vascula plumbea diffundunt, εἰς ἀγγεῖα μολυβδᾶ ἐγχέουσιν, et alabastros requirunt, quia frigidus ille est lapis, et unguentis utilissimus. »

8. *Coquuntur plumbeis vasis*. Quidam legunt, *coquuntur ac conduntur plumbeis vasis*. Theophr. Διαφθείρει δὲ τὰ μύρα καὶ ὁ ἥλιος, ἂν τεθῶσι. Διὸ καὶ οἱ μυροπῶλαι καὶ ζητοῦσι τὰς οἰκίας ὑπερῴους, καὶ μὴ προηλίους, ἀλλ' ὅτι μάλιστα παλισκίους. Et paulo infr. διὸ καὶ εἰς ἀγγεῖα μολυβδᾶ ἐγχέουσι, καὶ τοὺς ἀλαβάστρους ζητοῦσι τοιούτου λίθου. Plumbeis vasis duplicibus inquit Cornarius, Comment. in lib. V κατὰ τόπους. Dalec. — *Coquuntur*. Forte rectius *conduntur*, ex Theophr. adstipulante Brot. Ed.

9. *Experimentum eorum inversa manu capitur*. Theophrast. Τὸ δὲ κοινὸν ἐπὶ πάντων ἀπόρημα, τί δήποτε ὑπὸ (alii ἐπὶ) τοῦ κάρπου τῆς χειρὸς ἥδιστα φαίνεται, δι' ὃ καὶ οἱ μυροπῶλαι τοῦτο μυρίζουσι τὸ μέρος. Dal. — De nnguentorum, inquit, suavitate ac præstantia experimentum sumitur, prima manus parte, quæ volæ opponitur : unde unguentarii eam semper partem unguento tangunt: ne si volæ, quæ pars est manus maxime carnosa, id imponatur, ejus calore pereat statim unguenti honitas. Theophr. loc. cit. Hard.

eorum, ut transeunte femina odor invitet etiam aliud agentes[10] : exceduntque quadragenos[11] denarios libræ. Tanti emitur voluptas aliena : etenim odorem qui gerit, ipse non
2 sentit. Sed et hæc aliqua differentia signanda sunt. In M. Ciceronis[12] monumentis invenitur, unguenta gratiora esse, quæ terram, quam quæ crocum sapiant : quando etiam corruptissimo in genere magis tamen juvat quædam ipsius vitii severitas. Sed quosdam crassitudo maxime[13] delectat, spissum[14] appellantes : linique jam[15], non solum per-

10. *Ut transeunte femina odor invitet etiam aliud agentes.* Dictionem *femina*, expositionis causa additam putamus, legendumque *transeuntes*, non *transeunte*. Cur enim feminam transeuntem potius quam virum probatum unguentum alliceret, promiscuo illis temporibus inter utrosque unguenti usu? Pint.

11. *Quadragenos.* Sic pro *quadringenos* e MSS. reposuit Hard. Sunt autem XL denarii, monetæ nostræ, 28 fr. 31 c. Ed.

12. *In M. Ciceronis*, etc. Unguenta quæ terram sapiunt, quænam illa sunt? scribendum puto : « gratiora esse, quæ ceram quam quæ crocum sapiunt. » Vid. Salm. p. 1063. — *Quæ terram.* Ex deperditis Tullii libris locus hic depromptus est : sed similis ei alter extstat de Orat. lib. III, num. 69 : « Licet hoc videre in reliquis sensibus, unguentis minus diu nos delectari, summa et acerrima suavitate conditis, quam his moderatis, et magis laudari quod terram, quam quod crocum olere videatur. » Colligit hinc Plinius, nec vitium ipsum, hoc est, unguentorum usum, placere posse, nisi severitatis speciem aliquam præ se ferat. Brodæus Miscell. lib. IV, c. 5, eumque secuti Scaliger et Salmasius in Solin. p. 1033, legunt : « quæ ceram, quam quæ crocum sapiant. » Sic Plinio Tullioque vim faciunt. Nam quid uterque scripserit, Plinius sic aperte declarat, lib. XVII, cap. 3, ut dici planius nihil possit. Ibi enim genera terrarum optima investigans, sic ait : « Certe Cicero, lux doctrinarum altera : Meliora, inquit, unguenta sunt, quæ terram, quam quæ crocum sapiunt. Hoc enim maluit dicere, quam redolent. Ita est profecto : illa terra erit optima, quæ unguenta sapiat. Quod si admonendi sumus qualis sit terræ odor, etc. » Quid jam argutiis opus, ut recepta dudum Plinii Tulliique lectio convellatur? Hard.

13. *Sed quosdam crassitudo maxime delectat, stypsim appellantes.* Sic legendum, id est, ςύψιν, quæ crassitudinem unguenti significat. Salm. p. 465.

14. *Spissum.* Vel, ut quidam codd. legunt, *stypsim*, ςύψιν. Sunt enim ςύμματα in unguentis, ut diximus, spissamenta. Hard.

15. *Linique jam, non solum perfundi ung. gaudent*, etc. Plato, Po-

fundi, unguentis gaudent. Vidimus etiam vestigia pedum tingi[16] : quod M. Othonem[17] monstrasse Neroni principi ferebant. Quæso ut qualiter[18] sentiretur, juvaret- 3
que, ab ea parte corporis? Nec non aliquem ex privatis audivimus jussisse, spargi parietes balinearum unguento atque Caium principem[19], solia[20] temperari : ac ne principale[21] videatur hoc bonum, et postea quemdam ex servis

lit. III, Homerum e civitate, quam sibi fingit, pellendum censet, sed ut sanctum virum, mirabilem, suavem decet, capite unguentis delibuto, et lana coronatum : vel, ut ait Cic. apud Nonium, redimitum coronis. Cicer. actione VI in Verrem ait, Segestanas mulieres, quum simulacrum Dianæ oppido exportaretur, unguentis unxisse complesseque coronis et floribus. Themistii pater Epicurum Philosophorum choro exturbavit, capite unguento perfuso, quod toto corpore voluptatem secutus fuisset. Victor. lib. IV, cap. 13. Lege elegantissimum locum apud Plautum in Mostell. Dalec.

16. *Vidimus etiam vestigia pedum tingi.* Id multo ante Athenis factum fuisse ostendit hic Cephisodori versus apud Athenæum, καὶ τοῖς ποσὶν χωρὶς πριῶ μοι βάκχαριν. Apud eumdem Antiphanes : Αἰγυπτίῳ μὲν τοὺς πόδας καὶ τὰς χέρας, Φοινικίνῳ δὲ τὰς γνάθους καὶ τιτθία, Σισυμβρίνῳ δὲ τὸν ἕτερον βραχίονα, Ἀμαρακίνῳ δὲ τὰς ὀφρῦς καὶ τὴν κόμην, Ἑρπυλλίνῳ δὲ τὸ γόνυ καὶ τὸν αὐχένα. Præterea Diogenes unguentatis pedibus incedebat. Tum etiam in Aulularia *Myrobatharii* dicuntur, qui mulieres soleas unguentis linebant. Dalec.—*Tingi.* Sic Harduinus aliique exhibent. MSS. Reg. 1, 2, et edit. princeps *tingui*. Quod semel monuisse sit satis. Brot.

17. *M. Othonem.* Eum qui Neroni successit, quem Tacitus, Hist. lib. I, pag. 9, gratum principi ait fuisse æmulatione luxus : unguentorum prodiga effusione, Plutarch. in Galba, p. 1061. In MSS. tamen nostro Parisiensi legitur, *M. Cythonem*, et secunda manu paulo recentiore, in margine, *Mathonem*. Vetustæ tamen editiones habent constantissime, *M. Othonem*, recte. H.

18. *Quæso, ut qualiter.* Convertenda puto verba, « Quæso ut sentiretur, qualiter juvaret ab ea parte corporis, » nam particula *que* a nullo exemplari scripto impressove agnoscitur. Pint. — *Quæso.* Qui tandem pervenire potest ad alios unguenti voluptas ab ea parte corporis? qui juvare transeuntes? H.

19. *Caium principem*, etc. Suetonius in Caio, cap. xxxvii. Apud Petronium in Satyra, Trimalcio in balneo unguento perfusus tergitur, non linteis, sed palliis ex mollissima lana factis. Dalec.

20. *Solia.* Solium vas est in quo sedentes lavantur, *un bain de siége.* Frequens Celso locutio : « Desidere in solio : descendere in solium. »

21. *Principale.* Principis proprium. — *Et postea.* Etiam postea. Hard.

Neronis. Maxime tamen mirum est, hanc gratiam penetrasse et in castra. Aquilæ certe ac signa, pulverulenta illa, et custodibus[22] horrida, inunguntur festis[23] diebus; utinamque dicere possemus, quis primus instituisset! Ita est, nimirum hac mercede corruptæ terrarum orbem devicere aquilæ. Ista patrocinia quærimus vitiis, ut per hoc jus sumantur sub casside unguenta.

1 V. Quando id primum[1] ad Romanos penetraverit, non facile dixerim. Certum est Antiocho rege Asiaque devictis, Urbis[2] anno quingentesimo sexagesimo quinto, P. Licinium[3] Crassum, L. Julium Cæsarem censores edixisse, ne quis venderet unguenta exotica[4]: sic enim appellavere. At hercules jam quidam etiam[5] in potus addunt: tantique

22. *Et custodibus.* Custodum virtute horrida, hoc est, metuenda signa. Hæc enim signiferorum in acie constantia fuit, ut vitam prius, quam signa amitterent. Vel horridos integumento signiferos indicat, quibus et loricatum pectus, et capita pellibus animantium obvoluta, uti ex lapidibus effinguntur a Lipsio, de Milit. R. lib. IV, dial. 9. Sic autem habent MSS. Reg. Colb. Ch. etc. non *custodiis* : quod ut idem Lipsius interpretetur, de Milit. R. lib. IV, dial. 9, ad castrorum carceres frustra confugit : adeo intutum est sola ingenii conjectura niti. HARD.

23. *Festis diebus.* Rebus lætis, militiaque prospera, obviamque itionibus. Vetus inscriptio apud Oiselium in Thes. Numism. pag. 468 : CORONIS. INLATIS. SIGNISQVE. Nempe signa ornari mos fuit laurus florumque coronis, et unguentis.

V. 1. *Quando id primum*, etc. Jam Tarquinii tempore unguentorum fuit usus. Ennius enim ait, nisi subsit poetica πρόληψις, « Tarquinii corpus bona femina lavit, et unxit. » DALEC.

2. *Urbis anno*, etc. Ita MSS. omnes et editi. Annus hic est, quo plane devictus Antiochus, domitaque Asia est. HARD.

3. *P. Licinium.* Post Asiam domitam annis centum, quibus unguenti luxuria penetravit ad Romanos, ac legibus primum coercenda fuit. Refert hæc quoque Solinus, c. XLVI, p. 74. HARD.— P. Licinius Crassus et L. Julius Cæsar censores fuere anno U. C. 565, ut patet ex hoc loco. Centum ergo annis post Antiochum regem Asiamque domitam, de unguentis non edixere, ut placuit erudito Harduino. BROT.

4. *Exotica.* Ἐξωτικὰ, peregrina, externa, atque adeo pretii carioris. Plaut. in Mostell. act. I, sc. v, vs. 41 : « Non omnes possunt olere unguenta exotica, Si tu oles. » H.

5. *Quidam etiam*, etc. Apud Theoph. lib. περὶ τῶν ὀσμῶν : Μύρον

amaritudo est, ut odore prodigo fruantur ex utraque[6] parte corporis. L. Plotium[7], L. Planci bis consulis censorisque fratrem, proscriptum a triumviris, in Salernitana latebra unguenti odore[8] proditum constat : quo dedecore tota absoluta[9] proscriptio est. Quis enim non merito judicet periisse tales?

VI. Cætero terrarum omnium Ægyptus accommodatissi- 1
ma unguentis: ab ea Campania est, copia rosæ. (IV.) Judæa vero inclyta est vel magis palmis : quarum natura nunc dicetur. Sunt quidem et in Europa[1], vulgoque Italia, sed steriles[2]. Ferunt in maritimis Hispaniæ fructum, verum immitem : dulcem in Africa, sed statim evanescentem.

καὶ τ' ἄλλα ἔνοσμα τοὺς μὲν οἴνους ἡδύνει, τῶν δὲ βρωμάτων οὐδέν. DAL.

6. *Ex utraque parte.* Intus, potando : foris, liniendo. HARD.

7. *L. Plotium.* A Velleio Plancus Plotius dicitur, L. Munatii Planci frater, cujus opera a triumviris proscriptus est : unde dicterium militum, qui Munatii Lepidique, ejus qui triumvir fuit, de Gallia triumphantium, currum aequebantur : « De Germanis, non de Gallis, duo triumphant consules. » Prænomen ei Lucius fuit, ut non modo hic Plinii locus edocet, sed et nummus antiquus apud Patin. p. 212, in Plautia gente. HARD.

8. *Unguenti odore.* Rem narrat Val. Max. lib. VI, cap. 8, n. 5, sed Caium ia male prænominat, pro Lucio : « Adjunxit se iis cladibus, inquit, C. Plotius (lege *L. Plotius*) Plancus, Munatii consularis, et censorii frater, qui quum a triumviris proscriptus in regione Salernitana lateret, delicatiore vitæ genere et odore unguenti occultam salutis custodiam detexit. » Refert id etiam Solin. c. XLVI, p. 74. H.

9. *Absoluta.* Liberata a crimine. Quo sensu Claudianus, Carm. III, 21 : « Abstulit hunc tandem Rufini pœna tumultum, Absolvitque deos. »

VI. 1. *In Europa.* In Græcia quidem sterilescere docet, Theophr. Hist. lib. II, cap. 3. HARD.

2. *Sed steriles.* Petr. Quiqueranus de Laudib. Prov. lib. II, fol. 59 : « Negat, inquit, Plinius palmas in Italia frugiferas, nec alibi omnino, nisi fervidis plagia. Vulgaris tamen est apud nos hodie palmarum fetura. Insignis quidem inter cæteras una in Olbiensi agro (*Hières, département du Var*) visitur et specie, et proventu; CCCCL ab hoc anno, ex vetustis domini rationibus satam constat. Dactylos eos plurimi nostrum lubentissime esitant : me tamen scio, ne in famia quidem condimento, modo mediocri, gratos habiturum. » H.— Constat palmas non prorsus sterilescere in meridionali Europa; sed ob cæli temperiem vix atque ægre maturescunt. ED.

Contra in Oriente: ex his vina, gentiumque aliquibus panis[3]: plurimis vero etiam quadrupedum cibus. Quamobrem jure dicentur externæ. Nulla est in Italia sponte genita, nec in alia parte terrarum, nisi in calida: frugifera vero nusquam, nisi in fervida.

1 VII. Gignitur[1] levi sabulosaque terra: majore in parte et nitrosa. Gaudet et riguis: totoque anno bibere quum amet[2], anno sitienti. A fimo quidem[3] etiam lædi putant: et Assyriorum pars aliqua, si non rivis misceatur[4]. Genera earum plura: et prima fruticem non excedentia: sterilem hunc, aliubi et ipsum fertilem, brevique ramorum orbe foliosum. Tectorii[5] vicem hic parietibus plerisque in locis

3. *Aliquibus panis.* Æthiopibus. Theophr. Hist. lib. II, cap. 8. H.

VII. 1. *Gignitur.* Theophr. Hist. lib. II, cap. 8, ἐν γῇ ἀμμώδει, in sabulosa terra: auctor Geopon. lib. II, cap. 9, ἐν ἁλμυρᾷ, in salsuginosa seri jubet. Hard.

2. *Gaudet et riguis, totoque anno bibere quum amet anno sitienti.* Legendum arbitror: « Gaudet et riguis totoque anno bibere: quin etiam non sitienti, » hoc est, et si annus sit pluvius, gaudet tamen rigari. Favet huic correctioni Theophrastus, lib. II, cap. 8, palmas scribens magis gaudere aquis scaturientibus quam pluviis. Pint.— *Gaudet.* Palladius, lib. XI, in octobri, tit. 12, pag. 151, de palma: « Circumfodiatur assidue, ut rigatione continua æstatis vincat ardores. » H. — *Anno sitienti.* Ita MSS. editique libri. Cæli rores imbresve bibere detrectat arbos: sola rigatione gaudet. Nec palmæ naturam norunt, nec Plinii stylum sapiunt, qui hoc loco reponere satagunt, *et non sitienti.* H. — *Anno sitienti.* Sic codd. et editi libri: Palma gaudet riguis, totoque anno amat bibere. Si sitiens est annus, semper est irriganda. » Nec emendandum, ut placuit J. Bodæo et Pintiano, *quin etiam non sitienti.* Brot.

3. *A fimo quidem.* Scribo, « A fimo quidam etiam lædi putant, si non rivis misceatur: » cætera falso inserta sunt. Patet apertissime ex Theophrasto, lib. II, cap. 8, cujus hæc verba sunt: « De fimo diversa sententia est: quidam enim has fimo delectari negant, sed abhorrere omnino statuunt, alii usum fimi concedunt, incrementumque magnum capere eo affirmant, rivis tamen miscere fimum oportere affirmant. » Pint.

4. *Misceatur.* Si non rivis, sive aquis inlicibus, fimus misceatur, quod Rhodii facere solent, inquit Theophr. l. c. Hard.

5. *Tectorii.* Vice linimenti, incrustationisque parietum, adseri proxime hi frutices solent, contra aspergines imbrium: parietibus

præstat contra aspergines. Procerioribus[6] silva, arbore ex 2
ipsa foliorum aculeo fruticante circa totas pectinatim, quas silvestres intelligi necesse est. Incerta[7] tamen libidine etiam mitioribus se miscent. Reliquæ[8] teretes atque proceræ, densis gradatisque[9] corticum pollicibus, ut orbibus, faciles se ad scandendum Orientis populis præbent, vitilem[10]

applicantur, adrepuntque. Galli dicunt, *en escalier*. Hard.

6. *Procerioribus.* Sunt e proceriorum palmarum genere silvæ ingentes : cujus folia aculeata, pectinatimque disposita sunt, ex ipso arboris caudice prodeuntia, ita plane ut totam arborem ab imo trunco ad cacumen ambiant. H.

7. *Incerta.* Sic MSS. omnes, et editi. Alii *incesta* malunt, quasi μεταφορικῶς sceleratam eam libidinem appellet, qua se mitiori copulet arbor silvestris. Hard.

8. *Reliquæ teretes atque proceræ, densis gradatisque corticum pollicibus auctiaribus faciles se ad scandendum Orientis populis præbent*, etc. Plin. *pollices auctiores* vocat, amputatorum vel decidentium ramorum reliquias eminentes et ex cortice protuberantes, ut pollex exsertus ex manu. Id gallice dicimus *chicots*. Hunc Plinii locum sane salebrosum et mendosum ita debere legi contendit Salmasius, « utilem sibi arborique inductis circulum. » Quæ lectio mihi videtur aliquid habere absurditatis, qua enim utilitate affici potest arbor tali circulo ? Ego igitur pridem in margine nostri Plinii codicis emendaveram, « vitilem sibi arborique indutis circulum, » et ita censueram legi debere, doctus a quodam nobili navarcho de modo quo incolæ palmiferæ regionis in Africa celeriter cum suo circulo scandunt excelsas palmarum arbores : scilicet induunt se una cum arbore ipsa circulo e vitili ligno facto, et pedibus in arboris pollicibus illis nitentes, et lumbis circulo innixi, manibus vero ambabus circulum gradatim, et subsultim attollentes, celerrime usque ad arboris summum, ubi sunt rami et fructus, scandunt; id sæpe facientes, ut lagenas suas ramis succisis appendant, vel eas plenas vino palmeo reportent. Palmer. Exercitat. ad Luciani tom. III, pag. 573.

9. *Gradatisque.* Gradatim adscendentibus : iisdem simul arborem circumambientibus. Pollices vocat crebros veluti ungues squamatos, qui per corticem caudicis gradatim disponuntur. Vide palmæ iconem apud Lobelium, pag. 637, et apud Dodon. pag. 807. Hard.

10. *Vitilem.* Induunt sese, inquit, Orientis populi, una cum ipsa arbore, circulum vimineum : tum pede nituntur in arborum pollices, de quibus proxime dictum est : manibus circulum, cui insident, gradatim ac subsultim attollunt : sic usque ad partem eam arboris, ubi sunt rami fructusque, celerrime scandunt.—*Faciles*, etc. Mira

sibi arborique indutis circulum, mira pernicitate tum homine subeunte. Coma omnis in cacumine[11], et pomum est[12]: non inter folia hoc, ut in cæteris: sed suis inter ramos palmitibus[13] racemosum, utraque natura uvæ atque pomi. Folia cultrato[14] mucrone, lateribus in sese

hactenus hujus loci depravatio fuit: sic enim libri vulgati, « utilem sibi arborique induviis circulum. » At Reg. cod. 2 erroris admonnit, in quo diserte legitur, « utilem sibi arboremque induetis circulum. » R. 1 et Colb. « præbenti utilem »: unde *præbent*, *vitilem* legendum quoque conjicias. Morem hunc palmas conscendendi Lucianus attigit in Syria Dea, pag. 1069, ubi de homine Priapum ligneum conscendente: Ἡ δὲ οἱ ἄνοδος τοιήδε· σειρῇ μακρῇ ἑαυτόν τε ἅμα, καὶ τὸν φαλλὸν περιβάλλει, etc. « Porro, inquit, adscensus iste in hunc modum illi fit. Catena longa seipsum pariter ac Priapum circumdat: deinde ascendit in ligna quædam ex ipso Priapo prominentia. Adscendens autem pariter et catenam utrimque attollit; perinde moderans, ut habenas auriga. Quod si vero quispiam id non vidit, vidit autem eos qui palmas conscendunt, sive in Arabia, sive in Ægypto, sive alio aliquo loco, intelligit facile quod dico: » Εἰ δέ τις τάδε μὲν οὐκ ὄπωπε, ὄπωπε δὲ φοινικοβατέοντας, ἢ ἐν Ἀραβίῃ, ἢ ἐν Αἰγύπτῳ, ἢ ἄλλοθί που, οἶδε τὸ λέγω. HARD.

11. *Coma omnis in cacumine.* Leg. « Coma omnis in cacumine et pomum est, non inter folia hoc, ut in cæteris, etc. » Dicit non solum comam omnem in cacumine palmæ arboris esse, sed etiam pomum. Et paulo post lege: « femina citra florem germinat statim spicæ modo. » SALM. pag. 410, a. — *Coma omnis in cacumine.* Theophr. Hist. Plant. lib. I, cap. 23. DALEC.

12. *Et pomum est.* Etiam in cacumine, inquit, pomum est: nec solum ἀκρόκομος palma est, sed et ἀκρόκαρπος, ut Theophr. ait, Hist. Plant. lib. I, cap. 23. HARD.

13. *Palmitibus.* Palmitem appellat loculum corticosum (ἐλάτην et σπάθην vocat Dioscor. lib. I, cap. 150), quod involucrum est floris fructusque palmarum: eo dehiscente, flores prodeunt pendentque numerosi, instar racemi longissimi. HARD.

14. *Folia cultrato mucrone.* Folia in mucronem ita desinunt, ut cultri, seu vomeris speciem referant, lateribus in longum exporrigentibus sese in canaliculi morem. Eadem folia lateribus in cacumine bifidis, seu divisis, διαχιδέσι, ut gemina simul in bello acie, vel ut gemino pariter unius acici cornu, seu latere, alave gemina hostem peteremus, olim demonstravere: nunc eadem in alios fundantur usus. Duplex seu gemina acies dicta est, quum in cornua duo secta, dexterum ac sinistrum: quo de argumento plura Lipsius de Milit. Rom. lib. IV, dial. 6. Auctor gemini in acie una cornu Pan, teste Polyæno, Stratag. lib. I: Διονύσου

bifidatis, bella primum demonstravere gemina : nunc ad funes, vitiliumque[15] nexus, et capitum levia[16] umbracula[17] finduntur. Arboribus, imo potius omnibus quæ 3

στρατηγὸς ἦν ὁ Πάν. Οὗτος πρῶτος τάξιν εὗρεν, ὠνόμασε φάλαγγα, κέρας ἔταξε δεξιὸν καὶ λαιόν. Ταύτῃ τοι ἄρα κερασφόρον τὸν Πᾶνα δημιουργοῦσι. « Bacchi dux fuit in militia Pan. Is primum reperit ordinem, nominavit phalangem, cornu instituit dextrum et lævum. Ex quo cornutum etiam Pana vulgo fingunt. » Ut nempe bifidis palma foliis geminam aciem, seu bella gemina commonstrat, sic et Pan cornuta fronte, et e converso. Plinius, lib. XVI, cap. 38, *Palmæ esse folia duplicia* animadvertit, quorum nunc *latera bifidata* appellat. Hard. — *Bella primum*, etc. Torsit mirifice hic locus conjectorum ingenia, quum in libris vulgatis legi cernerent, « bellas primum demonstravere gemmas. » Alii enim scribendum censuerunt, « bullas quum primum demonstravere gemmeas. » Dalec. Hist. plant. lib. III, c. 18: « Novellas quum primum demonstravere gemmas »; alii, *tenellas*. At quas, quæso, gemmas, gemmeasve bullas demonstrare palmarum folia possunt? Nam delicias Sabellicus facit, qui gemmas interpretatur, pictas luxurioso eo sæculo figuras in divitum pavimentis, quas scopæ monstrare, sive retegere idcirco dicantur, quod scopis pavimenta converrerentur, e palmarum foliis texi solitis. Ruellii medici alias eruditi sane me piget, qui quum hunc locum non intelligeret, de Nat. stirp. lib. I, pag. 216, exscripsit tamen, « bellas primum monstravere gemmas. » In MSS. Reg. Colb. etc. *geminas* legitur. Nostram emendationem ipsa per se orationis series interpretatioque defendit : duplicem enim ab hisce foliis ad hominum vitam fructum pervenisse Plinius indicat: alterum, ut ad similitudinem bifidorum foliorum, ut diximus, bellandi gemina acie ratio, gemina in bello cornua, geminæ acies excogitatæ sunt. Alterum, ut ipsa ad funes vitiliaque opera textura prosint : « Primum, inquit, gemina demonstravere bella : nunc ad opera vitilia finduntur. » Mos est Plinio scilicet, quæ quibus ex rebus quas natura finxerit, artes initium ortumque habuerint, indicare obiter. Sic lib. X, cap. 12, de milvis : « Idem videntur, inquit, artem gubernandi docuisse caudæ flexibus : in cælo monstrante natura, quod opus esset in profundo. » Hard.

15. *Ad funes vitiliumque*, etc. Nam quia tunc maxime succo abundant, ideo tractabiliora sunt. Apud Apul. II Asini, Zachlas Ægyptius propheta palmeis baxeis pedes indutus est. Dalec.

16. *Et capitum levia umbracula finduntur*. Ad ea opera decerpuntur a messe. Vide lib. XVI, cap. 24. Dalec.

17. *Umbracula*. Subintellige, texenda. Sic galeros hodie stramineos teximus. De usu foliorum palmæ dicetur iterum lib. XVI, cap. 37. Et scopas e palmis laudat Martialis in Xeniis, lib. XIV, ep.

terra gignat[18], herbisque etiam, utrumque sexum esse
diligentissimi naturæ tradunt : quod in plenum satis sit
dixisse hoc in loco : nullis tamen arboribus manifestius[19].
Mas in palmite floret[20], femina citra florem germinat tan-
tum spicæ modo[21]. Utrisque autem prima nascitur pomi
caro : postea lignum intus[22], hoc est, semen ejus. Argu-
mentum, quod parvæ sine hoc reperiuntur in eodem
palmite. Est autem oblongum : non, ut olivis, orbicula-
tum. Præterea cæsum a dorso pulvinata fissura, et in
alvo[23] media plerisque umbilicatum, unde primum spar-
4 gitur radix. Seritur autem pronum[24], et bina juxta com-
posita semina, superque totidem, quoniam infirma sin-
gulis planta est : quaternæ coalescunt[25]. Multis candidisque
lignum hoc a carnibus discernitur tunicis, aliis corpori
adhærentibus : laxeque distans, tantum cacumini filo ad-
hæret. Caro maturescit anno. Quibusdam tamen in locis,
ut in Cypro[26], quanquam ad maturitatem non perveniat,

LXXXII : « In pretio scopas testatur palma fuisse : Otia sed scopis nunc analecta dabunt. » Nempe scopis palmeis pavimentum verrebatur. (Conf. t. III, p. 211, edit. nost.)

18. *Omnibus quæ terra gignat.* Theophrast. Hist. plant. lib. V, cap. 11. Dal.

19. *Manifestius.* Quam palmæ. Theophr. Hist. lib. II, cap. 9. Tralatitium Claudiani carmen huc pertinet, in Nupt. Honor. et Mar. vs. 65 : « Vivunt in venerem frondes, omnisque vicissim Felix arbor amat : nutant ad mutua palmæ Fœdera. » Hard.

20. *Mas in palm. floret.* Theophr. Histor. lib. I, cap. 22, et lib. II, cap. 8. Dalec.

21. *Spicæ modo.* Vel racemi. Tamen in MSS. *spinæ*. At Theophr. καθάπερ στάχυς, de Causis lib. I, cap. 24, pag. 227. Hard.

22. *Postea lignum intus.* Hoc est, nucleus, naturæ durioris : quam Plinius ligno, osssiculo Theophr. aliique comparant : ὀστᾶ τῶν φοινίκων vocat Auct. Geop. lib. X. H.

23. *In alvo media.* Ex adverso fissuræ, umbilicum illum videre est in nucleo palmeo. Brot.

24. *Pronum.* Semen nimirum, seu nucleus, cujus supina pars ὑπτία ea est, quam Plinius dorsum appellat; πρανὴς, sive prona ea, in qua umbilicus. Hæc rursum Theophr. l. c. Hard.

25. *Quat. coalescunt.* Theophr. Hist. lib. II, cap. 8. Dal.

26. *Ut in Cypro.* Genus id esse palmarum ei insulæ peculiare ac proprium tradit Theophr. l. c. H.

grato sapore dulcis est : et folium ibi latius, fructus quam[27] reliquis rotundior : nec ut devoretur corpus, verum ut exspuatur[28], succo modo expresso. Et in Arabia languide dulces traduntur esse palmæ: quanquam Juba apud Scenitas Arabas præfert omnibus saporibus, quam vocant Dablan[29]. Cætero sine[30] maribus non gignere feminas sponte edito nemore confirmant : circaque singulos plures nutare[31] in eum pronas blandioribus comis. Illum[32] erectis hispidum, afflatu visuque ipso et pulvere[33], etiam

27. *Fructus quam.* Sic ex MSS. Hard. non refragante Chiffletio. Gron. et alii *fructusque.* Ed.

28. *Ut exspuatur.* Quemadmodum Punici mali succum sorbere solemus : nucleos commanducare quidem, sed statim exspuere, nec deglutire. H.—*Exspuatur.* Totidem verbis Theophrast. loc. cit. ὥστε μὴ καταδέχεσθαι, ἀλλὰ διαμασησαμένους ἐκβάλλειν. Ed.

29. *Dablan.* Sic Chiffl. Hard. ex MSS. *Dabulam* Gron. et vulgg. Ed.

30. *Cætero sine*, etc. Guillandinus in Ægypto et Oriente observavit, ne feminæ steriles sint, aut immaturum fructum perdant, mares eo intervallo seri, ut ab iis pulverem ventus in illas perferat. Quod si longius distent, quam ut pulvis, odorve pervenire possit, tum a mare funem religatum ad feminam perduci, ut maris fecunda vis per eam copulam ac vinculum irrepat. Refert Pontanus palmas duas, marem Brundisii satum, feminam Hydrunti, steriles diu fuisse; quum vero adultæ se invicem aspexerint, tum quamvis longo tractu dissitas fructum edidisse. Dal.

31. *Nutare in eum.* In mares singulos nutant plures feminæ. Hoc multo uberius Leontius explanat in Geop. lib. X, cap. 4, p. 251. H.

32. *Illum erectis.* Subintellige, comis. Hard.

33. *Pulvere.* Quem e maris palmæ foliis in feminas ventus defert : eo enim pulvere mas illas sibi maritas facit. Theophr. loc. cit. et de Causis plant. lib. II, cap. 13, p. 248, et lib. III, cap. 23, p. 287. Tradunt hoc ipsum Prosper Alpinus, et Guillandinus oculati testes. Hard. — Non ex foliis, sed ex ipsis floribus mas pulverem emittit, quo feminas maritat, ut infra Noster ait : « Ex maribus flore ac lanugine, interim vero tantum pulvere insperso feminis. » Quod etiam apud Recentiores experientia docuit. « Pour peu qu'on soit versé dans l'étude de l'histoire naturelle, on sait comment cette pratique s'exécute : c'est en secouant les branches du palmier mâle sur le palmier à fruit, à l'époque où la poussière fécondante du mâle est près de sortir de son enveloppe. Cette émanation (*pollen*) féconde la fleur femelle. De ce concours naît le germe du fruit; autrement l'arbre en serait dépourvu. » Ex Gerardi not. inedit. in Plinium.

reliquas maritare : hujus arbore excisa viduas post sterilescere feminas. Adeoque est Veneris intellectus[34], ut coitus etiam excogitatus sit ab homine, ex maribus flore ac lanugine, interim vero tantum pulvere insperso feminis.

1 VIII. Seruntur autem[1] palmæ et trunco, duum cubitorum longitudine, a cerebro[2] ipso arboris, fissuris diviso atque defosso. Et ab radice[3] avulsæ vitalis est satus, et ramorum tenerrimis. In Assyria, ipsa quoque arbor strata in solo humido tota radicatur, sed in frutices, non in arborem. Ergo plantaria[4] instituunt, anniculasque transferunt, et iterum bimas. Gaudent[5] enim mutatione sedis, verna alibi, in Assyria autem circa Canis ortus. Nec ferro attingunt ibi novellas : sed religant comas, ut in altitu-
2 dinem exeant. Robustas deputant crassitudinis[6] gratia,

Nostras Poinsinet graviter ad hunc locum, ut Harduinus, offendit. Ed.

34. *Adeoque est Veneris intellectus*. Theophr. Histor. lib. II, cap. ult. et de Causis, lib. II, cap. 23, quem semel vide ad totum hunc locum. Dal.

VIII. 1. *Ser. autem*. Hanc palmæ sationem, quæ trunco illo fit, explicat Theophrast. Histor. lib. II, cap. 8. Truncus autem, seu caudex summa arboris parte, ubi cerebrum est, duum cubitorum longitudine præciditur : deinde finditur : deorsumque depangitur, ac defoditur, qua parte cerebri ipsius humor ac teneritudo est, ut defluat. Hard.

2. *A cerebro*. Cerebrum Latini, et medullam; Gal. de Fac. simpl. medic. lib. IV, cap. 15, ἐγκέφαλον vocat τὸ ἀνώτατον μόριον τοῦ φοίνικος, hoc est, summam palmæ partem; et alibi : τὴν κορυφὴν τοῦ φοίνικος, ἣν ὀνομάζουσιν ἐγκέφαλον. Theophr. quoque loc. cit. sic appellat. Diosc. vero, lib. I, pag. 150, ἐγκάρδιον, quoniam vis palmæ vitalis in ea parte tota est posita. Hard.

3. *Ab radice*. Stolonibus ab radice avulsis, vel ramorum tenerrimis e corpore matris ablatis, atque defossis, ut fusius dicturi sumus, lib. XVII, cap. 13. Sic Geop. Auct. l. c. ἡ φοίνιξ ἀπὸ παρασπάδων φυτεύεται. Hard.

4. *Ergo plantaria*. Plantarum seminaria, *des pépinières*. Hæc Theophr. Hist. lib. II, cap. 8, similiter prodidit. Hard.

5. *Gaudent enim mutatione sedis*, etc. Theophr. loc. cit. Χαίρουσι γὰρ σφόδρα τῇ μεταφυτείᾳ· μεταφυτεύουσι δὲ, οἱ μὲν τοῦ ἦρος; οἱ δὲ ἐν Βαβυλῶνι περὶ τὸ ἄστρον. Ed.

6. *Crassitudinis gratia*. Ut crassiores evadant. Theophr. non deputari ramos ait, ut crassiores fiant : sed tum amputari, quum facti sunt crassiores; ὁπόταν ἁδρὸς γένηται καὶ πάχος ἔχῃ. An forte legit

semipedales[7] ramorum relinquentes truncos, qui decisi alibi necant matrem. Diximus[8] salsum ab his solum diligi. Ergo ubi[9] non est tale, salem aspergunt, non radicibus, sed longius paulo. Quædam[10] in Syria et Ægypto in binos dividunt se truncos: in Creta et in ternos, quædamque et in quinos. Ferunt statim[11] in trimatu. In Cypro vero, Syria, Ægypto, quadrimæ: aliquæ quinquennes, altitudine hominis, nullo intus pomi ligno, quamdiu sunt novellæ, ob id spadonum[12] accepto nomine.

IX. Genera earum multa. Sterilibus ad materias, operumque lautiora, utitur Assyria, et tota Persis. Sunt et cæduæ[1] palmarum quoque silvæ, germinantes rursus ab radice succisæ. Dulcis medulla earum in cacumine, quod cerebrum appellant[2]: exemptaque vivunt, quod non aliæ.

Plinius apud aliquem, ὡς πάχος ἔχῃ; Hard.

7. *Semipedales.* Ὅσον σπιθαμὴν, inquit Theophr. loc. cit. Est autem duodenum digitorum σπιθαμὴ, seu pollicum novem; pedis dodrantem Latini vocant. Hard.—De σπιθαμῇ jam fusius egimus, lib. VII, c. 2, t. III, pag. 34, not. 1 fin. Ed.

8. *Diximus.* Cap. 7: « Gignitur levi sabulosaque terra: majore in parte et nitrosa. » Nam ut ait lib. XXXI, cap. 45, nitri natura non multum a sale distat. Vide et quæ dicemus lib. XVII, cap. 3. Hard.

9. *Ergo ubi.* Sic Theophr. l. c. et Geop. Auct. lib. X, cap. 4, pag. 251. Id apud Babylonios fieri idem Theophr. prodidit, de Causis, lib. III, cap. 22, p. 286. Hard.

10. *Quædam.* Theophr. Histor. lib. II, cap. 8. Hard.

11. *Ferunt statim.* Hoc de fecundiore palmæ genere narrat Theophr. Hist. plant. lib. II, cap. 8: Ἔτι δὲ καρπιμώτεροι τῶν ἄλλων, καὶ καρποφοροῦντες εὐθὺς τριετεῖς. Ed.

12. *Spadonum.* Ab Aristotele εὐνοῦχοι spadones, et ἔνορχοι, quasi testibus carentes, et ἀπύρηνοι nuclei expertes appellantur, ita referente Athen. lib. XIV, pag. 652. H.

IX. 1. *Sunt et cæduæ.* Theophrast. iisdem verbis, l. c. Hard.

2. *Quod cerebrum appellant.* Præter Theophrastum Galenus, Strabo, Plutarchus, Philostratus ἐγκέφαλον vocant, Dioscorides ἐγκάρδιον. Nam Veteres ἔγκαρ sive ἔγκαρον etiam cerebrum dixerunt. Plut. quidem lib. de tuend. Valetud. id prædulce esse ait, sed κεφαλαλγές. Philo lib. I de vita Mosis auctor est, palmæ vitalem vim in radicibus defossam non esse ut in reliquis stirpibus, sed in summo trunci vertice vigere, tamquam in corde, ac in ramorum medio, quibus velut satellitibus stipatur. Guillandin.—*Exemptaque.* Chiffletii cod. *exemptoque.* Ed.

Vocantur autem chamærepes[3], folio latiore ac molli, ad vitilia utilissimo. Copiosæ in Creta, sed magis in Sicilia.
2 E palmis prunæ vivaces, ignisque lentus. Fructiferarum aliis brevius lignum[4] in pomo, aliis longius : his mollius, illis durius : quibusdam osseum lunatumque, dente contra fascinantes religione politum. Aliud pluribus vestitum paucioribusve tunicis ; aliud crassioribus tenuioribusve. Ita fiunt undequinquaginta genera, si quis omnium persequi velit nomina etiam barbara, vinorumque ex iis differentias. Clarissimæ[5] omnium, quas regias appellavere ab honore, quoniam regibus tantum Persidis servarentur, Babylone natæ uno in horto Bagou[6]. Ita enim vocant

3. *Vocantur autem chameropes.* Sic quidem antiqua nostra exemplaria præferunt, sed male : legendum enim *chameriphes* ex Theophrasto, lib. II, cap. 8, quod vidit et Hermolaus. Pint. — *Vocantur autem chameropes.* Petalas quoque dici minutas palmas et θαμνώδεις notavit Rhod. lib. XXV, cap. 26. Χαμαιῤῥιφεῖς Theoph. vocat, Diosc, χαμαιζήλους. Dalec. — *Chamærepes.* Χαμαιῤῥεπεῖς, sive ut ap. Theophr. legitur χαμαιῤῥιφεῖς. Est enim humile palmæ genus, unde nomen. Suidas χαμαιρεπὲς, χαμαὶ ῥέπον. Hujus palmæ effigiem exhibet Dalec. Hist. lib. III, cap. ult. pag. 369, ex Matthiolo. *Cefaglioni* vocant Itali, Siculi; Sardi, inquit Anguillara, de Simpl. part. IV, p. 71. Hard. — *Chamærops humilis*, nobis *palmier éventail* (*Hexand. trigyn.* gen. 893, Pers. *Palm.* Juss.) Radices et pars inferior caudicum juniorum sub terra recondita comeditur. Ed.

4. *Brevius lignum.* Nucleus, quod alii ossiculum vocant. Hæc apud Theophr. Hist. lib. II, cap. 8. H. —*Dente... politum.* Scil. elephanti, seu ebore. Ex Ger. not. manusc. Ed.

5. *Clarissimæ omnium*, etc. Theophrastus, lib. II, cap. 8 : Κράτιστον δὲ καὶ τῶν λευκῶν καὶ τῶν μελάνων τὸ βασιλικὸν καλούμενον γένος ἐν ἑκατέρῳ καὶ μεγέθει καὶ ἀρετῇ· σπάνια δὲ εἶναι ταῦτα λέγουσι· σχεδὸν γὰρ ἐν μόνῳ τῷ Βαγώου κήπῳ τοῦ παλαιοῦ περὶ Βαβύλωνα. Ed.

6. *Uno in horto Bagou.* Bagou eunuchi meminit ex Diodoro Rhod. lib. XIII, cap. 39, qui quum veneno sanguinarium ac crudelem regem Occhum sustulisset; eodem mox necatus est, a Dario coactus poculum bibere, quod ei ipsi paraverat. Plutarch. lib. II de fortitud. Alexand. scribit, interfecto Occho, regnum Arsæ (alii, *Oarsæ*) tradidisse, et mox eodem interempto, Dario. Leopardus, lib. IV, cap. 25. Dalec. — *Bagou.* Βαγώου. Hæc vox lingua Persica eunuchum sonat. Ap. Plut. lib. de fort. Alex. or. 2, p. 337 : Βαγώας ὁ εὐνοῦχος. Ovid. Am. II, 11, 1 : « Quem penes est dominam servandi cura, Bagoe. » H.

spadones, qui apud eos etiam regnavere. Hortus ille num-
quam nisi dominantis in aula fuit. At in meridiano orbe 3
præcipuam obtinent nobilitatem syagri[7], proximamque
margarides. Hæ breves, candidæ, rotundæ, acinis, quam
balanis, similiores. Quare et nomen a margaritis accepere.
Una earum arbor in Chora esse traditur[8]: una et sya-
grorum. Mirumque de ea accepimus, cum phœnice[9] ave,
quæ putatur ex hujus palmæ argumento nomen accepisse,
iterum mori ac renasci ex seipsa : eratque, quum hæc
proderem, fertilis. Ipsum pomum grande, durum, hor-
ridum, et a cæteris generibus distans sapore ferino[10], quem
ferme in apris novimus : evidentissimeque causa est no-
minis. Quarta[11] auctoritas sandalidum, a similitudine
appellatarum. Jam in Æthiopiæ fine quinque earum nec
plures arbores tradunt, non raritate magis, quam sua-
vitate mirabiles. Ab his caryotæ[12] maxime celebrantur, 4

7. *Syagri.* Σύαγροι, vel συάγριοι, quasi aprugnas dixeris : quod ferinum saporem referrent, ut mox dicetur, qualem in apris novimus. H.

8. *Una earum arbor in Chora esse traditur.* Scribendum reor, « Una earum arbor in Charace traditur. » Notissimum est oppidum Charax in intimo recessu sinus Persici, de quo multa in sexto. Pint. — *In Chora.* In parte Ægypti, quæ Χώρα vocatur Alexandriæ, ut dictum est lib. VI, cap. 39. Eo nomine et in Not. Imperii, cap. 65, locus est haud procul Parisiis positus, urbe Galliarum, sed qui nihil istuc pertineat. Hard.

9. *Cum phœnice ave.* Imposuit, opinor, auctoribus fabulæ de phœnice ave vox ambigua φοῖνιξ, quæ et palmam arborem, et phœnicem avem significat. Soli fertilitas fecit interdum, ut ex palma arbore, cadente dactylo, vel palmula, altera arbos in deficientis locum pullularet. Inde ad cognominem avem translata fabula, quam ex seipsa renasci dixerunt; ut sæpe ex causis levissimis narrationum portenta nascuntur. Hard.

10. *Sapore ferino.* Lego, « Sapore quem ferme in apris novimus, quæ causa nominis, » ex apographo Toletano. Pint.

11. *Quarta.* Nam primus locus regiis, syagris secundus, tertius margaridibus debetur, postremus sandalidibus, quibus est a soleæ similitudine nomen, quam Græci σανδάλιον vocant. Hard.

12. *Caryotæ.* Καρυωτοὶ φοίνικες, Græcis appellatæ, quasi palmæ nuncales, seu nuciferæ. Hard.—Martialis, lib. XIII, epigr. xxvii :

et cibo quidem, sed et succo uberrimæ. Ex quibus præcipua vina Orienti[13], iniqua capiti[14], unde pomo nomen[15]. Sed ut copia ibi atque fertilitas, ita nobilitas in Judæa, nec in tota, sed Hiericunte[16] maxime. Quanquam laudatæ et Archelaide[17], et Phaselide[18], atque Liviade[19], gentis ejusdem convallibus. Dos his præcipua succo pingui lactentibus : quodamque[20] vini sapore in melle prædulci.

« Aurea porrigitur Jani caryota kalendis; Sed tamen hoc munus pauperis esse solet. » Quippe kalendis januariis mittebantur a pauperibus palmulæ inauratæ, ut refert J. Scalig. in Tibull. lib. I. Cf. Martial. t. III, p. 106 ed. nost. Ed.

13. *Ex quibus præcipua vina Orienti.* E Chydæis maturis fieri auctor scribit lib. XIV, cap. 16. Dalec. — *Orienti.* Arabibus scilicet, ut dictum est lib. VI, cap. 32, aliisque, ut dicetur lib. XIV, cap. 19. Hard.

14. *Iniqua capiti.* Diosc. lib. V, cap. 40 : Ἐστὶ δὲ ἡδὺς μὲν, κεφαλαλγὴς δέ. Hard.

15. *Unde pomo nomen.* Nempe ἀπὸ τοῦ κάρος. Dal. — *Unde pomo nomen.* Forte rectius, ἀπὸ τοῦ καρύου, quæ vox nucem sonat, ejus appellationis originationem duxeris, quam a κάρη vel κάρος, hoc est, a sopore et gravedine capitis. Nam si inde nomen quod vina ex harum arborum palmulis expressa, καρηβαρίαν gignunt, tentantque cerebrum, jam per ἰῶτα, non per ὔψιλὸν notandæ Cariotides videbuntur. Caryotas laudat Petronius Satyr. pag. 140. Hard.

16. *Hiericunte.* Hujus agri palmetum ut sibi locaretur, Herodes magna mercede a Cleopatra, cui illud Antonius eximii muneris loco dederat, impetravit. Auctor est Joseph. B. Jud. lib. I, cap. 13. H.

17. *Archelaide.* Prope Hiericuntem. — *Archelaide.* Dalecamp. h. l. et *Cappadociæ*, inquit, *Archelaide*, de qua nimirum lib. VI, cap. 3. Quid? Adeone Plinius stipes fuit, ut Archelaidem Cappadociæ, Judææ convallem esse putaverit? Fuit Archelais non Cappadociæ modo, sed et Judææ oppidum, haud procul Hiericunte : in Tabula Peutingeri « Hiericunte XII, Archelaide XII. » Si tamen ei Tabulæ fides habenda potius, quam Plinio sit, qui non civitatem, sed *convallem* Judææ vocat Archelaida. Hard.

18. *Phaselide.* Φασαηλίδος palmeta laudat Josephus, B. Jud. lib. II, cap. 8, pag. 789, quæ Liviæ Augustæ testamento Salome reliquerat. Stephanus : Φασαηλὶς, πόλις Ἰουδαίας ἀπὸ Ἡρώδου κτισθεῖσα, τοῦ πρώτου βασιλέως, etc. Hard.

19. *Liviade.* Λιβιὰς Josepho et Ptolemæo infra Machærunta ad Jordanem urbs fuit, ab Herode in honorem Liviæ Augustæ condita. Sed valde vereor, ut id vere uterque scripserit. Hard.

20. *Quodamque.* Et quemdam vini mellisque prædulcem saporem refert. Hard.

Sicciores in hoc genere[21] Nicolai[22], sed amplitudinis præcipuæ, quaterni cubitorum[23] longitudinem efficiunt. Minus speciosæ, sed sapore caryotarum sorores, ob hoc Adelphides dictæ, proximam suavitatem habent, non tamen eamdem. Tertium[24] ex his genus patetæ[25], nimio liquore abundat: rumpitque se pomi ipsius, etiam in sua matre, ebrietas, calcatis similis. Suum genus e cicciore[26] turba

21. *Sicciores in hoc genere*, etc. De quibusdam tantum palmis id Theoph. non addita particulatim Nicolaorum appellatione. Dalec. — *Sicciores in eo genere*. Nempe caryotarum. Hard.

22. *Nicolai*. A Nicolao Damasceno, Peripatetico, Augusti familiarissimo, eas palmas vocatas fuisse scribit Rhod. lib. V, cap. 6, ex Plutarcho in Symposiacis, Quæst. 4, lib. VIII. Dalec. — *Nicolai*. Id eis palmulis nomen inditum ab Augusto Cæsare, qui eo genere cibi capiebatur, quod Nicolaus Damascenus, Peripateticus, ei admodum familiaris, id genus dactylorum sæpe ad eum mitteret. Ex his et placentæ factæ et panes, quibus nomen idem Nicolai fuit. Auctor Athenæus, lib. XIV, pag. 652. De hoc Nicolao multa Phot. in Bibl. cod. 189, pag. 469. Hard.

23. *Quaterni cubitorum*. Ita libri omnes: planius diceret: « quaterni cubitum unum longitudine efficiunt. » Sic enim Theophr. Hist. lib. II, cap. 8: Καὶ γὰρ σφαιροειδεῖς ἐνίους, ὡς τέτταρας εἰς τὸν πῆχυν εἶναι. Hard.

24. *Tertium ... patetæ*. Nempe ex caryotarum genere. Φοινίκων πατητῶν mentio apud Alex. Trall. lib. VII, cap. 8; item Galen. Meth. med. lib. X, cap. 9, aliosque. Πατητὸς a πατέω, *conculco*: quod quum ejus pomum dehiscit, calcata appareat. — *Tertium*. Ita MSS. editique libri, et recte: nam primum caryotarum genus, Nicolai; alterum, Adelphides; patetæ, tertium. Quid igitur causæ est, cur hic Dalecampius *alterum* reponat, pro *tertium*? Hard.

25. *Patetæ*. Vide quæ adnotata sunt lib. XIV, cap. 16. Dalec.

26. *Suum genus e sicciore*, etc. Lege: « Suum genus e sicciore turba balanis, prælonga gracilitate curvatis interim. » Plinii ætate *dactyli* inauditi hac notione. Vulgus Græciæ recentioris hoc nomen usurpavit de balanis palmæ. Salmas. — *Suum genus*, etc. Proprii, inquit, et peculiaris cujusdam generis, iidemque siccioris naturæ, ut in caryotarum genere Nicolai, juncei sunt, interdum curvati, ob prælongam junceamque gracilitatem: propter quam et junceorum illis est appellatio indita. Prius legebatur: « Suum genus e sicciore turba dactylis. » At in MSS. vocis illius *dactylis*, nec vola, nec vestigium, ut aiunt. In Reg. 1, 2, Colb. 1, 2, 3, Chiffl. teste Dalecampio, Paris. et in aliis, quos Salmasius vidisse se profitetur, in

junceis, prælonga gracilitate curvatis interim. Nam quas

Solin. pag. 1322 : « Suum genus e sicciore turba jacens. » Qui Parmensem editionem accuravit, *dactylis* primus adjecit, annexuitque cum altera voce *jacens* : « Suum genus e sicciore turba jacens dactylis. » Priorem ex his expunxere confidentius deinceps secuti. Salmasius posteriorem immutavit l. c. ac primum quidem *Ægyptiis* : deinde se ipse retexens, *balanis* reposuit pro *dactylis* : quod vetustiore ævo dactylos nemo scriptorum apud Græcos Latinosve, pro palmulis usurparit : idque verbum medio tantum ævo irrepserit, Suidæ fere temporibus. Alii plura hoc ipso in loco immutare aggressi sunt : « Suum genus e sicciore herba, » nonnulli : qui quid siccior turba sit, haud intellexere ; quum palmulæ sint, quibus minus est succi aut liquoris. Sic lib. XV, c. 13 : « Ingens postea turba prunorum, versicolor, nigra, candida. » Prius enim palmas ebrias, ac nimis liquore abundantes commendavit auctor : nunc *turbam sicciorem* : mox « arentes in totum. » Alii, « e sicciore turba Idæis : » voluntque lusisse Judæos similitudine nominis, dum Chydæos appellavere, quos Idæos alii nuncuparent : at et id longius a vetere scriptura discedit, non minus *quam balani dactylique*; et de Idæis dactylis altum est apud Veteres silentium, præterquam de iis hominibus, qui id habuere nomen in Creta, ut diximus lib. VII. Alii, « curvatis in terram. » At *interim* pro *interdum* dici, Plinio familiare est, quod ex indice nostro intelliges. Nemo ex iis itaque auctoris mentem est assequutus, nemo priscæ scripturæ vestigiis, ut debuit, institit : nos, ut remur, utrumque feliciter. Nam quid affinius ei voci *jacens*, quam *junceis*? quum præsertim in libris manu exaratis, *iuceis* superposita lineola alteri litteræ, pro *junceis* scribi mos sit : Quid similius veri, quam junceum id pomi genus, quod e sicciore turba fuit, a *prælonga gracilitate*, et veluti juncea, qua nota a cæteris generibus secernitur, nomen accepisse? Quid enim aut junco siccius, aut in longitudine gracilius? Nam sic et lib. XVII, cap. 35, n. 9, « gracilis atque ejuncida vitis » dicitur, eademque n. 14, *ejuncescere ac mori*. Quid denique vero propius, quam ut superioribus palmarum generibus sua diligenter a Plinio attributa nomenclatio est, syagrorum, Nicolaorum, patetarum, adelphidum, sandalidum, margaridum, aliarumque, ac singularum nominis causa indicata, id quoque ab eo in his minime prætermissum? Junceos itaque nuncupatos significat, causamque statim affert, quia prælonga gracilitate curvantur interim : quo fere modo sandalides a similitudine nomen habuere. Sic lib. XXV, cap. 74 : « Cantabrica dicitur caule junceo pedali nasci. » Et cap. 54, « Aristolochiæ genus est, junci plenioris crassitudine. » Juncei porro, ne quid omittam, masculo, ut aiunt, genere signantur, ut Syagri, Chydæi et Nicolai; ut fructus subintelligas balanosve. Vel græco more locutum scito; nam τοὺς φοίνικας virili genere Græci efferunt, τοὺς πατητοὺς, τοὺς καρυωτοὺς, etc. H.—

ex his honori Deorum dicamus, chydæos[27] appellavit Judæa, gens contumelia numinum[28] insignis. In totum arentes Thebaidis[29] atque Arabiæ, macroque corpore exiles, et assiduo vapore[30] torrentes[31], crustam verius, quam cutem, obducunt. In ipsa quidem Æthiopia friatur[32] (tanta est siccitas), et farinæ modo spissatur in panem. Gignitur autem in frutice ramis cubitalibus, folio latiore, pomo rotundo, sed majore, quam mali, amplitudine: coicas[33] vocant. Triennio[34] maturescunt: semperque 6 frutici pomum est subnascente alio. Thebaidis fructus extemplo in cados conditur, cum sui ardoris anima[35]: ni ita fiat, celeriter exspirat: marcescitque non retostus

Broter. ex Regg. codd. 1, 2, et ed. principe, *in terram* reposuit. Ed.

27. *Chydæos*. Hoc est, plebeias, viles ac vulgares. Suidas, Χυδαῖος, εὐτελὴς, παμπληθὴς. Glossæ Græco-Lat. Χυδαῖος, *Vulgaris*. Χυδαῖος ἄρτος, *Ceparius*. Χυδαῖος ἄνθρωπος, *Gregarius*. Χύδην, *passim, promiscue*. Vide Onomasticon Rosweidi, in Vitas Patrum, verbo *Chydæum vinum*, p. 1021. Vide et Epiphan. adv. Hæres. lib. I, pag. 18. Hard.

28. *Contumelia numinum*. Quod caryotas præstantiores raro admodum, et tum quidem ingenti pretio gentilibus divendebant, idololatriæ obtentu, ne falsorum numinum mysteriis inservirent: viles tantum et vulgares pretio commodo distraherent. Vel quod præter verum numen, numina alia spernerent. Hard.

29. *Thebaidis*. Thebaicas palmulas laudat Petron. l. c. Hard.

30. *Vapore*. Calore. Hard.

31. *Torrentes*. Gron. *torridæ*. Ed.

32. *Friatur*. Ea crusta seu cutis. Diversum id genus est palmulæ a superioribus, ut Theophr. monet, Hist. lib. II, cap. 8: Ἄλλο δέ τι γένος ἐστὶν, ὅ φασι γίνεσθαι πλεῖστον περὶ τὴν Αἰθιοπίαν, ὃ καλοῦσι Κύκας· οὗτοι καὶ θαμνώδεις, οὐχὶ ἓν τὸ στέλεχος ἔχοντες, ἀλλὰ πλείω, κ. τ. λ. Reliqua iisdem fere verbis quibus Noster exponit. Ed.

33. *Coicas*. In omnibus Theophr. libris, Κύκας. At Pliniani MSS. Reg. Colb. etc. rectius, *Cœcas*, vel *Coicas*. Nam Hesychius Κοῖκας, ἐν Αἰθιοπίᾳ φοινίκων εἶδος. Quin etiam Theophr. lib. I, cap. 16, κοῖκος meminit. — *Cycas* Gronov. et vulgg. — *Cycas circinalis* (*Diœc. polyand.* gen. 2281, Pers. *Filic.* Juss.) Nunc *Cycadeæ* familiam quasi intermediam sistunt palmas inter et filices; ex cycade panem confici testatur quoque Theophrastus. Ed.

34. *Triennio*. Theophrast. iterum lib. II, 8. Hard.

35. *Ardoris anima*. Cum eo calore, quo feta est palmula, quum pendet ex arbore. Usus ea voce

furnis. Ex reliquo genere plebeiæ videntur. Syri et Juba tragemata[36] appellant. Nam in alia parte Phœnices[37] Ciliciæque, populari etiam nomine a nobis appellantur balani. Eorum quoque[38] plura genera. Differunt figura rotunditatis aut proceritatis. Differunt et colore[39], nigriores ac rubentes. Nec pauciores fico[40] traduntur colores. Maxime tamen placent candidi. Distant et magnitudine: prout multi[41] cubitum effecere. Quidam sunt non am-
7 pliores faba. Servantur hi demum, qui nascuntur in salsis atque sabulosis, ut in Judæa, et Cyrenaica Africa. Non item in Ægypto, Cypro, Syria, et Seleucia Assyriæ. Quamobrem sues, et reliqua animalia ex his saginantur. Vitiati

Noster iterum, lib. XIV, c. 3. H.

36. *Tragemata*. Græci palmulas exsiccatas τραγήματα, hoc est, bellaria, seu levia munuscula nuncupant. Papias in Vocabulario: « Collibia sunt apud Hebræos, quæ nos vocamus Tragemata, vel vilia munuscula, ut cicer frixum, uva passa, poma diversi generis. » Regula S. Pachomii, cap. 52: « Si vero sint tragemata, vel poma, dabit ei janitor ex his comedere quæ voluerit. » Inde vox gallica, *des dragées*, quæ secundis inferuntur mensis. Hard.

37. *Nam in alia parte Phœnices*, etc. Sic ex MSS. em. Hard. cons. M. et Ch. *aliqua*. Gron. et Al. Legend: « Nam in aliqua parte Phœnices, Græciæque populari etiam nomine a nobis appellantur Balani. » Hic *Phœnices* sunt φοίνικες, id est, palmulæ. Sic enim etiam vocarunt palmæ fructus, qui Græcis quoque βάλανοι dicuntur. Vult ergo Plinius *Tragemata* a Syris vocari palmulas. In alias parte *Phœnices*, id est, φοίνικας. Populari etiam Græciæ nomine a Romanis dici *balanos*. Vide Salmas. 1322, 1324. — *Balani*. Βάλανοι, nuces. Quod *Phœnices* hoc loco palmulas significare, seu φοίνικας putet Salmasius, p. 1322, vix ferri æquo animo potest. Phœnice regio notissima est, quæ et Phœnicia. Hard.

38. *Eorum quoque*. Ita MSS. omnes: etsi Græcis ἡ βάλανος feminei generis sit. Sic lib. XV, cap. 25, Sardianos balanos vocat. Hard.

39. *Differunt et colore, nigriores*, etc. Theophr. Histor. lib. II, cap. 8: Αὐτῶν δὲ τῶν καρπῶν διαφοραὶ πλείους... καὶ τὰς χροιὰς, οἱ μὲν λευκοὶ, οἱ δὲ μέλανες, οἱ δὲ ξανθοί. Τὸ δὲ ὅλον οὐκ ἐλάττω χρώματά φασιν εἶναι τῶν συκῶν, οὐδὲ ἁπλῶς τὰ γένη· διαφέρειν δὲ καὶ κατὰ τὰ μεγέθη, καὶ κατὰ τὰ σχήματα, κ. τ. λ. Ed.

40. *Fico*. Ita MSS. hoc est, quam fico Theophr. l. c. Hard.

41. *Prout multi*. Ut de Nicolais dictum est proxime, quaternos cubitum longitudine efficere. Hard.

aut vetusti ejus pomi signum est, cecidisse candidam verrucam[42], quæ racemo adhæserit. Alexandri milites palmis viridibus strangulati sunt. In Gedrosis[43] id factum est pomi genere, alibi copia evenit. Est enim[44] tanta musteis suavitas, ut finis mandendi non nisi periculo fiat.

X. (v.) Syria præter hanc[1] peculiares habet arbores. 1
In nucum genere pistacia[2] nota. Prodesse[3] adversus serpentium traduntur morsus, et potu[4] et cibo. In ficorum autem, caricas[5], et minores ejus generis, quæ cottana

42. *Cecidisse candidam verrucam.* Palmulæ calycem, qui ad basim fructus pedicello summo adhærebat. Chiffl. *decidisse.* Ed.

43. *In Gedrosis.* Theophr. Hist. lib. IV, cap. 5. Hard. — Vid. super. lib. cap. 12, nott. 7 et 8. Ed.

44. *Est enim.* Est enim recentibus palmulis tanta suavitas, ut finis maudendi non nisi vitæ periculo fiat. Hard.

X. 1. *Syria præter hanc*, etc. Vide lib. XV, cap. 22, et lib. XXIII, cap. 8. Dalec.

2. *Pistacia.* Hæc Indiæ Nicander adscribit, in Theriac. p. 63; Syriæ Diosc. lib. I, pag. 177; Galenus de fac. alim. lib. II, cap. 30, pag. 354, tom. VI, Alexandriæ Ægypti, sed Berrhœæ Syriæ multo uberiore proventu. De his multa Palladius, lib. XI, in Octobr. tit. 12, pag. 152. Βιστάκια, et Πιστάκια Græcis, teste Athenæo, lib. XIV, pag. 649, nobis *des pistaches:* arbos ipsa, *un pistachier.* Hard. — *Pistacia vera.* (*Diœc. pentand.* gen. 2212, Pers. *Terebinthac.* Juss.) Habitat in Persia, Arabia, India, Syria; colitur in Sicilia, Italia. Linn. Mat. med. pag. 254. Quum flores fructusque in distinctis et procul sæpius a se invicem dissitis nascantur arboribus, utpote *diœcis*, imprægnatio non secus in pistaciis ac in palmis locum habet. Sic autem in Sicilia succedit: florum amenta e pistacia mare decerpunt; quos in vas recondunt terra circumdatum madida: vas illud ramo pistaciæ feminæ appendunt, donec flores illi arescant, ut *pollen* facile ventorum ope per totam arborem dispergatur. Flores alii masculinos colligunt, siccatorumque pulverem proliferum spargunt in femineos, ut imprægnatio fiat. De his plura vide apud Geoffr. Mat. med. tom. II, pag. 417. Ed.

3. *Prodesse adversus serpentium morsus.* Nicander, l. c. H.

4. *Et potu.* Sive trita ex vino bibantur, sive edantur, ἐσθιόμενα δὲ καὶ πινόμενα ἐν οἴνῳ λεῖα, ἑρπετοδήκτοις βοηθεῖ, Diosc. l. c. Dalec. igitur frustra, *et fetu.* Hard.

5. *Caricas.* Mera fuit ficus vulgatissimæ varietas, quæ siccata advehebatur e Caria præsertim; usurpatur vero et hoc nomen de ficu qualibet sicca. Botanicis est *Ficus carica.* (*Diœc. triand.* gen. 2193, Pers. *Urtic.* Juss.) Habitat in Europa australi, Asia,

vocant[6]. Item pruna[7] in Damasco monte nata, et myxa: utramque[8] jam familiarem Italiæ. Ex myxis in Ægypto et vina fiunt[9].

1 XI. Juniperi similem habent[1] Phœnices et cedrum minorem. Duo ejus[2], genera, Lycia et Phœnicia, differunt folio: nam quæ durum, acutum, spinosum habet, oxy-

Africa. Variat cultura quoad magnitudinem, formam et colorem fructus. Linnæus ad *Polygamiam* retulerat hoc genus, quod Pers. rectius in monœciam transponendum monet. Synops. II, 612. Ed.

6. *Qua cottana vocant.* Cottana Juvenal. Satyr. III: « me prior ille Signabit, fultusque toro meliore recumbet, Advectus Romam quo pruna et cottana vento. » Pruna scilicet Damascena: Martial. « Hæc tibi, quæ torta venerunt cottana meta, Si majora forent cottana; ficus erat. *Metam tortam* » poeta vocat, e tortis juncis textam sportam metæ modo in acuminatum fastigium desinentem. Talibus canistris Massilienses caricas suas recondunt ac exportant, et *cabas* vocant. Hesychius κόττανα legit, non κίκτηνα· κόττανα, inquit εἶδος συκῶν. Turneb. lib. XXV, cap. 28. Dal. — *Cottana.* Hesychius: Κόττανα εἶδος συκῶν μικρῶν. Sic etiam Athen. lib. IX; Juvenal. Satyr. III, 83: « me prior ille Signabit? fultusque toro meliore recumbet Advectus Romam, quo pruna et cottana vento? » Hard.

7. *Pruna in Damasco monte nata, et myxa.* De pruno illa Damasceno (*Pruni domesticæ* variet. *icosand. monog.* gen. 1220, Pers. *Rosac.* Juss.), item de myxa (*Cordia myxa*, *Pentand. monog.* gen. 367, Pers. *Borragin.* Juss.), dicetur lib. XV, cap. 12. Ed.

8. *Utramque.* Sc. arborem. Hard.

9. *Ex myxis in Ægypto et vina fiunt.* Theophr. Hist. lib. III, cap. 12. Dal.

XI. 1. *Juniperi similem habent*, etc. Historiam totam Theophrasti Plin. pervertit, et corrumpit. Phœnicia Cedrus eadem quæ et Syriaca sive Cedrelate: Lycia vero, quam et Cedrida vocat Hist. lib. I, cap. 15 et 16, Oxycedrus est. Deceptus Plinius Lyciam et Phœniciam minoris Cedri species esse putavit, et utramque bacciferam, quum baccas Lycia, conos Phœnicia gignat. Utrique folium quidem Juniperi, sed Phœniciæ brevius, firmius, durius. Dalec. — *Juniperi.* Theophr. H. Pl. lib. III, cap. 12, et Geopon. Auct. lib. XI, cap. 1, ἄρκευθός ἐστιν ὅμοιος κέδρῳ μικρῷ, etc. Hard. — Tres juniperi species a Theophrasto describuntur, auctore Sprengelio, Hist. rei herb. t. I, pag. 106: scilicet ἄρκευθος, sive *Juniperus communis* (*Diæc. monad.* gen. 2286, Pers. *Conifer. dioicæ* Juss.); κεδρίς, siv. *Junip. nana*, quæ non arborescit; κέδρος, siv. *Junip. oxycedrus*, de quo infra. Minus accurate Theophrastum Plinius transcripsisse videtur, Dalecamp. judice. Ed.

2. *Duo ejus.* Nempe cedri minoris. Theophr. l. c. Hard.

cedros[3] vocatur, ramosa et nodis infesta : altera odore præstat. Fructum ferunt myrti magnitudine, dulcem sapore. Et majoris[4] cedri duo genera : quæ floret, fructum non fert. Frugifera non floret : et in ea antecedentem fructum occupat novus. Semen ejus cupresso simile[5]. Quidam cedrelaten[6] vocant. Ex hac resina laudatissima. Materiæ vero ipsi æternitas[7] : itaque et simulacra deorum ex ea factitaverunt. Cedrinus est Romæ in delubro Apollo Sosianus[8], Seleucia[9] advectus. Cedro similis in Arcadia est arbor[10] : in Phrygia Frutex vocatur[11].

3. *Oxycedros.* Oxycedron Theophrasti esse juniperum primam Dioscoridis, ait Lobelius in Nott. MSS. ad Anguillara, pag. 45. H. — *Juniperus oxycedrus.* (*Diœc. monadelp.* gen. 2286, Pers. *Conifer.* Juss.) Nomine ἀρκεύθου μεγάλης describit Dioscor. loc. sup. cit. Ed.

4. *Et majoris.* Hæc vero Theophrastus non habet. Hard. — *Pinus cedrus* Linn. (*Larix cedrus*, *monœc. monad.* gen. 2130, Pers. *Coniferæ monoicæ* Juss.). Vid. Fée, *flore de Virgile*, pag. ccxxiv, Virgil. t. VIII edit. nost. Ed.

5. *Semen ejus cupresso simile.* Theophr. corticem, non semen dicit habere similem cupresso : τὸν δὲ φλοιὸν ὅμοιον ἐδόκει κυπαρίττῳ, τραχύτερον δέ. « Cortice similes cupresso videbantur, sed scabriori. » Ed.

6. *Cedrelaten.* Ἀπὸ τῆς κέδρου καὶ ἐλάτης, quod non humilis, ut cedrus minor, sed in proceritatem crescit, instar abietis. Hard.

7. *Materiæ vero ipsi æternitas.* Ob siccitatem maximam, quæ a putredine illam vindicat : quamobrem in Argonauticis ἐξαλέην κέδρον Orpheus vocavit. Dal.

8. *Apollo Sosianus.* Causam hujus appellationis, hactenus incompertam, aperiemus inferius, lib. XXXVI, cap. 4, n. 8. Hard.

9. *Seleucia.* Pieria cognominata, in Syria prope Antiochiam. Egimus de ea lib. V, cap. 18. H.

10. *Cedro similis in Arcadia est arbor.* His verbis Plinius reddere conatur quod Theophr. ait, Idæos narrare unicum esse Cedri genus Junipero simile, quoniam scilicet apud eos cedrelate non nasceretur : Arcadas vero trium simul annorum fructum gerere. Dalec. — *Cedro similis.* Quoniam, opinor, ut in cedro frugifera antecedentem fructum occupat novus, sic in Arcadica arbore, quod mirum magis, et exacti, et præsentis, atque etiam tertii incipientis anni fructus legatur, teste Theophr. Hist. lib. III, cap. 12. Atque idcirco in Indice hujus libri Auctor sic hunc locum notat : « Quæ arbores trium annorum fructum pariter habeant. » H.

11. *Frutex vocatur.* Id vero non fruticis hoc loco, sed arboris proprium ac peculiare nomen videtur. Hard.

1 XII. (vi.) Syria et terebinthum habet[1]. Ex his[2] mascula est sine fructu. Feminarum[3] duo genera. Alteri fructus rubet lentis magnitudine : alteri pallidus, cum vite[4] maturescit, non grandior faba, odore jucundior, tactu resinosus. Circa Idam Troadis, et in Macedonia brevis arbor hæc[5] atque fruticosa, in Damasco Syriæ magna. Materies[6] ei admodum lenta, ac fidelis ad vetustatem, nigri splendoris : flos[7] racemosus olivæ modo, sed rubens ; folia densa[8]. Fert et folliculos[9] emittentes quædam animalia, ceu culices, lentoremque resinosum, qui et cortice erumpit.

XII. 1. *Syria et terebinthum habet.* Theophrastus, Histor. lib. III, cap. 15. Dal. — *Syria.* Et in Gallia Narbonensi freqneus Gallis, *Térébinthe.* Hard.— *Pistacia terebinthus.* (*Diœc. pentand.* gen. 2212, Pers. *Terebinthac.* Juss.) Habitat in Enropa australi, Barbaria, India. Ex hac olenm terebinthi. Ed.

2. *Ex his mascula.* Apud Theophr. Hist. lib. III, cap. 15, eadem prorsus exstant. Hard.

3. *Feminarum*, etc. Theophr. l. c.

4. *Cum vite.* Altera, inquit, Theophr. fructnm protinns rufum promit, magnitudine lentis ; altera viridem primum edit, χλοερὸν (Plinins χλωρὸν legit, quod et pallidum et viride sonat), deinde eumdem rnbore tingit, et cum vite maturescentem denique nigrum reddit, fabæ magnitudine, resinosum et odoratiorem. Hard.

5. *Arbor hæc.* Cui fructus cum vite maturescit. Theopbr. l. c. Ἔστι δὲ τὸ δένδρον, περὶ μὲν τὴν Ἴδην καὶ Μακεδονίαν βραχὺ, etc. Hard.

6. *Materies.* Iisdem verbis hæc Theophr. l. c. Hard.

7. *Flos.* Theophr. hoc tantum : ἄνθος δὲ ὅμοιον τῷ τῆς ἐλαίας· τῷ χρώματι δὲ ἐρυθρόν. « Flos oleæ, sed rubens. » Hard.

8. *Folia densa.* Ab eodem pedicnlo numerosa, lanri figura, conjugatim ut in sorbo. Theophr. H.

9. *Fert et folliculos.* Vindemiarum tempore quosdam folliculos seu vesiculas foliis et ramulis inhærentes promit, quales fere in ulmi foliis nascnntur, sed pallido aut pnrpurascente colore. Qnibns apertis lentor quidam in his contineri deprehenditnr, cni permixta fuliginosa excrementa, alatæque bestiolæ; *cynipes* aut *gallarum insecta* vocant. Horum follicnlorum meminere omnes fere qui de hac arbore scripserunt. Nihil autem alind sunt quam excrescentiæ quædam ab insectis folia et surculos compungentibus, et ibidem ova sua deponentibus excitatæ, nt matricum sive uterorum loco, iis inserviant fovendis et excludendis ; fetusque tandem editos alant protegantque, mira naturæ providentia. In illis tamen folliculis non colligitur resina, sed ex ligno, ἀπὸ τοῦ ξύλου. Theophr. loc. cit. Ed.

XIII. Etiam rhus[1] Syriæ mascula[2] fert, sterili femina, 1
folio ulmi paulo longiore et piloso, foliorum inter se semper contrariis pediculis, gracili brevique ramo. Pelles[3] candidæ conficiuntur iis. Semen[4] lenti simile, cum uva rubescit, quod vocatur rhus, medicamentis[5] necessarium.

XIV. (VII.) Et Ægypto[1] multa genera, quæ non 1
alibi[2]. Ante omnia ficus[3], ob id Ægyptia cognominata.

XIII. 1. *Etiam rhus Syriæ mascula fert*, etc. De Rhu loquitur; quam perperam mutarunt editores in *thus*. Vide Salmas. pag. 465. — *Etiam rhus*. Συριακὸς ῥοῦς, Galeno κατὰ τόπους, lib. VI, cap. 7, pag. 507. Rhois Syriaci meminit Scribonius Larg. Compos. 111. Marc. Empir. cap. 27, muliebri genere, Rhois Syriacæ. Apud Columell. et Pallad. pro *rore Syriaco*, lege *rhoe Syriaco*, vulgo *Rhus* et *Rous*. In officinis *Sumach*, Arabum lingua. Pingitur a Dodonæo, pag. 767. Hard.

2. *Mascula*. Hæc habet Theophr. Hist. lib. III, cap. 18. Hard. — *Rhus coriaria*. (*Pentand. trigyn.* gen. 726, Pers. *Terebinthac.* Juss.) Habitat in Europa australi, Syria, Palæstina, etc. Egregie apud Theophrastum, quem Noster hic secutus est, describuntur folia villosa, inflorescentia, fructus, et usus ad rem coriariam. Ed.

3. *Pelles*. Tingunt his foliis coriarii alba coria, inquit Theophr. βάπτουσι δὲ τούτοις καὶ οἱ σκυτοδέψαι τὰ λευκὰ δέρματα. Ita et Dioscorid. lib. I, cap. 147. Quod Græcis βάπτειν, hoc Plinio, cæterisque Latinis scriptoribus *conficere* est. Hinc *confectores* pro tinctoribus et infectoribus, apud Vopiscum in Aureliano. Hard.

4. *Semen*. Seu fructus, καρπός. Theophr. Hard.

5. *Medicamentis*. Vide Galenum κατὰ τόπ. lib. VI, cap. 1, quibus adde ea, quæ dicenda sunt lib. XXIV, cap. 79. H. — Rhus coriaria, ex Linnæi sententia, planta raro et caute adhibenda: qualitas styptica, subvenenata: vis adstringens, refrigerans: usus contra diarrhœam, dysenteriam, etc. Mat. medic. pag. 102, curante Schrebero. Ed.

XIV. 1. *Et Ægypto*. Sic Hard. Perperam Franzius exhibet *ex Ægypto*. Ed. — Vide Theophrast. Hist. plant. lib. IV, cap. 2, et inf. lib. XXIII, cap. 7. Dal.

2. *Quæ non alibi*. In alias tamen deinde terras peregrinata hæc arbos est, quæ primo loco tractatur. In Rhodo et Caria nasci Diosc. prodidit, lib. I, pag. 181. Eadem enim est συκόμορος et ficus Ægyptia, ut recte observat Maldonatus in Lucam, cap. 19. Quin et in Syria nasci sycomorum constat ex sacra pagina tum vetere, tum nova. H.

3. *Ficus*. Ubi ficus Ægyptia est, quæ συκάμινος Theophr. συκόμορος dicitur Dioscoridi. Salmas. 459, a. — *Ante omnia ficus*. Transcribit hic Plinium Solinus, cap. XXXII, pag. 61, et Theophrast. Hist. pl.

Arbor moro[4] similis folio, magnitudine, adspectu. Pomum[5] fert non ramis, sed caudice ipso. Idque ipsum ficus est prædulcis, sine granis interioribus, perquam fecundo proventu, scalpendo[6] tantum ferreis[7] unguibus: aliter non maturescit. Sed quum[8] factum est, quarto die demetitur, alio subnascente: septeno[9] ita numerosa partu,
2 per singulas æstates[10] multo lacte abundante. Subnascitur, etiam si non scalpatur, fetus quater æstate, prioremque expellit immaturum. Materies proprii generis inter utilis-

lib. IV, cap. 2: Ἐν Αἰγύπτῳ γάρ ἐστιν ἴδια δένδρα πλείω, ἥ τε συκάμινος, etc. Eadem, ut diximus συκόμορος appellata. Indigenæ nunc ficum Pharaonis vocant: Syri, *Gieumeiz*. Iconem Matthiolus accuratam exhibet in Dioscorid. lib. I, pag. 285. HARD.

4. *Arbor moro*. Theoph. l. c. et Dioscor. lib. I, cap. 118, τοῖς φύλλοις ἐοικὸς μορέᾳ, unde nomen συκόμορος. HARD. — *Ficus sycomorus* (*Diœc. triand.* gen. 2193, Pers. *Urticeæ* Juss.) Habitat in Ægypto, ab acere nostro, quod perperam *sycomare* vocamus, prorsus diversissima. Dicitur item Theophrasto συκάμινος, quanquam hoc eodem nomine *Morum nigram* insignivit lib. I, c. 19. De specie Ægyptiaca conf. NORDEN, *Voyage en Égypte*, vol. I, tab. 38. ED.

5. *Pomum*. Solinus: « Poma non ramis tantum gestitant, sed et caudice. » Parum fideliter Theophr. et Dioscor. ad verbum Plinio suffragantur. Una sycomorus ex trunco, majoribusque ramis, non ut altæ arbores, e tenuibus surculis, qui in cacuminibus sunt ramorum, plurimos fructus emittit. Jac. de Vitriaco, lib. I, cap. 85: « Sunt ibi præter ficus communes, quædam singulares ficuum species, fructus in ipsis truncis absque ramis et foliis facientes... sed ipsi trunco adhærentes: has autem ficus Pharaonis appellant. » HARD.

6. *Scalpendo*. Maturescere non potest, nisi scalpatur. Theophrast. Καὶ πέττειν οὐ δύναται, ἂν μὴ ἐπικνισθῇ. HARD.

7. *Ferreis unguibus*. Ungue aut ferro, Dioscor. oleoque inungendo, Theophrast. de Causis, lib. I, cap. 21. DAL.

8. *Id quum* Gronov. posuit. ED.

9. *Septeno*. Ita Solin. loc. cit. At Theophr. « Terno, » aut ut « alii prodiderunt etiam uberiore proventu: » οἱ μὲν τρίς, οἱ δὲ πλεονάκις. HARD.

10. *Æstates*. Primo vere arborem eam lac fundere ait Dioscorid. l. c. Ὀπίζεται δὲ τὸ δένδρον πρὶν καρποφορεῖν ἔαρος πρώτου, etc. Theophr. idcirco πολύοπον vocat, multo lacte abundantem. At non de arbore Plinio sermo est, sed de partu seu pomo, quod æstatibus singulis lacte abundat, ut de Cypria ficu mox dicetur. Quare hic *abundante* recte ex MSS. editisque codicibus legitur, non *abundans*, ut Salmasius velit. H.

simas. Cæsa statim[11] stagnis mergitur : hoc est ejus siccari[12]. Et primo sidit, postea fluitare incipit : certoque sugit[13] eam alienus humor, qui aliam omnem rigat[14]. Quum innatare cœperit, tempestivæ[15] habet signum.

XV. Huic similis quadamtenus, quæ vocatur Cypria ficus[1] in Creta. Nam et illa in caudice ipso fert pomum, 1
et ramis, quum in crassitudinem adolevcre. Sed hæc ger-

11. *Cæsa statim.* Theopbr. l. c. Τμηθὲν γὰρ ἔτι χλωρὸν, etc. « Cæsum etiamnum viride lignum, fundum petit : protinus in stagna injiciunt : madefactum porro in profundo siccatur : quumque siccum fuerit, innatat, emergitque. » Hard.

12. *Hoc est ejus siccari.* Sic dictum : ut « scire tuum nihil est. » Sequitur : « certoque sugit eam alienus humor, qui aliam omnem rigat. » Lignum ejus fungosum non est, nec rarum; nam, quum in aquam mittitur, subsidit : quum in aqua diu desederit, tum arefactum rarefactumque sustollitur. Salm. pag. 463. — *Ejus siccari.* Hac arte siccatur. Hard.

13. *Sugit eam.* Ita MSS. omnes. Non *siccat*, uti Guillandinus reponit, lib. de papyro, membro 16 : nec *fugit*, ut Pintianus. Solini paraphrasis : « Fit humore sicca. » Hujus miraculi causam investigat Licetus, lib. V de Quæsitis per epist. pag. 287 et seqq. Hard.

14. *Qui aliam o. rigat.* Utrumque exemplar hanc lectionem præfert, non *alvum*, ut Hermolaus emendat ex Theophrasto et Solino, quorum neuter eum adjuvat. Theophrasti verba sunt lib. IV, cap. 2 : « Proprium id præter cætera habere videtur quod cæsum continuo viride est, siccatur autem in profundo aquæ : mergitur enim in profundas fodinas stagnaque protinus, atque conditur, madefactumque in profundo siccatur : quumque siccum omnino fuerit, superfluitat atque innatat, itaque probe conditum esse videtur; fit enim leve atque solutum. » Et Solinus, cap. xxxiv : « Materia ejus in aquam missa subsidit; deinde quum diu desederit in liquore, levior facta sustollitur, et versa vice (quod natura in alio ligni genere non recipit) fit humore sicca. » In his verbis Theophrasti atque Solini nulla apparet alvi intestinorumve mentio : nisi quis dicat citari ab Hermolao prædictos auctores quod attinet ad verbum *sugit*, quod pro *fugit* substituit, cujus rei debuit lectorem admonere, ne judicaretur voluisse præstigiatorum more legentium oculos præstringere, ut supra etiam in *cynorrhodo* fecit. Pint.

15. *Tempestivæ.* Ad opera fabrilia tum tempestiva materies putatur, et bene condita. Theophrast. l. c. Καὶ δοκεῖ καλῶς τότε τεταριχεῦσθαι, etc. Hard.

XV. 1. *Cypria ficus*, etc. Diosc. lib. II, cap. 182 : Πτελέα οὖσα, συκαμίνῳ τὰ φύλλα ἔοικε· τὸν δὲ καρπὸν κατὰ τὸ μέγεθος κοκκυμήλων, καὶ γλυκύτερον, κ. τ. λ. « Hæc ulmus est, folio tamen sycomori, fructu

mina[2] emittit sine ullis foliis: radice similis populo, folium ulmo. Fructus[3] quaternos fundit: toties et germinat. Sed grossus ejus non maturescit, nisi incisura[4] emisso lacte. Suavitas[5] et interiora, fici: magnitudo, sorbi.

1 XVI. (VIII.) Similis[1] et quam Iones ceroniam vocant:

pruni magnitudine, dulciore, cætera sycomoro similis. » Dalec.

2. *Sed hæc germina*, etc. Sic totidem plane litteris ac syllabis MSS. Reg. Colb. Par. Chiffl. At Salmas. in Solin. pag. 462: « Sed hæc germen amittit sine ullis foliis ut radicem, similis populo, etc. » quæ nec latina, nec Pliniana, nec vera sunt. Libri vulgati tolerabilius: « Sed hæc germina emittit sine ullis foliis radicis similia. Caudex arboris similis populo, etc. » Quamquam enim interpolata lectio videatur, defendi tamen potest ex Theophrasto, ita scribente, Histor. lib. IV, cap. 2: Πλὴν ὅτι βλαστόν τινα ἀφίησι μικρὸν ἄφυλλον ὥσπερ ῥιζίον πρὸς ᾧ ὁ καρπός. Τὸ δὲ στέλεχος μέγα, καὶ παρόμοιον τῇ λευκῇ· φύλλον δὲ τῇ πτελέᾳ. « Nisi quod germen quoddam e caudice nascitur exiguum, ac sine foliis instar radicis, cui fructus adhæret. Caudex ipse ingens, et populo albæ assimilis: folium ulmo. » Hard.

3. *Fructus*. Theophrast. l. c.

4. *Nisi incisura*. Nisi pomo ipso immaturo inciso, emissoque lacte, inquit Theophr. Hard.

5. *Suavitas:* Hæc ad verbum Theophr. Ἡ δὲ γλυκύτης προσεμφερὴς τῷ σύκῳ, καὶ ἔσωθεν τοῖς ἐρινοῖς. « Dulcedo ficubus non absimilis: interiora plane cum grossis paria. » Hard.

XVI. 1. *Similis et quam Iones ceroniam vocant*, etc. Sic ex MS. Hard. consent. Chiffl. « Similis his siliqua, quam Iones ceroniam vocant. » Gronov. et alii. Ad vocem *siliquam*, quæ in Gronoviana legitur, hæc adjecit Dalecampius: Siliqua hæc nostra *Carouge* est. Falluntur qui arborem Judææ esse putant, quoniam arboris ejus ruber flos est, non albus: item qui Cassiam nostram fistularem. Est enim illi flos luteus. Vide Theophr. lib. IV, cap. 2, et inf. lib. XXIII, c. 8. — *Similis et quam Iones*, etc. Ficui Cypriæ; Theophr. loc. cit. Ταύτῃ δὲ παραπλησία καὶ ἣν Ἴωνες κερωνίαν καλοῦσιν. Gallis *carouge:* multum hæc Nicææ in Gallia cognita, et maris Ligustici accolis: in Apulia pariter et Campania frequens. Hard. — *Ceroniam*. De *ceronia* Plinii, κερωνία, vel κερατία Theophrasti, multa reperire est a Salmasio, Pintiano, Bodæo aliisque doctis disputata, quæ notularum nostrarum compendio capi non possint. Satius fore duximus, si Linnæi, Jussiæi, Gerardi (not. inedit.) peritissimorumque virorum sententiæ acquieverimus, pronuntiantium videlicet *ceroniam* Veterum nihil aliud esse quam *Ceratoniam siliquam* (*Diæc. pent.* gen. 2223, Pers. *Leguminos.* Juss.), nobis *carougier*, seu *caroubier*. Habitat in Europa meridionali, Græcia, etc. Est et alia orientalis arbor, ad

trunco et ipsa fertilis[2], sed pomo siliquæ[3]. Ob id[4] quidam Ægyptiam ficum dixere, errore manifesto. Non enim in Ægypto nascitur, sed in Syria, Ioniaque, et circa Gnidum, atque in Rhodo : semper comantibus foliis : flore candido, cum vehementia odoris : plantigera[5] imis partibus, et ideo superficie flavescens[6], succum auferente sobole. Pomo antecedentis anni circa Canis ortum detracto, statim alterum parit : postea florem, per[7] Arcturum : hieme fetus enutriente.

quam *ceratoniam* nonnulli frustra retulere, nomine Arabico *Kharoub* fortasse in errorem inducti. De Arabum arbore (*Cassia fistula* Linn. *Cathartocarpus* Pers. *Decand. monog.* gen. 1015; *Leguminos.* Juss.) sic Sprengelius tom. I, pag. 260, in Avicenn. 271: Serap. 12 : « Nestoriani jam pulpam leguminum in materiam medicam introduxerunt; namque *Mesuis* senioris descriptio apud Serapionem optima est : leguminum dissepimenta transversa, saporem et colorem pulpæ egregie indicat. Ex Arabia Felici et ipsa Ægypto advehebatur. Avic. aliam venire e *Basrah*, aliam e *Kabul*; sed ex India advehi. Abdollatiphus copiose in Ægypto eam inveniens, florem speciosum, luteum, et similitudinem arboris cum *Ceratonia siliqua* exprimit. Conf. Garc. apud Clus. Exot. pag. 197 ». Ed.

2. *Trunco et ipsa fertilis, sed pomo siliquæ.* Siliqua ipsa mandebatur : semina quæ intus habet, amara et esui inutilia : cortex ipse prædulcis et edulis. Salm. p. 459. — *Trunco.* Hoc est, quæ non ramis, sed ipso caudice, ut ficus Ægyptia fert pomum: ἐκ στελέχους, Theophr. Hard.

3. *Sed pomo siliquæ.* Exemplar Toletan. « Sed pomum siliqua » : lego equidem, « Sed pomo in siliqua », ut cap. seq. « semen in siliquis. » Theophrastus pomum græce *ellobon* appellat, hoc est, siliqua contentum. Theodorus : « Nam et ipsa caudice maximam fructus partem expellit : ramis autem, ut diximus, paucum fert siliqua. » Pint. — *Sed pomo.* Subintellige, fertilis: nam fructui siliqua nomen est, et est ibi *siliquæ* in gignendi casu. Etiam quod et arbori nomen, idem pomo Galli fecere : *des carouges*. De iis rursum dicemus lib. XV, cap. 26. Hard.

4. *Ob id.* Quia nempe est trunco fertilis. Quæ sequuntur plane ad verbum exstant apud Theophrast. Hist. lib. IV, cap. 2. Hard.

5. *Plantigera.* Theophr. ἐκ τῶν κάτω παραβλαστητικόν. Superficies, summa pars arboris est. Hard.

6. *Flavescens.* Theophr. ὑποξηραινόμενον, *arescens.* Consequitur nempe siccitatem flavedo. Hard.

7. *Per Arcturum.* Theophrast. περὶ Ἀρκτοῦρον καὶ ἰσημερίαν ἀνθεῖ, « circa Arcturum æquinoctiumque floret. » De Arcturi exortu, lib. XVIII, cap. 74. Hard.

1 XVII. (IX.) Ægyptus et Persicam arborem sui generis habet[1], similem piro[2], folia retinentem. Fertilitas assidua ei, subnascente crastino fructu[3]: maturitas[4] etesiarum

XVII. 1. *Ægyptus et Persicam arborem sui generis habet.* Scribo *perseam* (et sic Dalecampius quoque) non *persicam*, ex Theophrasto loco sæpe citato, et Dioscoride, lib. I, cap. 187: « Est, inquit Theophrastus, in Ægypto alia quoque arbor Persea dicta. » Dioscorides: « Ægypti arbor Persea est, fructum fert edulem, stomacho accommodatum, etc. » Quod si apud Dioscoridem legis, « Perseam Romani pariter Græcis perseam sive persicam dicunt »; scito verba illa Dioscoridis non esse, nec in græco ea haberi exemplari, sed a Marcello interprete addita, quem fefellit mendosus Plinii codex: in quem etiam errorem incidit Hermolaus in Corollario. Hard. — *Persicam.* Ita MSS. omnes. Περσέα dicitur a Theophr. Hist. lib. IV, cap. 2 Eadem Persea Plinio, lib. XV, cap. 12. Hard.— *Persicam*, etc. Perseæ arboris (ut et loti, papyri, scillæ maritimæ, vel κρομμύου, etc.) etiam exhibent partes monumenta Ægyptia. Illa Isidi sacra (Plutarch. Isis et Osir. pag. 378) deæ iconibus statuisque, et ipsarum mumiarum (*momies*) integumentis appingitur. Arbor ea cum primis Ægypti incolis ex Æthiopia advenerat (Diodor. Sicul. I, 34; Scholiast. Nicand. Ther. 764, pag. 51), ob cordatam foliorum formam, et gratum fructuum saporem præsertim expetita. Est autem *Cordia myxa* (*Pentand. monog.* gen. 367, Pers. *Borragin.* Juss. nobis *sebestier*), quod probavit eruditissime Schreberus (*Usteri's Magaz.* 5, 14). Fructus μυξάρια sunt (Dioscor. loc. cit. Hesychio μυξία), in quibus interpretes tantopere desudarunt. Sprengel, I, 32. — Hujus arboris meminit et Strabo libro ultimo, comam ei perpetuam tribuens, fructum magnitudine piri, figura oblonga, putamine inclusum et corio, amygdalarum modo. Galenus quoque se in Ægypto Perseam vidisse testatur, iisdem, ut aiunt, caracteribus insignem. Ed.

2. *Similem piro.* Folio, flore, ramo, toto denique aspectu. Theophr. l. c. Hard.

3. *Subnascente crastino fructu.* Non placet Plinii tralatio ex Theophrasto, cujus verba sunt de arbore Persea: « Fructum autem fert copiosum et in omnem horam »; Plin. *crastino* vertit. Ego puto apud Theophrastum *horam*, non partem diei significare, sed anni: alioqui ridiculum esset credere arborem esse, quæ quotidie fructum novum gignat. Pint. — *Crastino fructu.* Ubi maturum fructum decerpseris, inquit, edendo alteri succedaneo die jam crastino laborat arbos. Κατὰ πᾶσαν ὥραν πεπαίνει inquit Theophr. omni anni tempore, vere, æstate, autumno, hieme. H.

4. *Maturitas.* Perfectius tum concoquitur, quam reliquis anni temporibus. De etesiarum flatu dicemus lib. XVIII, cap. 68. Hard.

afflatu. Pomum longius piro[5], inclusum amygdalæ[6] putamine, et corio, colore herbido : sed ubi nux[7] illi, huic prunum, differens brevitate ac mollitie : et quamvis blandiatur prædulcis suavitas, innocuum. Materies[8] bonitate, firmitudine, nigritia quoque nihil differens a loto. Simulacra ex ea factitavere[9]. Non eadem gratia[10], quanquam fideli materie[11], ex arbore quam balanum appellavimus[12], magna ex parte contorta : navalis[13] itaque tantum est.

5. *Pomum longius piro*, etc. Restitui vult *æquum*, aut *par*, aut hujusmodi lectionem Pintian. quippe credit, Perseæ arbori pomum esse oblongum, sed magnitudine piri, ut liquet ex loco qui sic sese habet: Ἐν Αἰγύπτῳ δ' ἐστὶν ἕτερον, περσέα καλούμενον· τῇ μὲν προσόψει μέγα καὶ καλὸν, παραπλήσιον δὲ μάλιστα τῇ ἀπίῳ, καὶ φύλλοις καὶ ἄνθεσι, καὶ ἀκρέμοσι, καὶ τῷ ὅλῳ σχήματι..... Καρπὸν δὲ φέρει πολὺν, καὶ κατὰ πᾶσαν ὥραν πεπαίνει· περικαταλαμβάνει γὰρ ὁ νέος ἀεὶ τὸν ἕνον· πέπτει δὲ ὑπὸ τοὺς ἐτησίας..... Ἔστι δὲ μέγεθος ἡλίκον ἄπιος· τῷ σχήματι δὲ πρόμακρος, ἀμυγδαλώδης, χρῶμα δὲ αὐτοῦ ποῶδες, κ. τ. λ. Conf. Hist. plant. IV, 2; Theophrastum hic Noster, ut sæpius solet, totidem verbis expressit. Ed.

6. *Amygdalæ*. Instar amygdalæ, inquit, putamen habet, et corium coloris herbidi : sed ubi nux durior in amygdala est, hic tenerior cortex molliorque, pæne pruni instar: is enim cum nucleo manditur, ut dicetur lib. XV, cap. 34. Hard.

7. *Sed ubi nux*. Theophr. loc. cit. Ἔχει δὲ ἐντὸς κάρυον, ὥσπερ τὸ κοκκύμηλον, πλὴν ἔλαττω καὶ μαλακώτερον. « Nucem habet intus, quemadmodum prunum : sed longe minorem mollioremque. » Hard.

8. *Materies bonitate*. Theophrast. iisdem verbis, Hist. lib. IV, cap. 2. Hard.

9. *Simulacra ex ea factitavere*. Prima illa verba, « simulacra ex ea factitavere, » ad antecedentia pertinent : deinde sequitur alius sensus, et ita scribendum : « Non eadem gratia, quanquam fideli materia, est arbor quam balanon appellamus. Pint.

10. *Non eadem gratia*. Quia non recta, sed contorta ea arbos est, quæ balanos appellatur : οὐκ εὐφυὲς δὲ, ἀλλὰ παρεστραμμένον. Theophr. l. c. Hard.

11. *Fideli materie*. Ad vetustatem, uti de terebintho dictum est cap. 7. Hard.

12. *Appellavimus*. Libro sup. cap. 47. Hard.

13. *Navalis*. Ad navigia compingenda, εἰς τὰς ναυπηγίας, inquit Theophrast. l. c. Hard. — *Cocos nucifera* (*Monœc. hexand.* gen. 2079, Pers. *Palm.* Juss.) A vulgari phœnice hanc palmam differre Theophr. significat, quod fruticosa sit, fructum ferat rotundum, mole insignem et latice gratissimo plenum. Primus Anguillara, pag. 70, fructum hunc verum cognovit. Spren-

1 XVIII. At e diverso cuci[1] in magno honore, palmæ similis, quando et ejus foliis[2] utuntur ad textilia. Differt[3] quod in brachia ramorum spargitur. Pomo magnitudo, quæ manum impleat, color fulvus, commendabilis succo ex austero dulci. Lignum intus grande[4], firmæque duritiæ, ex quo velares[5] detornant anulos. In eo nucleus[6] dulcis, dum recens est : siccatus durescit ad infinitum, ut mandi non possit, nisi pluribus diebus maceratus. Materies crispioris elegantiæ, et ob id Persis[7] gratissima.

1 XIX. Nec minus spina[1] celebratur in eadem gente

GEL., t. I, p. 103. — Idem t. II, p. 418, de *Hyphæne coriacea* (*Hyp. cucifera ?* Pers. *Diæc. octand.* gen. 2245. *Palm.* Juss.): « Prima exstat (apud Pocockium) *Hyphænes coriaceæ* Gaert. descriptio, quæ palma fruticosa in Ægypto superiore habitat, fructum fert *Chamæropi* similem, sed cujus embryo in vertice situs est. Poockii descriptionem si cum Theophrasti κουκιοφόρα componas, ambigendum esse videtur, an intelligatur potius *Hyphæne* quam *Cocos*, quum lignum et putamen etiamnum ad varia utensilia adhibeantur. » ED.

XVIII. 1. *Cuci.* Theophr. l. c. κουκιοφόρον arborem vocat, plane ut idem pomo nomen fuisse videatur. HARD.

2. *Et ejus foliis.* Meminit auctor Peripli maris Erythræi, περιζωμάτων φύλλων κουκίνων, textilium e foliis cucinis. HARD.

3. *Differt.* A palma nimirum. Sic Theophr. l. c. HARD.

4. *Lignum intus.* Seu nux, quæ nucleum, ut in prunis Persicisque continet. Πυρῆνα vocat Theophrastus, Gaza, nucleum. HARD.

5. *Velares.* Quibus aulæa, vela, cortinæque contrahuntur, aut expanduntur. Theophr. l. c. Ἐξ οὗ τοὺς κρίκους τορνεύουσι τοὺς στρωματεῖς τοὺς διαποικίλους. HARD.

6. *In eo nucleus.* Pars nucis interior, teneriorque. Unde parœmia Plautina apud Macrob. Saturn. lib. II, cap. 14, pag. 374 : « Qui e nuce nucleos esse vult, frangit nucem. » Nempe e Curcul. Act. I, sc. 1, v. 55. HARD.

7. *Ob id Persis.* Ut suis lectulis pedes inde tornarent. HARD.

XIX. 1. *Nec minus spina.* Ἄκανθος Theophr. Hist. lib. IV, cap. 3. Hæc acacia est, de qua lib. XXIV, cap. 67, ut recte vidit Saracenus in Nott. ad Diosc. lib. III, c. 15. Vide quæ dicturi sumus lib. XXIV, cap. 67. HARD. — Theophrast. loc. cit. Ἡ δὲ ἄκανθος καλεῖται μὲν, διὰ τὸ ἀκανθῶδες ὅλον τὸ δένδρον εἶναι, πλὴν τοῦ στελέχους· καὶ γὰρ ἐπὶ τῶν βλαστῶν, καὶ ἐπὶ τῶν φύλλων ἔχει... διττὸν δὲ τὸ γένος αὐτῆς· ἡ μὲν γάρ ἐστι λευκὴ, ἡ δὲ μέλαινα· καὶ ἡ μὲν ἀσθενής τε καὶ εὔσηπτος· ἡ δὲ μέλαινα, ἰσχυροτέρα τε καὶ ἄσηπτος· διὸ καὶ ἐν ταῖς ναυπηγίαις χρῶνται πρὸς τὰ ἐγκοίλια αὐτῇ... τὸ δὲ ἄνθος καὶ τῇ ὄψει καλόν· ὥστε καὶ στεφάνους ποιεῖν ἐξ αὐτοῦ, κ. τ. λ.

dumtaxat nigra, quoniam incorrupta etiam in aquis durat, ob id utilissima navium costis[2]. Candida facile putrescit. Aculeus spinarum et in foliis. Semen in siliquis, quo coria perficiuntur gallæ vice. Flos et coronis jucundus, et medicamentis utilis. Manat et gummi[3] ex ea. Sed præcipua utilitas, quod cæsa anno tertio resurgit. Circa Thebas hæc[4], ubi et quercus, et Persica, et oliva, CCC a Nilo
stadiis, silvestrique tractu, et suis fontibus riguo. (X.) Ibi 2
et prunus Ægyptia[5], non dissimilis spinæ proximæ dictæ, pomo mespili, maturescens bruma, nec folia dimittens. Lignum[6] in pomo grande, sed corpus ipsum[7] natura copiaque, messium instar incolis. Purgatum enim tundunt, servantque ejus offas[8]. Silvestris et circa Memphim

Candidam spinam ad *Acaciam Senegal* (*Mimosam* Pers. *Monad. polyand.* gen. 1655. *Leguminos.* Juss.) retulit Sprengelius; nigram autem eamdem esse censet cum *Acacia* seu *Mimosa Arabica*. Conf. t. I, pag. 107. De modo colligendi gummim, seu Ægyptiam, seu Arabicam, qui cunctis satis notus; nec non de usu et virtutibus ejus apud Recentiores, adi, si libet, GEOFFROY, tom. II, pag. 572, cæterosque Mater. medicæ doctores. ED.

2. *Navium costis.* Herod. lib. II, Euterpe, n. 96, pag. 124, ubi et hujus spinæ faciem ait esse loto Cyrenæo similem, ex ea gummi manare, etc. HARD.

3. *Manat et gummi.* Quod acanthinon Marcellus Empiricus vocat, cap. 14 et 20; in officinis *gomme arabique*. HARD.

4. *Circa Thebas hæc, ubi et quercus, et Persica, et oliva.* Scribendum, ut admonui, *Persea*, non *Persica*. Theophrastus, lib. IV, cap. 3 : « Et silva ingens circa agrum Thebanum est, ubi et robur, et persea et olea. » Theodorus, quod græce Theophrastus dixit « Thebaicon nomon ; » « agrum Thebanum » vertit : ego *præfecturam* non *agrum* transtulissem, cum Plinio, V, 9. PINT.

5. *Ibi et prunus Ægyptia.* Circa Thebas. Hæc porro prunus Ægyptia inter ignotas referenda arbores. A Theophr. pariter describitur, Hist. lib. IV, c. 3. HARD. — Quibusdam myrobalanus emblica officinarum, ut chrysobalanus Galeni flava. DALEC. — Hanc prunum ad *Cordiam sebestenam* (*Pentand. monog.* gen. 367, Pers. *Borragin.* Juss.) reducere Sprengelius non dubitat, Hist. rei Herb. tom. I, pag. 82. ED.

6. *Lignum.* Quod alii nucem, alii nucleum vocant. HARD.

7. *Corpus ipsum.* Pomi caro, quæ nucem ambit. HARD.

8. *Offas.* Παλάθας, massas : nam tusum illi fructum in globos mas-

regio[9] tam vastis arboribus, ut terni[10] non quirent circumflecti: unius[11] peculiari miraculo, nec pomum propter, usumve aliquem, sed eventum[12]. Facies enim spinæ folia habet, ceu pennas[13], quæ tactis ab homine ramis cadunt protinus, ac postea renascuntur[14].

sasque fingunt. Theophr. Massulas offasque promiscue Columella nuncupat, lib. XII, cap. 38. Hard.

9. *Silvestris et circa Memphim regio.* Sic e maunscript. emend. Hard. libri ante illum ed. *Silv. fuit.* Rursum hæc Noster a Theophrast. lib. IV, cap. 3. Ed.

10. *Ut terni*, etc. Ut complecti caudicem homines vix terni queant. Theophr. Prius *complecti* minus sincere legebatur. In MSS. Reg. Colb. etc. *circumflecti.* Hard. — Nec mirum. Quippe, Adansonio teste, summæ amplitudinis arbores (*baobab* vulgo dictæ) in Ægypto et *Sénégal* diametro fere 25-pedali reperiuntur; ita ut quindecim staturæ mediocris homines truncum vix complecti possint. (*Adansonia digitata, monadelph. polyand.* gen. 1625, *Malvac.* Juss.) Ed.

11. *Unius.* Unins vero ex iis arboribus peculiare miraculum est. H.

12. *Sed eventum.* Τὸ συμβαῖνον simpliciter Theophrastus non dixit, sed τὸ συμβαῖνον πάθος. Rectius forsan dixisset, propter affectum frutici peculiarem., et qui ipsi a natura contingit. Hard.

13. *Folia habet ceu pennas.* Φύλλα ὅμοια πτερίσι, similia filicum, Plin. legit πτεροῖς. Garcias, lib. II, cap. 17, luteum florem esse scribit, folium vero polypodii, qua in re cum Theophrasto convenit. Dal. — *Ceu pennas.* Sic Theophr. καὶ τὸ φύλλον παρόμοιον τοῖς πτέρυξιν. Gaza vero ὅμοιον πτερίσι, *simile filicibus.* Sed nihil interest, sive πτερίσι legas sive πτέρυξι. Est enim πτερὶς filix sic appellata, teste Diosc. lib. IV, cap. 186, quod ἐντετμημένα καὶ ἀνεπτυγμένα φύλλα ἔχει ὡς πτέρυξ, folia incisa expansaque habet instar pennæ avium. Hard.

14. *Quæ tactis ab homine ramis cadunt protinus, ac postea renascuntur.* Pariter Theophrast. loc. supra cit. Ὕλημα δὲ ἴδιόν τι φύεται περὶ Μέμφιν... ἡ μὲν γὰρ πρόσοψις ἀκανθώδης αὐτοῦ, καὶ τὸ φύλλον παρόμοιον ταῖς πτέρυξιν (alii πτερίσιν)· ὅταν δέ τις ἅψηται τῶν κλωνίων, ὥσπερ ἀφαυαινόμενα τὰ φύλλα συμπίπτειν φασίν· εἶτα μετά τινα χρόνον ἀναβιώσκεσθαι πάλιν καὶ θάλλειν. Hæc est arbor *Mimosa polyacantha* (*Monadelph. polyand.* gen. 1655, Pers. *Leguminos.* Juss.) Totus aspectus spinis horridus; folia filicina, quæ si quis tetigerit, collabi, et post aliquod tempus iterum erigi. Nulla, quod sciam, mimosa Africæ incola est, quæ *sensitiva* sit, præter hanc speciem, quam Brucius *ergett el krone* (Reise, V, t. 7) delineavit. Sprengel, Hist. t. I, pag. 107. — Poinsinet de Sivry ad h. l. « Ses feuilles tombent aussitôt qu'on touche tant soit peu les branches, et reviennent ensuite. » Fidelius fortasse, quam opus fuit, Plinium in hoc secutus est, Theophrasti verbum συμπίπτειν, id est,

XX. (XI.) Gummi optimum esse[1] ex Ægyptia[2] spina convenit, vermiculatum, colore glauco[3], purum, sine cortice, dentibus adhærens. Pretium ejus in libras, X. III[4]. Deterius ex amygdalis[5] amaris, et ceraso[6], pessimum ex prunis. Fluit et ex vitibus, infantium hulceribus aptissimum : et aliquando ex olea, dentium dolori : ulmo etiam in Coryco monte Ciliciæ, ac junipero, ad nihil utile : ex ulmi vero gummi et culices ibi nascuntur. Fit et ex sarcocolla (ita vocatur arbor[7]) commis utilissima pictoribus ac medicis, 1

collabi, aut *connivere*, male pro *cadere* accipientem. Ed.

XX. 1. *Gummi optimum esse ex*, etc. Vulgo Arabicum. Acanthinum Celsus vocat lib. V, cap. 1, quoniam stillat ἐκ τῆς Αἰγυπτίας ἀκάνθης, Ἀραβικῆς. Sic vocat et Marcellus Empiricus, cap. XIV. Dalec.

2. *Ex Ægyptia.* De qua diximus sup. cap. Acacia est, ut ex Diosc. liqnet, apnd quem hæc totidem verbis exstant, lib. I, cap. 133. H.

3. *Colore glauco.* Vitro simile, pellucidum. Dioscor. Vide supra cap. 9 hujus libri. Dalec. — Gummi nostris temporibns ex Ægypto, Arabia et Africanis oris in Europam advebitur. Gummi nostras ab Arabico discrepare non videtur. Ex cerasis, prunis, pomis, persicis, aliisque ejusmodi arboribus stillat; iisdem virtutibus cum Arabico donatur; sed ad usum medicum peregrinum anteponi solet, quandoquidem ejns vires usu diuturniori cognitæ sunt et comprobatæ. Geoffroy, Mat. med. tom. II, pag. 572, seqq. Ed.

4. *In libras, X. III.* Denarii tres, id est, monetæ nostræ, 2 fr. 10c. Ed.

5. *Ex amygdalis.* Diosc. I, 176.

6. *Et ceraso.* De gnmmi ex ceraso Gal. de Fac. simpl. med. lib. VII, pag. 189, et Dioscor. lib. I, pag. 157. Ex prnnis, idem Diosc. cap. 174. Ex vitibus, idem lib. V, cap. 1. Ex olea, idem lib. I, cap. 141: quod ad dentium quoque dolorem commendat. — *Ulmo.* Theophrasti sententia est, Hist. plant. lib. III, cap. 14, ἐν ταῖς κωρύκοις τῆς πτελέας, in ulmi folliculis gummi et culices gigni, θηρία ἄττα κωνωποειδῆ. Est ibi κώρυκος folliculus, et ut Hesychius ait θυλάκιον, φύσα. Quare eadem cum Theophilo scribens Dioscorid. I, 111, φύσας vocat : ubi de ulmo, Τὸ δὲ ἐν ταῖς φύσαις κατὰ τὴν πρώτην ἐκβλάστησιν εὑρισκόμενον ὑγρὸν, etc. Sed de peculiari forte nlmi genere quod in Coryci monte nascatur, hæc Plinius ab incerto nobisque incognito auctore accepit.—Ut hoc loco Corycum montem in κώρυκον folliculum; sic lib. XII, cap. 3, *Hispaniam* vidimus mutatam in adjectivum σπανίαν. Hard.

7. *Ita vocatur arbor.* Diosc. lib. III, cap. 99 : Ἡ δὲ σαρκοκόλλα ἐστὶ δάκρυον δένδρου γεννωμένου ἐν Περσίδι, ἐοικὸς λιβανωτῷ, etc. « Sarco-

similis pollini thuris : et ideo candida, quam rufa, melior[8]. Pretium ejus, quod supra.

1 XXI. Nondum palustria attigimus, nec frutices amnium. Prius tamen quam digrediamur ab Ægypto, et papyri natura dicetur, quum chartæ usu maxime humanitas[1] vitæ constet et memoria. Et hanc Alexandri Magni victoria repertam[2], auctor est M. Varro, condita in Ægypto Alexandria. Antea non fuisse[3] chartarum usum : in palmarum foliis[4] primo scriptitatum : deinde quarum-

colla lacryma est arboris in Perside nascentis, similis thuri, etc. » De hac iterum dicetur lib. XXIV, cap. 88. H. — Arboris speciem, quæ *sarcocollam* largitur, ad *Peneam mucronatam* retulit Linnæus, Mat. med. pag. 55, cur. Schreb. (*Tetrand. monog.* gen. 277, Pers. *Incertæ sedis* apud Juss.) Cf. etiam Geoffroy, Mat. med. II, 646. Ed.

8. *Commis utilissima..... similis pollini... candida, quam rufa, melior.* Ita constantissime MSS. omnes : non ut vulgo editi, « gummi utilissimum... simile... candidum, quam rufum, melius. » *Commis* pro *gummi* Veteres dixere : quod et alibi sæpius observaturi sumus. Hard.

XXI. 1. *Hum.* Non ἡ παιδεία, disciplina et eruditio, ut Scaligero in Guillaud. visum est, sed cultus humanæ vitæ, quo scilicet homines brutis antecellunt, qui sermonis communione cum absente per literas præcipue continetur. Hard.

2. *Et hanc Alexandri Magni victoria repertam.* Guillandinus hujus loci diligentissimus, et ingeniosissimus enarrator ex Anacreonte, Alceo, Æschylo, comicis veteribus, Platone, Aristotele, probat papyrum, sive biblum cognitam quidem fuisse, antequam nasceretur Alexander, verum in usu frequenti et publico fuisse, Alexandri sæculo. Dalec.

3. *Antea non fuisse.* Lucan. lib. III, v. 222 : « Nondum flumineas Memphis contexere biblos Noverat, etc. » Verum dissentit a Varrone Cassius Hemina, ut dicemus cap. 27. Hard.

4. *In palmarum foliis*, etc. *In malvarum foliis*, non *palmarum*, legendum putat Guilland. quoniam olim in malvarum foliis scribebatur. Cinna apud Isidorum : « Hæc tibi Aratæis multum invigilata lucernis Carmina, queis ignes novimus aerios, Lævis in aridulo malvæ descripta libello, Prusiaca vexi munera navicula. » Dalec. — *In palmarum foliis.* Cultri dorso primum levigatis. Ita libri omnes, etiam MSS. et Isidor. Origg. lib. VI, cap. 12 : « At vero, inquit, historiæ majore modulo scribebantur, et non solum in charta vel membranis, sed etiam et in omentis elephantinis, textilibusque malvarum foliis atque palmarum. » Suidas quoque : Λυδοὶ καὶ Ἴωνες τὰ γράμματα ἀπὸ τοῦ Φοίνικος τοῦ Ἀγήνορος εὑρόντος ἔλαβον. Τούτοις δὲ ἀντιλέ-

dam arborum libris[5]. Postea publica monumenta plumbeis[6] voluminibus, mox et privata linteis[7] confici cœpta,

γουσι Κρῆτες, ὡς εὑρέθησαν ἀπὸ τοῦ γράφειν ἐν φοινίκων πετάλοις. De malvis res perinde nota: Cinna misit amico Aratea, « Lævis in aridulo malvæ descripta libello. » Sed *in palmarum foliis* scripsisse se Plinius ipse admonet cap. 28, extremo. H.

5. *Arborum libris.* Interiori cortice, ut fagi, fraxini, tiliæ aliarumve arborum. Venant. Fortun. Carmen ad Flavum: « Scribere quo possis, discingat fascia fagum, Cortice dicta legi fit mihi dulce tui. » Et mox: « Barbara fraxineis pingatur runa tabellis, Quodque papyrus agit, virgula plana valet. Pagina vel redeat perscripta dolatile charta, etc. » De tilia Suidas, verbo Φιλύρα. Xiphilinus in Domitiano, aliique. Isidorus, lib. VI, cap. 13: « Liber est interior tunica corticis, quæ ligno cohæret, in qua antiqui scribebant... ante usum chartæ de libris arborum volumina fiebant. » Hard.

6. *Plumbeis.* Laminis nimirum malleo tenuatis et extensis. Nam volumina quum audis, cave plumbeos putes convolvi oportuisse libros: nihilo sane magis quam hosce chartaceos, quos exaramus. Hesiodi liber Ἔργα καὶ Ἡμέραι, plumbeis in laminis scriptus asservabatur a Bœotis, teste Pausania. Plumbeam chartam pectore sustinuisse Nero dicitur apud Sueton. c. xx, vocis conservandæ gratia. Laminam plumbeam appellat Plinius, l. XXXIV, cap. 50. Et Joseph. A. Jud. l. I, Χάρτας μολυβδίνους dixit. Hard.

7. *Mox et privata linteis*, etc. Linteos libros memorat Livius, lib. IV primæ Decad. et Vopiscus in Aureliano, Ceras, cera oblitas tabulas vocat, in quibus primum ferreo stylo scribebatur, deinde ossea cuspide, quum vetitum fuisset, ne quis e ferro graphium haberet. Plaut. in Bacchid. « chry. Nunc tu abi intro Pistoclere ad Bacchidem atque effer cito. pist. Quid? chry. Stylum, ceram, tabellas et linum. » Atta in Satyra: « Vertamus vomerem in ceram, mucroneque aremus osseo. » Hinc scribarum vulgatum dictum, *Ceram ferro ne cædito.* Præter arborum cortices, ac folia plantarum, ligna cerata, lintea, plumbum, chartas, membranas, etiam in ligno, ut Solonis leges, ebore, ut romanorum principum edicta, libris elephantinis, quorum Ulpianus, Pandect. lib. XXXII, cap. 50, meminit, et Vopiscus in Tacito: lapide, ut sepultorum elogia, sacras Ægyptiorum litteras, et alia id genus monumenta: ære, ut 12 tabularum leges, fœdera, senatus decreta, animalium intestinis ac gemmis quondam scriptum fuisse, multis argumentis ostendit Guillandinus. Alexand. ab Alex. II, cap. 30. Dalec. — *Linteis.* Linteorum librorum freqnens apud Livium mentio, ut lib. IV, pag. 73, quos in æde Monetæ repositos, Licinius Macer annalium scriptor sæpe citabat auctores. Vopiscus quoque in Aureliano, pag. 211: « Inveni nuper, inquit, in Ulpia Bibliotheca inter linteos libros Epistolam Divi

aut ceris[8]. Pugillarium[9] enim usum fuisse etiam ante
2 Trojana tempora invenimus apud Homerum. Illo vero prodente, ne terra quidem[10] ipsa, quæ nunc Ægyptus,

Aureliani, etc. » At non hæc charta nostra vulgaris fuit, quæ fit ex linteis contritis et maceratis: quod multo posteriore ævo repertum. Lintei dicebantur libri, quod in telam linteam descripti, quemadmodum hac ætate pingere in iisdem pictores solent. » Carbasinos vocat Mart. Capella in procem. Gramm. Ante tertium decimum sæculum a Christo nato, chartæ nostræ receptum usum docet Joinvillei epistola ad Sanctum Ludovicum Franciæ regem, quæ in ejusmodi charta manu exarata, visa a nobis et perlecta est. An priore ævo cognita ea fuerit, incompertum. Hard.

8. *Aut ceris.* Isidorus, lib. VI, cap. 9: « Ceræ litterarum materies, parvulorum nutrices. Ipsæ dant ingenium pueris, primordia sensus: quarum studium primi Græci tradidisse produntur. Græci enim et Tusci primum ferro in ceris scripserunt... Postea institutum est, ut in cera ossibus scriberetur, etc. » Tamen MSS. vel *cedis*, vel *scedis* habent, forte pro *schedis*, quæ nihil aliud quam pagellæ ligneæ, et *dedolati ligno codicilli*, ut loquitur Hieronymus in epist. ad Nicæam. Quæ sincerior lectio videtur, quum sequatur, *Pugillarium enim*, etc. H.

9. *Pugillarium.* Codicillorum, ceratarum tabellarum. Codicillos vocat infra, lib. XXXIII, cap. 1. Homeri locus est Iliad. Z: πόρεν δ' ὄγε σήματα λυγρὰ Γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά. Pugillares olim dicti fuerunt duplices, triplices, quincuplices, a numero foliorum: citrei, buxei, eburnei, membranei a materia: lutei, virides, crocei, purpurei, a colore. Guilland. — *Pugillarium.* Codicillos Plinius ipse appellat, lib. XXXIII, c. 4: « Quum Homerus codicillos missitatos epistolarum gratia indicet. » Eo nomine nunc tabellæ cereæ vulgo intelliguntur: a Plinio ligneæ pagellæ simul complicatæ. Nam Homeri locum hunc respicit Iliad. Z, v. 69, Guillandino supra citatum. Hard.

10. *Ne terra quidem*, etc. Herodotus, lib. II, Ægyptum esse γῆν ἐπίκτητον, καὶ δῶρον ποταμοῦ scribit: Heliodorus, lib. IX Æthiopicorum idem tradit: idem Arist. lib. I, 14, Meteorolog. idem Strabo, Diodorus, Eratosthenes. Seneca, Natur. Quæst. lib. VI, cap. 20, Nilum turbidum defluentem, et limum secum trahentem multum, quem prioribus terris apponat, annuis incrementis semper Ægyptum proferre auctor est. Tot testibus et insignis auctoritatis viris confisus Plinius idem asserit. At constat omni memoria, in inferiori Ægypto celebres urbes fuisse Canopum, unde ostium Canopicum dictum, quo post excidium Trojæ, cum Helena Menelaus appulit, vulgo *Bicheri*; Tanin, vulgo *Damiatam*, unde Taniticum: et in vertice Deltæ, *Sain*, hodie, ut volunt, *Sait*, quæ chartæ Saiticæ nomen dedit: tum etiam Heliopolin, quæ *Bethsemes* appellatur, et *No* populosam,

intelligitur (quum in Sebennytico[11] saltem ejus nomo nonnisi charta[12] nascatur): postea adaggerata Nilo. Siquidem a Pharo[13] insula, quæ nunc Alexandriæ ponte jungitur, noctis dieique velifico[14] navigii cursu terram fuisse prodidit. Mox æmulatione[15] circa bibliothecas regum

quæ in Alexandriam postea versa est: Latopolin, in cujus ruinis Cambyses Babylonem ædificavit, *Cairum*: Memphim, Pyramidum miraculis claram, ut inde credendum hodie sit, Ægypti eam partem non adaggeratam fuisse limo fluvii, sed incolis multis semper habitatam, oppidisque frequentissimis cultam. Pro Sebennitica præfectura Guillandinus *Saiticam* reponit, quoniam, licet Sebenniticus tractus, in quo etiam hodie visitur ampla civitas *Sibnit*, ab historicis celebratus fuerit, nulla tamen charta Sebennitica nuncupetur, quum de Saitica multa legantur apud auctores. Homeri versus de Pharo sunt: Νῆσος ἔπειτά τις ἐςὶ πολυκλύςῳ ἐνὶ πόντῳ Αἰγύπτου προπάροιθε, Φάρον δέ ἑ κικλήσκουσι, Τόσσον ἄνευθ' ὅσσον τα πανημερίη γλαφυρὴ νηῦς Ἥνυσεν, ᾗ λιγὺς οὖρος ἐπιπνείῃσιν ὄπισθεν. Continenti adjuncta est oblongo et angusto aggere, quem pontem, γέφυραν, vocant, industria Cleopatræ reginæ, quæ legatos et publicanos Rhodiorum vectigal, cui obnoxia diu fuerat, superbe petentes, in suburbana quum duxisset solennis festi specie, septem dierum spatio, molibus in altum jactis, totidem stadia occupavit, et ita continenti admovit. Aliquanto vero post vehiculo in eam profecta, Rhodios ludificata est portorium non ab insula, ut putabant, sed a terra exigentes. Guilland. ex observatione Brodæi, III, cap. 5 Miscellaneorum. Dal. — *Ne terra quidem.* Ne ipsa quidem Ægyptus, sive pars ea quæ Delta dicitur, ante Trojana tempora fuisse intelligitur, si Homero credimus: sed postea adaggerata Nilo. Multo igitur minus cognita tum papyrus, præter quam in Sebennytico saltem Ægypti nomo nihil fere nascitur. H.

11. *In Sebennytico*, etc. Varro loco, quem Plinius citat, scripserat in Sebennytico tantum nomo papyrum, unde chartæ fiunt, nasci: quum autem nascatur in multis aliis locis Ægypti, probabile est Ægyptum totam terram tum non fuisse. Dal.

12. *Nonnisi charta.* Ita MSS. Reg. Colb. etc. Chartam papyrum vocat μετωνυμικῶς, quoniam ex papyro fit. Hard.

13. *A Pharo.* Vide quæ diximus lib. II, cap. 87. Hard.

14. *Noctis dieique velifico*, etc. Quantum navis plenis lata velis diurno cursu metiri poterat. Seneca; Plutarchus in Iside et Osiride. Dalec.

15. *Æmulatione circa bibliothecas*, etc. Ælianus, Hieronymusque ad Chromatium, inter Ptolemæum et Attalum contentionem eam habitam fuisse tradunt, qua in re nihil dissensionis est, quum, ut suos omnes reges Ptolemæos Ægyptus vocavit, ita et suos Attalos

Ptolemæi et Eumenis, supprimente chartas Ptolemæo, idem Varro membranas [16] Pergami tradidit repertas. Postea promiscue patuit usus rei [17], qua constat immortalitas hominum.

Pergameni cunctos nuncupaverint. De membranarum initiis statuendum fere idem quod de chartis, Eumenem frequentiorem quidem illarum usum vulgasse, quum maximum earum numerum ad bibliothecæ suæ volumina compararet, quamvis jam annis multis illarum usus fuisset ante Eumenem: quum Herodotus in Terpsichore scribat ab Ionibus byblon sive chartam appellari διφθέραν, nempe membranas: chartæque penuria, in membranis caprinis et ovillis eos ac plerosque alios barbaros scribere solitos. Scribit præterea Josephus lib. XII Ant. a Judæorum summo pontifice missos ad Ptolemæum senes, libros sacræ legis exspectantem, membranas suis involucris extractas ostendisse, aureis litteris perscriptas, tenuitatis admirandæ, ac sic compositas, ut visu discerni commissuræ non possent. Facit et ad id proverbium notissimum, « Diphthera vetustiora, » de quo vide Suidam et Erasmum. Aristotelem primum omnium undique colligere libros cœpisse, et Ægypti reges σύνταξιν bibliotheces docuisse Strabo affirmat: quod sic intelligendum puto, non quidem vivum et coram locutum id monstrasse, verum exemplo suæ bibliothecæ, quam instructissimam, copiosissimam, et ordine convenientissimo digestam fuisse credi par est, eos principes incitasse, ut præclaram illam et incomparabilem suam instituerent. Pisistrati bibliothecam ante Philosophi tempora, urbe potitum Xerxem Gellius tradit in Persidem transtulisse: eamque multis post annis Seleucum Nicanora reportandam Athenas curavisse. Julianus Imperator ad Ecdicium Ægypti præfectum scripsit, alios quidem feris, avibus, equis delectari, sibi vero ἐκ παιδαρίου δεινὸν πόθον ἐντετηκέναι τῆς τῶν βιβλίων κτήσεως: a puero maximam cupiditatem comparandi libros inolevisse. Capitolinus Serenum Sammonicum, eruditissimum virum, Gordiano juniori discipulo bibliothecam suam donasse refert, in qua sexaginta duo volumina selectorum et optimorum librorum numerabantur. Dal. — *Bibliothecas.* De his agemus lib. XXXV, cap. 2. Hard.

16. *Membranas.* E pellibus animantium. Hieron. ep. ad Chromat. Jovin. et Euseb. ubi de litterarum raritate expostulans: « Chartam, inquit, defuisse non puto, Ægypto ministrante commercia: et si alicubi Ptolemæus maria clausisset, tamen rex Attalus membranas a Pergamo miserat, ut penuria chartæ pellibus pensaretur. Unde et pergamenarum nomen ad hunc usque diem, tradente sibi invicem posteritate, servatum est. » Et nunc Pergamenas Galli, *parchemins:* vitulinas pelles exquisitius temperatas, *vélins* appellant. Hard.

17. *Usus rei.* Nempe papyri. H.

XXII. Papyrum ergo nascitur[1] in palustribus Ægypti, 1 aut quiescentibus Nili aquis, ubi evagatæ stagnant, duo cubita[2] non excedente altitudine gurgitum, brachiali[3] radicis obliquæ crassitudine, triangulis[4] lateribus, decem

XXII. 1. *Papyrum ergo nascitur,* etc. Papyrus duplex est: altera biblos Ægyptia, Ægypto pecnliaris et Indiæ si Straboni fides: iu Syria quoque uascens Theophrasto: Plinio, etiam Babylone, cujns flore dii coronantnr, pbiluris charta conficitur, scapo vescuntnr, radicibus ignem alunt. Altera Sari Theophrasti, Biblos secunda Eustathii, extra Ægyptnm auctore Straboue, iu Italiæ palustribus cum Typha et Anthela crescit, item in Sicilia, Apulia, Calabria frequens, ubi voce e Papyro sumpta, vulgus etiamnnm *Papero* appellat. Radicem babet prædnram, flexuosam, e qna Saria, id est, molles tenellique cauliculi germinant, ad dnorum cnbitorum altitudinem surgentes, crassitudine pollicis, trianguli, chartis inutiles, coma papyro simili. Hic locus Aristotelem parum certa et vera de plantis jndicasse probat, qui Problemat. lib. VI, 8, asseveret uulli plantæ canles triangulos, ant quadrangulos produci: quum et papyri scapus tribus angulis distinguatur, et aliarum mnltarum (ut in *Labiatis* ex. gr. videre est. Ed.), quatuor: quod ex historia Dioscor. manifestissimum est. Guilland. — *Papyrum.* Frutex ille, ex quo papyrus sive charta fit. Exstat hæc papyri descriptio et apud Theophr. Hist. plant. lib. IV, cap. 9. Iconem exhibet Dal. Hist. lib. XVIII, pag. 1883. Hard. — *Cyperus Papyrus* (*Triand. monog.* gen. 122, Pers. *Cyperoid.* Juss.) in limo Nili et Euphratis proveniens, sæpius laudatnr in Sacris Scripturis (גֹּמֶא). Bildadus apud Jobem, VIII, 11, quærit possitne papyrus crescere absque limo? Et obscuro illo loco Esai. XVIII, 2, navigia e papyro fabricata citantur, quorum Antiqui omnes, maxime Theopbr. IV, 9, memiuerunt. Papyrus etiam funes largiebatur, qui τῶν βυβλίνων uomiue, ad occludendas portas adhibebantur. Vide Homer. Odyss. XXI, 391. Sprengel, tom. I, pag. 7 et 20.

2. *Duo cubita.* Ubi aquæ nou excedunt cubitum duum altitudinem. Theophr. Hard.

3. *Brachiali.* Radix et obliqua, et crassitudine brachii est, qna uempe parte bracbium mauui committitur, ut auctor est Theophr. Πάχος μὲν οὖν τῆς ῥίζης καρπὸς ἀνδρὸς εὐρώστου. Καρπὸν Galli vocant *le poignet*, manus internodium. Theophrast. non unam ait esse radicem in papyro obliqnam: sed plures e majore radice prodeuntes, easque tenues et exiles: Φύεται δὲ ὑπὲρ τῆς γῆς αὕτη, πλαγίας ῥίζας εἰς τὸν πηλὸν καθιεῖσα λεπτὰς καὶ πυκνάς. Quam lectiouem Scaliger frustra sollicitat, et Salm. in Solin. p. 536. H.

4. *Triangulis.* Triangulari, inquit, caule constat: quod et experientia monstravit, non in papyro solnm, sed et in maxima parte herbarum. Triangulo scapo duos e papyro

non amplius[5] cubitorum longitudine in gracilitatem fastigatum[6], thyrsi modo cacumen includens[7] semine[8] nullo, aut usu ejus alio, quam floris ad deos coronandos[9]. Ra-

scipiones habuisse se scribit Goropius Becanus, Hierogl. lib. X, p. 162. Itaque de caule accipienda hæc Theophr. verba: Ἄνω δὲ τοὺς παπύρους καλουμένους τριγώνους, μέγεθος ὡς τετραπήχεις. Hard.

5. *Decem non amplius.* Theophr. decem et amplius cubitorum longitudinem radicibus attribuit: cauli seu scapo, tantum quaternum. H.

6. *Fastigatum*, id est, acuminatum. Sic e MSS. Hard. emendavit, præeunte Pintiano. *Fastigiatum* Gron. et alii. Ed.

7. *Thyrsi modo cacumen includens.* Quod Theophrast. dixit, κόμην (Strabo χαίτην) ἔχοντας ἀχρείαν, ἀσθενῆ, Plinius his verbis reddidit, quum aptius esset, « comam », sive « jubam inutilem habens, atque invalidam. » Non parum sane discrepat thyrsus a coma. Hæc enim exporrecta, diffusa ac explicata est, in milio et arundine, Plinio: thyrsus vero in spicatam congeriem stipatus, ut in alismatis, et acanthi caule, a similitudine thyrsi Bacchici vocatus, quem Macrobius telum fuisse ait circumplicata hedera obligatum, quæ fronde mucronem tegebat. Dal. — *Thyrsi modo.* Fert sane papyrus χαίτην, cæsariem, ex capillamentis plurimis constantem, thyrsi modo: nam thyrsus, sive hasta ea aculeata est, quam in Orgiis quatiebant, desinebatque in comam: unde κωνοφόροι Bacchæ, eædemque θυρσοφόροι thyrsigeræ appellantur. Cassiod. Epist. XI, 38: « paludum pulchram cæsariem » vocat, « virgultis molliorem, herbis duriorem, etc. » Hard.

8. *Semine nullo.* Theophr. Καρπὸν δὲ ὅλως οὐδένα. H. — Imo quot squamulæ, tot flores, tot semina. Vide notam seq. Ed.

9. *Quam floris ad deos coronandos.* Plutarchus in Agesilao scribit eum papyro coronaria delectatum fuisse ob coronarum simplicitatem, eamque discedentem a rege petiisse et accepisse. Athenæus vero, lib. XV, ridet eos qui putarunt e papyro et rosis coronas fieri: idque non minus absurdum esse tradit, quam si ex allio et rosa corona necteretur, utpote papyro grave quiddam et cœnosum olente. Dal. — *Quam floris.* Pro floribus, inquit, papyro dii coronantur. Laudat coronam e papyro Agesilaus apud Plutarch. p. 617. Ridet Athenæus, cen male olentem, lib. XV, pag. 676. Cave autem hic florem e papyro fingas: neque enim ullum papyrus ex se florem fundit. — *Quam flor.* etc. Ita Reg. 2. At Reg. 1, Colb. 3, aliique, « quam foris » habent; ut sit fortasse sententia, non Ægyptiis hunc morem fuisse, sed foris, hoc est, externis gentibus, ut papyro Deos coronarent. Florem quidem certe, ut diximus, nullum papyrus habet. H. — Cave Harduino credas, qui nescio qua auctoritate deceptus et certe aliud agens, papyro nullum esse florem commentus est, antiquam et explosam lectionem *foris* conatus reducere, contra omnium,

dicibus incolæ pro ligno utuntur : nec ignis tantum gratia, sed ad alia quoque utensilia vasorum. Ex ipso quidem 2
papyro [10] navigia texunt : et e libro vela [11], tegetesque, nec non et vestem, etiam stragulam, ac funes. Mandunt [12]

tum veterum, tum neotericorum botanicorum fidem. Constat in papyro, ut in cæteris congeneribus, flores squameos esse et bifariam spicatos, spicularum ternarum capitulis numerosis in umbellam longiorem dispositis. Hallucinatur item Poinsinet de Sivry, Harduini nimium fidelis assectator. (Ex Gerardi not. manuscriptis.) Ed.

10. *Ex ipso quidem papyro*, etc. Herodotus lib. II tradit Ægyptios naves fabricare e sua spina, compages introrsum e biblo facere ex amputato papyri vertice, ex eodem et vela, et calceos : inferiora vero longitudine cubiti, et comesse et vendere. Lucanus, IV, 136 : « Conseritur bibula Memphitis cymba papyro. » Ægyptiis sacerdotibus calceos tantum papyraceos gestare licebat, quorum Aristides lib. I Sacrorum sermonum meminit, scribens in ulceris curatione Æsculapium sibi dedisse calceos Ægyptios, quibus utuntur sacerdotes. Usi sunt et Veteres arundinum coma ad navium structuram, quo modo et papyro, commissuris interjicientes ad textus ferruminandos, ut quæ glutino sit tenacior, et explendis rimis pice fidelior, lib. XVI, c. 36. Dal. — *Ex ipso quidem.* Ex caule seu ligno, quod papyrum supra vocavit. Hard.

11. *E libro vela.* Apud Theophr. est : « etiam e biblo vela, etc. » nimirum ex eadem papyro, sive caulis ejus tæniis et philuris, non autem libro sive extimo cortice, ne funibus quidem, nisi in humore, utili. Plinius negligenter hæc vertit. Omisit et idem quod apud Theophrastum mortalibus imprimis necessarium usum hujus plantæ declarat, e biblo texi biblia, nempe chartas, etiam externis notissimas : quum Græci longe plura chartis memoriæ tradiderint, quam ipsimet Ægyptii, apud quos papyrus gignitur, memorabilium rerum monumenta saxeis obeliscis et pyramidibus insculpere soliti. Guill. — *E libro.* Theophrast. loc. citat. ἐκ τῆς βίβλου. Sic et storeas monachorum ex papyro, mattasque confectas legimus in Regula Solitar. cap. 47, alibique passim. Hard.

12. *Mandunt quoque crudum*, etc. Dioscorides et ejus auctoritate deceptus Pierius in Hieroglyphicis falso putaverunt radicem ἔχειν τρόφιμόν τι, alimenti nonnihil præbere, ideoque Ægyptios διαμασσωμένους ἀποχυλίζειν, mandere, exsugereque succum, τὸ διαμάσημα ἀποπτύοντας. Nam et præter Theophrasti perspicuam hac de re narrationem, Herodotus apertissime refert in Euterpe, II, 92, Ægyptios papyri e palustribus collectæ annua messe, partem superiorem præcisam in alios usus quam alimentorum vertere, inferiorem autem cubiti longitudine, et vendere, et comesse, eximia quadam suavitate, quum in luculento furno torretur. Ante fruges repertas priscis

quoque crudum, decoctumque, succum tantum[13] devorantes. Nascitur[14] et in Syria, circa quem odoratus ille calamus, lacum. Neque aliis[15] usus est, quam inde, funibus rex Antigonus in navalibus rebus, nondum sparto communicato. Nuper et in Euphrate nascens circa Babylonem papyrum intellectum est eumdem usum habere chartæ. Et tamen adhuc malunt Parthi vestibus[16] litteras intexere.

1 XXIII. Præparantur ex eo[1] chartæ, diviso acu in prætenues, sed quam latissimas, philuras[2]. (XII.) Principatus medio[3], atque inde scissuræ ordine. Hieratica appellabatur antiquitus[4], religiosis tantum voluminibus dicata, quæ

Ægyptiis usitatissimum et frequentissimum eum cibum fuisse ex Oro cognoscimus. Scribit enim Ægyptios antiquissimam, et omni memoria priorem originem suam significantes, papyri fasciculum pinxisse, quia eo primum vescerentur. Dalec.

13. *Succum tantum.* Id deinde quod manducatum est, ut in malis Punicis (*grenades*) facimus, exspuentes. Theophr. l. c. Hard.

14. *Nascitur.* Totidem verbis hæc Theophr. l. c. De calamo diximus lib. sup. cap. 48. Hard.

15. *Neque aliis.* Theophrast. De sparto dicemus lib. XIX, c. 7. H.

16. *Vestibus litteras.* Sic Petrarcha, teste Thomasino, in Petrarcha redivivo, cap. 23, quum deambularet solus, ne quæ subito erumperent cogitationes evanescerent, pellita quadam in veste qua erat indutus, scriptitare solebat subito quæ venerant in mentem. Sic Cosmes Eunuchus Abbas apud Sophron. vel Joh. Moschum, cap. 40, non absone præcipiebat: « Quum inveneris aliquid ex opusculis S. Athanasii, nec habueris chartas ad scribendum, in vestimentis tuis scribe illud. » Vide quæ de vestibus olim scriptis collegit Phil. Ruben. Elect. lib. II, cap. 1. Hard.

XXIII. 1. *Ex eo.* Ex caule. Sic acu solemus ceparum tunicas ab aliis alias divellere. Hard.

2. *Philuras.* Sic tenues eæ papyri tunicæ, ex quibus charta fit, appellantur. Græcis φίλυρα tilia est, cujus e libro interiore olim chartæ parabantur. Hard.

3. *Principatus medio.* Scilicet papyro, tunicisque seu philuris inde avulsis: hæ inter cæteras habuere principatum, ob tenuitatem. Quo propiores cortici, eo viliores. H.

4. *Hieratica appellabatur antiquitus.* Guillandinus aspere Turnebum reprehendit, ex hoc loco tres chartæ species invehentem, Hieraticam, Augustam, Liviam, Advers. lib. VII, cap. 2; quum una eademque sit, Ægyptiis dicta Hieratica, quoniam religiosis, et sacris voluminibus tantum dicata esset, Romanis

ablutione[5] Augusti nomen accepit: sicut secunda Liviæ,

adulatione prima, Augusta: adulatione secunda, Liviana, ut obscurius, et ignotius, ordineque tantum tertium ejus nomen fuerit Hieratica. At quam juste, viderit; nam quum paulo post genera chartarum pro latitudinis differentia recenset auctor, emporeticæ digitos sex esse vult: Saiticæ, pauciores novem: Fannianæ decem: Hieraticæ undecim: optimis vero, quum minimum duabus tredecim, quæ esse procul dubio non potuerunt aliæ, quam Augusta et Livia, adulatione Augusti et Liviæ, principem locum nactæ Augusti sæculo, rejecta in locum tertium bonitatis et nobilitatis Hieratica. Nam Taniticam cortici propiorem, et venalem pondere, non bonitate, in eo sensu præteritam, nemo reposuerit inter optimas. Ad Guillandini opinionem refellendam, tuendamque Turnebi et Ruellii sententiam, hoc argumentum satis fuerit. Verum Livianam et Augustam eamdem non fuisse monstrant apertissime, quæ mox sequuntur, « Augustæ in epistolis auctoritatem suam relictam, Livianam vero suam tenuisse, cui nihil primum erat, sed omnia secunda. » Sic enim in manuscripto legitur. Ordo ergo fuit ille chartarum dum vixit Augustus, mutatus a Claudio, densata charta, quæ litteras ob tenuitatem transmittebat, addito tertio corio, et aucta latitudine digitis aliquot. Strabo lib. ult. Hieraticam, non chartam, sed papyrum appellat, abundantem et præcipue cultam inferiore Deltæ parte, eamque duplicem, alteram præstantiorem, viliorem alteram. Memphiticam chartam idem Turnebus prodit inauditam, et minime ab aliis scriptoribus notatam, deceptus Lucani versu, quem Isidor. corruptum sic refert, « Conficitur bibula Memphitis charta papyro: » quum legendum sit, ut antea monuimus, « Conseritur bibula Memphitis cymba papyro. » « Conseri, contexi, sui naves » Veteres dixerunt: unde « Spartea serilia », funes sparteos ad eum usum destinatos dixit Pacuvius in Niptris: « Nec ulla subscus cohibet compagem alvei, sed suta lino, et sparteis serilibus. » Inde et « Serilia Istrica Liburni, » eaque navigia olim dixerunt. Nostrates eorum funium loco Juniperi virgis contusis, et musco, navium commissuras explent, additis subscudibus ferreis, quas vocant *happes*, Græci ἀγκτῆρας. Dal.

5. *Quæ ablutione.* Sic MSS. Reg. Colb. aliique, et quos Turnebus vidit, ipso prodente, Adv. lib. VII, cap. 2, pag. 192, non *adulatione*. Hieratica, inquit, quum officinæ Romam translatæ sunt, in Augusti nomen transiit, quando ibi lota diligentius et retractata est. Sic Liviæ nomen accepit, quæ secundæ notæ sive bonitatis, quia ex secundis philuris erat contexta. Hieraticæ appellatio tertiæ attributa, quia ex tertiis; sicut amphitheatrica ex quartis, et ita deinceps ordine, Saitica, Taneotica et Emporetica, quæ ex postremis philyris, corticique proximis conflabatur. Hard.

a conjuge ejus. Ita descendit hieratica in tertium nomen. Proximum amphitheatricæ[6] datum fuerat a confecturæ loco. Excepit hanc Romæ Fannii sagax[7] officina, tenuatamque curiosa interpolatione principalem[8] fecit e plebeia, et nomen[9] ei dedit. Quæ non esset ita recurata, in[10] suo
2 mansit amphitheatrica. Post hanc Saitica, ab oppido, ubi maxima fertilitas, ex vilioribus[11] ramentis : propiorque etiamnum cortici Leneotica[12], a vicino loco, pondere jam hæc, non bonitate, venalis. Nam emporetica[13] inutilis scribendo, involucris chartarum, segestriumque[14] in mer-

6. *Amphitheatricæ.* Ita libri omnes. Et fuisse sane amphitheatrum Alexandriæ, tota divitiis diffluente, simile veri est. Frustra Guillandin. *arthribiticæ* reponere nititur. Hard.

7. *Fannii sagax officina.* Rhemuium Fannium Palæmonem significat, qui, ut ait Tranquillus in Grammaticis illustribus, officinas promercalium chartarum et vestium exercuit, verna mulieris, sed manumissus, principem locum inter grammaticæ doctores adeptus, sed libidine et vitiis omnibus tam infamis, ut Tiberius et Claudius palam dictitarent nemini minus puerorum ac juvenum institutionem commendandam : arrogantiæ tam insolentis, ut Varronem porcum appellaret, secum natas et morituras litteras gloriaretur : quin etiam latrones aliquando sibi propter nominis celebritatem pepercisse : nomen præterea suum a Virgilio non temere positum in Bucolicis, sed præsagiente poeta, fore se aliquando omnium poematum judicem. Dal. — *Fannii.* De Rhemnio Fannio Palæmone, Grammatico Vicetino (is enim hoc loco intelligitur), vide inscriptionem veterem in Orthographia Aldi, pag. 779, et Sueton. lib. de illustribus Gramm. Hard.

8. *Principalem.* Dignam principe loco. Hard.

9. *Et nomen.* Ut Fanniana diceretur, cap. seq. Hard.

10. *In suo.* In suo nomine et ordine. Hard.

11. *Ex vilioribus.* Ex philyris postremis, propioribusque cortici. De Saitica præfectura conf. lib. V, cap. 9. Hard.

12. *Leneotica.* Ita MSS. omnes, Reg. Colbert. Paris. etc. Libri vulgati, *Tæniotica.* Isidorus, lib. VI, cap. 10, Teneoticam legit : « Teneotica, inquit, a loco Alexandriæ, qui ita vocatur, ubi fiebat. » H.

13. *Emporetica.* Isidorus loc. c. « Emporetica, quod ea merces involvuntur, quum sit scripturis minus idonea. » Hard.

14. *Segestriumque in mercibus*, etc. Quidam legunt *Stegestrium* ἀπὸ τοῦ στέγειν, σκεπάζειν, καλύπτειν. Varroni tamen *Segestria* dicuntur stramenta e segete, quibus lecticas involvebant, ut ab imbre,

cibus usum præbet : ideo a mercatoribus[15] cognominata.
Post hanc papyrum[16] est, extremumque ejus scirpo simile[17], ac ne funibus quidem, nisi in humore, utile.
Texuntur[18] omnes madente tabula Nili aqua : turbidus 3
liquor vim glutinis præbet vicem. Primo supina[19] tabula

pulvere, et externis quibusvis injuriis defenderent. Alii quævis ἐνειλήματα involucra sic appellari putant, quod iis segerantur, et seponantur, ac separentur quæ occultent. Dalec. — *Segestriumque.* Pro chartis, inquit, et segestribus, mercium involucris adhibetur, Segestria vulgus apud nos appellat, *des serpillières*, quibus merces involvi solent. Vide Vossium in Etymologico. Hard.

15. *A mercatoribus.* Quos Græci ἐμπόρευς vocant. Hard.

16. *Papyrum.* Nunc demum ventum est ad extimum corticem, quod papyrum vocat. Hard.

17. *Extremumque ejus scirpo simile.* Vetusti codices legunt *extimum*, quod probo. *Scirpus* Festo juncus palustris, procerus, et levis, e quo tegetes fiunt, id quod repetit Isid. Etymol. XVII, 9. Plinio, XXI, 19, Mariscus, ad vitilia et texendas tegetes idoneus, Græcorum holoschœnos. Dal.

18. *Texuntur omnes madente tabula Nili aqua.* Ita MSS. Reg. Colb. et Par. in quibus, *madente tabula*, mox *glutinis præbet inrecum*, legitur : non ut libri vulgati, « Texuntur omnes tabulæ madentes... liquor vim glutini præbet cum primo. » Traducit se Guillandinus, quum legit postea, *siccantur sutæ plagulæ* : et Scaliger in Guillandinum, dum mavult, *siccantur solæ plagulæ*, existimatque, destructo cratis contextu, qui fuerat operose concinnatus, exemptas schedas seorsim siccari. Guillandinus etiam paulo ante, *Transversa postea cute peragitur.* Sed piget ista similisque commemorare, quæ præter conspirantem codicum consensum ipsa orationis Plinianæ, quam plausissimam esse demonstravimus, textura convellit ac rejicit. — *Texuntur omnes.* Omnia genera chartarum superius memorata texuntur super tabula, sive assere ligneo, qui Nili prius aqua madeat : hæc enim aqua glutinis instar est, quum præcipue est turbida. Texi porro papyrus dicebatur, quod plane in morem telarum peragi soleret, et stamen suum, suumque subtemen, haud minus quam tela, haberet. Hard.

19. *Primo supina.* Erecta paululum, supinaque tabula, scheda seu philyra primo adlinitur, quæ ea longitudine sit, qua papyrum est, unde exsecta philyra est, resegminibus utrimque amputatis. Mox ab utroque illius latere alia atque alia adjungitur : ut pluribus tabula sternatur philyris, quemadmodum in tela stamen filis pluribus constat parallelis. Cassiodorus l. c. de papyro : « Junctura sine rimis, continuitas de minutiis, viscera nivea vireutum herbarum, scripturabilis facies, quæ nigredinem suscipit ad decorem, etc. » Hard.

scheda adlinitur longitudine papyri, quæ potuit esse, resegminibus utrimque amputatis: transversa[20] postea crates peragit. Premitur deinde prelis, et siccantur sole plagulæ[21], atque inter se junguntur, proximarum semper bonitatis diminutione ad deterrimas. Numquam plures scapo, quam vicenæ[22].

1 XXIV. Magna in latitudine earum differentia: XIII digitorum optimis[1]: duo detrahuntur hieraticæ[2]: Fanniana denos habet: et uno minus amphitheatrica: pauciores Saitica: nec malleo sufficit[3]: nam emporeticæ brevitas sex digitos non excedit. Præterea spectantur in chartis, tenuitas, densitas, candor, lævor. Primatum[4] mutavit Claudius Cæsar: nimia quippe Augustæ tenuitas toleran-

20. *Transversa.* Deinceps, inquit, aliæ philyræ transversæ superponebantur, quæ cratem peragerent: crates enim sic texuntur, ex directis scilicet, transversisque virgis. Sic etiam in tela subtemen stamini transversum inseritur. Quare chartam omnem bilicem fuisse, ut telam, scito. Hoc uno discrimine, quod in conficienda charta subtemen stamini solum imponebatur, et connectebatur idem glutini ope: in tela autem stamini subtemen inseritur, decurritque per medium, mutuo amplexu, veluti nodo constrictum. Hard.

21. *Plagulæ.* Utraque igitur scheda sic contexta, ex duplici serie rectarum, transversarumque philyrarum, plagulæ appellabantur: nos papyri folia vulgo vocamus. Ex his plurimæ, hoc est, vicenæ simul jungebantur, ut scapum efficerent: proximæ, sive extimæ, meliores: deinde bonitatis diminutione deterrimæ in medio. Hard.

22. *Quam vicenæ.* Folia nos hodie quaterna et vicena in papyri, ut barbari aiunt, manu: ut Latini, scapo ponimus. Hard.

XXIV. 1. *Optimis.* Augustæ, et Liviæ: maxime vero Claudiæ, de qua inferius. Hard.

2. *Hieraticæ.* Quæ tertium, ut dictum est supra, nomen obtinuit. Fuit hæc undenum digitorum. H.

3. *Nec malleo sufficit.* Vel tam angusta est, ut malleum qua parte ferit latiorem, non adæquet, vel tam fragilis est, ut malleo percussa disrumpatur. Rugosas chartas malleorum ictu complanare, ac extendere mos fuit, unde l. XXXII Pandectarum Ulpiano, *libri malleati.* Guilland. — *Nec malleo.* Adeo angusta est, ut malleum latitudine non adæquet: multoque minus Emporetica par malleo fuit: quum ejus brevitas sex digitos non excederet. Hard.

4. *Primatum mutavit Claudius Cæsar.* Primas Augustæ chartæ ademit: dedit Claudiæ a se cognominatæ. Hard.

dis non sufficiebat calamis. Ad hoc transmittens litteras 2 lituræ metum afferebat[5] ex aversis : et alias indecoro visu pertranslucida. Igitur e secundo corio[6] statumina facta sunt : e primo, subtegmina. Auxit et latitudinem. Pedalis erat[7] mensura, et cubitalis macrocollis : sed ratio depre-

5. *Lituræ metum afferebat ex aversis.* Vulgg. ante Hard. *ex adversis. Adversa charta*, anterior et nostris oculis objecta, quam scribentes contuemur, in qua calamus properat : *aversa*, posterior, et a tergo posita. Utraque vero facie Veteres scripsisse, testantur hi versus Juvenalis : « Scriptus et a tergo, necdum finitus Orestes. » Martialis: « Scribit iu aversa Picena epigrammata charta : Et dolet, averso quod facit illa Deo. » — *Ex aversis.* Subintellige, litteris. Ita MSS. omnes, non *adversis.* Aversa littera est, quæ a tergo scripta est : sic charta aversa, ὀπισθόγραφος. In translucida charta metus, inquit, lituræ fuit ex aversa scriptura. Lituram intellige, maculam quæ funditur ex atramento in chartam bibulam. H.

6. *Igitur e secundo corio*, etc. Igitur jam non ex tenuissimis primis philyris, quibus Augustæ tota constabat, sed partim ex primis, partim ex secundis chartam laudatus proxime Imperator curavit confici, cui primatum arrogavit : quum antea Augustæ chartæ stamen subtemenque fieret ex iisdem, hoc est, primis philyris, atque adeo nimia ejus tenuitas foret : Liviæ stamen subtemenque pariter e secundis : Claudius medium ex utraque genus excogitavit, quod calamos toleraret, nec transmitteret litteras : ex primis philyris (corium μεταφορικῶς vocat), chartæ sui nominis fieri stamen, sen statumen, præcepit : ex secundis, subtemen. Locum hunc nna MSS. codicnm ope sanavimns: quibus Scaligeri, Guillandini, aliorumque interpretum conjecturæ pessum eunt. HARD.

7. *Pedalis erat mensura... macrocollis.* Macrocolla ἀπὸ τῶν μακρῶν κολλῶν dicta Guillandinus censet, tamquam a longo tergore : ego potius ἀπὸ τῶν μακρῶν κώλων, a longis velut artubus et membris. Mensura pedalis, et cubitalis, id est, sesquipedis, harum chartarum, an in longitudinem exporrigeretur, an in latitudinem, Plinius non statuit, in latitudinem potius existimo, quandoquidem hic agitur de latitudine, et scapi papyri, unde schedæ distrahebantur, nota est longitudo, circiter quatuor pednm, quæ ad pedis vel cubiti mensuram contrahi non potuit, quamvis μακροκώλου nomen longitudinem potius indicet, quam latitudinem. Quod autem unius schedæ revulsione ampliores, vel plures paginæ infestarentur, hoc nos docet plagulas chartæ confectæ, siccatæ, malleatæ, lævigatæ plicari solitas in paginas, ut fit et in nostris linteis, quæ quo ampliores essent, magis scriptura conturbaretur, ac læderetur, si quis unam philuram vel improbitate ac malitia, vel corruptam ac vitiosam exemisset. Au-

hendit vitium, unius schedæ[8] revulsione plures infestante paginas. Ob hæc prælata omnibus Claudia, Augustæ in epistolis auctoritas relicta : Liviana suam tenuit, cui[9] nihil primæ erat.

1 XXV. Scabritia lævigatur[1] dente, conchave : sed

gustam epistolis laudatam et relictam, Martialis epistolarum libro ultimo *salutatricem* vocat : « Marcus amat nostras Antonius, Attice, Musas, Charta salutatrix si modo vera refert. » Quod pro Liviana reponit Guilland. Fannianam, ut Augustam, Livianam, Hieraticam eamdem esse constanter affirmare non desinat, id contra veterum codicum auctoritatem statui, a nobisque minime probari supra dictum est. Hinc quidem nos pro æstimationis ac pretii ordine, et latitudinis varietate, quoniam fere par esset omnium longitudo, chartas numerare, ac suis classibus recensere possumus, Augusti tempore macrocolas primas, pedem aut sesquipedem latas : Augustam et Livianam optimas digitos tredecim : Hieraticam undecim, Fannianam decem : Amphitheatricam novem : Saiticam, et quam omisit auctor, Taniticam, pauciores nempe septem, vel octo : Emporeticam sex : quas omnes anteivit et bonitate, et dignatione Claudia, principatu Claudii texta e duobus staminibus, sive statuminibus et interjecto uno subtegmine, optimis, nempe Augusta et Liviana, aliquanto latior, ut suspicor ad digitos quatuordecim, vel quindecim. Dalec. — *Macrocollis*. Ita MSS. Reg. Colb. etc. non *macrocolis* : hoc est, μακροκόλλοις non μάκροκώλοις. Chartæ olim inter se jungebantur, et glutine compingebantur. Majore modulo compaginatam chartam μακρόκολλον vocabant. Hæ *chartæ majores*, apud Suetonium in Augusto. Et apud Martial. lib. I, epig. *45*, *major charta*, *minorque* : quod fugit omnes adhuc interpretes. Hard.

8. *Unius schedæ*. Quum plagula una longior eximebatur a prelo, ut siccaretur sole, abstrahi in totum ea vix poterat, quin scheda aliqua transversa seu philyra a sua pagina divelleretur, subjectasque paginas (nos folia dicimus) iis adhærescens, læderet, infestaret, corrumperet. Hard.

9. *Cui nihil*. Quæ nullas primæ, hoc est, Claudiæ dotes haberet : haberet autem omnes secundæ, hoc est, Augustæ. Hard.

XXV. 1. *Scabritia lævigatur*. Vitia chartarum hic auctor memorat quatuor, scabritiem, rebellem contumaciam, lentiginem, tæniam unam, vel plures. Scabritiæ remedium est, dente vel concha, politura, moderatione tamen adhibita, ne vehementius exteratur. Nam quamvis ea complanatione, ac erugatione splendeat magis, fulgenteque nitore oculis placeat, validiore tamen attritu non sorbet atramentum, sed respuit, et, si quæ litteræ appictæ sint, instabilis et fugax scriptura non permanet. Alterum vitium est rebellio. Rebellant qui

caducæ[2] litteræ fiunt. Minus sorbet politura charta, magis splendet. Rebellat[3] sæpe humor incuriose datus primo,

armis subditi et pacati bellum rursus movent. Rebellat humor incuriose datus, quum artificis curæ ac studio reluctatur pertinacius, nec omne corii spatium ex æquo rigat, et oblinit, sed alicubi subsistit copiosior, alibi parcior affunditur, unde plagularum fit inæqualis et superficies et resiccatio. Nam quum probe curatam, subactam, tractatamque chartam esse putat artifex, nec quidquam operæ suæ præterea desiderare, tum contra ejus spem vitium id detegitur, et tamquam recrudescit, quod iterum ejus diligentiæ negotium faciat. Est itaque retexenda charta, et eodem labore domanda, atque pervincenda, quo prius. Malleo deprehenditur hoc vitium, aut quod eminentiora tubera, depressioresque lacunas plagularum, inæquali percussu tundat, et invenusta deformitate tusas ostendat. Prodit arguitque eam labem etiam odor, charta præsertim negligentius prelo compressa et siccata, mucidus, virosus, fœtidus putrescente ac situm olente humore, qui nec prelo est elisus, nec insolatu dissipatus. *Lentigo* macula est chartarum plagulis aspersa, colore rufa, vel subrufa, qualis in hominum ore conspicitur. Græcis φακός. Ab ea facie crebra Φακᾶς Dioscorides, auctore Suida, cognominatus est. In charta ergo nævos, sordes, decolores punctorum notas, et maculosas velut aspergines *lentiginem* Plinius vocat: quæ fiebant, dum compingerentur coria, si quid illaberetur impurius, quod nativum colorem inquinaret, aut si quid in schedis contortum et conglobatum chartam infuscaret. Oculis id cognoscebatur, vel perfecta statim charta, si maculæ in aperto forent, vel ad solem explicata, si altius insiderent. Quartum et postremum vitium *tænia* est, non, ut retur Guillandinus, philura, vel scheda, sed oblongus et augustus in plagulis ductus, nullo glutine, aut pingui humore litus, et opertus, in quo sola papyri fungosa et bibula raritas absque ullo tectorio calamis scribentium occurrit, et litteram, sive atramenti picturam dum haurit, diffundit, quod nec ictu mallei, nec oculorum conspectu exploratur, sed scriptura tantum, dum picta littera liquescens utraque parte combibitur, et tam aversam, quam adversam faciem inquinat. Dalec.—*Dente*. Elephanti scilicet, seu ebore. (Ex Gerardi nott. man.) Ed. — *Conchave*. Veneria, quam Echneidis nomine Mutianus depingit. Dal.

2. *Caducæ litteræ fiunt*. Fugax est, instabilisque scriptura : moderate tamen polita, attrita, non sorbet atramentum papyrus, sed retinet; et nitore tum magis oculis placet. Hard.

3. *Rebellat*, etc. Humorem vocat liquorem Nili turbidum, qui glutini, ut diximus, vicem præbebat in texendis chartis : hic si primo incuriose et minus temperate datus fuerat, rebellabat interdum, et

malleoque [4] deprehenditur, aut etiam odore [5], quum fuerit indiligentior [6]. Deprehenditur et lentigo oculis [7]: sed inserta mediis glutinamentis tænia [8], fungo papyri bibula, vix nisi littera fundente se: tantum inest fraudis. Alius igitur iterum texendis labor [9].

1 XXVI. Glutinum vulgare e pollinis flore temperatur fervente aqua, minimo aceti aspersu: nam fabrile, gummisque, fragilia [1] sunt. Diligentior cura: mollia panis fermentati colata aqua fervente: minimum hoc modo intergerii [2]: atque etiam lini lenitas [3] superatur. Omne autem

quod esset humore passim nimio madida, scribenti veluti resistebat, atque reluctabatur. Hard.

4. *Malleoque*. Quia exprimitur malleo humor, exsudatque sub ictibus, qui minus probe fuit prelo exsuctus. Hard.

5. *Odore*. Prodit etiam labem odor, charta præsertim negligentius prelo compressa, siccataque, fœtidus ac situm olens: qui nec prelo elisus est, nec insolatu dissipatus. Hard.

6. *Indiligentior*. Ita libri omnes. Forte rectius, *indulgentior*, hoc est, largior, abundantior, humor scilicet. Hard.

7. *Lentigo*. Macula lentiginosa, chartarum plagulis adspersa, colore subrufa, qualis in hominum ore conspicitur. Hæ sordes, hi nævi deprehenduntur oculis, obversa ad solis lumen charta. Hard.

8. *Tænia*. Tænia, inquit, hoc est, inanis quidam in plagulis ductus, cui vel gluten non adhæsit, vel illitum evanuit, aut corruptum est, jam neque malleo, neque oculis, sed vix aliter, quam scriptura ipsa deprehenditur: nam dum sola papyri fungosa, bibulaque raritas, absque tectorio ullo, calamis scribentium occurrit, litteram sive atramenti scripturam, dum haurit, diffundit: itaque ea combibitur, et utramque chartæ faciem, tam aversam quam adversam, inquinat. H.

9. *Alius igitur iterum texendis labor*. Toletanus codex non *texendis* agnoscit, sed *tenendis*: ut putem scribendum *tenuandis*. Nam ut paulo ante dixit, « spectatur in chartis tenuitas, densitas, etc. » Pint.

XXVI. 1. *Fragilia*. Nec convolvi et complicari chartam patiuntur.

2. *Intergerii*. Quum esset gluten illud tenuissimum, levissimumque, minimum inter singulas schedas spatium occupabat. Intergerium vocat medium glutinamentum, quod inter duas schedas interjectum erat. Ab intergerino pariete ducta metaphora. Vide Voss. in Etymol. H. — Intergerinus proprie paries appellatur, qui a vicinis constructus, veluti intergerit, id est, communiter gerendo est. Budæus.

3. *Lini lenitas*. Ita MSS. omnes, non *Nili*, ut editi, quod est ineptum. Hoc, inquit, glutine lævior fit charta, ita ut ne lino quidem chartæ lævitas cedat. Hard.

glutinum, nec vetustius esse debet uno die, nec recentius. Postea malleo tenuatur, et iterum glutino percurritur, iterumque constricta erugatur, atque extenditur malleo. Ita sunt longinqua monumenta Tiberii Caiique Gracchorum manus, quæ apud Pomponium Secundum[4] vatem civemque clarissimum vidi annos fere post cc. Jam vero Ciceronis, ac Divi Augusti, Virgiliique sæpenumero videmus.

XXVII. (xiii.) Ingentia exempla contra[1] Varronis 1
sententiam de chartis reperiuntur. Namque Cassius Hemina, vetustissimus auctor[2] Annalium, quarto eorum libro prodidit, Cn. Terentium[3] scribam agrum suum in Janiculo repastinantem, offendisse arcam, in qua Numa, qui Romæ regnavit[4], situs fuisset. In eadem libros[5] ejus

4. *Apud Pomponium Secundum.* Hujus meminit auctor lib. VII, cap. 18, et lib. XIV, cap. 4; Plinius Nepos, lib. III epist. Tacitus. Dalec.

XXVII. 1. *Contra Varronis.* Qui ante Alexandriam conditam usum chartæ ex papyro Ægyptia confectæ, fuisse negabat, ut dictum est cap. 21. Hard.

2. *Vetustissimus auctor. Verissimus*, Guillandiuus: nam is Augusto et Tiberio coævus, quibus historiam suam dicavit, Plinium vix antecessit annis 70. Dalec. — *C. Hemina.* Negat Guillandinus *vetustissimum* recte dici, qui Plinium annis lxx vix antecessit. Simlerum sequitur Guillandinus, Dalecampius Guillandinum. *Verissimum* inviti exemplaribus reponunt. Errorem convellimus in Auctorum Indice, quem tu, lector, consule. Hard.

3. *Cn. Terentium*, etc. Lucium Pætilium, Livio, Lactantio, Valerio Maximo. Dalec. — *Cn. Terentium.* Sic Varro eum appellat, apud Augustinum de Civ. Dei, lib. VII, c. 34. Sic etiam Festus, verbo *Numam.* Quamobrem qui L. Petilium pro Terentio dixerunt, ut Val. Max. lib. I, cap. 1, n. 12, aliique, ut a Plinio dissident, sic aberrant a veritate: ac prætoris nomen, qui libros inventos comburi jussit, pro ejus nomine qui invenit, falso supponunt. Hard.

4. *In qua Numa, qui Romæ regnavit.* Et non minus trecentis annis Alexandro superior ætate fuit. Dalec.

5. *Libros ejus*, etc. Livius lib. X belli Macedon. Plutarchus in Numa, Valerius Max. lib. I, cap. 1; Lactantius lib. I, cap. 22 Institut. D. Augustinus de Civit. Dei, lib. VII, cap. 34, qui ex Varrone duodecim numero libros illos fuisse refert. Dalec.

repertos, P. Cornelio, L. F. Cethego[6], M. Bæbio, Q. F. Pamphilo[7] coss. ad quos a regno Numæ[8] colliguntur anni DXXXV[9], et hos fuisse e charta[10]: majore etiamnum miraculo, quod tot infossi duraverunt annis: quapropter
2 in re tanta ipsius Heminæ verba ponam. Mirabantur alii, quomodo illi libri durare potuissent: ille ita rationem reddebat: lapidem fuisse quadratum circiter in media arca vinctum candelis[11] quoquo versus. In eo lapide insuper libros impositos fuisse: propterea arbitrari eos non computruisse. Et libros citratos fuisse[12]: propterea arbitrarier tineas non tetigisse. In his libris scripta erant philosophiæ Pythagoricæ[13]. Eosque combustos a Q.[14] Petilio prætore, quia philosophiæ scripta essent[15]. Hoc idem

6. *P. Cornelio, L. F. Cethego*, etc. Livius eo anno consules scribit C. Bæbium Tamphilum, et M. Æmilium Lepidum. Plutarchus quadringentis tautum annis post regnum Numæ id accidisse in ejus vita scribit: neque id factum imprudentia bubulci aratoris, qui terra proscissa duas arcas et non solam unam evertit, sed alluvie vehementissimorum imbrium, qui tumulum perrupere. GUILLAND.

7. *Pamphilo.* Ita libri omnes, etiam MSS. Gessere hi Consulatum a. U. 573, Livio quidem teste, lib. XL, pag. 50, ubi Corn. Lentulus, et Bæbius Pamphilus appellantur. HARD.

8. *A regno Numæ.* Ab initio regni: quod ille capessivit a. U. 37. HARD.

9. *Anni DXXXV.* Plut. in Numa, pag. 74, annos numerat fere quadringentos: sed magno errore. H.

10. *E charta.* Quæ ex papyro Ægyptia esset conflata. HARD.

11. *Candelis.* E scirpis, vel ex corylo, ut ipse monet, lib. XVI, cap. 70. HARD.

12. *Libros citratos.* Quibus videlicet interjecta citri folia, quorum hæc propria dos, ut arceant animalium noxia, hoc est, tineas, quemadmodum dictum est lib. sup. cap. 7, ubi vide quæ in notis adjicimus, de citrosa veste. In libris hactenus editis, *cedratos* legitur. At MSS. Reg. Par. Tol. *citratos*. HARD.

13. *Pythagoricæ.* Livius, lib. XL, pag. 513, hoc ipsum referens: « Adjicit Valerius Antias, inquit, libros Pythagoricos fuisse: vulgatæ opinioni, qua creditum Pythagoræ auditorem fuisse Numam, mendacio probabili accommodata fide. » HARD.

14. *A Q. Petilio.* Livius, l. c. Lactant. lib. I, cap. 22; Plutarch. in Numa, pag. 74, ex Pisone, ὡς ἱςόρησε Πείσων. HARD.

15. *Quia philosophiæ scripta essent.* Et quod lectis rerum summis anim-

tradit L. Piso [16] censorius primo commentariorum : sed libros septem [17] juris pontificii, totidemque [18] Pythagoricos fuisse: Tuditanus decimo tertio, Numæ decretorum fuisse: ipse Varro Humanarum antiquitatum sexto, Antias secundo, duos pontificales Latinos, totidem Græcos præcepta philosophiæ continentes. Idem [19] tertio ponit, quo 3
comburi eos placuerit. Inter omnes vero convenit Sibyllam [20] ad Tarquinium [21] Superbum tres libros [22] attulisse:

advertisset, pleraque religionum dissolvendarum esse. Livius.

16. *L. Piso.* Vide Auctorum Indicem. In libris vulgatis perperam, *C. Piso.* Hard.

17. *Libros septem.* Latinos nempe de jure Pontificum, totidemque Græcos de disciplina sapientiæ, ut ait Val. Max. l. c. Hard.

18. *Totidemque.* Græcos. Pintianus. — *Pythagoricos.* Nam eum Pythagoræ auditorem fuisse, fama vulgatum. Dal.

19. *Idem.* Nempe Valerius Antias. De his scriptoribus diximus in Auctorum Indice. *Quo comburi*, hoc est, qua causa. Hard.

20. *Sibyllam.* Cumanam vocat Solin. cap. 11, p. 14. Varro apud Servium Erythræam. Et Cumis Erythræam vaticinia edidisse auctor est Aristoteles. Hard.

21. *Ad Tarquinium*, etc. Lact. ex Varr. lib. I Institut. cap. 6, et Suidas Tarquinium eum Priscum fuisse quintum Romanorum regem prodiderunt. Iidem cum Dionysio Halicarnasseo, lib. IV, et Gellio, cap. 19, scribunt novem libros allatos, ex quibus sex cremaverit Sibylla, reliquos tres rex mercatus sit. Eos libros in Capitolio custoditos quum Dii immortales consulendi essent, adibant primum duumviri, post autem decemviri, deinde quindecimviri, ac postremo sexaginta, nomine tamen quindecimvirorum, eosque non Sibyllinos tantum, sed et fatales et fatidicos appellaverunt. Livius, Dionysius Halicarnasseus, Valer. Maximus, Macrobius, Fenestella, Alexander ab Alex. lib. III, cap. 16. Dalec. — *Superbum.* Ita Dion. Halicarn. Antiq. Rom. lib. IV, pag. 259, et Gell. lib. I, cap. 19, pag. 83. At Varro apud Lactant. lib. I, c. 6, Suidas, aliique, id Tarquinio Prisco factum adjudicant. Quin Solin. ipse quoque, l. c. quamvis ex Plin. Superbum vocet, quum tamen rem gestam esse narret Olymp. L, Priscum omnino videtur intelligere. Verum a Plinio tempora accuratissime designari, plurima nobis argumenta suadent. Neque eorum conjecturæ subscribimus, qui ut pugnantes inter se scriptores concilient, inditum fuisse utrique Tarquinio Superbi cognomen absque ullo auctore aut teste antiquo fingunt. Potuit Sibylla Tarquinium utrumque vidisse, et Priscum, et Superbum. Vide Plin. lib. XXXIV, cap. 11. Hard.

22. *Tres libros.* Hæc paulo aliter

ex quibus igni duo cremati ab ipsa, tertius cum Capitolio Syllanis[23] temporibus. Præterea Mutianus ter consul prodidit nuper se legisse, quum præsideret Lyciæ, Sarpedonis a Troja scriptam in quodam templo epistolæ chartam. Quod eo magis miror, si etiamnum Homero condente Ægyptus[24] non erat: aut cur, si jam hic erat usus, in ipsa illa Lycia[25] Bellerophonti codicillos datos, non epistolas[26], prodidit. Sterilitatem[27] sentit hoc quoque: factumque jam Tiberio principe inopia chartæ, ut e senatu darentur arbitri dispensandæ[28]: alias in tumultu vita erat.

1 XXVIII. (XIV.) Æthiopia, Ægypto contermina, insignes arbores non fere habet, præter laniferas, quarum natura in descriptione Indorum atque Arabiæ dicta est[1]. Propior

Gellius et Dion. Halicarn. ll. cc. quos tu consule. HARD.

23. *Syllanis.* Vide lib. XXXIII, cap. 5. HARD.

24. *Ægyptus.* Delta Ægyptiacum, ut dictum est cap. 21. H.

25. *In ipsa illa Lycia.* Bellerophonti in Lycia exsistenti. Homericos versus recitavimus supra, cap. 21. HARD.

26. *Codicillos datos, non epistolas.* Tabulas arcanis hieroglyphicisque litteris notatas, non vulgaribus elementorum formis, quibus epistolæ conscribuntur. EUSTATH. — Cujus sententiam non ita laudo. Quod vero putant quidam hic Plinium incuriose codicillos ab epistolis distinguere, quum codicilli nihil aliud sint quam epistolæ Latinis, accusandum hac in re Plinium minime censeo, mirantem si jam tum usus chartæ fuit, quod indicat epistola Sarpedonis, cur non potius Prœtus mandata sua in charta descripta, quo modo epistolæ mittuntur, quam pugillarium ligno consignata Bellerophonti dederit: quo sensu nihil potest esse explicatius. Locus apud Homer. est Iliados Z: ...πόρεν δ' ὅγε σήματα λυγρὰ Γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά. DAL.

27. *Sterilitatem.* Est quandoque, inquit, etiam hujusce rei, hoc est, papyri annua sterilitas, penuaria, annonaque carior. Erat adhuc Cassiodori ævo mos ille scribendi in papyro Ægyptia: Eustathii temporibus plane obsoleverat, hoc est, sæculo duodecimo, ut observat Allatius in Animadv. ad Antiq. Etrusc. n. 55, p. 97. HARD.

28. *Arbitri dispensandæ.* Scilicet chartæ. Sic e MSS. Hard. consentientib. Vet. apud Dalec. Chifflet. *dispensandi* Gron. et alii. ED.

XXVIII. 1. *Dicta est.* Lib. XII, cap. 21 et 22. HARD.

tamen huic[2] natura lanæ, majorque[3] folliculus granati modo mali : similesque et inter se arbores ipsæ. Præter hanc palmæ, quales retulimus[4]. Insularum arbores ambitu Æthiopiæ, et nemora odorata, in mentione earum dicta sunt[5].

XXIX. (xv.) Atlas mons peculiari proditur silva, de 1
qua diximus[1]. Confines ei Mauri, quibus plurima[2] arbor

2. *Propior tamen huic.* Peculiari Æthiopiæ arbori, quæ lanifera fuit. Hard.

3. *Majorque.* Quam gossympinis arboribus, quarum folliculos cucurbitas appellavit, cotonei mali amplitudine, libro superiore, cap. 21. Hard.

4. *Retulimus.* Ibidem, cap. 9. H.

5. *Dicta sunt.* Lib. VI, cap. 36 et 37. Hard.

XXIX. 1. *De qua diximus.* Lib. V, cap. 1. Hard.

2. *Plur. arbor.* Gronov. et alii, *cedri.* Ed. — Cedrus nunc resiniferam arborem significat, et eam duplicem, alteram cedrelatem prodeeriorem, Asiæ fere peculiarem : alteram oxycedrum, multis locis communem : nunc thyam, sive citrum, Mauritaniæ alumnam, quamvis et aliud cælum patiatur, laudatissimis pretiosissimisque mensis expetitam, cupresso foliatura similem et fructu, sed minore. Hæc πολυωνυμία, plantarumque varietas, in magnas hæsitationes et dubitationes multos conjecit. Cedrum Gallicam apud Velleium Paterculum, ex quo apparatus Gallici triumphi, quem egit Cæsar, constitit, quidam exponunt Galaticam a Galatis Asiæ; alii laricem cedrelatæ similem, ideoque vocatam cedrum Gallicam. Strabo lib. IV de Liguribus : Ἔχεται δ' ὕλην ἐνταῦθα παμπόλλην, ναυπηγήσιμον, καὶ μεγαλόδενδρον, ὥστ' ἐνίων τοῦ πάχους τὴν διάμετρον ὀκτὼ ποδῶν εὑρίσκεσθαι· πολλὰ δὲ καὶ τῇ ποικιλίᾳ τῶν θυΐνων οὐκ ἔστι χείρω πρὸς τὰς τραπεζοποιΐας. Dal. — *Arbor citri.* Gemina fuit arbos citri Veteribus cognita : et malus nempe Assyria, de qua sup. libro : et hæc citrus Atlantica quam Græci θύον vocabant. — *Arbor citri.* In libris vulgatis perperam, *arbor cedri*, reclamantibus MSS. tum in hoc loco, tum in Indice hujus libri ac loci, in quo sic lemma istud legitur, « De Atlantis arboribus, et citreis mensis. » Adde Plinium ipsum, lib. V, cap. 1, ubi ebori ait citroque Atlantis silvas exquiri. Veterum tamen nonnulli ex similitudine nominum citrum, cedrumque confuderunt. Eudemus in Lexico rhetorico : κίτριον, κέδρος. At exsors tanti criminis Plinius noster esto. De mensis ex ea arbore confectis, Mart. Epigr. lib. XIV, epigr. LXXXIX, cui lemma inscriptum, *Mensa citrea* : « Accipe felices, Atlantica munera, silvas; Aurea qui dederit dona, minora dabit. » Et ep. XC, citream mensam, cum Plinio, e Maurorum fieri arboribus scribit : *De mensa acerna :*

citri, et mensarum insania, quas feminæ[3] viris contra margaritas regerunt. Exstat hodie M. Ciceronis in illa paupertate, et quod magis mirum est, illo ævo empta H-S $\overline{X}$[4]. Memoratur et Galli Asinii, H-S $\overline{XI}$[5]. Venumdatæ sunt

« Non sum erispa quidem, nec silvæ filia Mauræ. » Denique lib. XII, ep. LXVII : « Et Maurusiaci pondera rara citri. » Petron. in Satir. pag. 422 : « ecee Afris eruta terris Citrea mensa. » Lucanus, lib. IX, v. 426 : « tantum Maurusia genti Robora divitiæ, quarnm non noverat usum : Sed citri eontenta eomis vivebat, et umbra. In nemns ignotum nostræ venère secures, Extremoque epulas mensasqne petivimus orbe. » H. — Magna doctos inter viros controversia, de arbore ex qua mensæ illæ eitreæ fiebant. Nos sententiæ peritorum acquiescere nulli dubitavimns, qui *citrum* referunt ad *Thuyam articulatam* (*Monœc. monadelph.* gen. 2132, Pers. *Conifer.* Juss.) Habitat in Atlante, Barbariæque collibus. Ed.

3. *Quas feminæ.* Hane citrearum mensarum insaniam feminæ viris objieiunt, ut margaritarum luxum viri feminis vicissim exprobrant. H. — *Exstat hodie M. Ciceronis*, etc. Prima, qnod sciam, de citreis mensis apnd eumdem Ciceronem mentio oceurrit, in Verrem, II, IV, 7 : « Tu maximam et pulcherrimam mensam citream a Q. Lntatio Diodoro... Lilybæi abstulisti. » Conf. Cie. tom. II, pag. 224 edit. nost. Ed.

4. *H-S $\overline{X}$.* Hoc est, sestertium decies centena millia Gallicæ monetæ, ut nune sunt pretia metallorum, plus quam 204,500 fr. (Gueroult, 225,000 fr.). Ed. — *Empta H-S $\overline{X}$.* In MSS. sestertiorum nnmerus, quo venumdata Cieeronis mensa dicitur, plane desideratur. At sequentinm mensarum pretium, omninm exemplarium conspirante eonsensu ita exprimitur, uti fere libri vulgati habent : Asinii quidem, H-S $\overline{XI}$, Jubæ H-S $\overline{XII}$ (non $\overline{XV}$). Denique Cethegorum H-S $\overline{XIV}$, vel ut in Reg. 2, H-S $\overline{XIII}$, crescente videlieet pretii æstimationisque nnmero : plane nt Ciceronis mensa H-S $\overline{X}$. taxata fuisse videatur ; etsi Tertullianus, lib. de pallio, sub finem, p. 119, hunc Plinii loeum transcribens, aliter statuat : æstimatamque velit Ciceronis quidem, quingentis millibus nummum : Asinii bis tantnm. Sed vel corruptis haud dubie Plinii exemplaribus est impulsus in fraudem, ant rem Minerva erassiore satis habuit narrare, de pretio tam religiose signando haud admodum sollicitus. Nam illud videtur dicere Plinius, quod et apud Senecam legere me memini, nempe de Benef. lib. VII, cap. 9, pag. 136 : « Video istic mensas, et æstimatum lignnm senatoris eensu, ete. » Porro senatoris censum H-S $\overline{XII}$, hoc est, duodecim centenum millium nummum fuisse norunt omnes ex Snetonio in Augusto, cap. XLI : « Senatorum eensum ampliavit, ac pro octingentorum millinm summa, duodecies sestertinm taxavit, supplevitque non habentibus. » H.

5. *H-S $\overline{XI}$.* Hoc est, sestertinm

et duæ a Juba rege pendentes[6]: quarum alteri pretium fuit H-S $\overline{\text{XII}}$[7], alteri paulo minus. Interiit nuper incendio a Cethegis[8] descendens, H-S $\overline{\text{XIV}}$[9] permutata,

undecies centena millia : monetæ nostræ, 224,950 fr. Ed.

6. *A Juba rege pendentes.* Quia Jubæ demortui cum reliquis bonis mensæ illæ duæ sub titulo pependerunt, quum sua hasta venirent: is enim in auctionibus mos fuit. — *A Juba*, etc. Sic restituimus admonitu codicum Reg. Colbert. Paris. aliorumque quos Ciaconius vidit, ipso prodente, lib. de triclinio, pag. 11 et 12; non, ut libri vulgo editi, *Juba rege vendente.* Nec inscitum etiam foret aut inelegans, si legeretur, *a Juba rege pendente.* Pendere enim ii dicebantur, quorum nomina delata ad judices, fere ob æs alienum, publice proposita ac suspensa erant. Suet. in Domit. cap. IX: « Reos qui ante quinquennium proximum apud ærarium pependissent, universos discrimine liberavit. » Et ante in Claudii vita, c. IX, de ipso, antequam imperium capesseret: « Ad eas, inquit, rei familiaris angustias decidit, ut quum obligatam ærario fidem liberare non posset, in vacuum lege prædiatoria venalis pependerit sub edicto præfectorum. » Hoc est, Claudii bona ac prædia, publice obnoxia edicto præfectorum ærarii diu venalia pependere, quum emptorem non invenirent. Sed alio, significatu *vindemia pendens* a Plinio dicitur, lib. XIV, cap. 5, nempe pro ea, quæ in ipsa adhuc vite pendet. Quo pacto Cato de Re rust. cap. CXLVI : « Oleam pendentem hac lege venire oportet. Olea pendens in fundo Venafro venibit. Qui oleam emerit, etc. » Et c. CXLVII : « Lex vini pendentis. Hac lege vinum pendens venire oportet. Vinaceos illutos, et fæcem relinquito, etc. » Plinius ipse, lib. XVII, cap. 1, « fructus pendentes », circa quos depugnat homo cum alitibus. H.

7. *H-S $\overline{XII}$.* Ita MSS. omnes, non *XV*, ut editi : crescente nimirum gradatim mensarum pretio. Sestertium duodecies centena millia : 245,400 f. Ed.

8. *A Cethegis.* Quæ Cethegorum familiæ fuerat: ex qua consul Corn. Lentulus Cethegus, de quo cap. 27. — *A Cethegis*, etc. Ita libri omnes, etiam manu exarati, quos confidenter nimis sprevit Budæus, de Asse lib. III, fol. 78, quum legit *attegiis descendens*, quæ vox Juvenali nota, Sat. XIV, 196, Maurorum mapalia sonat. Sed profecto ludit operam, quum nihil aliud Plinius velit, quam ejuscemodi supellectilem haud pretio magis et ipsa materie, quam dominorum nobilitate civitati notam fuisse. Unde quæ cujusque mensa fuerit, quam modo laudat, diligenter expedit. Pertinet huc illud Senecæ, lib. de tranq. pag. 677 : « Placet, inquit, mensa non varietate macularum conspicua, nec per multas elegantium dominorum successiones civitati nota, etc. » Hard.

9. *H-S $\overline{XIV}$.* Sestertium quatuordecies centena millia : 286,300

latifundii taxatione, si quis prædia tanti mercari malit.
2 Magnitudo amplissima adhuc fuit, unius commissæ ex orbibus[10] dimidiatis duobus, a rege Mauretaniæ Ptolemæo[11], quatuor pedum et semipedis per medium[12] ambitum, crassitudine quadrantali[13]. Majusque miraculum in ea est artis, latente junctura, quam potuisset esse naturæ. Solidæ autem a Nomio Tiberii Cæsaris liberto cognomen trahentis[14], tribus sicilicis[15] infra quatuor pedes,
3 totidemque infra semipedem crassitudinis. Qua in re non omittendum videtur, Tiberio Principi mensam quatuor pedes sextante[16] sicilico excedentem, tota vero crassitudine sescunciali, operimento laminæ vestitam fuisse, quum

fr. si ad pretium metallorum, Augusto princ. respicias; 249,060 fr. si ad rationem Plinianorum temporum compules. Ed.

10. *Ex orbibus.* Erant enim eæ mensæ orbiculatæ: quare Mauros orbes appellat Martial. lib. IX, ep. 23, elephantinis dentibus, hoc est, pedibus eboreis suffultos: « Ut Mauri Libycis centum stent dentibus orbes. » Hard.

11. *Ptolemæo.* Jubæ filio, de quo in Auctorum Indice diximus, verbo *Juba.* Hard.

12. *Per medium.* Itaque totus mensæ ambitus pedum novenum fuit. Hard.

13. *Quadrantali.* Quadrantem *pedis unius*, hoc est, *pollices tres*, crassitudine *obtinuit.* Hard.

14. *Cognomen trahentis.* Nomianæ cognominatæ: et solida illa quidem fuit, uniusque trunci, non ex dimidiatis duobus, ut superior. Hard.

15. *Trib. siciliais:* Sicilicus quarta pars pollicis est, sive unciæ. Volusius: « Dividitur uncia in quatuor sicilicos, id est, in quatuor quartas. » Festus: « Sicilicum dictum, quod semunciam secet. » Pollices duodeni pedem constituunt. Fuit igitur huic mensæ amplitudo pedum non omnino quaternum. Derant solum tres sicilici, hoc est, pollicis unius dodrans, seu partes tres. Sic crassitudo semipedem non æquabat: tantumdem semipedi deerat, ne solidus semipes foret, nempe dodrans pollicis unius. H.

16. *Sextante.* Sextans pars est assis sexta, sive unciæ duæ. Assem appello rem integram quamcumque, seu ponderis, seu mensuræ, cujus pars duodecima uncia appellatur. Hanc igitur mensam Plinius ait longitudinis habuisse pedes quaternos, et binos præterea pollices et pollicis quadrantem, sive sicilicum; crassitudine vero sesquipollicem æquavisse. Hard.

17. *Tam opima.* Tot partibus amplior: quum nempe novenos pedes circuitu liberti mensa contine-

tam opima[17] Nomio liberto ejus esset. Tuber hoc[18] est radicis, maximeque laudatum, quod sub terra totum fuerit: et rarius quam quæ superne, quæque gignuntur etiam in ramis: proprieque quod tanti emitur, arborum vitium est, quarum amplitudo ac radices æstimari possunt ex orbibus[19]. Sunt autem cupresso feminæ etiamnum silvestri similes folio, odore, caudice. Ancorarius mons vocatur citerioris Mauretaniæ, qui laudatissimam dedit citrum, jam exhaustus.

XXX. Mensis præcipua dos in venam crispis, vel in vortices parvos[1]. Illud oblongo evenit discursu, ideoque tigrinum appellatur: hoc intorto, et ideo tales pantherinæ vocantur[2]. Sunt et undatim crispæ, majore gratia, si pa- 1

ret: principis, tantum quaternos. — *Nomio*, etc. Sincerissima hæc omnium MSS. lectio, Reg. 1, 2, Colb. 1, 2, 3, Paris. etc. quæ sic in vulgatis libris interpolata, legitur: «liberto ejus esset, cujus materia erat tuber. Hoc est radicis vitium, maximeque in eo laudatum, etc.» Atqui proxime sequitur, *arborum vitium est*. Sic paulo post, cap. 30, ubi ex eorumdem codicum admonitu scripsimus: «Post hæc amplitudo est: jam toti caudices juvant, pluresque in una. Mensæ vitia, lignum, etc.» Plinii corruptores verius quam correctores ita ediderant: «Post hæc amplitudo est jam totius caudicis. Juvant plura quoque in una mensa vitia.» Quibus verbis nec elegantia adest ulla, nec probabilis subest sententia: sed Plinianæ menti adversa penitus, qui vitia mensarum, quæ deinceps enumerat, adeo non laudat, ut damnet potius, improbetque. Hard.

18. *Tuber hoc.* Id laminæ operimentum e radicis tubere est, sive nodo: cujus laus præcipua est, quod sub terra conditum totum fuit, ubi rarius tuber gignitur, quam superne: nam et in ramis tubera oriuntur. De his arborum nodis Seneca de Beneficiis lib. VII, cap. 9: «Video istic mensas, et æstimatum lignum senatoris censu, eo pretiosius, quo illud in plures nodos arboris infelicitas torsit.»

19. *Ex orbibus.* Ex integris mensis, quæ ex tubere uno fiebant. Has mensas, ut diximus, orbes Martialis vocat. Hard.

XXX. 1. *Vel vortices parvos.* Sic MSS. Reg. Colb. etc. non, ut editi, «vel in vertice variis,» nullo plane sensu. Crispam in vortices parvos mensam vocat, quæ ad instar vorticum intorte crispatur: in venam, quæ venatim. Hard.

2. *Hoc intorto et ideo tales pantherinæ vocantur. Sunt et undatim*

vonum caudæ[3] oculos imitentur. Magna vero post[4] has gratia, extra prædictas, crispis densa veluti grani congerie, quas ob id a similitudine apiatas[5] vocant. Summa vero omnium in colore. Hic maxime mulsi placet, suis refulgens venis. Post hæc[6] amplitudo est: jam toti[7] cau-
2 dices juvant: pluresque[8] in una. Mensæ vitia: lignum, ita

crispæ majore gratia si pavonum caudæ oculos imitentur. Subvereor ne parum recto ordine verba hæc scripta sint; nam credibilius est, et rationi magis consonum, in vortices pravas intortasque et ob id pantherinas appellatas, caudæ pavonum oculos fere imitatas esse, quam undatim crispas: qua propter considerandum an ita legi debeat, « Hoc intorto et ideo tales pantherinæ vocantur, majore gratia si pavonum oculos imitentur. Sunt et undatim crispæ. » Pint.

3. *Si pavonum caudæ.* Nec in mensis modo, sed et in spondis cubilium lautioribus hæ pavonum caudæ expetitæ. Martial. lib. XIV, ep. 85, cui lemma: *Lectus pavoninus:* « Nomina dat spondæ pictis pulcherrima pennis Nunc Junonis avis, sed prius Argus erat. » Hinc et pavonatilis pannus nomen accepit, de quo Du Cangius in Glossario consulendus. Hard.

4. *Post has.* Post undatim crispas, præter venatim, vorticatimque crispas, quæ semper principatum obtinuere. Ad hujus ligni naturam, venerem, crispatumque, proxime accedit id lignum, quod majorum memoria eximio fuit in honore: *Madrum* vulgus nominat, non illepido nitore placens, ambitioso venarum discursu, sese undulatim crispante, interveniis multiplici formarum decore splendentibus, punctorumque acervo exhilaratis. Id potoriis vasis et lancibus dicavit avita munditiës. Materiæ declarat æternitatem duratio, quando CC annorum fere vasa in ædibus sacris inveniuntur, nullam adhuc cariem sententia. Abiitque mos in vulgus vocandi ligna, quæ lepide undulato crispatu fluctuarent, Madrata, *Madré.* Ruellius de nat. Stirp. lib. I, pag. 143, artifices fabros a se consultos ait, quodnam esset genus hoc ligni: responsumque, esse silvestris cupressi vel cedri genus: deferri ex India Syriaque: sed nunc exolevisse. Hard.

5. *Apiatas.* Apiatas, veluti muscarum et apum stercore inquinatas. Alii, *apiculatas:* crebris velut apiculis notatas. Dal. — *Apiatas.* Ab apio: quoniam mensæ densa veluti grani congerie crispæ, apii semen et grana dense congesta referebant: quo sensu guttatas aves dixit Fridericus II Imper. de Venat. lib. II, cap. 20, hoc est, guttis diversi coloris inspersas. Hard.

6. *Post hæc.* Post colorem ac formam, proxime amplitudo laudatur.

7. *Jam toti.* Ut ex uno caudice solida mensa constet. Hard.

8. *Pluresque.* Ut dimidiatis orbibus orbis integer mensæ compingatur, qualis Ptolemæi fuit, superius laudata. Hard.

vocatur materia surda[9], et indigesta simplicitas, aut pla-
tani foliorum modo digesta : item ilignæ venæ similitudo,
vel coloris : et quibus maxime obnoxias fecere æstus ven-
tique, rimæ, aut capillamenta rimas imitata. Postea mu-
ræna[10] nigro transcurrens limite : variisque[11] cornicum
punctis apprehensus, papaverum modo, et in totum atro
propior colos, maculæve discolores. Virides terra condunt 3
barbari, et illinunt cera. Artifices vero frumenti acervis
imponunt septenis diebus, totidem intermissis : mirumque
ponderi quantum ita detrahatur[12]. Naufragia docuere nu-
per, hanc quoque materiam siccatam mari, duritie incor-
rupta spissari, non ullo modo vehementius. Nutriuntur
optime, splendescuntque, manu sicca fricatæ a balineis
maxime : nec a vinis læduntur, ut his genitæ[13]. Inter 4
pauca nitidioris vitæ instrumenta hæc arbor est : qua-
propter insistendum ei quoque paulum videtur. (XVI.) Nota

9. *Materia surda.* Non splendens, nudumque lignum et linearum crispo ductu minime virgatum. DAL. — *Surda.* Nec crispa, nec virgata, sed simplex. Res surdas, herbas surdas, surdum colorem, aliaque similia, pro obscuris scilicet et ignobilibus in Indice Pliniano vide. HARD.

10. *Muræna.* Ductus in longum limes tramesve niger, murænæ similitudine. HARD.

11. *Cornicum.* Nec placet, inquit, mensa variis interstincta punctis, eo colore quem in cornicum plumis deprehendimus : nec colos ille cinereus, qui papaverum nodum refert, atque adeo fere atrum omnino colorem. — *Variisque*, etc. Si vulgatos hactenus libros consulas, nihil hic sani : « Variisque corticum punctis apprehensus papaverum nodo. » In MSS. *nodo* legitur : *cornicum*, ex animi conjectura rescripsimus : etsi in Reg. 1, et Colb. *corvum*, in Reg. 2, *corticum* legitur. Murænæ pariter et cornicis color citreis in mensis damnatur : quid sint corticum puncta, aut ad colorem quid præstent, haud satis compertum. At e converso *tigrium maculæ* in frutice Rubri maris, factisque ex eo baculis commendantur, lib. XVII, cap. 80, uti nunc in mensis *cornicum puncta damnantur*. HARD.

12. *Mirumque ponderi quantum ita detrahant.* Sic Gronov. aliique. Elegantius exemplar Salmanticense per verbum impersonale, « mirumque ponderi quantum ita detrahatur. » PINTIANUS.

13. *Ut his genitæ.* Quod in mensis, quarum gratia maxima est, si

etiam Homero fuit : thyon græce[14] vocatur, ab aliis thya. Hanc itaque inter odores uri tradit in[15] deliciis Circes, quam Deam volebat intelligi : magno errore eorum, qui odoramenta in eo vocabulo accipiunt, quum præsertim eodem versu[16] cedrum laricemque una tradat : in quo

e citri arbore fiant, vina potantur. Hard.

14. *Thyon græce.* Hesychius : Θύον ὄνομα δένδρου. Eustath. in Odyss. E, v. 1523, Θύον δένδρον. Apud Athen. lib. V, pag. 207, θύα. Apud Theophr. Hist. lib. V, cap. 5, τὸ δὲ θύον, οἱ δὲ θύαν καλοῦσιν, etc. Didymus in eum Homeri locum, Θύου· εἶδος δένδρου, ἢ φυτοῦ. Hard.

15. *Hanc igitur inter odores uri tradit in deliciis Circes.* Insignis memoriæ lapsus, neque enim Circe inter odores urebat citrum, cedrum et laricem, ut constat ex decimo Odysseæ, sed Calypso, ex quinto ejusdem operis. In eumdem incursavit errorem et summus poeta septimo Æneidos, v. 10. Tribuit videlicet Circæ, quod erat Calypsus. E contrario Aristoteles Calypsoni dat quod est Circes, secundo Ethicorum : « Quocirca, inquit, oportet, quum quis medium assequi vult, ante omnia longius abire a magis contrario, ut Calypso monebat dicens, Extra fluctum, et fumum navem adige. » Non hoc, eminentissime philosophe, Calypso monebat, sed Circe, ex duodecimo Odysseæ. Pari incuria Pomponius quoque Mela conterraneus noster in secundo libro *Calypso* pro *Circe* posuit, ut in ejus castigationibus meminimus. Pint.— *Circes.* Tribuit Circæ Plinius, quod Calypso Homerus, Od. E, v. 60. Similis cedri usus deliciis Circes attribuitur, Æneid. lib. VII, vs. 10 : « Proxima Circææ raduntur littora terræ : Dives inaccessos ubi Solis filia lucos Assiduo resonat cantu : tectisque superbis Urit odoratam nocturna in lumina cedrum. » (Cf. Virg. t. III, p. 258 edit. nost.) H.

16. *Eodem versu.* Versus Homerici sunt : ... τηλόθι δ' ὀδμὴ, Κέδρου τ' εὐκεάτοιο, θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει, Δαιομένων, etc. In his versibus Noster vocem græcam θύου, laricem interpretatur; quæ ad hunc locum nihil aliud quam *thus*, sive odoriferum quid significare nobis videtur. Ed.—*Eodem versu.* Odysseæ, ut dictum est lib. V, v. 60. Ita omnino Didymus Homeri scholiastes, ita et Eustathius legit. At Plinium vidisse in suis exemplaribus necesse est, Κέδρου τε, πεύκης τε, θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει. Nam vocem πεύκην pinum interdum, quandoque etiam laricem vertit, ut suis locis dicemus. Apud Homerum Circe, ipsa rerum Natura in Tellure est, quæ cibos alendis usque ad delicias hominibus submiuistrat. His qui intemperantius abutuntur, porcis similes fiunt. Circes palatium, Orbis est universus, hoc est, istud quod a nobis incolitur hemisphærium, et ubi quidquid est, edule gignitur. Neque enim illis temporibus hemisphærii alterius

manifestum est de arboribus tantum locutum. Theophrastus[17] (qui primus a Magni Alexandri ætate scribit, quæ circa urbis Romæ quadringentesimum quadragesimum gesta sunt annum), magnum jam huic arbori honorem tribuit, memoratas ex ea referens templorum[18] veterum contignationes, quamdamque immortalitatem materiæ in tectis contra vitia omnia incorruptæ. Radice nihil[19] crispius, nec aliunde pretiosiora opera. Præcipuam autem esse eam arborem circa Hammonis[20] delubrum : nasci et in inferiore Cyrenaicæ parte. De mensis tamen tacuit : et alias nullius ante Ciceronianam vetustior memoria est, quæ novitia apparet.

suspicio vel tenuis fuit. Circe δολόεσσα appellatur, Od. H, v. 33, quoniam sensim per sua ipsa munera, ceu quasdam escas, ad utendum illis immoderatius homines illicit. Ancillas habere quatuor dicitur, quæ mensam apparant, Odyss. K, v. 348. Quatuor illæ sunt anni tempestates. Fercula eæ afferunt, panem, carnes, vinum, Od. M, v. 19 et 30. Ab omni intemperantia cavit Ulysses. Tum ventum ei secundum Circe misit ad profectionem : hoc est, non ante desiit opipare uti mensa, quamvis intra modum, quam daret operam navigationi ventus secundus. Cætera de Circe, in explanatione argumenti Odysseæ exposuimus. HARD.

17. *Theophrastus*. Vide Hist. Pl. lib. V, cap. 5. Primus ab Alexandri M. ætate, hoc est, ex quo regnare cœpit Alexander; primus, inquam, exterorum de Romanis scripsit Theophrastus, imprimis ea, quæ gesta sunt circa ann. U. Romæ 440, qui pæne tertius ante obitum Alexandri M. An sint hæc ἱστορικὰ ὑπομνήματα, *Commentarii historici*, quorum meminit Scholiastes Apollonii, an opus aliud, quod interierit, considerandum. HARD.

18. *Memoratas templorum veterum contignationes*. Verbum illud *templorum*, suspicor esse falso additum, ductus auctoritate Theophrasti, lib. V, cap. 5 : « Et adhuc, inquit, memorant contignationes quasdam antiquorum. » PINT. — *Contignationes*. Theophrast. ὀροφάς. Etiam et januas ex eadem arbore θύα fieri auctor est Athen. lib. V, p. 207. H.

19. *Nihil crispius*. Sic Theophr. l. c. Quare fallitur Anguillara lib. de Simpl. parte II, pag. 47, eumque secutus Salmas. in Sol. pag. 953 et 954, qui Homeri Theophrastique θύον sabinam esse herbam putant, quæ hac dote caret : nec tantæ crassitudinis aut radicem aut caulem habet, ut ex ea vel mensarum orbes pedum novenum, imo ne binum quidem, vel contignationes domorum, aut januarum postes fieri potuerint. HARD.

20. *C. Hammonis*. Theophr. l. c.

1 XXXI. Alia est arbor[1] eodem nomine, malum[2] ferens exsecratum aliquibus odore et amaritudine, aliis expetitum, domos etiam decorans, nec dicenda verbosius.

1 XXXII. (xvii.) Eadem Africa, qua vergit ad nos, insignem arborem loton[1] gignit, quam vocant celtin, et ipsam Italiæ familiarem, sed terra mutatam. Præcipua est circa Syrtes atque Nasamonas. Magnitudo[2], quæ piro :

XXXI. 1. *Alia est arbor.* Citrum aureolam intelligit, quam nos Anrantiam vocamus, *l'oranger*, hortis hodieque et ædibus decorandis, ramorum petulantia, et fructuum jucunditate expetitam. Hard. — Immo potius *Citrum* ipsam *Medicam*, cujus fructus notissimi, et de qua nos supra egimus, lib. XII, c. 7. Nihil autem mirum si Plinius, ut sæpe solet, a se jam membrata rursus incogitans tradit. Quod de aurantio narrat Harduinus, certe hallucinatur : nam inter doctos constat *Citrum aurantium* non nisi octavo, ut minimum, sæculo post Ch. nat. ab Arabibus in Ægyptum prius, deinde in Europam transvectam fuisse. Conf. quæ attulimus in Excursu I ad calc. lib. superior. pag. 102, seqq. Ed.

2. *Malum ferens*, etc. De *Citro Medica* egimus lib. XII, cap. 7. Ed. — *Malum.* Aurantium nostrum est, *l'orange :* Veterum, ut quidem reor, ἑσπερικὸν μῆλον. Hard. — Falso : vide notam superiorem. Ed.

XXXII. 1. *Arborem loton.* Theophrast. Hist. lib. IV, cap. 3 : Ἐν Λιβύῃ δὲ ὁ λωτὸς πλεῖστος καὶ κάλλιστος. Lotus Africana seu Lothophagica a Matthiolo recte pingitur, in Diosc. lib. I, pag. 257. Florentiæ *uva d'India* dicitur : Venetiis pro ligno sancto, sive Guaiaco, divenditur. In Italia nunc frequens : nec tamen ea est lotos Italica Plinii, quum hujus baccæ cerasorum instar pendeant e ramis, nec sint, ut myrta παράλληλα. — *Terra mutatam.* Soli natura, cælique. Hanc fabam Græcam vocat, lib. XVI, cap. 53, et lib. XXIV, cap. 2. Non est Gallorum *Micocoulier*, ut Dalecampius putavit, Hist. lib. III, cap. 21, quum hujus arboris fructus fœtidus sit, et ingrati saporis : Lotos Italica a suavitate fructus, qualis in Africanæ loti fructu notabatur, nomen acceperit. Ea esse potius nobis videtur, quam *Alisier* vocant, uti dicemus lib. XVI, cap. 53. H. — Non ita male Dalec. Harduino licet refragante : sed miramur res plane diversas hic Plinium confudisse, dum varias loti species recensere sibi videtur. Scilicet lotum Africanam (*Zizyphum lotum* Wild. sive, ut alii volunt, *Rhamnum spinam Christi* L. Arabibus *Sidr ; Pentand. digyn.* gen. 532, Pers. sub Rhamno. *Rhamnoid.* Juss.), ex qua Lotophagorum terræ gentique nomen, cum Celti Italica (*Celti australi*, *Pentand. digyn.* gen. 634, Pers. *Amentac.* Juss.) arbore in omnibus fere Europæ meridionalis partibus notissima, eamdem esse putat ; caracte-

quanquam Nepos Cornelius brevem tradat. Incisuræ folio crebriores, quæ ilicis[3] videntur. Differentiæ plures, eæque maxime fructibus fiunt. Magnitudo huic[4] fabæ, color croci, sed ante maturitatem alius atque alius, sicut in uvis.
Nascitur densus in ramis myrti modo[5], non ut in Italia, 2
cerasi : tam dulci ibi cibo, ut nomen etiam genti[6] terræque dederit, nimis hospitali[7] advenarum oblivione[8] patriæ. Ferunt ventris[9] non sentire morbum, qui eum mandant. Melior[10] sine interiore nucleo, qui in altero genere osseus videtur. Vinum[11] quoque exprimitur illi, simile mulso, quod ultra denos dies[12] negat durare idem Nepos : bac-

resque, ut aiunt, alterutri plantæ proprios ac peculiares temere imprudenterque miscet. Vid. Cl. Shaw, *Voyages*, t. I, pag. 292. De variis *loti* speciebus apud Veteres, vide Exc. I ad calcem hujus libri. Ed.

2. *Magnitudo.* Hæc deinceps ferme ad verbum Theophrast. Hist. lib. IV, cap. 4. Hard.

3. *Quæ ilicis.* Sic MSS. Reg. etc. Theophr. φύλλον δὲ ἐντομὰς ἔχον, καὶ πρινῶδες. Ilicem intellige, « quæ spinas non habet, » ut ait Columella, lib. VI, cap. 3. Vide Matth. in lib. I Diosc. pag. 206 et 207. H.

4. *Magnitudo huic.* Fructui Africanæ loti. Theophr. Hard.

5. *Myrti modo.* Theophr. de fructu loti Africanæ : Nascitur, inquit, myrtorum modo, densus in ramis, alterna serie positus, ut alter alteri adversus respondeat : φύεται δὲ καθάπερ τὰ μύρτα παράλληλα. Hard.

6. *Nomen etiam genti.* Lotophagorum, a quibus et insula Lotophagitis. De his egimus in Geographicis, lib. V, c. 7. H. — *Terræque.* Regio nunc dicta *Jereed.* Brot.

7. *Nimis hospitali*, etc. Homerus, Odyss. IX, 95 sqq. Τῶν δ' ὅστις λωτοῖο φάγοι μελιηδέα καρπὸν, Οὐκ ἔτ' ἀπαγγεῖλαι πάλιν ἤθελεν, οὐδὲ νέεσθαι. Ἀλλ' αὐτῇ βούλοντο μετ' ἀνδράσι λωτοφάγοισι Λωτὸν ἐρεπτόμενοι μενέμεν, νόστου τε λαθέσθαι. Dal.

8. *Oblivione patriæ.* Nam qui cibum illum gustassent, ibi sedes ponere, securi patriæ ac parentum, volebant. Accepta hæc ab Homero. (Vide not. super.). Ed.

9. *Ferunt ventris.* Stomachine, an alvi? Theophr. καὶ ἔτι πρὸς τὴν κοιλίαν ἀγαθόν. Venter apud Plin. passim pro ventriculo, ut κοιλία apud Græcos ἀντὶ τοῦ στομάχου sumitur. Alias εὐστόμαχα, quæ stomacho utilia : εὐκοίλια Medici vocant, quæ ut Cato et Celsus aiunt, bonam alvum faciunt, seu leniter ducunt alvum. Sic Diosc. accepit, lib. I, cap. 157, de cerasis. Hard.

10. *Melior.* Suavior, ἡδίων δὲ ἀπύρηνος. En quod paulo ante monuit, loti differentias plures fieri diversitate fructuum. Hard.

11. *Vinum q. expr. illi.* Herod. Melpom. lib. IV, p. 281, n. 187.

12. *Quod ultra denos dies durare*,

casque concisas[13] cum alica ad cibos doliis condi. Quin et exercitus[14] pastos eo accepimus, ultro citroque commeantes per Africam. Ligno colos niger[15]. Ad[16] tibiarum
3 cantus expetitur. E radice cultellis capulos, brevesque alios usus excogitant. Hæc ibi natura arboris. Est autem eodem nomine, et herba[17], et in Ægypto caulis[18] in pa-

etc. Lego *binos*, non *denos*. Theoph. lib. IV, cap. 3 : « Et vinum, inquit, quod ex eo exprimitur, non nisi binos ant ternos dies durare, deinde acescere. » Pint. — *Denos dies*. Polybius in fragm. lib. XII, pag. 1489, οὐ δύναται δὲ πλέον δέκα μένειν ἡμερῶν, de Africana loto agens. Recitat hæc Athen. lib. XIV, pag. 651, ex Polyhio. Hard. — *Negat durare idem Nepos*. De fructu loti secundæ id Theophrast. recitat. Dalec.

13. *Concisas*. Ita MSS. Alii *contusas* malunt. Polyb. loc. cit. μετὰ χόνδρου κόψαντες, *cum alica tundentes*. De alica dicemus lib. XXII, c. 61.

14. *Quin et exercitus*, etc. De fructu prioris loti id Theophrast. Dalec. — *Et exercitus*. Ophello duce, quum expeditionem susciperet adversus Carthaginienses. Theophr. l. c. de loto Africana. H.

15. *Ligna colos niger*. De secunda loto idem Theophr. Dal. —*Ligno*. Et hanc in Africana loto Theophr. dotem agnoscit, τὸ δὲ ξύλον, μέλαν. Hard.

16. *Ad tibiarum*. Hoc ipsum de eadem loto Theophr. Ξύλῳ δὲ εἴς τε τοὺς αὐλοὺς χρῶνται. Tibiæ ejuscemodi Alexandrinis φώτιγγες sunt appellatæ, teste Athenæo, lib. IV, pag. 182, et λώτινοι αὐλοί. Ovid. Fast. lib. IV, vs. 190 : « et horrendo lotos adunca sono. » Hard. — Vide Gronovium, Observatt. IV, 15. Ed.

17. *Et herba*. Quæ Dioscor. lib. IV, cap. 111, lotus sativa et trifolium vocatur : λωτὸς ἥμερος, οἱ δὲ τρίφυλλον. Addit in hortis nasci. Trifolium odoratum vocant : equis pabulum gratissimum : unde et equinum dictum. Hard. — Duas species omnino diversas, hic, ut supra, Noster videtur confudisse, aut certe notas unicuique plantæ peculiares non probe satis inspexisse. *Herbam* autem *ejusdem nominis*, de qua etiam Diosc. agit l. c. nihil aliud esse censemus quam *Melilotum officinalem* (*Diadelph. decand.* gen. 1749, Pers. *Legumin.* Juss.), *caulem* vero Ægyptiacam (an Euphrateam?) *in palustrium genere*, de qua Herod. Thophr. Diosc. locis inf. allatis, *Nymphæam Nelumbo* L. (*Nelumbium speciasum* Wild. *Polyand. polyg.* gen. 1343, Pers. sub *Nelumbo. Hydrochar.* Juss.) Habitat in aquis Persiæ, Indiæ, Ægypti? Ed.

18. *In Ægypto caulis*. Hunc iisdem verbis describunt Herodot. Euterpe, lib. II, n. 92, pag. 122; Theophrast. Hist. lib. IV, cap. 10; Diosc. lib. IV, cap. 114. Iconem illius accuratam exhibet Prosper Alpinus, oculata fide, lib. de plant. exot. cap. 16, pag. 213. Hard. — Ægyptiorum monumenta lotum

lustrium genere. Recedentibus[19] enim aquis Nili riguis
provenit similis fabæ[20] caule, foliisque densa[21] congerie
stipatis, brevioribus tantum, gracilioribusque: cui fructus
in capite papaveri similis incisuris[22], omnique alio modo:
intus grana, ceu milium. Incolæ capita in acervis putre-
faciunt : mox separant lavando, et siccata[23] tundunt,
eoque pane utuntur. Mirum est, quod præter hæc tradi-
tur : sole[24] occidente papavera ea comprimi, et integi fo-
liis : ad ortum autem aperiri, donec maturescant, flosque
qui est candidus, decidat. (XVIII.) Hoc amplius[25] in Eu- 4.
phrate tradunt, et caput ipsum et florem vespera[26] mergi

mythicam frequentissime habent. Est ea *Nelumbium speciosum* Willd. siv. *Cyamus* Smith. Sacra Ægyptiis planta, quod elegantissima foliorum rotundorum forma, pulcherrimus flos et mysticus ortus quotidianus a Nili undis ad divinam naturam spectare videretur. Isis ipsa loti foliis coronata conspicitur (*Pocock's Reise* I, t. 60, 61). E loto Osiris ortus ; in foliis loti tanquam in navigiis natare dii veteres dicebantur. Harpocrates loto insidebat : in ipsis numismatibus Ptolemæorum ea planta occurrit. Fructus (κύαμος αἰγύπτιος) edebatur, sed sacerdotibus, et Pythagoricis eorum æmulis, interdictum, ne fabis his vescerentur. Conf. Cicer. Divinat. I, 30; Smith. Exotic. bot. n° 7, tab. 31, 32. SPRENGEL.

19. *Recedentibus.* Ita etiam MSS. Theophr. ὅταν ἡ χώρα κατακλυσθῇ, *quum rura inundantur.* Quare forte rectius, *residentibus*, h. e. stagnantibus, legeris. Callixenus apud Athen. lib. XV, pag. 677, ἐν λίμναις, in paludibus. HARD.

20. *Similis fabæ.* Dioscorid. et Theophr. καυλός ἐστι τῷ τοῦ κυάμου ἐμφερής. Quod de faba Ægyptia intellexisse Theophr. videtur. H.

21. *Densa congerie.* Theophrast. l. c. caulis folia cum Ægyptiæ fabæ foliis confert : sed minora ait esse et graciliora : floris vero foliola tenuitate proxima esse liliaceis, multa densaque stipata congerie. Utramque dotem caulis unius foliis temere contulisse Plinius videtur. H.

22. *Similis incisuris*, etc. Theoph. ibidem. DAL. — *Intus grana.* Diosc. et Theophr. ll. cc. HARD.

23. *Et siccata.* Capita nimirum, vel grana potius, quæ capitibus continentur, Theophr. et Dioscor. Item Diod. Sic. Bibl. lib. I, p. 30, et lib. XXII, cap. 28. HARD.

24. *Sole*, etc. Theophrast. et Dioscor. ll. cc. HARD. — *Ea comprimi.* Flores comprimi et capita contegere. Vide lib. XXII, cap. 21, infra scripta multa de hac loto.

25. *Hoc amplius.* Reliqua deinceps quæ hoc capite narrantur, exstant apud Theophrast. Hist. IV, 10, et de Causis, II, 20, p. 262, unde Ægyptiam loton eamdem esse cum Euphratica colligas. HARD.

26. *Caput et florem vespera mergi*,

usque in medias noctes, totumque abire in altum, ut ne demissa quidem manu possit inveniri. Verti deinde, paulatimque subrigi, et ad exortum solis emergere extra aquam[27], ac florem patefacere, atque etiamnum insurgere, ut plane ab aqua absit alte. Radicem lotos[28] hæc habet mali cotonei magnitudine, opertam nigro cortice, qualis et castaneas tegit. Interius candidum corpus, gratum cibis, sed crudo gratius decoctum, sive aqua, sive pruna. Nec aliunde magis, quam purgamentis ejus, sues crassescunt.

1 XXXIII. (XIX.) Cyrenaica[1] regio loton suæ postponit paliuro[2]. Fruticosior hæc, fructuque magis rubens, cujus

etc. Theophrast. lib. IV, cap. 10: Ἐν δὲ τῷ Εὐφράτῃ τὴν κωδίαν φασὶ καὶ τὰ ἄνθη δύνειν, καὶ ὑποκαταβαίνειν τῆς ὥρας δειλινῆς μέχρι μέσων νυκτῶν, καὶ τῷ βάθει πόῤῥω· οὐδὲ γὰρ καθιέντα τὴν χεῖρα λαβεῖν εἶναι· μετὰ δὲ ταῦτα ὅταν ὄρθρος ᾖ, πάλιν ἐπανιέναι, καὶ πρὸς ἡμέραν ἔτι μᾶλλον ἅμα τῷ ἡλίῳ φανερὸν ὑπὲρ τοῦ ὕδατος, καὶ ἀνοίγειν τὸ ἄνθος, ἀνοιχθέντος δὲ ἔτι ἀναβαίνειν, κ. τ. λ. Quæ cuncta iisdem verbis Noster expressit. Harduinus lotum hanc Theophrasteam, in Euphrate nascentem eamdem esse judicat cum loto Ægyptiaca; jure an injuria vix dicere possum; quanquam duas esse diversas species potius crediderim. Vide Exc. I ad calc. huj. libri. Ed.

27. *Emergere extra aquam.* Idem fere scribitur de flore Arabicæ arboris cap. undecimo libri duodecimi. Dalec.

28. *Radicem lotos*, etc. Κόρσιον vocat Theophrastus. Dalec. — *Radicem*, etc. Hæc pariter Herodot. Theoph. et Dioscorid. l. c. Hard.

XXXIII. 1. *Cyrenaica.* Et hæc totidem verbis leguntur apud Theophr. lib. IV, cap. 4. Hujus paliuri meminit apud Athen. lib. XIV, Diphilus Siphnius. Hard. — *Cyrenaica regio.* Chifflet. cod. *Cyrenaice;* ex eodem paulo post Hard. *mandatur;* Gronov. aliique *manditur.* Ed.

2. *Paliuro.* Arborem Theophrastus latius et fusius describit quam Plinius: Ὁ δὲ παλίουρος θαμνωδέστερος τοῦ λωτοῦ· φύλλων δὲ παρόμοιον ἔχει τῷ ἐνταῦθα, τὸν δὲ καρπὸν διάφορον· οὐ γὰρ πλατὺν, ἀλλὰ στρογγύλον καὶ ἐρυθρόν· μέγεθος δὲ ἡλίκον τῆς κέδρου, ἢ μικρῷ μεῖζον· πυρῆνα δὲ ἔχει οὐ συνεσθιόμενον καθάπερ ταῖς ῥοαῖς. ἡδὺν δὲ τὸν καρπόν. καὶ ἐάν τις οἶνον ἐπιχέῃ, καὶ αὐτὸν ἡδίω γίνεσθαί φασι καὶ τὸν οἶνον ἡδίω ποιεῖν. Hist. Plant. IV, 4. — *Paliurus aculeatus* Lam. (*Pentand. monogyn.* Pers. gen. 532, sub Rhamno. *Frangulac.* Juss.) Sprengelio *Zizyphus Paliurus* Wild. teste Anguillara, pag. 54. Conf. doct. Fée, *Flore de Virgile*, tom. VIII, pag. CXXIV edit. nost. Ed.

nucleus non simul mandatur, jucundus per se, atque suavior e vino, quin et vina succo suo commendans. Interior[3] Africa ad Garamantas usque, et deserta, palmarum magnitudine et suavitate constat[4], nobilibus maxime circa delubrum Hammonis.

XXXIV. Sed circa Carthaginem Punicum[1] malum 1
cognomine sibi vindicat[2] : aliqui granatum[3] appellant. Divisit et in genera apyrenum[4] vocando, cui[5] lignosus nucleus abest : sed candidior ei natura, et blandiores sunt acini, minusque amaris distincti membranis. Alia structura earum quædam, ut in favis, communis. Nucleos habentium quinque species[6] : dulcia, acria, mixta, acida,

3. *Interior*, etc. Theophr. l. c. H.

4. *Constat*. Dal. cod. *præstat*. Ed.

XXXIV. 1. *Punicum*, etc. De eo Empedocles, σύνεκεν ὀψίγονοί τε σίδαι, ὑπέρφλοια μῆλα. Opsigonos appellat, quod tarde maturescant fructus, aut serius gignantur : ὑπερφλοίους vero quod cortice vestiantur prærasso, nempe malicorio : vel quod floribus luxurient : φλοίειν enim et ἄγαν ἀκμάζειν est, et θάλλειν. Rhod. XXIX, c. 23. Dalec.

2. *Pun. malum... vindicat*. Africa.

3. *Aliqui granatum*. Malum granatum Marcell. lib. de Medic. cap. 27, pag. 193, aliique : quod nomen hodieque servatur, arbori quidem, *un grenadier* : pomo, *une grenade* : ab interiorum granorum multitudine. A Pœnis alterum nomen deduci volunt : alii a colore puniceo, quo fructus et flos constant. Hard. — *Granatum*, etc. *Punica Granatum* (*Icosandr. monogyn.* gen. 1212, Pers. *Myrt.* Juss.) Habitat in Africa, Persia, Europa meridionali; apud nos in hortis colitur; variat flore pleno et albo. Ed.

4. *Apyrenum*. Ita MSS. Reg. Colb. Par. Tol. et Salm. Græci ἀπύρηνον scribunt. Πυρὴν nucleus est : ἀπύρηνον, quod eo caret. Latini tamen ex usu, non apyrenon, sed apyrinon dicunt. Mart. l. XIII, ep. XLIII : « Lecta suburbanis mittuntur apyrina ramis, Et vernæ tuberes : quid tibi cum Libycis. » Et ep. XLII : « Non tibi de Libycis tuberes, et apyrina ramis, De Nomentanis sed damus arboribus. » Eadem Plinius dulcia vocat, lib. XXIII, cap. 57. Hard.

5. *Cui lignosus*. Hoc est, cui non est durus acinus, seu granum. Non igitur apyrina dicuntur, quæ nullum omnino nucleum habeant, sed quæ mollem adeo, ut mandi possit, ac pro nihilo haberi. Seneca, ep. 85, pag. 368 : « Sic sapiens, inquit, imperturbatus dicitur, quo modo apyrina dicuntur, non quibus nulla inest duritia granorum, sed quibus minor. Falsum est, etc. »

6. *Quinque species*. Diosc. lib. I, cap. 151, tres tantum granati species enumerat, γλυκεῖαν, ὀξεῖαν,

vinosa. Samia[7] et Ægyptia distinguuntur erythrocomis[8], et leucocomis. Corticis major usus ex acerbis[9] ad perficienda coria. Flos balaustium vocatur[10], et medicinis[11] idoneus, et tingendis vestibus, quarum color[12] inde nomen accepit.

1 XXXV. (xx.) In Asia et Græcia nascuntur frutices : epipactis[1], quem alii elleborinen vocant, parvis foliis, quæ pota contra venena prosunt, sicut erices[2] contra serpentes:

οἰνώδη, dulcem, acidam, vioosam.

7. *Samia.* Alia, præterea inquit, Samia Punica sunt, alia Ægyptia : et qoidem utrâque bifariam dividuntur : sunt enim Samia erythrocoma, sunt et leucocoma. Ægyptia quoque iisdem differentiis distinguuntur. Sic nucleos habentium genera snnt omnino novem, quod verbis expressis ait ipse, lib. XV, cap. 11. Hard.

8. *Erythrocomis.* Ita MSS. omnes. Non igitur a granorum colore, sed a fronde comaque rubra vel alba, nomen hæc babent. Malunt alii a granornm colore, τῶν κόκκων, erythrococca et leucococca diei. H.

9. *Ex acerbis.* Viridibos, immaturis. Hard.

10. *Flos balaustium.* Scriptoribus Græcis, βαλαύςιον flos est punicæ silvestris non domesticæ. Officinæ tamen Plinium sequuntur, quibus balaustium silvestris, domesticæque florem promiscue significat. Et Marcell. Empir. cap. XVII, pag. 124, balaustium vocat florem « mali granati, quo coriarii utuntur : » quod genus acerbom quidem, non tamen silvestre est. Hard.

11. *Et medicinis.* Dioscoridem vide lib. I, cap. 154, ipsumque Plinium, lib. XXIII, cap. 60. H.

12. *Color.* Nimirum puniceus.

XXXV. 1. *Epipactis.* Ἐπιπακτίς, In libris hactenus editis, *Epipactis, quem alii embolinen.* Nos locum sanavimus tum ex Dioscor. lib. IV, cap. 109 : Ἐπιπακτίς, inquit, οἱ δὲ ἐλλεβορίνην, θαμνίσκος μικρὸς, ἐλάχιςα φυλλάρια ἔχων. Πρὸς τὰ θανάσιμα δὲ πίνεται, καὶ πρὸς τὰ ἐν ἥπατι πάθη. Tum ex ipso Plinio, lib. XVII, cap. 52, ubi eadem plane cum Dioscoride refert. Hard. — *Epipactis*, etc. *Neottia spiralis* (*Gynand. digy.* gen. 1984, Pers. *Orchid.* Juss.) Nulli alii *Orchidearum* elleborinem adjudicare se posse profitetur Sprengelius, ob foliorum exiguitatem, cæteris deficientibus notis; certe tamen non eamdem esse ait com Elleborine Cæsalpini, XV, 30, quæ Cypripedium Calceolus esse videtur. Quod si vero ad Plinii verba respicies, forte rem in ancipiti relinquendam censueris, quippe qui hoc ipso in loco *fruticem* epipactin appellat, quod *Neottiæ spirali* minime certe convenit. At idem l. XXVII, c. 52 : « Epipactis ab aliis elleborine vocatur, *parva herba*, exiguis foliis, etc. » Dioscor. quoque θάμνισκος, vel etiam θάμνος, de herbis sæpius dixisse testatur Bodæus nott. in Theophrast. pag. 1066, sqq. Ed.

2. *Sicut erices.* Subintellige folia. Nicand. in Theriac. pag. 48, adversus serpentinm ictus ita præci-

(XXI), et in quo[3] nascitur granum Gnidium, quod aliqui linum[4] vocant : fruticem vero thymelæam, alii chamelæam, alii pyros achnen, alii cnestron, alii cneoron : est similis oleastro, foliis angustioribus, gummosis[5] si mordeantur, myrti magnitudine : semine, colore et specie farris[6] : ad medicinæ[7] tantum usum.

XXXVI. Tragion[1] fruticem sola Creta insula gignit, r

pit: Λάζεο δ' ἀνθεμόεσσαν ἄφαρ τανύφυλλον ἐρείκην, Ἣν τε μελισσαῖον περιβόσκεται εὔλαμὸς ἕρπων. « Quin et florentem prompte frondentis erices Tolle comam : hanc pascunt volitantque examina circum. » Ubi Scholiastes, pag. 28, ait ericem habere folia ederæ affinia, longiora tamen et asperiora : Ἐρείκη δὲ, εἶδος βοτάνης, ἥτις φύλλα ἔχει τῷ κισσῷ παραπλήσια, μικρότερα δὲ καὶ τραχύτερα. In Gallia frequens, *Bruyère*. De ea rursus dicetur lib. XXIV, cap. 39. HARD. — Dioscorid. I, 117 : Ἐρείκη δένδρον ἐστὶ θαμνῶδες, ὅμοιον μυρίκῃ, μικρότερον δὲ πολλῷ, κ. τ. λ. Plinius, XXIV, 39, Diosc. sequitur; foliaque ericæ non ederæ, sed rorimarino fere affinia dicit. Ἐρείκη Veterum nobis erit, ut Sprengelio, *Erica arborea*, sive *scoparia* (*Octand. monog.* gen. 963, Pers. *Ericin.* Juss.) ED.

3. *Et in quo.* Subintellige, et fruticem alium, in quo, etc. Sic Diosc. lib. IV, cap. 173, qui ex eodem fonte græco hausit, ex quo hortum suum Plinius rigavit : Θυμελαία, οἱ δὲ χαμελαίαν, οἱ δὲ πυρὸς ἄχνην, ἢ κνῆστρον (sic enim legendum, ex Galeno in Gloss.), ἢ κνέωρον καλοῦσιν. Describitur accurate, pingiturque a Clusio, Hist. rar. Plant. lib. I, cap. 57, pag. 87. H. — *Granum Gnidium... fruticem vero thymelæam*, etc. *Daphne Cneorum* nobis, *Garou* (*Octand. monog.* gen. 967, Pers. *Thymel.* Juss.) Cæterum Discorid. loc. cit. hallucinari eos ipse admonet qui granum Gnidium pro fructu Chamelææ (*Daphnes Gnidii* nobis) habent, decepti quadam foliorum similitudine : Πλανῶνται δὲ νομίζοντες τὸν κνίδιον κόκκον τῆς χαμελαίας εἶναι καρπόν. ED.

4. *Quod aliqui linum.* Οἱ δὲ λῖνον καλοῦσιν, inquit Diosc. l. c. διὰ τὸ εἶναι τῷ σπαρτῷ λίνῳ θάμνον τῇ φύσει παρόμοιον, quoniam frutex sativi lini similitudinem refert. HARD.

5. *Gummosis.* MSS. Reg. Colb. etc. *gumminosis*. Interpres Oribasii, lib. XI, fol. 198 : « viscosa glutinosaque folia mandendo », quæ Diosc. ὑπόγλισχρα dixit, ἐν τῷ διαμασσᾶσθαι, καὶ κολλώδη. HARD.

6. *Colore et specie farris.* Fructu pallido (χλωρῷ Diosc.) principio, tandem rubente. Plinius χλωρὰν herbacei coloris male vertit. Vide lib. XXVII, cap. 9. DALEC. — *Specie farris.* Intus nimirum, ubi ejus seminis medulla albet quam maxime. Ita MSS. omnes et edit. H.

7. *Medicinæ.* Diosc. loc. cit. H.

XXXVI. 1. *Tragion.* Hæc totidem verbis Diosc. lib. IV, c. 49 : Τράγιον φύεται μὲν ἐν Κρήτῃ μόνῃ, etc. HARD. — *Hypericum hircinum?* (*Polyand. pentag.* gen. 1338, Pers.

terebintho similem et semine, quod contra sagittarum ictus efficacissimum tradunt. Eadem et tragacanthen[2], spinæ albæ radice, multum prælata[3] apud Medos aut in Achaia nascenti. Pretium ejus in libras x. III[4].

1 XXXVII. Tragon et Asia[1] fert, sive scorpionem, veprem sine foliis, racemis rubentibus, ad medicinæ usum. Myricen et Italia[2], quam alii tamaricen vocant : Achaia autem bryam[3] silvestrem : insigne in ea[4], quod sativa

Hyperic. Juss.), Sprengel. I, 185. At Noster rursus, XXVII, 115 : « Tragion nascitur in Cretæ tantum insulæ maritimis, junipero similis (σχίνῳ, lentisco Diosc.) et semine, et folio, et ramis : succus ejus lacteus in gummi spissatus, etc. » quæ quomodo ad hypericum pertineant haud facile perspicio. Adanson. ad pistaciam tragion refert; recte an male alius viderit. An potius Astragalus incanus, foliorum conjugationibus densissimis, Tournef. (A. densifolius Willd.), ut Broterio placuit? an Tragacanthæ varietas, aut certe affinis species? In re incerta certi quid pronuntiare religio est. Ed.

2. *Tragacanthen.* Τραγάκανθαν. Hæc Theophr. Hist. lib. IX, cap. 1. Hard. — *Astragalus Creticus* Lam. (*Diadelph. decand.* gen. 1745, Pers. *Leguminos.* Juss.) Prius soli Cretæ peculiarem crediderunt Veteres, sed etiam in Achaia repertum fuisse prodit Theophrastus, item in Asia, Mediam versus; invenit in Caucaso nuper Marshallius, Sprengelio teste, Hist. t. I, p. 99. Ex hoc frutice legitur gummi tragacanthæ album (*gomme adragant* officinar.), ut ex itinerario Tournefortii patet, tom. III, pag. 362. Reliquas species, excepto *A. gummifero*, qui gummi flavescens minoris pretii fundit, nullo scatere gummoso succo ait Cl. Wild. Ed.

3. *Prælata.* Gron. *prælatam.* Ed.

4. *In libras X. III.* Denarii terni, monetæ Gallicæ, 2 fr. 10 c. Ed

XXXVII. 1. *Tragon et Asia.* Sic MSS. et libri hujus index, non *Tragion.* Plin. ipse quoque rursum, XXVII, 116, ubi de ea uberius. H. — *Salsola Tragus* (*Pentand. digyn.* gen. 659, Pers. *Atriplic.* Juss.) Habitat et in Europa australi. Ed.

2. *Myricen et Italia ..... Achaia autem bryam.* Cave ne duas hic species diversas existimes; brya differt tantum a tamarisce, seu myrica, quod *gallas* non ferat; sed hoc vel cæli temperaturæ, vel naturæ soli variisque causis tribuendum, et sæpe in *quercu coccifera*, *chêne à cochenille*, accidere vidimus. Gerard. — *Tamarix Gallica* (*Pentand. trigyn.* gen. 732, Pers. *Portulac.* Juss.) Habitat in Gallia, Italia, Hispania, etc. An *Tamarix Africana* Desfont. fl. Atl. tom. I, pag. 269, myricæ est affinis, quam Noster copiosam in Ægypto Syriaque dicit? Ed.

3. *Bryam.* Quia fructum fert veluti florem compage muscosum. Diosc. l. c. καρπὸν ὥσπερ ἄνθος φέρει βρυώδες κατὰ τὴν σύςασιν. H.

4. *Insigne.* Dioscor. loc. cit. H.

tantum ferat gallæ similem fructum. In Syria et in Ægypto copiosa hæc[5] est : cujus infelicia[6] ligna appellamus, quæ tamen infeliciora[7] sunt Græciæ. Gignit enim arborem ostryn[8], quam et ostryam vocant, solitariam[9] circa saxa aquosa[10], similem fraxino cortice, et ramis, folio[11] piri, paulo tamen longioribus crassioribusque, ac rugosis[12] incisuris, quæ per tota discurrunt : semine hordeo simili et colore. Materie est dura atque firma : qua in[13] domum

5. *Copiosa hæc.* Sativa nempe, et fecunda Diosc. HARD.

6. *Cujus infelicia*, etc. Myricæ in Italia liguum infelix vocatur, quia sterile : « Infelices arbores, inquit Plin. lib. XVI, cap. 45, existimantur, damnatæque religione, quæ neque seruntur umquam, neque fructum ferunt » : qualis est vulgaris myrica, sive Italica. *Cujus* quum Plinius hic dicit, Ægyptum intelligit. HARD.

7. *Infeliciora.* Quoniam, ut statim additur, ostrys in domum illata mortes miseras facere proditur. HARD.

8. *Ostryn.* Ὄστρυν et ὀστρύαν Theophr. vocat, Hist. lib. III, cap. 10, ubi Rob. Constant. in Nott. ait, ostryn esse *Syringam* Etruscorum, a se Florentiæ visam : a nobis hic in horto Regio. HARD. — *Ostrys* s. Ostrya Veterum, *Carpinus* est *Ostrya* Linn. (*Monœc. Polyand.* gen. 2107, Pers. sub *Ostrya vulgari. Amentac.* Juss.) ED.

9. *Solitariam.* Quid hac voce velit auctor, haud satis compertum. Nam μονοειδὴς, quo vocabulo utitur Theophrastus, aliud sonat : nempe unius speciei arborem esse, sine ullo maris ac feminæ discrimine. Quod si *solitarium* nunc idem valet, atque in locis solis desertisque nascens, singularis illa hujus vocis acceptio est. HARD. — *Solitariam.* Solam scilicet arborem quæ circa illa aquosa saxa crescat. Ex Gerardi nott. MSS. ED.

10. *Circa saxa aquosa.* Addenda videtur conjunctio *et*, ad vitandam amphibologiam, legendumque *circa saxa et aquosa.* Theophrastus eodem libro et capite : « Aquas convallesque arbor hæc gestit : » quod enim Theodorus *convalles*, Plinius *saxa* transtulit, habente utrumque intellectum græca dictione φάραγξ. PINT.

11. *Folio piri.* « Foliis piri majoribus, non multo longioribus, in acutum contractis, fibrosis, rugosis circa fibras, tenui per ambitum scissura : reliquis fibris a media costarum modo in rectum juxta magnam porrectis : materie dura, decolori, exalbida : fructu parvo, oblongo, hordeo simili. » Theophrast. loc. cit. DALEC.

12. *Rugosis.* In fibris ipsis, quæ plurimæ a medis seu crassiore fibra instar costarum procurrunt, folio corrugato. Theophr. loc. cit. H. — Vide not. superior.

13. *Qua in domum.* Theophrast. loc. cit. Λέγεται δὲ ὡς οὐκ ἐπιτήδειον

illata, difficiles partus fieri produnt, mortesque miseras.

1 XXXVIII. (XXII.) Nec auspicatior in Lesbo[1] insula arbor quæ vocatur evonymos[2], non absimilis Punicæ arbori, inter eam[3] et laurum folii magnitudine, figura vero et mollitie Punicæ, flore candidiore[4], statim pestem denuncians[5]. Fert siliquas[6] sesamæ similes : intus granum quadrangula figura, spissum, letale[7] animalibus : nec non

εἰς οἰκίας εἰσφέρειν· δυσθάνατον γάρ φασι· καὶ δυστοκεῖν οὗ ἐὰν ᾖ. Hard.

XXXVIII. 1. *In Lesbo.* Ordymno monte : cujus mentio fit Theophr. lib. II, cap. 31. Dalec.

2. *Evonymos.* Εὐώνυμος Theophr. Hist. lib. III, cap. 18. Gallis *du fusain :* etsi aliis aliter visum scimus. Anguillara de Simpl. P. IV, pag. 81, affirmare nil dubitat : statuere nihil audet Ruellius, etsi multæ, inquit, delineationes faveant, de Nat. stirp. lib. I, p. 154. In Commentariis Acad. Reg. Scient. anni 1766 describitur a D. Danty d'Isnard, pag. 291, planta peregrina, quam Evonymoiden vocat, ob aliquam cum evonymo similitudinem : tergeminamque distinguit : Canadensem, Virginianam, Caroliniensem. Hard. — *Evonymus Europæus* (*Pentand. monog.* gen. 539, Pers. *Frangulac.* Juss.) Ed.

3. *Inter eam.* Majore folio quam chamædaphne : sed molli, ut Punica. Theophrast. loc. cit. Καὶ τὸ φύλλον ἔχει ῥοῶδες· μεῖζον δὲ ἢ χαμαιδάφνη, καὶ μαλακὸν ὥσπερ ἡ ῥόα. Hard.

4. *Flore candidiore statim pestem denuncians.* Lego, « Flore candido, odore statim pestem denuncians. » Theophrast. lib. III, c. ultimo : « Flos colore albæ violæ similis; odore infestus, velut cruorem inferens. » Quo in loco transferendo notandum est insigniter errasse et Plinium, et Theodorum; refert enim hæc arbor evonymos odorem seu virus atractylidis herbæ, quæ teste Theophrasto, lib. VI, c. 4, et Plinio, lib. XXI, c. 16, succum sanguineum effundit : quare et φόνος a quibusdam, eisdem testibus appellatur : est etiam odore tetro atque infesto. Quia igitur φόνος græce, *mortem* latine significat, Plinius *pestem*, Theodorus *cruorem* transtulit, neuter bene, transferre enim debuissent : *odore gravi phonu*, vel si ita maluissent, *atractylidis*. Pint.

5. *Pestem denuncians.* Quoniam letalis est animantibus cibus. H.

6. *Fert siliquas.* Theophrast. loc. cit. Sesama vel sesamum, *la jugeoline.* Evonymi siliquas vulgus scrota vocat sacerdotum, quod intus ervi magnitudine grana mollibus involuta membranis testiculorum modo contineantur. Hard.

7. *Letale*, etc. Pecus enecat, si gustetur, præsertim capras, nisi purgentur. Theophr. Τοῦτο ἐσθιόμενον ὑπὸ τῶν προβάτων, ἀποκτείνει· καὶ τὸ φύλλον, καὶ ὁ καρπός· καὶ μάλιστα τὰς αἶγας, ἐὰν μὴ καθάρσεως τύχῃ. Hard. — *Animalibus.* Sic Chiffl. et Hard. codd. Gronov. et al. *animantibus.* Ed.

et in folio eadem vis. Succurrit aliquando præceps alvi exinanitio.

XXXIX. Alexander Cornelius arborem eonem[1] appellavit, ex qua facta esset Argo, similem robori viscum ferenti, quæ nec aqua, nec igni possit corrumpi, sicuti nec viscum: nulli alii cognitam, quod equidem sciam. 1

XL. Adrachnen[1] omnes fere Græci portulacæ nomine interpretantur, quum illa[2] sit herba, et andrachne vocetur, unius litteræ diversitate. Cæterum adrachne est silvestris arbor[3], neque in planis nascens, similis unedoni, folio tantum minore[4], et nunquam decidente: cortice[5] non 1

XXXIX. 1. *Eonem*. Et in indice *Eon* hæc arbos vocatur. Hard.

XL. 1. *Adrachnen*. MSS. R. Colb. et Par. ubique *andraclen*, quum de hac arbore silvestri agitur, scribunt: quum de portulaca, *andrachnen*. Hard.

2. *Quum illa*. Portulaca nimirum, quæ ἀνδράχνη Galeno de Fac. simpl. med. lib. VI, cap. 43, pag. 156. Gallis, *du pourpier*. Græcis recentioribus, ut apud Phavorinum, χοιροβότανον, quæ vox portulacam sonat. Unde et Apuleius, c. 103: « Latini portulacam, alii porcastrum, Græci andrachnen. » Et andrachnen vocat Columella, Hort. lib. X, p. 358. Hard. — *Portulaca oleracea* (*Dodecand. monog.* gen. 1177, Pers. *Portulac.* Juss.) Ed.

3. *Cæterum adrachne est silvestris arbor*. Frequens in Creta provenit, et tota Græcia Ἄδρακλα vocatur, teste Clusio, Hist. rar. Plant. c. 31, p. 49, ubi accurate pingitur. Apud Theophrast. ἀνδράχνη sæpe, pro ἀδράχνη scribitur. Hard. — *Arbutus Andrachne* (*Decand. monog.* gen. 1091, Pers. *Ericoid.* Juss.) Similem mox Noster Unedoni dicit, quæ planta ejusdem generis est, *Arbutus unedo*. Ed.

4. *Folio tantum minore*. Habet similia Theophr. lib. III, cap. 16: Παρόμοιον δὲ τὸ φύλλον καὶ ἡ ἀδράχνη ἔχει τῷ κομάρῳ· μέγεθος δὲ οὐκ ἄγαν μέγα. « Adrachne folium habet simile arbuto: neque insigni magnitudine est. » Hæc ultima verba Theophrastus de tota arbore, non de folio protulit: qui paulo ante de arbuto dixerat: Ἡ δὲ κόμαρος ἡ τὸ μιμαίκυλον φέρουσα τὸ ἐδώδιμον, ἐστὶ μὲν οὐκ ἄγαν μέγα, « non est admodum magna arbos. » Majora sunt certe adrachnes, quam arbuti, latioraque folia. Hard.

5. *Cortice non scabro quidem*. Adrachne, non aliter quam Suber, detracto cortice juvatur. Eadem, ut et Apharca anno bifera, priorem fructum perficit, quum variat uva (περκάζει, Plinio, quum pubescit), alterum, quum floret uva. Plinium fefellit Theophrast. littera male distincta, in qua post ἀνθοῦντι, statim subjicitur, ἀρχομένου τοῦ χειμῶνος ἐλάτη καὶ μίλος ἀνθοῦσι, μικρὸν

scabro quidem, sed qui circumgelatus[6] videri possit; tam tristis adspectu est!

1 XLI. Similis et coccygia folio[1], magnitudine minor. Proprietatem[2] habet fructum amittendi lanugine (pappum vocant), quod nulli alii arborum evenit[3]. Similis et apharce[4], bifera æque quam adrachne. Priorem fructum incipiente pubescere uva peragunt, alterum initio hiemis: quales eos, non traditur.

XLII. Et ferulam inter externas dixisse conveniat,

πρὸ ἡλίου τροπῶν, initio hiemis, taxus et abies florent paululum ante brumam. Dalec. — *Cortice non scabro quidem, sed qui*, etc. Immo lævi, λείῳ. Theophr. loco citato, et Histor. plantar. lib. IX, cap. 4. Hard.

6. *Circumgelatus.* Περιπηγνύμενον, Theophrasto. Arbores πήγνυσθαι dicuntur, quæ læduntur gelu, quarum hieme cortex rumpitur. Hujus vero non hieme, sed ætate finditur. Hard.

XLI. 1. *Similis et coggygria folio.* Exemplar Toletanum, *Similis et coccigia folio.* Scribo, *similis et coccymeleæ folio*, id est, *pruni:* sic enim coccymeleam supra esse scribit, fructumque ejus in pappos abire, ut nullus supersit dubitationi locus. Pint. — *Coccygia.* Sic etiam in Indice scribitur, non *coggygria.* Hes. Κόκκυξ, quam pro suo more βοτάνην vocat. Hard. — *Rhus cotinus*, nobis *fustet* (*Pentand. trigyn.* gen. 726, Pers. *Terebinthac.* Juss.) Habitat in Lombardia, Carniola, Helvetia, Austria, Sibiria, etc. Ed.

2. *Proprietatem.* Theophr. loc. cit. Ἴδιον δὲ ἔχει καὶ τὸ ἐκπαπποῦσθαι τὸν καρπόν. « Peculiare in hac, fructum lanugine, quæ pappus vocatur, interire. » Lanuginem e floribus, fructibusve deciduam, tam Græci quam Latini pappum dixere. Hard. — Coccygia non habet proprietatem *amittendi fructum lanugine*, nec ulli arborum, quam noverimus, tale quid accidere credas. Rhois Cotini semina, quoad maturescunt, pedunculorum lanugine magis atque magis obtecta latent, non intereunt. Ἐκπαππεῦσθαι dici possunt salix, populus, nerium, etc. quorum fructus lanugine circumvolvuntur, nec tamen in pappos evanescunt. Ed.

3. *Nulli alii arborum evenit.* Hoc salici, populo, nerio similiter contingit. Apud Theophrastum vitiose legitur *Coccymelea.* Dalec. — *Quod nulli alii.* Sic Theophrast. loc. cit. Simile quiddam tamen in salice animadvertimus: fructum scilicet in pappum evanescere. Hard. — Vid. not. super. Ed.

4. *Similis et apharce.* Theophr. Hist. lib. III, cap. 6: Ἀδράχνη καὶ ἀφάρκη, etc. Hard. — *Phyllirea angustifolia* (*Diandr. monog.* gen. 36, Pers. *Jasmin.* Juss.) Habitat in Hispania, Italia, Atlante. Ed.

arborumque generi adscripsisse[1] : quoniam quarumdam naturæ (sicut distinguimus[2]), lignum omne corticis loco habent, hoc est, forinsecus : ligni autem loco fungosam intus medullam, ut sambuci : quædam vero inanitatem, ut arundines. Ferula calidis nascitur locis[3], atque trans maria, geniculatis[4] nodata scapis. Duo ejus[5] genera : nartheca Græci vocant, assurgentem in altitudinem : narthecyan vero semper humilem. A genibus[6] exeuntia folia maxima, ut quæque terræ proxima. Cætero[7] natura eadem, quæ anetho, et fructu similis. Nulli fruticum levitas major : ob id gestatu facilior[8], baculorum usum senectuti præbet.

XLIII. Semen ferulæ, thapsiam quidam vocavere : de- 1
cepti eo, quoniam ferula sine dubio[1] est thapsia, sed sui

XLII. 1. *Arborumque generi adscripsisse.* Suffruticibus annumerat Theophrastus. Dalec.

2. *Sicut distinguimus.* Ita MSS. Reg. Colb. aliique, non vero *distinguemus.* Hard.

3. *Ferula calidis nascitur locis.* Copiosior clariorque harum historia petenda e Theophrasto. Dalec. — *Ferula.* Græcis νάρθηξ. In Apulia frequens, inquit Matthiolus, a quo recte pingitur, in Diosc. lib. III, pag. 792, qualem in horto Regio vidimus. Hard.

4. *Geniculatis.* Scapum seu caulem hic habet, geniculis quibusdam, id est, internodiis articulisque distinctum. Hard.

5. *Duo ejus.* Νάρθηκα et ναρθηκύαν Theophr. vocat Hist. lib. VI, cap. 2. Ferulam et ferulaginem Gaza vertit : recte. Hard. — Νάρθηξ, ναρθηκία Græcorum sunt *Ferula communis*, et *meoides* (*Pentand. digyn.* gen. 692, Pers. *Umbellifer.* Juss.) Egregie describuntur a Theophrast. loc. cit. Utraque biennis, foliorum decompositorum capillaceorum vaginis latissimis, floribus luteis et similibus anetho seminibus insignitur. Illa autem major folia habet longissima, hæc minor folia appendiculata setacea. Addit etiam Spreng. ex Tournef. Itiner. I, p. 290, in insulis Archipelagi *Ferulam glaucam*, neotericis Græcis νάρθηκα dictam crescere. Cf. Fée, *flor. de Virgil.* t. VIII, p. 55, ed. nost. Ed.

6. *A genibus.* A nodis illis, sive articulis, de quibus dictum est. Sic Theophr. ambo ferulæ genera dicit esse γονατώδη, ἀφ' ὧν τά τε φύλλα βλαςάνει, et cætera, quæ paulo uberius ille, quam Plinius. H.

7. *Cætero.* Florem habet, fructumque anetho similem. Theophr. Ἐνταῦθα δὲ τό τε ἄνθος, καὶ ὁ καρπός... καθάπερ τὸ ἄνηθον. Hard.

8. *Facilior.* In MSS. *facilius.* H.

XLIII. 1. *Ferula sine dubio.* «Feru-

generis, foliis feniculi, inani caule[2], nec excedente baculi longitudinem : semen quale[3] ferulæ, radix candida. Incisa lacte manat, et contusa succo : nec corticem[4] abdicant. Omnia ea venena : quippe etiam[5] fodientibus nocet : si minima adspiret aura, intumescunt corpora ; faciemque
2 invadunt ignes sacri : ob id cerato[6] prius illinunt. Quibusdam tamen morbis[7] auxiliari dicunt medici, permixtam aliis : item in[8] alopeciis, sugillatisque ac liventibus : ceu vero[9] remedia desint, ut scelera non tractent. Sed[10] ista prætexunt noxio instrumento : tantumque impudentiæ est,

laginem, quam Græci thapsiam » vocant, inquit Cœl. Aurel. Chron. lib. II, cap. 1. Θαψία Diosc. lib. IV, cap. 157, ubi quæ de thapsia hic narrantur, totidem verbis exstant. In Sicilia *Turbith* appellatur, teste Anguillara, P. 14, pag. 292, cui et Lobelius suffragatur in Nott. MSS. Hard. — *Ferula sine dubio est thapsia, sed sui generis*, etc. Id est, species peculiaris, a cæteris omnino diversa. — *Thapsia Asclepium* (*Pentand. digyn.* gen. 717, Pers. *Umbellif.* Juss.) Habitat in Apulia (si Pers. fides adhibenda), Oriente, etc. Ed.

2. *Inani caule.* Hoc est, habens quamdam intus inanitatem, ut arundines : quod Plinius paulo ante dixit, cap. sup. seu medulla etiam fungosa carens. Hard.

3. *Semen, quale.* Diosc. Σπέρμα... τῷ τοῦ νάρθηκος ἐμφερές. Hard.

4. *Nec corticem.* Lac, inquit, a medicis incidendo elicitur : tundendo exprimitur succus : nec corticem in medendi usu abjiciunt : nam purgandi vim habent ea omnia, δύναμιν ἔχει καθαρτικήν, etc. Diosc. Hard.

5. *Quippe etiam.* Diosc. loc. cit. et Theophr. Hist. lib. III, cap. 9, quod quidem experimento comprobatum a se Jul. Scaliger in Animadvv. testatur. Hard.

6. *Ob id cerato.* Vel ceroto : medicamentum est ex cera rebusque aliis conflatum. Κηρωτὸν Græcis : Gallis, *cérat.* Hard.

7. *Quibusdam tamen morbis*, etc. Suspiriosis, diuturnis laterum doloribus, sanguinis rejectionibus. Diosc. Dalec.

8. *Item in alopeciis*, etc. Dioscor. loc. cit. Est porro ἀλωπεκία defluvium capillorum. Sugillata facies dicitur, quæ lividis dehonestata maculis apparet : sic enim sunt fere in facie sugillata, ut vibices in corpore. Thapsiæ succum una cum nitro appositum, livores statim eximere, scribit etiam Marcell. Empir. cap. xix, pag. 132. Hard.

9. *Ceu vero.* Quasi vero remedia desint, *rogandique* sint ne venena tractent. Hard.

10. *Sed ista.* Deesse remedia illi prætexunt, ut res noxias medicamentis admisceant, et venenis abutantur : tantumque impudentiæ est, ut carere iis artem medicam posse negent. Hard.

ut venenum artis esse persuadeant. Thapsia est[11] in Africa vehementissima. Quidam caulem incidunt per messes[12], et in ipsa excavant radice, quo succus confluat, arefactumque tollunt. Alii folia, caulem, radicem tundunt in pila, et succum in sole[13] coactum dividunt in pastillos. Nero 3
Cæsar[14] claritatem ei dedit initio imperii, nocturnis[15] grassationibus converberatam faciem illinens sibi cum[16] thure, ceraque[17], et sequuto die contra famam cutem sinceram circumferens. Ignem ferulis[18] optime servari certum est, easque in Ægypto præcellere.

XLIV. (XXIII.) Ibi et capparis[1], firmioris ligni frutex, 1
seminisque[2] et cibi vulgati, caule quoque una plerumque decerpto. Cavenda[3] ejus genera peregrina : siquidem Ara-

11. *Thapsia est.* Vim ei eximie calefactoriam Galenus tribuit, lib. de Fac. simpl. med. cap. 8, pag. 177 : Θαψία δριμείας ἐςὶ καὶ ἰσχυρῶς θερμαντικῆς δυνάμεως. HARD.

12. *Quidam caulem incidunt per messes.* Facto in ambitu scrobe, radicis corticem incidunt, aut in ipsa radice. Dioscor. DALEC.

13. *In sole.* Dalec. *insolatu*, haud aspernanda forsan lectione. ED.

14. *Nero Cæsar.* Hæc Plinius Valer. a Nostro trauscripsit, de Re Med. lib. III, cap. 47. HARD.

15. *Nocturnis.* Tacit. Ann. lib. XIII, pag. 205 : « Nero itinera urbis et lupanaria veste servili in dissimnlationem sui compositus pererrabat... adeo ut ipse quoque acciperet iclus... Deinde ubi Cæsarem esse, qui grassaretur, pernotuit, etc. » Vide et Sueton. in Nerone, cap. XXVI. HARD.

16. *Illinens sibi cum thure ceraque.* Laudat et id remedinm Dioscorides, dum amplius binis horis non dimittatur, postea locns marina aqua calida foveatur. DALEC.

17. *Ceraque.* Ita etiam MSS. omnes. Tamen Plinius Val. *cerussaque* videtur legisse : sed male. Nam Diosc. σὺν λιβανωτῷ καὶ κηρῷ ἴσοις, « cum thure et cera æquis partibus. » HARD.

18. *Ignem ferulis.* Et his furatus ignem Prometheus fingitur. HARD.

XLIV. 1. *Ibi et capparis.* In Ægypto. Diosc. lib. II, cap. 204 : Κάππαρις θάμνος ἐςὶν ἀκανθώδης, etc. Gallis *câprier* : fructus, *câpre.* H. — *Capparis spinosa* (*Polyandr. monog. C. sativa* Pers. gen. 1247. *Capparid.* Juss.) Var. 6 inermis, culta. Habitat in Europa australi, Africa, Oriente. ED.

2. *Seminisque.* Sive fructus. Diosc. Ταριχεύεται δὲ ὁ καυλὸς αὐτῆς καὶ ὁ καρπὸς εἰς βρῶσιν, caulis ac fructus cibi gratia sale coudiuntur. Sic etiam interpres Oribasii, lib. XI, pag. 200. HARD.

3. *Cavenda.* Hæc quoque Diosc. loc. cit. et Galen. de Fac. simpl. med. lib. VII, pag. 185. HARD.

bium pestilens[4], Africum gingivis inimicum, Marmaricum vulvis, et omnium inflationibus[5]. Apulum vomitus facit: stomachum et alvum movet. Quidam id cynosbaton[6] vocant, alii opheostaphylen[7].

1 XLV. Fruticosi[1] est generis et sari, circa Nilum nascens, duorum ferme cubitorum altitudine, pollicari crassitudine, coma papyri[2], similique[3] manditur modo: radice ferrariis officinis præcipua, carbonis usu, propter duritiam.

1 XLVI. (XXIV.) Non omittendum est et quod Babylone seritur in spinis, quoniam non aliubi[1] vivit, sicut et viscum in arboribus: sed illud in spina tantum[2], quæ regia voca-

4. *Siquidem Arabium pestilens.* Dioscoridi Arabicum e Rubro mari advectum, itemque Libycum, in cibos non admittenda, quia in ore pustulas excitant, et osse tenus gingivas exedunt. Africanum vero, præsertim Marmaricum, vehementer inflat. Dalec.

5. *Inflationibus.* Marmaricum vehementer inflat, inquit Diosc. ἐμπνευματοῖ ἰσχυρῶς. Omnia Plinius inflare ait. Hard.

6. *Cynosbaton.* Sic Orib. loc. cit. quod hamatas nimirum rubi modo spinas habet. Hard.

7. *Opheostaphylen.* Et in indice hujus libri, *ophiostaphylen*: quasi anguinam uvam. In Notis Diosc. p. 448: Κάππαρις, οἱ δὲ κυνόσβατος, οἱ δὲ καπρία, οἱ δὲ ὀφιοσκόροδον, οἱ δὲ ὀφιοςαφύλην, sic enim legendum, non φυλοςάφυλον. Hard.

XLV. 1. *Fruticosi*, etc. Hæc totidem verbis Theophr. Hist. lib. IV, cap. 9: Τὸ δὲ σάρι, etc. Hesych. Σάριον, φυτόν τι γινόμενον ἐν τοῖς περὶ Αἴγυπτον ἕλεσι. Omnes Ægypti peculiarem faciunt. In MSS. Reg. Colb. Chiffl. Par. « Fructosi est generis et sarípha. » Atque ita pariter in Indice hujus libri. Hard. — *Sari*, etc. *Cyperus fastigiatus* (*Triand. monog.* gen. 122, Pers. *Cyperoid.* Juss.) Habitat in fluviis (Calabriæ, Siciliæ?) Syriæ, Ægypti. Culmo triquetro, coma *Cyperum* Papyrum æquante, stolonibus digiti crassitie radice enascentibus. Theophrast. lib. IV, cap. 9. Ed.

2. *Coma papyri.* Id est, spicis capituli, ut in papyro, glomeratis. Ed.

3. *Similique.* Plinius de papyro, cap. 22 libri hujus: « Mandunt quoque crudum decoctumque, succum tantum devorantes. » Idem de sari Theophr. Hard.

XLVI. 1. *Non aliubi.* Quam in spinis: sic ut viscum non alibi crescit, quam in arboribus. Hard.

2. *Sed illud in spina tantum, quæ regia vocatur.* — *Cassyta filiformis* (*Enneandr. monog.* gen. 997, Pers. Incertæ sedis apud Juss.) sine dubio τὸ Συριακὸν βοτάνιον est, quod Κασύτας appellatur, arboribus, ve-

tur. Mirum[3], quod eodem die germinat, quo injectum est. Injicitur autem ipso Canis ortu, et celerrime arborem occupat. Condiunt eo vinum, et ideo serunt. Spina illa nascitur et Athenis in Longis muris[4].

XLVII. Frutex est et cytisus[1], ab Aristomacho Athe- 1
niensi miris laudibus prædicatus pabulo ovium[2], aridus vero etiam suum; spondetque jugero ejus annua H-S vel mediocri solo reditus. Utilitas, quæ ervo[3], sed ocyor satietas, perquam modico[4] pinguescente quadrupede, ita ut jumenta hordeum spernant. Non ex alio[5] pabulo lactis major copia, aut melior, super omnia pecudum[6] medicina 2

pribus et aliis plantis innascens (Theophr. de Causs. II, 23). Miram eam vocat et paradoxam qualem Forskoleus (Flor. Ægyptiaco-Arabic. pag. 84) *Volutellæ aphyllæ* nomine, in Arabia inventam describit. Sprengel.

3. *Mirum.* Theophrast. de Caus. plant. lib. II, cap. 23. Hard.

4. *Longis muris.* Μακρὰ τείχη ea sunt, de quibus egimus lib. IV, cap. 11. Hard.

XLVII. 1. *Cytisus.* Κύτισος θάμνος ἐστὶν, etc. Diosc. l. IV, c. 131. Quæ vera sit cytisi facies disceptant inter se herbarii. Vide Dalec. Hist. lib. II, cap. 64. Genera sex diversa vidimus in horto Regio. Hard. — *Medicago arborea* (*Diad. dodecand.* gen. 1756, Pers. *Legumin.* Juss.). Multa de *Cytiso Veterum* docti disputavere ita, ut etiamnunc videatur *lis sub judice.* Vulgatiorem opinionem secuti, fruticem Plinio et Virgilio celebratum ad *Medicaginem arboream* retulimus. Lectori si plura noscere libuerit, adeat Excursum II, ad calcem hujus libri, ubi fusius interpretum sententias Cl. Sprengel discutere nullus dubitavit. Conf. etiam Virgil. Eclog. II, 64, t. I, pag. 100 edit. nost. et ibi not. Ed.

2. *Pabulo ovium.* Columella, lib. V, cap. 12, pag. 206: « Cytisum in agro esse quam plurimum maxime referet, quod gallinis, apibus, bubus quoque, et omni generi pecudum utilissimus est: quod ex eo cito pinguescit, et lactis plurimum præbet ovibus: tum etiam quod octo mensibus viridi eo pabulo uti, et postea arido possis, etc. » H.

3. *Utilitas quæ ervo, sed ocior satietas. Ergo* habent exemplaria antiqua, non *ervo:* pro quo libentius *herbæ* legerem quam *ervo:* nam hæc comparatio cytisi cum ervo mihi non probatur; etsi Columella tradit ervi modo seminandum esse: item *satias* scribendum, non *satietas*, ex archetypo Toletano. Pint.

4. *Modico.* Modico *cytisi pabulo* pinguescit quadrupes. Hard.

5. *Non ex alio.* Colum. l. c. et Arist. Hist. III, 16, pag. 392. H.

6. *Pecudum medicina.* In pecudum medicina. Hard.

a morbis omni usu[7] præstante. Quin[8] et nutricibus in defectu lactis aridum, atque in aqua decoctum, potui cum vino dari jubet: firmiores celsioresque infantes fore. Viridem etiam gallinis, aut si aruerit, madefactum. Apes quoque[9] numquam defore cytisi pabulo contingente, promittunt Democritus et Aristomachus. Nec aliud minoris impendii est. Seritur cum hordeo[10] : aut vere[11], semine,
3 ut porrum : vel caule, autumno ante brumam[12]. Si semine, madidum : et si desint imbres[13], satum[14] spargitur. Plantæ cubitales seruntur[15] scrobe pedali. Seritur per æquinoctia[16] tenero frutice : perficitur triennio : demetitur verno æquinoctio, quum florere desinit[17], vel pueri, vel anus vilissima opera. Canus adspectu : breviterque, si quis exprimere similitudinem velit, angustioris[18] trifolii frutex. Datur animalibus post biduum semper : hieme[19]

7. *Omni usu.* Sive aridum, sive decoctum præbeatur, utilissimum.

8. *Quin*, etc. Colum. loc. cit. « Mulieres quidem, si lactis inopia premuntur, cytisum aridum in aqua macerari oportet, etc. » Vide et Hipp. de Morb. Mul. lib. I, text. 73, pag. 460. HARD.

9. *Apes quoque.* Cytiso apes allici, idque eam ob causam propter alvearia seri scribit Diosc. lib. IV, cap. 113. HARD.

10. *Seritur cum hordeo.* Columellæ lib. IX, cap. 4, sativum est, et suæ spontis. DALEC. — *Cum hordeo.* Eodem tempore, atque hordeum. HARD.

11. *Aut vere, semine.* Contra Colum. loc. cit. autumno, semine: plantis vere seri jubet. HARD.

12. *Vel caule autumno ante brumam.* Vel ramis, autumno instante ante septembrem. Ex Columella hic Plinius (ut pomum) intelligenter vertit ex auctore græco, apud quem scriptum fuit, εἰς πρασιὰς φυτεύεσθαι, in areolis seri; quemadmodum et Columella reddidit. DALEC.

13. *Si desint imbres.* Tum spargi, hoc est, rigari quindecim proximis diebus Columella præcipit. HARD.

14. *Satum spargitur.* Rigatur, quindecim proximis diebus, Columella. DALEC.

15. *Seruntur.* MSS. Reg. et Colb. *perferuntur.* HARD.

16. *Seritur per æquin.* Colum. loc. cit. HARD.

17. *Quum florere desinit.* Nam tota hieme floret. DALEC.

18. *Angustioris.* Folia, inquit, trifolii similia sunt, sed minora. H.

19. *Hieme.* Colum. loco citato : « Aridum si dabis, parcius præbeto, quoniam vires majores habet, priusque aqua macerato, et exemptum paleis permisceto. » HARD.

vero quod inaruit, madidum[20]. Satiant equos[21] denæ libræ, 4
et portione minora animalia; obiterque inter ordines allium
et cæpe seri fertile est[22]. Inventus hic frutex in Cythno insula, inde translatus est in omnes Cycladas, mox in urbes Græcas, magno casei proventu : propter quod maxime miror rarum esse in Italia. Non æstuum, non frigorum, non grandinum, aut nivis injuriam expavescit. Adjicit Hyginus, ne hostium quidem, propter nullam gratiam ligni.

XLVIII. (xxv.) Nascuntur[1] et in mari frutices arbo- 1
resque, minores[2] in nostro[3]. Rubrum enim, et totus Orientis Oceanus refertus est silvis. Non habet lingua alia nomen, quod Græci vocant phycos : quoniam alga herbarum[4] magis vocabulum intelligitur : hic autem est frutex. Folia lata colore viridi gignit[5], quod quidam pra-

20. *Madidum.* Madefactum et maceratum. Nam aridum majores vires habet et nimis satiat. Columella. Dalec.

21. *Satiant equos.* Colum. l. c. « Equo abunde est viridis pondo XV bubus pondo vicena : cæterisque pecoribus proportione virium. » In Chiffl. cod. « et ad portionem minora animalia. » Hard.

22. *Fertile est.* Utile, observa. Vide Columellam, lib. IX, cap. 4. Dalec.

XLVIII. 1. *Nascuntur.* Theophr. lib. IV, 7. Negat Plutarch. in Qu. Natl. statim initio, pag. 911, aqua marina arbores ali posse : cujus placiti causas affert. Addit in mari Rubro, quæ plantæ germinant, eas fructum ferre nullum : ali autem fluvialibus aquis, quæ multum cœni ingerant : itaque eas haud procul a terra nasci. Hard.

2. *Arboresque minores in nostro.* Theophrast. Hist. lib. IV, cap. 7 et 8. Vide infra, lib. XXXI, cap. 7 et 9. Dalec.

3. *Minores.* Et plantæ verius quam arbores. Theophrast. Hard.

4. *Quoniam alga herbarum,* etc. Plinius satis negligenter hoc statuit. Dalec. — *Quoniam alga.* Φῦκος, inquit, Latini algam vocant : verum algæ nomen herbæ ei quæ in aquis marinis nascitur, verius accommodatur, quam frutici, quem nunc describimus. Hard.

5. *Folia lata colore viridi gignit, quod quidam prason, alii zostera appellant.* Vetus lectio, « Folio lato, colore viridi. Gignit quod quidam, etc. » Hæc si vera est, deceperunt Plinium Theophrasti verba male intellecta. Neque enim alga hæc gignit quod alii prason, alii zostera appellant, sed ipsum algæ genus sic vocant, sunt enim multa algarum genera. Theophrastus, lib. IV,

son vocant, alii zostera. Alterum[6] genus ejusdem, capillaceo folio, simile feniculo, in saxis nascitur: superius in vadis[7] haud procul littore; verno utrumque[8]: et interit[9] autumno. Circa Cretam insulam[10] nato in petris purpuras[11] quoque inficiunt, laudatissimo a parte Aqui-

c. 6: « Nam algæ quoddam genus folio lato, colore herbido est, quod prason quidam appellant, alii zostera, » ubi relativum *quod*, non *folium*, sed *genus algæ* refert. Theodorus morbo solito pro *prason porrum*, pro *zostera cingulum* reddidit. Pint. — *Folia lata colore viridi gignit.* Ταινιοειδῆ Theoph. fasciis similia, vel ut alii legunt, τετανοειδῆ, distenta. Dalec. — *Folia lata.* Totidem verbis hæc Theophr. loc. cit. Τοῦ γὰρ φύκους τὸ μὲν ἐςι πλατύφυλλον... χρῶμα ποῶδες ἔχον, ὃ δὴ καὶ πράσον καλοῦσί τινες, οἱ δὲ ζωςῆρα. Πράσον a colore viridi, quo porrum refert. Ζωςὴρ a cinguli forte similitudine. H. — *Zosteræ marinæ* species? (*monœc. monand.* gen. 2015, Pers. *Aroid.* Juss.) Ed.

6. *Alterum.* Theophrast. iisdem verbis, loc. cit. Hard.

7. *Superius in vadis, haud*, etc. Ζωςὴρ. Dal. — *Superius.* Primum nempe genus, quod et prason et zostera vocant. Hard.

8. *Verno utrumque, et interit autumno.* Lectio nec integra, nec sincera: videntur enim multa desiderari verba. Theophrast. lib. IV, cap. 6: « Annuum esse aiunt, et nasci vere desinente, vigere æstate, minui autumno, interire hieme. » Pintian. — *Verno utrumque. Vere utrumque.* Non de zostere id Theophrastus, sed de feniculacea tantum, quam scribit extremo vere nasci, æstate vigere, autumno languere, hieme mori. Dalec.

9. *Et interit.* Theophr. loc. cit. neque de zostere hoc tradit, neque de capillaceo genere: sed de tertio quodam, quod ad Herculis columnas gigni ait, cujus nec nomen tradit. Hard.

10. *Circa Cretam insulam.* Diversum hoc algæ tinctoriæ genus a feniculacea Theophrastus memorat, laudatissimamque provenire Aquiloniis locis Cretæ ait, ubi spongiæ, et alii id genus marini frutices, marinæve plantæ præstantiores gignuntur. Vide lib. XXXII, cap. 6, et lib. XXVII, cap. 7. Dalec. — *Circa Cretam.* Et hæc habet Theophr. loc. cit. De secundo seu capillaceo genere intelligenda. H.

11. *Purpuras.* Hoc est, vestes et lanas eo colore tingunt, qui purpureum imitetur, ac vincat: καλλίων ἡ χρόα τῆς πορφύρας. Hard.

12. *Aut cum spongiis.* Sic Hermolaus: quum prior lectio tam scripta quam impressa haberet *aut spongiis*, aptiorem lectionem ducimus, *ut spongiæ.* Theophrastus: « Gignitur parte aquilonia tum copiosius, tum melius, ut etiam spongiæ reliquaque similia. » Pint. — *Aut spongiis.* Theophrasti hæc eo loci sententia est, a qua discrepare paululum Plinius videtur: parte insulæ Aquilonia copiosius ac melius genus hoc fuci marini

lonis, aut spongiis[12]. Tertium[13] est gramini simile, radice geniculata[14] et caule, qualiter calami.

XLIX. Aliud genus[1] fruticum bryon vocatur, folio 1
lactucæ, rugosiore tantum, jam hoc interius nascens[2]. In alto vero[3] abies et quercus cubitali altitudine. Ramis earum[4] adhærent conchæ. Quercu[5] et tingi lanas tradunt. Glandem etiam[6] quasdam ferre in alto : naufragis hæc deprehensa urinantibusque[7]. Et aliæ[8] traduntur prægrandes circa Sicyonem : vitis enim passim[9] nascitur : sed[10] ficus

provenire, ut et spongias, aliaque similia : ὥσπερ αἱ σπογγιαὶ καὶ ἄλλα τοιαῦτα. Sed forte legendum, *ut spongiis*. Hard.

13. *Tertium*. Theophr. l. c. H.

14. *Geniculata*. Nodis et articulis, seu geniculis distincta, instar graminis, ῥίζα γονατώδης, ὥσπερ τῆς ἀγρωστίδος. Theophr. Hard.

XLIX. 1. *Aliud genus*. Theophr. Hist. lib. IV, cap. 7. H. — *Fucus aculeatus?* Turn. *Alg*. Juss. Ed.

2. *Jam hoc interius nascens*. « Jam hoc in alto nascens. Terris vero abies vicina et quercus » ex Theophrast. Histor. pl. lib. IV, cap. 7. Dal. — *Jam hoc interius*. Hoc est, fere intra littus, propius a terra : προσγείως dicunt Græci. Theophr. de his : φύεται, inquit, ἐπὶ τῶν λίθων τὰ τοιαῦτα πρὸς τῇ γῇ, καὶ τῶν ὀστράκων. Hard.

3. *In alto vero*. Et δρῦνποντίαν, hoc est, pelagiam sive in alto nascentem Theophrast. agnoscit l. c. quod non satis animadvertere ii qui Plinii fidem hoc loco desiderant. Quercus marinæ iconem vide apud P. Lambecium, lib. V, pag. 294. Hard.

4. *Ramis earum*. Theophr. l. c.

5. *Quercu*. Theophr. Hard.

6. *Glandem etiam*, etc. Apud Athenæum, lib. VII, Polybius narrat in mari Lusitanico gigni quercus, quarum glande thynni vescantur, et pinguescant : itaque a vero minime aberraturum, qui thynnos esse marinos porcos dixerit. Dal. — *Glandem etiam*. Theophr. l. c. Polyb. lib. XXXIV, apud Athen. lib. VII, pag. 302, ait in Lusitanico mari gigni glandiferas quercus, quarum thynni vescuntur, ut glande terrestri sues. Hard.

7. *Naufragis hæc deprehensa urinantibusque*. Scribo, « naufragis urinantibusque et alia traduntur prægrandes, » cætera adjecta sunt, et falso Plinio attributa ex Theophrasto manifeste, lib. IV, cap. 6, quem in hac parte ad verbum fere transfert Plinius. Confer et statue. Pint.

8. *Et aliæ*. Theophr. l. c. Hard.

9. *Vitis enim passim*. Hoc est, et perinde in alto : καὶ πρὸς τῇ γῇ, καὶ ποντία ἄμπελος. Theophrast. l. c. Hard.

10. *Sed ficus*. Theophr. ἡ δὲ συκῆ ἄφυλλος μὲν, τῷ μεγέθει δ' οὐ μεγάλη, χρῶμα δὲ τοῦ φλοιοῦ φοινικοῦν. Ita Plinius, ita et Gaza legit. Unus Dalecamp. legit εὔφυλλος. Hard.

sine foliis[11], rubro cortice. Fit et palma[12] fruticum generis. Extra Herculis[13] columnas porri fronde nascitur frutex, et alius lauri, et thymi[14], qui ambo ejecti in pumicem transfigurantur.

1 L. At in Oriente[1] mirum est, statim a Copto per solitudines[2] nihil gigni, præter spinam, quæ sitiens vocatur, et hanc raram admodum : in mari vero Rubro silvas[3] vivere, laurum maxime[4], et olivam ferentem baccas, et quum pluat, fungos, qui sole tacti mutantur in pumicem. Fruticum[5] ipsorum magnitudo ternum cubitorum est : caniculis referta[6], vix ut prospicere[7] e navi tutum sit, remos plerumque ipsos invadentibus.

11. *Sine foliis*. Εὔφυλλος, foliis comosa. Ficus similitudo, absque foliis intelligi nequit, nisi fructus illam ostendat. Dal.

12. *Fit et palma*. Ita MSS. omnes. Hæc uberius Theophr. l. c. Hard.

13. *Extra Herculis*. Theophrast. l. c. Hard.

14. *Nascitur frutex et alius lauri, et thymi*. Sic quidem legunt antiqua exemplaria, sed rectius impressa, « nascitur frutex et alius lauro, et thymo similis : » convertenda tamen verba : « Nascitur frutex thymum, et alius lauro similis. » Theophrastus loco ante allegato : « In extero autem circa Gaditanum fretum, porrum ut retulimus, nascitur, et ea quæ in lapidem transfigurantur, ut thymum, et quæ lauriformia sunt. » Pint.

L. 1. *At in Oriente*. Hæc rursum Theophrast. Hist. plant. lib. IV, cap. 8. Hard.

2. *Per solitudines*. In terra, ἐν τῇ γῇ. Theophr. Hæc spina διψὰς eidem dicitur, hoc est, siticulosa : eaque ibi rara, propter fervores, et aquæ penuriam. Hard.

3. *In mari vero Rubro silvas vivere*. Theophrast. Hist. plant. lib. IV, cap. 8. Dal.—*In mari vero*. Theophrast. loco proxime cit. Hard.

4. *Laurum maxime*, etc. Agriæ prorsus similem : oleam vero folio tantum. Theophr. Dal.

5. *Fruticum*. Theophr. l. c. H.

6. *Caniculis referta*. Crediderim omissam incuria librarii dictionem *maria*, ex Theophrasto, superiore loco : « Mare, inquit, hoc belluis refertum plurimasque caniculas habet, in tantum ut nare tutum non sit. » Pint.—*Caniculis*. Marinis canibus vel inter ramos, vel inter ipsas radices delitescentibus : his mare totum illud infestum fuit. Theophr. Ἡ δὲ θάλαττα θηριώδης· πλείους δὲ ἔχει τοὺς καρχαρίας. Hesychio, Καρχαρίας, ὁ θαλάσσιος κύων καὶ ἰχθύος εἶδος. De caniculis egimus lib. IX, cap. 70. Hard.

7. *Ut vix prospicere*. De hoc Theophrast. nihil. Hard.

LI. Qui navigavere in Indos Alexandri milites[1], frondem marinarum arborum tradidere in aqua viridem fuisse, exemptam sole protinus in salem arescentem. Juncos[2] quoque lapideos perquam similes veris per littora; et in alto quasdam arbusculas colore[3] bubuli cornus ramosas, et cacuminibus rubentes : quum tractarentur, vitri modo fragiles; in igne autem ut ferrum inardescentes, restinctis colore suo redeunte. Eodem tractu insularum silvas operit æstus, quanquam altiores platanis[4] populisque altissimis. Folia iis lauri, flos violæ et odore, et colore. Baccæ, ut oleis[5], et ipsæ odoris jucundi, autumno[6] nascentes, foliis numquam deciduis[7]. Harum minores totas integit mare. Maximarum cacumina exstant, ad quæ naves religantur, et quum recessit æstus, ad radices. Alias quoque arbores in alto ab eisdem accepimus eodem in mari visas, semper folia retinentes : fructu earum lupino simili. 1

LII. Juba tradit, circa Troglodytarum insulas fruticem in alto vocari, Isidis crinem[1], corallio similem, sine fo- 1

LI. 1. *Qui navigavere in Indos Alexandri milites.* Scribo, « Qui navigavere in Indis Alexandri milites. » Theophrastus, lib. IV, cap. 7 : « Qui vero ex Indicis missi ab Alexandro navigaverunt : plantas marinas, quod in aqua sint, colorem algæ minutæ habere, etc. » Pint. — *Qui navigavere.* Theophr. l. c. Hard.

2. *Juncos.* Reliqua deinceps quæ in hoc capite continentur, Theophrastus eodem loco allato refert. Hard.

3. *Arbusculas colore*, etc. In Adriatico, quæ arbusculæ nascuntur, glutini taurino colore similes sunt. Dal.

4. *Altiores platanis.* Magnitudine pares platanis. Theophrast. Dalec.

5. *Baccæ, ut oleis.* Fructus, magnitudine olivæ. Theophrast. Καρπὸν δ' ἡλίκον ἐλαίᾳ. Hard.

6. *Autumno nascentes.* Flore et fructu primo autumno nascente, vere defluente. Theophr. Dal.

7. *Numquam deciduis.* Immo, vere deciduis, si Theophrasto credimus, τοῦ δὲ ἔαρος ἀποῤῥεῖν. Hard.

LII. 1. *Isidos plocamon* quidam corallium esse volunt, coloris punicei, non rubri, oculis quidem grati, et arridentis, sed minoris pretii, et auctoritatis, quam quod saturatius et plenius rubet. Horum opinioni non assentior, quoniam Isidos plocamos præcisus nigrescit, non autem id corallii genus. Dal.

liis : præcisum mutato colore in nigrum durescere : quum cadat, frangi. Item, alium qui vocatur charitoblepharon[2], efficacem in amatoriis : spathalia eo[3] facere et monilia feminas : sentire eum se capi, durarique cornus modo, et hebetare aciem ferri. Quod si fefellerint[4] insidiæ, in lapidem transfigurari.

2. *Charitoblepharon*. Nigrum esse corallium hinc quidam arbitrantur, quod olim in superciliis feminarum, color niger pulcherrimus et venustissimus haberetur. Quamobrem medicamenta superciliis tingendis apta καλλιβλέφαρα prisci vocaverunt. Dal. — *Charitoblepharon*. Χαριτοβλέφαρον, a venustate genarum et palpebrarum, quæ ejus fruticis succo tingerentur, traxisse nomen videtur. Hard. — Quanquam ad species Neotericis memoratas certis notis, vel, ut aiunt, caracteribus, referri minime queant Isidis πλόκαμος et χαριτοβλέφαρον; vix tamen cuipiam dubitandum arbitramur quin ad ea genera pertineant, quæ in classes ordinesque redacta, fusins descripsit V. D. Lamouroux (doctrinæ scientiisque nuper inopina morte præreptus), in opere luculentissimo, cui titulus: *Histoire des Polypiers coralligènes flexibles*. Ed.

3. *Spathalia eo*, etc. Σπαθάλη, ornamentum muliebre, brachialis et armillæ loco. Allusit ad id Claudianus in Epithalamio : « Et gravibus spathale baccis diadema ferebat Intextum, rubro quas legerat ipsa profundo. » Dal. — *Spathalia*. Muliebria sunt ornamenta, armillæ loco et brachialis. Tertull. lib. de cultu feminar. « Nescio an manus spathalio circumdari solita, in duritia catenæ stupescere sustineat. » Hard.

4. *Quod si fefellerint*. Si præcidatur ex improviso, ante nimirum quam potuerit sentire se capi, tum quasi ex dolore, transfigurari in lapidem. Hoc loco interpres Gallicus, ut alias sæpissime, cæspitavit. Hard.

EXCURSUS I

DE LOTIS VETERUM.

Ad ea Plinii verba, c. XXXII, p. 218:

Eadem Africa, qua vergit ad nos, insignem arborem loton gignit, etc.

Nullum profecto plantarum genus remotissimæ antiquitati vel gratius, vel ad quemlibet usum ac quodlibet decus acceptius fuit, quam lotus. Etenim, sive ab Hebræorum vetustissimis monumentis, vel ab iis, quæ supersunt, Ægyptiorum numismatibus artificiisque ordiaris, sive divina consulas priscorum Græciæ vatum carmina, ubique occurrent vel arboris, vel fructuum, florumve ac herbarum vestigia, quæ ad hoc genus pertinent. Unde cum Mahudelio (1) facile sentire licet, connubium historiæ naturalis et antiquitatum maxime necessarium ac fructuosum ex inquisitione in hanc plantam præprimis apparere. Namque quot quantique errores circa lotos antiquorum jam commissi sint, vel quotidie committantur, ex recentissimis Scopolii (2), Pauwii (3), aliorumque celeberrimorum auctorum exemplis elucet.

Neque id mirum, quum et Theophrastus ipse (4) et Hesychius (5) jam monuerint, plurimas plantas, et foliis, et floribus, et fructibus longe differentes, communi loti nomine ab antiquis insigniri, quumque postea docturus sim, tum Plinium (6), tum Callixenum Rhodium, tum ipsum Athenæum (7), licet Ægyptium, varias loti species secum invicem commutasse. Ardui itaque negotii rem adgreditur, quicumque in his tricis explicandis moratur. Experiar tamen, quantulum possim lucis fœnerare his tenebris : primumque distinguam *lotum arborem* a *loto aquatica*, hancque ab *herba*, armentis et equis pabulum præbente, quæ quidem tria genera sæpius immerito unum idemque habentur.

Lotus arbor.

Primum fere et antiquissimum hujus arboris vestigium, a suavissimo

(1) Hist. de l'Acad. des Inscriptions, vol. II, p. 285.
(2) Delic. Insubr. P. II, p. 97, f.
(3) Recherch. sur les Égypt. et les Chinois, sect. III, p. 197.
(4) Hist. plant. lib. VII, c. 14, p. 150.
(5) Lexic. t. II, p. 517, πᾶν ἄνθος.
(6) Lib. XIII, c. 17.
(7) Lib. XV, p. 677.

fructu laudatissimæ, in sacro reperitur Hebrææ gentis codice, ubi nomine *Dudaim* bis prædicatur, tum ob saporis dulcedinem, tum ob odoris suavitatem (1). Hunc autem fructum, neque mandragoram, ut auctoritate septuaginta interpretum vulgo creditur, neque alium quemlibet fructum esse aut florem, doctissime, uti solebat, et egregie probavit Olaus Celsius (2). Priscos sequitur Rabbinos, qui Dudaim arboris מייש fructum esse docuerunt, eam vero arborem cum loto Græcorum eamdem esse monuit jam Abu 'l Fadli, teste eodem Celsio. Loti itaque species, et fere Rhamnus *Lotus* fuit, cujus fructus drupam sistit monopyrenam, et saporis mira suavitate et odoris præstantia celebratam, quæ Jacobum patriarcham cum conjuge iterum conciliavit, atque huic fecunditatem comparavit.

Ipsa quoque Dudaim etymologia perbelle cum λωτοῦ derivatione congruit. Sicut enim דודאים a דוד *amor*, *dilectus*, ita λωτὸς a Dorico verbo λῶ q. θέλω, unde λῇς frequens satis in Theocrito et Aristophane, unde et λωΐων, λώων; λώϊςος, λῷςος; *melior*, *optimus*. Euripidi apte amores vocantur deliciæ loti, λωτοῦ τε ἔρωτες, ἡλίου ἀγναὶ βόες.

Celtis est *australis* ea, quam inter varias loti arboris species describit Theophrastus (3), excelsa arbor, piri magnitudine aut paullo minor, foliis incisis, serratis, velut ilicis folia, ligno nigricante, fructu fabam volumine æquante, versicolore, prout maturescit; primum enim viridi, postea flavido, denique nigricante. Apte eam arborem distinguit ab alia, iisdem Africæ regionibus familiari, quam Rhamni speciem veramque Homeri lotum esse, postea docebimus. Plinius vero male confundit utrumque genus, dum plura, quæ ad Rhamnum *Lotum* pertinent, e. gr. vinum ex drupis confectum, ad Celtin transfert. Cerasorum more fructus suos omnino profert, neque velut myrtorum, quod de Rhamni specie valet. Excelsam hanc arborem ipso nomine Celtis insignit Plinius, in Italiam translatam indolem suam exuisse arbitratur, ut spinis forte atque aculeis orbata sit, errore eodem seductus (4). Eamdem quoque senectam adeo miram attingere testatur, ut in Lucinæ area fuerit, quæ ccccL annos jam steterit (5).

Hujus arboris materies durissima et fere ossea (6) a pristinis inde temporibus ad varia opificia et instrumenta conficienda usurpata fuit. Fabulantur ipsi Arabes, tabulas, quibus Mosaicæ leges inscriptæ fuerint, ex hoc ligno confectas esse (7). Simulacra Deorum ex eodem olim fabre-

(1) Genes. XXX, 14, s. Cant. VII, 13, 14.
(2) L. c. vol. I, p. 20.
(3) Lib. IV, c. 4, p. 75.
(4) Plin. lib. XIII, c. 17.
(5) Ib. lib. XVI, c. 44.
(6) Theophr. Hist. plant. lib. I, c. 9, p. 10; Plin. lib. XVI, c. 38.
(7) Herbelot, Biblioth. orient. p. 649, 706.

facta, tradit Pausanias (1). Celebratissimæ quoque erant tibiæ ac lyræ lotinæ, quæ Alexandrinis φώτιγγες dictæ, optimæ censebantur (2). Ex eodem ligno ensis, quo utebatur Hercules, vaginam confectam tradit Theocritus (3).

Eam arborem et Romani veteres colebant (4), et nostris temporibus incolæ Siciliæ etiamnum colunt (5). Nomine *Perlaro*, s. *Caccamo*, s. *Menicucco* eam Italis notam esse, lotumque vere Veterum videri tradit Dodonæus (6), et post eum Lobelius (7), qui in Gallia Narbonensi *Micocoulier* appellari fatetur. Confirmat id disertis verbis Scopolius (8), ambigens tamen in distinguendis loti aliis speciebus.

In veterum medicorum monimentis cortex præprimis, ut et fructus hujus arboris prædicatur ad varios usus. Corticem ad suffumigia commendat Alexandrinus auctor, ut conceptio promoveatur (9): stypticam virtutem, quæ contra fluxus inserviat muliebres, commendant Dioscorides (10) et Galenus (11) cum asseclis (12): capillos quoque flavido colore imbui, si laventur decocto cortice, testatur idem Dioscorides: quas quidem virtutes Celtis nostræ *australis* confirmat Scopolius.

Quemadmodum antem Virgilius jam asserit, G. II, 83:

> ...... genus haud unum nec fortibus ulmis,
> Nec salici lotoque, nec Idæis cyparissis,

esse, ita et alia arborum species loti nomine apud Antiquos venit, quæ certe Rhamni generi adnumeranda est. Ejus arboris, Rhamni *Loti*, fuisse fructum, cujus suavitate capti Ulyssis comites patriæ oblivisceretur, quique in Africæ regione, a Lotophagis dictis comederetur (13),

(1) Lib. VIII, t. II, c.17, p. 400.

(2) Athen. lib. IV, c. 25, p. 276, ed. Schæfer; Jul. Polluc. Onomast. lib. IV, c. 9, s. 71, p. 388, c. 10, s. 74, p. 890; Plin. lib. XIII, c. 17; Hesych. t. II, col. 516; Ovid. Fast. lib. IV, v. 190; Eustath. in Il. Σ, p. 443.

(3) Id. XXIV, v. 45.

(4) Plin. lib. XIII, c. 17.

(5) Sestini's Briefe aus Sicilien, Th. II, S. 196. Circa AEtnam præprimis frequentem esse.

(6) Pempt. VI, lib. IV, c. 25, p. 847.

(7) Stirp. adversar. p. 439.

(8) Delic. Insubr. P. II, p. 97.

(9) Hippocr. de superfœtat. p. 265.

(10) Lib. I, c. 171, p. 82.

(11) De Facult. simplic. medic. lib. VII, p. 98.

(12) AEt. tetr. I, serm. I, col. 41; Paull. AEginet. lib. VII, p. 240.

(13) Od. I, 83. Ἄνθινον εἶδαρ hunc fructum vocat Homerus: ideoque Celt[is] haudquaquam esse potest, cujus neque flores, neque fructus bene olent. (Sestini l. c. p. 199.) Ipse Sestinius tamen, qui saporem fructuum Celtis non modo suav[em] invenit, Homeri Lotophagos credit his fructibus usos fuisse, In quo, meo quid[em] arbitrio, vehementer fallitur.

exploratum habeo. Quod ut ordine probetur, ad locum arboris natalem primum respiciamus. Eum Herodotus ponit ad maritimam Africæ oram, inter Machlyes et Gindaues (1). Meningem præsertim insulam, quæ posteris temporibus Girba dicta est, Lotophagitidis nomine olim venisse, testantur Polybius (2), Plinius (3), Strabo (4) et Ptolemæus (5). A Syrtis minoris promontorio dextro cc passibus remota, oppida dua, Meningem alterum, alterum Thoas aut Gerra dictum, contiuebat. Loti fructus uberrimum in ea proventum suis quoque temporibus prædicat Strabo. Septemtrionali Africæ, præsertim vero Tunetano et Tripolitano, familiarem hunc suavissimum fructum, tanquam delicias earum regionum summas, delibarunt Danus (6), Shawius (7), d'Avity (8), Poiretus (9) et *Desfontaines* (10).

Eamdem arborem aculeatam, geminatis nimirum aculeis armatam, quorum alter quisque recurvus est, bene distinguit Theophrastus a priori genere, ita ut baccarum seu druparum adversarum inter se aut παραλλήλων, myrtorum morte, ramis adnascentium rationem habeat, quod cum Celti *australi* omnino non congruit. Esse hanc arborem πολύκαρπον, fructum autem suaviorem, qui sine nucleo sit (11). Id ultimum ita explicandum puto, ut ad insigne respiciam discrimen, quod varias intercedit Rhamni species: aliæ enim, velut *Napeca*, *Lotus*, *Zizyphus*, *Jujuba*, *Spina Christi*, *Paliurus*, *OEnoplia*, etc. drupam ferunt nuce univel biloculari præditam; aliæ vero, velut *Frangula*, *Alaternus*, *catharticus*, *infectorius*, *Sarcomphalos*, etc. baccam polyspermam. Quumque illarum specierum corolla atque calyx constanter quinque servent lacinias, hæ vero, vel quatuor, vel quinque habeant incisuras, egregie *Desfontaines* et Willdenowius monent separandum esse Rhamni genus in duo genera singularia, quorum alterum Rhamnum, alterum Zizyphum vocant (12): huic itaque adjudicandus Lotus noster videtur, quum Tournefortius Zizypho suo *silvestri*, qui noster est Lotus, drupam tribuat nuce instructam (13). Posse autem drupas, nucleo præditas, baccasque polyspermas cultu mansuefactas atque mutatas, amittere semina, patet

(1) Lib. IV, c. 177, p. 409.
(2) Lib. I, c. 38, p. 55 (ed. Gronov. 1670, in-8).
(3) Lib. V, c. 7.
(4) Lib. XVII, p. 1191.
(5) Lib. IV, c. 3.
(6) Historie van Barbaryen, p. 248 (Amst. 1646, fol.)
(7) Travels, p. 225 (Oxf. 1697, fol.).
(8) Description de l'Afrique, p. 226 (Paris. 1750, in-8.)
(9) Voyage en Barbarie, P. II, p. 126 (Paris. 1789, in-8.)
(10) Journal de Physique, t. XXXIII, p. 287.
(11) Hist. plant. lib. IV, c. 4, p. 75.
(12) Usteri's Magazin fur die Botanik, St. IX, S. 17.
(13) Institut. rei herbar. cl. XXI, gen. 17, p. 627, tab. 403.

e variis arborum nostrarum fructiferarum exemplis. Quotidie video in horto nostro botanico Berberes *vulgares aspermas*, quæ culta, semina amisisse videntur.

Ex iisdem Zizyphi *Loti* drupis vinum parari, quod vero ultra denos dies non duret, testantur Theophrastus (1), Plinius (2), Polybius (3) et Eustathius (4). Parari id ex fructu in aqua trito ac macerato, saporis esse grati, qualis est optimi mulsi, addit Polybius. Suavitatem fructus et nutrientem indolem inde præsertim elucere asserit Theophrastus, quod Ophelli exercitus, quum in Carthaginem duceretur, diebus pluribus, defectu commeatuum, pastum esse his fructibus feratur. Cum dactylis fructum comparat Herodotus, cum mespilo Eustathius. Optimam autem descriptionem αὐτόπτης Polybius affert, ex qua patet, nullam aliam plantam verum lotum Homericum fuisse, quam Rhamni vel Zizyphi speciem. Arborem enim esse non magnam, rhamno similem, spinosam, foliis parvis, magis ovatis quam rhamni, et profundioris coloris. Fructum similem esse myrti baccis, dum autem maturescat, phœnicenm adipisci colorem, oleas magnitudine æquare, ac nucleo parvo instructum esse. Maturum colligi, atque cum alica tusum ad servorum cibum in vasa conculcari, ingenuorum autem eduliis, detracto nucleo, eodem modo reponi, gustu caricis et dactylis non dissimili, odore tamen suaviori.

Arabum monumenta scatent laudibus fructus, qui omnino ad hanc speciem referendus esse videtur, quemque *Nabeka* aut *Nabka*, arborem autem *Seder* vocant. De hoc fructu fabulantur, defunctis ilico post mortem eamdem a feminis cælicolis, quas *Hury* vocant, offerri, unde النتهى سدرة *fructum fati* nominant (5). In paradisum itaque collocant hanc arborem, eam maxime speciem, quæ in regno Adel proveniat, spinis armata sit, foliisque gaudeat ovato-oblongis. Drupas has esse parvas, rotundas, incredibilis suavitatis et odoris gratissimi, ut et regibus offerantur (6). Id testimonium ex Abu Hanifa el Dainuri, scriptore de re rustica, Serapion affert. Ita Ebn Alvam, alius de re rustica auctor, ad zizyphum diserte refert hunc fructum, quem rubentem esse baccam testatur; neque insitioni aptam esse arborem (7). Alii vero auctores, velut Rhazeus (8) et Avicenna (9), eamdem cum Celti *australi*, seu loto Dio-

(1) L. c.
(2) Lib. XIII, c. 17.
(3) Athen. lib. XIV, p. 651, ed. Casaub.
(4) In Odyss. I, p. 136.
(5) Herbelot, Biblioth. orient. p. 796; Maracci, prodrom. ad refut. Alcoran. P. II, p. 19.
(6) Serapion, aggregat. f. 139, c. (Lugd. 1510, in-4.)
(7) Casiri, Biblioth. Escurial. vol. I, p. 328.
(8) Contin. lib. XXIII, c. 5, f. 474, c.
(9) Can. lib. II, p. 217.

scoridis commutant. Ipse quoque Forskäleus confirmat nostram de *Seder* Arabum sententiam, Rhamui speciem habet, quam in Arabia *Ollah*, in Ægypto vero سدر vocari perhibet (1).

Superest, ut de tertia arbore, quæ loti nomine apud Antiquos venit, præcipiamus. Est hæc Diospyros *Lotus*, arbor pomi senilis faciem et magnitudinem habens, cortice vestita per juventutem badio et lævi, postea incano et scabro, foliis ovato-oblongis integerrimis, palmarem sæpe longitudinem excedentibus, paginis discoloribus, subtus lanuginosis : calyce quadrifido, corolla urceolata, quadrifida, staminibus octo, stylo quadrifido, bacca octosperma. Fructus hic pomi est figura et volumine, superficie ex incarnato albida, carne pellucida, rufa et pulposa, saporis mellei gratissimi. Præter Sinam, ubi nomine *Si* vel *Kaki* frequens est, provenit hæc arbor in Gallia Narbonensi, Italia, Mauritania et Oriente (2).

Circa eamdem arborem primum notandum, nequaquam congruere cum διοσπύρῳ Theophrasti (3), qnippe cujus fructus unicum nucleum osseum contiuet, sed eam arborem videri nostram, quam Plinius (4) fabam Græcam, seu *loton* appellat. Eadem est, quam pomiferis silvestribus Columella adnumerat (5), qnamque alteram loti speciem, spinis destitutam, habet Scrapion. Matthiolus quoque, dum de loto Dioscoridis loquitur, iconem adjungit hujus arboris, quæ facile calycibus quadrifidis dignoscitur (6). Guaiaci Itali nomine insignitam fuisse hanc arborem a variis sæculi decimi sexti scriptoribus Bauhinus refert (7).

Lotus aquatica.

Ad difficillimum jam transeundum est totius hujus disputationis caput, qnum Veteres ipsi tres potissimum plantarum Ægyptiacarum species uno homine comprehendant, Nymphæam nimirum *Lotum*, Nymphæam *Nelumbo* et Arum *Colocasiam*, quæ omnino communia quædam habent, neque tamen eædem censendæ sunt, licet simili modo in paludibus et ad fluminum ripas proveniant, sancteque a pluribus antiquis nationibus cultæ fuerint.

Inter Nymphæam utramque, quæ loti nomine nota fuit, intersunt

(1) Flor. Ægypt. p. LXIII, CVI. Miror itaque, Scopolium negare, quod hujus arboris Forskaleus meminerit.

(2) Kampfer, Amœnit. exotic. fasc. V, p. 806, 807.

(3) Hist. plant. lib. III, c. 13, p. 60.

(4) Lib. XVI, c. 30.

(5) Lib. VII, c. 9, p. 372, ed. Schneider.

(6) Comment. in Dioscorid. lib. I, c. 134, p. 232, 233.

(7) Πίναξ, p. 447.

tum color corollæ, qui in N. *Loto* candidus, petalis externis tantum roseo diluto colore tinctis, in N. *Nelumbo* vero incarnatus aut purpureus est, tum etiam foliorum figura, quæ cordato-orbiculata, margine dentata sunt in N. *Loto*, integerrima vero, peltata ac plicata in N. *Nelumbo*. De hac vide Lercbeum (1), Rumphium (2) et Rheedium (3); de illa vero Alpinum (4) et Rheedium (5).

A pristinis inde temporibus Nymphæa præsertim *Nelumbo*, quæ in Nilo flumine et in locis ab eo inundatis copiosissime provenit, ob foliorum orbiculatam figuram, quibus τελειότης, s. perfectio, exprimi videbatur, atque ob germanitatem quamdam cum sole, ad cujus ortum prosiliunt ex aqua pedunculi, florem bellum rosaceum sustinentes, demerguntur vero ad ejus occasum, verecundia quadam ac superstitione colebatur; cujus vero cultus altera species, Nymphæa nimirum *Lotus*, particeps fuit, tum ob elegantem florum candorem, tum ob similem lucis affinitatem. Hinc ortum solis aut Osiridis ex loto pinxerunt Ægyptii, ut ex humidis nasci illum innuerent (6). Hinc Harpocrates loti folio orbiculato insidere dicebatur, quod Deus per se solus sedeat expansus, ac in se ipso penitus quiescat: rotunda enim omnia esse in Nymphæa *Nelumbo* perspexit superstitiosa gens Ægyptiorum (7). Præconum sacrorum capita loto redimita fuisse refert Heliodorus (8): et Osiridi ipsi familiarem coronam lotinam patet ex fabula de congressu ejus cum Nephthy, quem cognovisse Isidem ex serto lotino Osiridis apud sororem Nephthyn relicto, narrat Plutarchus (9). In nummis itaque veterum Ægyptiorum florem hunc cum foliis non solum Canopis impositum, sed regum ipsorum Ptolemæorum capitibus appictum conspicimus (10).

Æque sancta ac Ægyptiis, ni sanctior, est Indis orientalibus Nymphææ hujus forma atque imago, nomine *Tamara*, *Sirischa*, *Kamala* in monumentis Indorum antiquissimis obvia. In Tamaræ folio Brahma abysso innatat: Lakschmi, abundantiæ dea, in loti flore navigat: Wischnu ipse oculis gaudet loto similibus. Cultus mirificæ hujus plantæ,

(1) Nov. act. nat. cur. vol. V, app. p. 191.
(2) Herbar. Amboin. P. VI, lib. XI, c. 50, p. 168.
(3) Hort. Malab. vol. XI, tab. 30, p. 59.
(4) De plant. AEgypt. c. 34, f. 40, a. Exot. lib. II, c. 14, p. 214, 1, 213.
(5) L. c. tab. 26, p. 51.
(6) Plutarch. de Iside et Osiride, p. 355.
(7) Iamblich. de myster. AEgypt. sect. VII, c. 2, p. 151 (ed. Gale, fol. Oxon. 1678).
(8) AEthiop. lib. X, p. 457 (ed. Francf. 1631, in-8.)
(9) L. c. p. 356.
(10) Spanhem. de præstant. et usu numism. antiq. dissert. VI, p. 302; Vaillant, num. AEgypt. p. 303.

cujus semen manifesta plantæ futuræ vestigia ostendit, non solum per totam Indiam, sed et per Tibetanum regnum et Nepali regionem viget (1). Vulgatissima atque gratissima *Sacontalæ* planta, cujus flos rubicundus a Duschmanta cum ipso amasiæ oculo comparatur; cujus antheræ pollen explodunt, tanta copia, ut rivuli, in quibus agathodæmones natant, inde flavido tingantur colore; cujus folia tum vasa sistunt aquaria, tum flabella ad ventilandum, tum epistolæ iis etiam inscribuntur (2). In eodem dramate pedunculi hispidi vocantur, e quorum fibris armillæ nectebantur (3). Lex exstat in codice Indico, qua reges obstringuntur, ut deum imitentur veritate et virtutibus, quorum nimirum favore abundantia loto insidens appareat, quorum ira mortem adferat (4).

Accedamus autem propius ad ipsam Nymphææ *Nelumbo* historiam ex Græciæ atque Arabiæ veteris scriptoribus depromptam. Theophrastus hanc plantam κυάμου Αἰγυπτιακοῦ nomine iis accenset, quæ Nilum decorent, nasci tamen etiam in Syria ac Cilicia et in paludibus Toronæ Chalcidicensis. Radicem esse adeo spinosam, ut et crocodilus eam effugiat, metu, ne oculi ipsius offendantur. Hanc vel crudam, vel coctam, vel assam comedi. Folia esse pileo Thessalico similia. Caulem quatuor cubitorum longitudine prosilire, digiti crassitudine, διαφύσεις habere intrinsecus per totum caulem tendentes, lilii modo: florem duplex papaveris volumen complecti, fructumque favo orbiculato haud absimilem esse, in cujus capsulis fabæ contineantur edules, quarum ope propagetur quoque planta in fabetis, dum limo palea mixto condantur (5).

Capsulæ fructuum multilocularis similitudo cum poculis aut patinis mox nomen κιβώριον introduxit, quo fructum ipsamque plantam cum Nicandro Græci seriores plerique insigniverunt (6). Aliud vero Nymphææ cognomen κολοκάσιον, quod infra pluribus exponemus, idem Nicander ad hanc speciem non satis accurate traducit. Κιβώριον idem ad plantas στεφανωτικὰς, seu coronarias, refert Nicander cum Diphilo Siphnio, qui vero iterum cum ipso Athenæo, licet Ægyptio, confundit hanc plantam cum vero loto aquatico, seu Nymphæa *Loto*. Namque loton etiam vocari ait, a Naucratitis vero Melilotum appellari (7) Apud eumdem Athenæum narrat Phylarchus, Alexandri, Pyrrhi filii, temporibus, in pa-

(1) Asiatic researches, vol. I, pag. 243, 261. l. maxime vero vol. III, p. 364; Hindu Gesetzbuch, von Hüttner, VII, 11, p. 209.

(2) Kalidas Sakontala, von G. Forster, S. 204, 93; 220, 68, 69, etc.

(3) Ibid. p. 68, 87.

(4) Hindu Gesetzbuch, VII, 11, S. 209.

(5) Theophr. Hist. plant. lib. IV, c. 10, p. 87

(6) Athen. lib. III, c. 1, pag. 116, edit. Schafer. Conf. Hesych. voc. κιβώριον, col. 254; Galen. de theriac. ad Pamphilian. pag. 471; Diodor. Sicul. lib. I, p. 30 (ed. Rhodomann.)

(7) Athen. l. c. Conf. Salmas. Plinian. exercit. p. 679.

lude quadam ad flumen Thyamiu in Epiro Thesprotiæ subito apparuisse hanc plantam, et per duos annos fructus tulisse. Quum vero rex jussisset custodiam ibi teneri, ne planta in Græcia rarissima raperetur, evanuisse.

Ad hæc accedit Strabonis notatu dignissima narratio de fabis Ægyptiis, quæ ciborium ferant. Jucundissimum adspectum fabeta Ægyptiaca præbere et delectationem couvivia agitantibus. Celebrari enim couvivia iu scaphis thalamiferis inter fabeta densissima, foliis plantarum, quæ petiolis æquali longitudine decem pedes sæpe superantibus sustineantur, obumbrari convivas. Folia quæque tanti esse ambitus, tamque aptæ formæ, ut poculorum patinarumque vices gerant, unde Alexandrinæ officinæ iis plenæ sint, atque reditus inde non leves proveniant (1). Eædem fabæ ab Herodoto jam prædicantur, liliorum nomine, rosis similium, quorum fructus, apum favis simillimus, mollis et siccus comedatur (2). Comparatio hæc floris cum rosis colore vel maxime niti videtur.

Eamdem arbitror esse plantam, Nymphæam nimirum *Nelumbo*, quam Callixenus Rhodius Antinoias coronas largiri asserit, quum floris colorem rosaceum vel cyaneum habeat, quod in Nymphæam *Lotum* haudquaquam quadrat. Nomen Antinoiæ coronæ inde petit Athenæus, quod Pancrates, poeta Alexandrinus, quum Hadrianus Maurum leonem venatus fuisset, reduci imperatori obtulerit ingentem loti florem roseum, quem leonis illius sanguine tinctum esse aiebat, Antinoium dicendum a comite imperatoris Antinoo (3). Hinc cognomen flos ipse postea Autinoi adeptus est, atque in variis nummis Antiuoum conspicimus loto coronatum (4). Naucratites forte corona (5) ex his nexa erat floribus, qui et jucundissimo adspectu, et suavissimo cinnamomum aut anisum redolente odore gratissimi erant.

Quamvis Dioscorides jam cum Diphilo Siphnio, κιβώριον (Nymphæam *Nelumbo*) et κολοκάσιον (Nymphæam *Lotum*) unam habeat eamdemque plantam, quam κύαμον ποντικὸν quoque appellari, cujusque fructum et radicem styptica quadam gaudere qualitate contendit (6): Plinius tamen multo majores committit errores, dum et ea, quæ Theophrastus de spinosa fabæ Ægyptiæ radice dixerat, ad caulem transfert, qui hirtus potius dicendus est, et ea, quæ de eduli caule colocasii, seu Nymphææ *Loti*, valent, cum iis conjungit, quæ Veteres de usu foliorum

(1) Strabo, lib. XVII, p. 1151.
(2) Herodot. lib. II, cap. 92, p. 174.
(3) Athen. lib. XV, p. 677, ed. Casaub.
(4) Spanhem. l. c. p. 304.
(5) Anacreon, n. 68:

Στεφάνους δ' ἀνὴρ τρεῖς ἕκαστος εἶχεν,
Τοὺς μὲν ῥοδίνους, τὸν δὲ Ναυκρατίτην.

(6) Dioscorid. lib. II, c. 128, p. 131.

fabæ Ægyptiæ ad pocula protulerant (1). Neque enim N. *Nelumbo* caulis manditur, neque N. *Loti* folia ad ποτήρια adhiberi possunt. Hanc denique etiam suo tempore in Italia seri perhibet, quod iterum de tertio plantarum genere, de Aro Colocasia, valet.

Fabas, quas κιβώριον profert, Galenus ait a nostris fabis sola magnitudine differre, nutrimentum bonum præbere et plura excrementa, ipsasque ponderis loco etiam adhiberi, quum obolum unum cum dimidio pendere soleant (2). Tam ampla plantæ hujus emolumenta in Mauritania occidentali esse, refert Artemidorus, ut, qui habitent, Lotophagi non solum fabis his vitam protrahant, sed aquam quoque pluvialem in ciboriis collectam bibant (3). Multo magis absona sunt, quæ Stephanus Byzantinus ex Claudio Iolao de planta serpentis formam ferente, quæ in Euphrate nascatur, ac κιβώριον proferat, fabulatur (4): commutare enim eum Ari varias species cum Nymphæis postea docebimus.

Arabibus altera hæc species Nymphææ, seu faba Ægyptia, dicitur *Termos*, quod pro Θερμὸς Græcorum habere possis. Quum Avicenna præterea disertis verbis asserat, hunc ترمس esse الباقلى المصرى *fabam Ægyptiam* (5), merito mireris cum Bodæo a Stapel, cur θερμὸν, s. *lupinum* eumdem credat Arabs cum faba Ægyptia (6), suspiceris forsan errorem interpretis, aut eodem modo Avicennam ac nuperum scriptorem errasse fatearis, qui fabas Ægyptias easdem credidit cum nostris (7). Salvus tamen est Avicennæ textus! Experiar enim vindicare eum ita, ut vocem ترمس non eamdem edisseram cum θερμῷ Græcorum, sed deducendam esse contendam a ترمس *pelta*, s. *clypeo*, unde ترمسى sæpius de *folio peltato* dicitur, quale Nymphææ nostræ *Nelumbo* tribuitur. Vocatur tamen etiam hæc Nymphæa *Nilufar* aut *Nufar*, si purpureus aut rosaceus color additur (8).

Eorum vero, qui nuperis temporibus fabam Ægyptiam majore industria et ἀκριβείᾳ inquisiverunt, primus fere fuit Matthiolus, cui Odoardus quidam Polonus hanc plantam 1538 Tridenti monstraverat, Augerius quoque Busbekius iconem largitus erat, unde ad Nymphææ genus eam pertinere jure effecit (9). Idem mox etiam Dodonæus conjectura proba-

(1) Plin. lib. XVIII, c. 12; lib. XXI, c. 15.

(2) Galen. de Aliment. facult. lib. I, p. 315.

(3) Strabo, lib. III, p. 237; lib. XVII, p. 1185.

(4) Stephan. Byzant. de urbib. voc. Ἄκη, p. 76 (ed. Berkel. fol. L. B. 1694.)

(5) Avicenn. lib. II, p. 263.

(6) Theophrast. Hist. plant. lib. IV, c. 10, p. 439, ed. Bodæi a Stapel.

(7) Bellon. Observ. lib. II, c. 28, p. 101, ad calc. Clus. Exot.

(8) Ebn Alvam in Casiri Bibl. Escurial. vol. I, p. 334

(9) Comment. in Dioscor. lib. II, c. 99, pag. 383.

bili consecutus est ex figura foliorum, quam in codice Vindobonensi conspexerat (1). Clusio quoque quum ciborium mitteretur, protinus videbatur, veram esse fabam *Ægyptiam*, atque Nymphæis accensendam esse (2). Ex India deinde orientali misit Huernius hanc plantam cum fructu Heurnio, cujus descriptionem Bodæus a Stapel commentario suo in Theophrastum inseruit (3). Tandem etiam Rheedius, Rumphius, Hermannus (4) et Lercheus iconibus mirificam hanc plantam expresseruut, atque, quæ Veteres præceperant de faba Ægyptia, ad hanc Nymphææ speciem applicarunt.

Ad ipsam autem Nymphæam *Lotum* jam transeam, quam λωτοῦ nomine primus Herodotus descripsit (5). Nasci autem in inundatis Nilo locis : ex seminibus, quæ capitatus fructus, papaveris capitibus similis contineat, ad ignem assis, Ægyptios panes conficere : radicem quoque bulbosam, quæ volumen pomi æquet, comedi. Theophrastus vero præter hæc, quæ Herodotus jam narraverat, florem etiam describit candidum, liliis similem. Hunc florem sole occidente sese comprimere atque sub aquæ superficiem demergi, oriente vero iterum adsurgere, atque ad plures pedes supra aquam attolli. Baccam aut capsulam, quæ semina complectatur, papaveris capitibus admodum similem, iisdemque incisuris undique cinctam esse : semina in hac contenta multo minora esse fabis Ægyptiis, atque milii magnitudinem plerumque servare. Capita in acervum congesta putredini ab Ægyptiis committi, quumque velamenta externa computruerint, lavando in flumine semina separari, siccataque ac pista condi, ut panis inde conficiatur. Radicem loti hujus κόρσιον appellat Theophrastus, quam vocem Hesychius explicat (6), ad semina ipsa vero capitum Nymphææ transfert Strabo (7). Hanc radicem rotundam esse, mali cydonii amplitudine, cortice nigro, quali nux castanea tegatur, corpus internum candidum. Elixam assamque in specimen albuminis verti, gratum cibum præbeutis : mandi etiam crudum, sed gratius esse decoctum (8).

(1) Pempt. IV, lib. IV, cap. 16, p. 573. Figura tamen hæc, quæ integra folia ostendit, sicut Nymphææ sunt Nelumbo, cæteroquin magis ad folia Nymphææ Loti referri poterit.

(2) Exot. lib. II, cap. 13, p. 32.

(3) L. c. p. 445.

(4) Paradis. Batav. p. 205. Conf. Loureiro, flor. Cochinch. p. 340; Gärtner, de fruct. et semin. plant. vol. I, p. 73, t. 19.

(5) Lib. II, c. 92, p. 173.

(6) Lexic. col. 322, Κορσεῖον ῥίζα τις καὶ νόμισμα κερσαῖον παρ' Αἰγυπτίοις καλούμενον.

(7) Lib. XVII, p. 1178: Κόρσιον ὅμοιον τῷ πέπερι τράγημα, μικρῷ αὐτοῦ μεῖζον.

(8) Theophrast. Hist. plant. lib. IV, cap. 10, pag. 87. Repetunt eadem Plinius, lib. XIII, cap. 17; lib. XXII, cap. 21 (ubi de lotometra sativa loquitur), et Diosc. lib. IV, cap. 114, p. 287.

Quod e seminibus hujus plantæ panis confectus sit, testantur Diodorus Siculus (1) et Galenus (2) : ille insuper addit (3), in Arabica Nabatæorum regione καταῤῥύτῳ lotum copiose provenire ἀνδρομήκη, i. e. cujus caules aut petioli foliorum humanam æquant staturam. Caules hos esse edules, ex Claudii Iolai loco (4), atque ex Prosp. Alpini inquisitionibus patet, qui رس النيل *caput Nili* fructum, radicem autem بنمروم vocari refert (5). Eamdem plantam Arabes veteres nomine جندقوق insigniunt, quod equidem a دقاق *farina* deduco : disertis enim verbis Avicenna de *Handakuk* dicit, speciem ejus Ægyptiam adhiberi ad panem inde conficiendum (6). Postea vero transiit hæc vox ad trifolium *melilotum* officinalem, sicut et λωτὸς Græcorum (7).

Ea est planta, quæ et ab Antiquis, et a Recentioribus κολοκασίου nomine, sæpius cum Aro *Colocasia* commutata fuit. Folia enim utriusque plantæ insignem habent similitudinem, quum cucullum, seu κασίον satis bene exprimant, atque Arum *Colocasia* ideo ab Hispanis *Menta de nuestra Senora* dicatur (8). Manifesto quoque Pseudo-Dioscorides fatetur, plures plantas, quæ Ari nomine comprehendantur, a Cypriis Colocasias appellari (9) : atque solum quod interest discrimen, folia nempe Ari integra, folia autem Nymphææ *Loti* denticulata, Veteres non satis curiosi neglexisse videntur. Inde etiam explicandus Avicennæ textus (10), qui *Nilufar* (seu Lotum) vocari ait كرنب الما *olus aquaticum*, vocari quoque العروس حب, quod العرون legendum, et *granum* aut *fructum ari* vertendum esse arbitror. Vox enim عروس *sponsum* significat, nullo modo ad hanc plantam applicandum.

Summum certe interest discrimen inter florentem Colocasiam, seu Nymphæam *Lotum*, et Arum *Colocasiam*, quod numquam florere Veteres ad Prosp. Alpini usque tempora exploratum habuerunt. Floris ratio,

(1) Lib. I, p. 30.

(2) De Facultat. simplic. medicam. lib. VII, p. 98.

(3) Lib. III, p. 176.

(4) Stephan. Byzant. l. c.

(5) De plant. AEgypt. c. 34, f. 40, a.

(6) Avicenn. lib. II, cap. 177. Male itaque trifolium vertit interpres, quum lotus hac voce proprie exprimatur.

(7) Hyde, de Relig. vet. Persar. p. 497.

(8) Salmas. Plinian. Exerc. p. 678, 681; Schol. Aristoph. Equit. vs. 689; Schol. Theocrit. Id. VIII, vs. 51; Hesych. col. 302; Clus. rar. stirp. Hist. lib. IV, c. 50, pag. LXXVI.

(9) Dioscorid. noth. p. 448.

(10) Avicenn. lib. II, p. 215.

qui raro tantum cernitur, longissime certe a flore loti veri differt. Sed radicis et foliorum similitudo commutationem illam præprimis effecit. Ari enim radix eodem modo comeditur ac radix Loti, κόρσιον vocata, quod jamdudum Galenus (1) cum Dioscoride (2), atque asseclis perhibuerunt (3). Licet acris sit, comedi tamen posse, ad raparum instar, quod confirmant de colocasia Rauwolfius (4), Rumphius (5), Forskäleus (6) et Wrightius (7).

Ari itaque speciem esse colocasiam Romanorum, quam, postquam Ægypto potiti fuissent, in Italiam advexisse referunt Servius (8), Plinius (9) et Galenus (10), exploratum habeo, idque probare videtur tum silentium de flore, qui numquam prodit in aro, dum colitur, lætissime autem atque abundanter prorumpit in nymphæa, quæ nomen colocasiæ similiter tulit, tum etiam modus, quo eam plantam propagari docent Columella (11) et Palladius (12). Bulbis nempe serunt ad ripas stagnorum ac lacuum, sicut et nostris temporibus eumdem cultum descripserunt Clusius (13) et Bellonius (14). Id itaque est *Niliacum olus* Martialis, ea *aquatica lotos* Ovidii, ea *colocasia acantho ridenti mixta* Virgilii.

Arabes plerique hanc quoque plantam sedulo distinguunt à Nymphæa *Loto*, nomine *Kolkâs*, qui etiamnum in Ægypto valet, licet in Arabia Yemenensi nomine *Cherir* veniat (15). Præter Rhazeum (16), qui radicem hanc nutrientem, stomachoque conferentem laudat, uberrimus est ejus plantæ præco Abdollatiphus, adlatis simul testimoniis Mosis Maimonidis, quem *Israelitam* vocare mavult (17). Hic quidem nullum fructum proferre, sed propagari bulbis radici adhærentibus, qui fabis similes et

(1) De Facultat. aliment. lib. II, p. 334

(2) Lib. II, c. 197, p. 159.

(3) Oribas. lib. I, f. 18, b. Aet. tetr. I, serm. 1.

(4) Aigentliche Beschreib. der Reisse in die Morgenlender, C. VI, p. 73. Conf. Russel's Naturgesch. von Aleppo, Th. I, S. 117.

(5) Herbar. Amboin. tom. V, lib. VIII, cap. 84, pag. 313. Kaladium sativum, vulgare olus per totam Indiam notum. Satum cultumque non florere.

(6) Flor. ÆEgypt. Arab. pag. LV, LXXIV, CXX. Solani tuberosi saporem habere radices.

(7) London medical. Journ. vol. III, P. III, p. 220. Amylum continere bulbos.

(8) Ad Virgil. Ecl. IV, 20.

(9) Lib. XXI, cap. 15.

(10) De Facult. aliment. lib. II, p. 334.

(11) Lib. VIII, c. 15, p. 421.

(12) Lib. III, tit. 24, p. 105; lib. V, tit. 4, p. 162.

(13) Rar. stirp. histor. lib. IV, cap. 50, p. LXXVI.

(14) Observ. lib. II, c. 28, p. 100.

(15) Forskal. flor. Arab. p. CXX.

(16) Contin. lib. XXIII, c. 1, f. 458, c.

(17) Abdollatiph. Memor. ÆEgypt. lib. I, c. 2, p. 16, f.

rosacei sint coloris, docet. Inde forsan error originem duxisse videtur, quo faba Ægyptia, seu Nymphæa *Nelumbo*, cum hac planta, solis radicum bulbis commendata, commutatur. Torrefactam ac assam radicem Moses Maimonides cum zingibere comparat, zingiberque vocari posse Ægyptiacum : sicut Yemenenses his cibis zingiber admisceant, ita Ægyptios colocasia cibos condere. Audivisse se insuper, quod zingiber in Arabia felici eodem plane modo crescat ac colocasia Ægyptia. Abdollatiphus ipse folia cum ungulis cameli comparat, virore autem et elegantia cum foliis Musæ *sapientum* : bulbos non coctos medicamentum acre præbere, coctos vero alimentum, parum dyspeptum, inservire tamen in dysenteria.

Lotus trifolia.

Ultimum tandem adgredior plantarum genus, quod loti nomine Antiquis notum, id nomen etiamnum servat. Id optimum indicatur equorum pabulum in Iliade (B, 776) :

Ἵπποι δὲ παρ' ἅρμασιν οἷσιν ἕκαςος
Λωτὸν ἐρεπτόμενοι, ἐλεόθρεπτόν τε σέλινον
Ἕςασαν.

Satum enim atque cultum fuisse lotum antiquissimis Homeridarum temporibus, patet ex Iliad. M, 283 :

Καὶ πιδία λωτεῦντα καὶ ἀνδρῶν πίονα ἔργα,

quod fulgentissimum interpretis nuperrimi ingenium ita vertit :

Auch die Gefilde voll Klee und des Landmanns fruchtbare Saaten.

Eadem est herba, quam antiqui Græciæ vates plerumque simul cum cypero (Scirpo *maritimo* aut Schœno *Marisco*) nominant : e. g. Od. Δ, 602, et Homer. Hymn. v. 107.

Pabulum præbuit is lotus egregium, omnique pecudum generi gratissimum, ut λωτοτρόφοι λειμῶνες Antiquis maxime commendati essent (1), ut aquarum dulcium armentisque gratarum signum esset lotus hic iis adnascens (2), atque cum cytiso iis plantis a Virgilio adnumeretur, quæ lactis copiam maximam largiantur (3). Coronis atque sertis veterum florem odorum hujus herbæ præprimis inserviisse, tum ex Theocriti (4), tum ex aliis Veterum testimoniis elucet.

(1) Euripid. Phœniss. vs. 1564 ; Athen. lib. XV, p. 685.
(2) Pakamus in Geopon. lib. II, cap. 5, p. 86.
(3) Georg. lib. III, v. 394.
(4) Id. XVIII, v. 43 :
Πρᾶτα τοι ςεφάνου λωτῷ χαμαὶ αὐξομένοιο.
Cf. Lobel. stirp. adversar. p. 386.

Hanc vero loti speciem disertis verbis trifoliam faciunt Dioscorides (1), Galenus (2), Paullus Ægineta (3), et qui eos sequuntur, Melilotumque nostram officinalem, quæ Trifolii species est, facit non sine argumentis Matthiolus (4). In eam sententiam quin abeam, nihil prorsus me impedit, licet probe sciam, et nostris temporibus *Loti* nomen, uni tantum generi diadelphiæ adscriptum a Linnæo, ad longe differentes traductum esse plantas. Ita

Lotus Comelyni (5) est Ononis *cernua*, aliaque Indigofera *cytisoides*.
——— Plukeneti (6) — Aspalathus *indica*, aliaque Ebenus *Capensis*.
——— Dalecampii (7) est Coronilla *minima*.
——— Bergii (8) — Ononis *filiformis*.
——— Ipsius Lin. (9) — Ononis *Mauritanica*, aliaque Ononis *prostrata*.

Operæ pretium duximus luculentissimam Lotorum Veteribus cognitarum descriptionem ex Cl. Sprengelio (10) desumptam præmittere; nunc vero quum nulla sit uberior dubitandi materia, nullumque exstiterit plantarum genus vel remotissimæ antiquitati propter suavissimum fructus saporem gratius, vel figmentis poetarum celebratius, non pigebit, quo res clarior eluceat, nonnulla etiam ex iis summatim decerpere, quæ nostras Fée, in scientiæ gratiam publici juris fecit, *Flore de Virgile*, tom. VIII, pag. LXXX seqq. edit. nost.

Primo quidem vir Doct. Olao Celsio vix atque ægre refragatur, Lotum eamdem esse cum *doudaim* Hebræorum contendenti, licet rem adhuc in dubio positam ipse fateatur (11). Collatis vero Herodoti, Theophrasti, Athenæique testimoniis, arborem ad *Rhamnum* Linn. vel *Zizyphum Lotum* Willd. certo refert; sed auctorem audiamus ipsum, sic paulo post disserentem; « Sans savoir bien au juste quelle est l'espèce nommée par les Arabes *eckhel*, l'espèce plus connue, qu'ils appellent *arde*, et qui paraît répondre au *Rhamnus Lotus* L. nous semble mieux convenir à la description; d'autant que son fruit, connu sous le nom

(1) Lib. IV, cap. 111, p. 286.
(2) De Facult. simpl. medic. lib. VII, p. 98.
(3) Lib. VII, cap. 246.
(4) Comment. in Dioscor. lib. IV, c. 106, p. 505.
(5) Hortus Amsteld. vol. II, p. 163, 167.
(6) Almagest. t. 201; Amalth. botan. p. 131.
(7) Histor. plant. p. 510 (Lugd. 1587, fol.)
(8) Plant. Capens. p. 227.
(9) Spec. plant. ed. II, p. 1090, 1091.
(10) Specim. Antiquit. Botanic. I, pag. 47 sqq.
(11) Il n'y a rien, au reste, de plus divergent que l'opinion des botanistes sur le Doudaïm. On a voulu long-temps y voir l'Atropa Mandragora; Sprengel, comme Linné, désigne une sorte de concombre; Bruckmann, au contraire, prétend qu'on ne peut y méconnaître la truffe, d'après les propriétés qu'il lui suppose. M. Virey, partant du même principe, croit avec plus de vraisemblance encore que le *doudaïm* est le fameux salep des Orientaux, formé des bulbes desséchées de différents orchis. Mais qu'Olaus se soit trompé, ce fait importe peu à la conclusion que nous prétendons tirer, savoir que le λωτὸς des Grecs est le Zizyphus Lotus. Fée.

de *onnâb*, passe du vert au rouge par la maturité (comme l'assure Athénée, liv. XIV, d'après Polybe). Nous ne devons pas dissimuler cependant que cette condition exigée par Théophraste repose sur quelque inexactitude; car aucun des arbres proposés, dans les différents systèmes, ne la remplit. Le *Rhamnus Lotus* de Linné, *Zizyphus* de Willdenow,... est en effet très-commun près des Syrtes, où l'on s'est toujours accordé à placer le pays des Lotophages. Shaw, d'Avity, Poiret, Desfontaines, en exaltent le fruit, comme la plus délicieuse production des côtes de Tunis et de Tripoli.... La seule objection de quelque poids que nous ne puissions détruire, est celle qui se tire de la couleur du bois de Lotus, s'il est vrai, comme l'assure Bodæus à Stapel, que le bois des jujubiers soit jaune, et jamais noir. Mais est-il bien sûr de son assertion? »

2° Quod attinet ad λωτὸν ἀπύρηνον Theophrasti (Hist. Plant. IV, 4), de qua item post illum Plinius agit, XIII, 17, censet Noster meram esse prioris varietatem, rennente tamen Sprengelio, qui eam vere Zizyphum esse contendit; fructum vero λωτοῦ πρινώδους ad *Celtim australem* pertinere. Fée, loc. cit. « Entre ce Lotus et le précédent, quels qu'ils soient, il n'y a d'autre différence essentielle, comme on peut le voir par Théophraste et Pline, que dans l'absence ou la présence du noyau... Pour nous qui avons désigné le *Rhamnus Lotus*, nous ne sortirons ni du genre, ni même de l'espèce. Parmi les variétés qu'elle présente, il peut aisément s'en trouver une où la culture ait fait disparaître le noyau.... Quand même on ne trouverait pas de jujube entièrement dépourvue de noyau, il suffirait de choisir celle qui approche le plus de ce caractère. Les Anciens, en effet, n'employaient pas strictement, et à la lettre, cette expression de fruits *apyrènes*, ou sans noyau. Le hasard veut que nous en ayons conservé la preuve dans ce passage de Sénèque, ep. 85 : *Sic sapiens imperturbatus dicitur, quomodo apyrena dicuntur, non quibus nulla est duritia granorum, sed quibus minor.* »

3° Martynus, qui sæpius in Lotis describendis cespitasse videtur, bene vidit tamen Theophrastum mentionem fecisse de *Loto Paliuro*, quam ad *nabka*, vel potius *seder* aut *sidr* Arabum refert. De illa specie silet omnino Sprengelius; sic iterum disserit Fée, loc. cit. « Faut-il établir pour notre seconde espèce le *R. Paliurus* Linn.? « Il y a aussi en Afrique, dit Théophraste, liv. IV, un Lotus-Paliure, qui diffère du Lotus des Lotophages, ayant la tige plus entourée de rejetons, et la feuille du Paliure grec. Le fruit n'en est pas aplati, mais rond et rouge. Ce fruit est suave; on l'améliore encore en le faisant macérer dans du vin, qu'il améliore à son tour. » Pline exalte aussi le Paliurus d'Afrique : « Cyrenaica regio Loton ipsam suo postponit Paliuro. » Or le véritable Paliure, *R. Paliurus* L. ne donne pas d'assez bons fruits, pour qu'on ait jamais pu lui accorder le nom de Lotus. Il est plus raisonnable de chercher un arbre analogue. Ce sera le *seder* des Arabes, que son fruit rapproche du Lotus, et ses épines du Paliure. Le *seder* ou *sidr* dont le fruit *nabka*, *nebik*, etc. doit être servi par les *houris* aux bien-

heureux, et qu'à la description des auteurs arabes, on reconnait bien devoir appartenir au genre des jujubiers, est fort épineux sans doute... mais cette qualité n'est pas particulière au *R. Paliurus*. Les épines sont un caractère très-prononcé du *Rhamnus divaricatus* de Forskahl, ou *R. Spina Christi* de Linné. Voilà le *Seder* des Orientaux et le λωτὸς παλίουρος de Théophraste. »

4° Quod ad Celtim, sive Lotum Italicam pertinet, bene Sprengelius animadvertit duas hic species omnino diversas a Plinio, ut sæpius solet, confundi. Quum autem in hoc consentiant viri rei herbariæ peritissimi, scilicet *Lotum Italicam* nihil aliud esse quam *Celtim australem*, nobis vulgo *micocoulier*, supervacaneum putamus de hac re fusius disputare.

5° De faba græca Plinii, loquentem rursus doct. Fée inducimus : « Dans tout ce que Pline a dit jusqu'à présent, il n'a point employé le mot de fève grecque. Voici qu'ailleurs (liv. XVI, ch. 31) il décrit un Lotos ou *faba græca*. Cet arbre n'a de branches que vers le sommet, et les a fort grosses; son écorce lisse est d'une couleur agréable. Son ombrage, très-passager, disparait avant l'hiver. Il porte un fruit suave, presque semblable à la cerise. Pline veut-il réellement parler d'un nouvel arbre? ou n'est-ce encore que le celtis? Un passage qui semblerait de nature à lever ce doute (lib. XXIV, ch. 2) est précisément susceptible de s'entendre dans les deux sens. S'il faut se décider pour un arbre différent du premier, il n'y en a point qui convienne mieux que le *Diospyros Lotus* Linn. dont Matthiole applique mal à propos la figure au Lotus de Dioscoride. Ce *Diospyros* n'est point le διόσπυρος de Théophraste, mais le gaiac d'Italie, *Guayacana* de Tournefort, nommé en France *plaqueminier*. Son fruit, cérasiforme, est l'*uva d'India* qui se vend à Florence. Mais ne vaut-il pas mieux penser, avec Bodæus à Stapel, que Pline accoutumé, comme les anciens botanistes, à s'affranchir de toute méthode, a simplement traité de la même plante sous deux noms, et dans deux chapitres différents. Quant à nous, la chose nous parait infiniment probable. Déja le fruit de la fève grecque est une cerise, comme le fruit de son *Lotus Celtis*. Il attribue ensuite à l'écorce et à la racine de cette *faba græca*, une vertu colorante qui se trouve dans le Lotus de Dioscoride. Columelle, en parlant de la fève grecque, qu'il range parmi les arbres fruitiers, ne lui donne aucun caractère qui la distingue du Lotus italique ordinaire. Concluons donc, sans toutefois regarder comme inadmissible l'opinion contraire, que *Celtis et faba græca* n'étaient que deux noms du *micocoulier*, ou Lotus d'Italie (*Celtis australis* L.). »

De variis Lotorum arborescentium speciebus, ea fere sunt quæ a doct. Fée mutuanda potissimum censuimus, præsertim in iis locis ubi a Cl. Sprengelio dissentire videtur. Ne vero nimiam in molem notulæ excrescant, omnia ad Lotos aquaticas terrestresque pertinentia omittimus, ut quæ rem disquirentibus difficultatis minus exhibeant; tabulam tamen Lotorum synopticam, ad mentem doctissimi viri redactam subjunximus. Qui plura noscere voluerit, adeat Floram Virgilianam, t. VIII, pag. LXXX editionis nostræ.

SYNOPSIS LOTORUM VETERIBUS COGNITARUM.

		NOMINA VULGARIA.			NOMINA
		GRÆCA.	ARABICA.	LATINA.	SYSTEMATICA.
LOTI ARBORESCENTES.		Λωτοφάγων δένδρον.	Arâc ? Fructus, omoâb ?	Lotus. Lotus Africanus. Lotophagorum arbor.	Rhamnus Lotus (L.) Zisyphus Lotus (Willd.)
		Λωτὸς ἀπύρηνος.	Arâc ? Fructus, bérir ? zifsouf ?	Lotus sine nucleo.	Rhamnus Lotus (L.) var.... ?
		Λωτὸς παλίουρος.	Séder, vel, Sidr. Fructus, nabka.	Lotus Paliurus. Pal. Cyrenaicus.	Rhamnus Spina Christi (L.)
		Λωτός....	»	Lotus Italica. Celtis.	Celtis australis (L.)
		Λωτός...	»	Lotus, sive Faba græca.	Diospyros Lotus ? Celtis australis ?
LOTI HERBACEÆ	aquaticæ.	Λωτός. Κύαμος Αἰγυπτιακός. Κιβώριον.	Termous.	Lotus sacra. Faba Ægyptiaca.	Nymphæa Nelumbo (L.)
		Λωτὸς λευκός. Κολοκάσιον. Radix, κόρσιον.	Bachemine. Radix, baymaroum.	Lotus, sive Colocasium.	Nymphæa Lotus (L.)
		Λωτὸς στεφανωτικός.	Linoofar, Niloufar, etc.	Lotus....? (cyaneus).	Nymphæa cærulea (Sav.)
		Λωτὸς ἢ Κολοκάσιον.	Konlkas.	Colocasium. Niliacum olos.	Arum Colocasia (L.)
	terrestres.	Λωτὸς ἥμερος τρίφυλλος. Μελίλωτος.	Kadhb ?	Lotus....? (pratensis).	Melilotus officinalis (L.)
		Λωτὸς ἄγριος. Λίβυον.	»	Id.	Melilotus cærulea (L.)

EXCURSUS II

DE CYTISIS VETERUM.

Ad ea Plinii verba, lib. XIII, cap. 47:

Frutex est et cytisus ab Aristomacho Atheniensi miris laudibus pabulo ovium, etc.

Nullum profecto plantarum in Veterum monumentis occurrentium genus in tantas contentiones venit, quam κύτισος Græcorum, quem *cytisum* Romani vocant. Botanicæ enim scientiæ instauratores, sæculo decimo sexto curatius in Veterum plantas inquirentes, modo Medicaginis, modo Spartii, modo Genistæ, aut Anthyllidis, Cytisi Recentiorum, Trifolii aut Loti speciem habuerunt, ut, si hos tantummodo duces sequi volueris, ex tot sententiarum sibi contrariarum labyrintho, nullum fere filum Ariadneum reperire licuerit. Quin nostrorum temporum doctissimi viri, Millerus (1), Vossius (2), Schneiderus (3) aliique admodum alienas atque disparatas proferunt opiniones. Ille enim, sexcentis auctoribus adlegatis, tantæ contentionis litem componere plane non audet: Vossius cum Maranta et Honorio Bello Medicaginem *arboream* habet id plantarum genus. Schneiderus vero cum Cytiso Recentiorum confundit.

Neque id mirum, quum cytisum suum Veteres haudquaquam iis insigniverint notis, quibus primo ubique adspectu dignosci possit, quumque et ipsum Recentiorum cytisi genus ita diserte definitum non sit, quin ipse botanicorum parens Linnæus, de quo cum Æschylo dixerim:

> . . . Τοιῷδε φωτὶ τίς ξυμβήσεται;
> Τίν' ἀντιτάξω τῷδε; τίς φερέγγυος;

varias Cytisis adnumeraverit plantas, quæ aliis omnino generibus adjudicandæ sunt. Calyx enim bilabiatus et legumen basi attenuatum unicos sistunt hujus generis characteres, unde et mihi contigit, ut Crotalariam *incanam*, priusquam staminum coalitorum in dorso hiatum conspicerem, olim Cytisi novam haberem speciem. Linnæus autem ipse Indigoferam

(1) Gärtner-Lexicon, Th. II, S. 27.

(2) Virgil's Landbau, G. II, v. 431, S. 139.

(3) Comment. in Columell. lib. V, cap. 12, p. 308; Scriptor. rei rustic. vol. II, P. II.

psoraloidem, ad Caput Bonæ Spei habitantem, cum Rivino quondam (1) Cytisum vocavit, a quo tamen et legumine lineari, et calcari subulato patulo carinæ differt. Robiniam *mitem*, quæ calyce quadrifido et legumine gibbo gaudet, Cytisis idem accensuit olim (2). Sic Lipariam *oppositam*, cujus character aliis corollæ inferius bilobis, staminisque majoris dentibus tribus brevioribus, tantopere differt a *Cytiso*, ejus tamen speciem Capensem habuit (3). Sibiricam plantam, quam, ob carinam transverse obtusam, articulosque leguminis monospermos, Linnæus Hedysaris adnumeravit, *Hedys. junceum* eam appellans, Ammannus Cytisum *saxatilem* primus nominaverat (4). Aspalathi *argentea*, *callosa*, *orientalis* et *quinquefolia* Tournefortio et Plukenetio nomine Cytisorum veniunt. Qui errores a nostri ævi botanicis celeberrimis commissi, excusant omnino majores nostros, si ab adfinibus plantis leguminosis verum cytisum distinguere non potuerint.

Ipsa autem consulamus priscorum auctorum verba de cytiso, ut, qualis sit nostrorum systematum planta, dilucide pateat. Prima fere ejus mentio fit apud Aristotelem, qui, angere lac brutorum, eo pastorum, haudquaquam vero juvare, quum floreat, ob urentem aut acrem quamdam vim, tradit (5): quam quidem Aristotelis sententiam egregie confirmat Honor. Bellus, dum de cytiso suo loquitur (6). Theophrastus omni descriptione abstinens, materiem cytisi firmissimam cum ligno ilicis comparat, et nigerrimam eamdem cum ebeno, necare tamen plantas vicinas ob πολυτροφίαν (7).

Principatum dedisse Antiquos cytiso in pabulis, vel inde patet, quod et Democritus, et Aristomachus Atheniensis, et Amphilochus (8) peculiares de eo conscripserint libros, e quibus tum Columella, tum Plinius hausisse videntur. Aristomachi volumen forte verterat in latinum idioma Hyginus, quum et Plinius eumdem cum Aristomacho laudet, et Columella ejus sententias de apibus ex Hygino commemoret (9). In insula Cythno, quæ ad Cycladas pertinet, et inter Ceon ac Seriphum sita est, primum inventum esse hunc fruticem, atque inde translatum in omnes Cycladas, mox in urbes Græcas, magno casei proventu, ex eodem Aristomacho aut Amphilocho refert Plinius. Nomen inde varii derivarunt, tum insulæ, tum fruticis, παρὰ τοῦ τῶν κυθνῶν πλήθους, *ob*

(1) Amœnit. Acad. tom. VI, n. 33; Spec. plant. ed. II, p. 1043.
(2) Spec. plant. ed. I, pag. 741.
(3) Descript. plant. ex Capite Bonæ Spei, p. 217.
(4) Stirp. rar. in imper. Russ. provenient. icon. et descript. p. 281.
(5) Histor. Animal. lib. III, cap. 21, p. 894.
(6) Epist. ad C. Clusium, p. CCCIX, ad calc. Clus. rar. Stirp. Hist.
(7) Hist. plant. lib. I, cap. 9, p. 10; lib. IV, c. 20, p. 102.
(8) Plin. lib. XIII, cap. 24; lib. XVIII, cap. 15. Hic quidem in scholiis ad Nicandri Theriac. vs. 617, Antilochus seu Archilochus corrupta lectione vocatur.
(9) Colum. lib. IX, cap. 13, et Schneider. Comment. in Colum. p. 308.

abundantiam seminum aut fructuum : κυθνὸν enim a κύειν (1). Celeberrima iusula Cythuos a casei præstantia, quem pabuli egregii a cytiso frutice decerpti copia effecit, laudis hujus vicinam quoque iusulam Ceon participavit. Iude Æschylides in libris de re rustica cytisum etiam esse optimum Cearum ovium pabulum refert : præstautiam idem laudat Cythnii casei (2), cujus talentum venire drachmis nonaginta (3). Hujus Cythnii casei meminerunt et Julius Pollux (4), et Eustathius (5).

Quæ cytiso pascantur, armenta, oves, capras, omneque pecudum genus, et celeriter pinguescere, et lactis incredibilem fere copiam parare, communi omnium Veterum testimonio confirmatur. Hinc Theocrito gratissimus dicitur capris cytisus :

Ἁ αἴξ τὸν κύτισον, ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει.

Hinc Virgilii tautopere celebres versus :

Georg. III, v. 394 :

At, cui lactis amor, cytisum lotosque frequentes
Ipse manu, salsasque ferat præsepibus herbas.

Ecl. I, 79 :

.... non, me pascente, capellæ
Florentem cytisum et salices carpetis amaras.

II, 64 :

Florentem cytisum sequitur lasciva capella.

IX, 31 :

Sic cytiso pastæ distendant ubera vaccæ.

Diserte Plinius, forte ex Aristomacho aut Amphilocho, refert, ex nullo alio pabulo lactis majorem copiam aut meliorem indolem armentis esse : præstantem quoque medicinam iisdem animalibus præbere. Sperni solere hordeum a pecudibus, dum hoc pabulo gaudeant; utilitatemque

(1) Hesych. vol. I, col. 370; Martyn. Comment. in Virg. Georg. p. 384; Schneider. Index script. rei rust. v. *Cytisus*.

(2) Vulgatam scripturam κύνθιον facile mutandam in κύθνιον optime ita emendat Schneiderus.

(3) Ælian. Histor. Animal. lib. XVI, cap. 32. Legitur : Καὶ τὸ τάλαντον αὐτοῦ πιπράσκεσθαι δραχμῶν καὶ ἐννενήκοντα, quibus verbis Gesnerus ἑκατὸν addit, ne καὶ abundet. Quod vero additamentum displicet, ob immensum casei pretium. Talentum enim, seu 60 minæ, æquat 51 libras, quas veno positas esse drachmis CXC, seu 40 nummis, quos Thaleros vocamus, creditu difficile est. Quodsi vero, omisso καὶ, talentum casei XC tantum drachmis venum ivisse statuimus, satis carum est pretium, nempe cujusvis libræ IX grossorum Borussicorum.

(4) Onomast. lib. VI, c. 10, s. 63, p. 653, ed. Hemsterhus.

(5) Schol. ad περιήγησιν, v. 526.

eam esse, ut jugero spondeat ejus annua H-S (1) vel mediocri solo reditus. Aridum quoque suibus atque gallinis exhiberi posse. Animalibus semper post biduum dandum, hiemeque, quod inaruit, madefactum. Satiare equos denas libras, et ad portionem minora animalia (2).

Quod admodum rarum esse utilissimum hunc fruticem in Italia queratur Plinius, miror equidem, quum Virgilii non solum testimonia supra citata id negare videantur, sed et ipse Varro armentis lactariis dandum esse cytisum, maximeque amicum vaccis esse pabulum testetur (3), et Columella præprimis uberrimus sit in prædicando hujus fruticis usu. Omni pecudum generi, et ipsis gallinis, gratissimum esse et utilissimum pabulum, lactis plurimum ovibus præbere, quod octo mensibus viridi eo uti et postea arido possis. Equo abunde esse viridis pondo xv, bubus pondo vicena, cæterisque pecoribus pro portione virium. Aridum si dare voluerit quispiam, parcius præbendum esse, quoniam vires habeat majores, priusque aqua macerandum, et exemptum paleis permiscendum. Quodsi aridus fieri debeat, circa mensem Septembrem, ubi semina ejus grandescere incipiunt, cædendum esse præcipit, paucisque horis, dum flaccescat, in sole habendum, deinde in umbra exsiccandum et ita condendum (4).

Ipsis quoque apibus gratissimum esse florem cytisi, uno fere ore Antiqui ferunt. Ex Democrito enim et Aristomacho Plinius tradit, apes numquam esse defuturas, cytisi pabulo contingente (5). Alveariis utiliter quosdam fruticum horum copiam apponere, quod apes alliciantur florum suavitate, testis est Dioscorides (6). Ad hæc Galenus diserte tradit, in monticulo Mysiæ, Britton dicto, prope a Pergamo sito, mel Attico simile produci, quod thymus et cytisus ibi abundent, notum enim esse, quod mellis plurimum ex cytisi floribus capiant apes (7). Confirmat id quoque auctor, quem Cassianus exscripsit (8).

In materia Veterum quoque medica locum obtinere cytisum, ex antiquis patet monumentis, quæ Hippocratis nomine circumferuntur. Quodsi mulieres lactis inopia premantur, auctor librorum de morbis mulierum cytisum in aqua decoctum propinari jubet (9): aliusque, Alexandrinus forte auctor (10) succo cytisi expresso diureticam tribuit virtutem:

(1) I. e. fere XL Thaler. Boruss.

(2) Plin. lib. XIII, c. 24.

(3) Varro, lib. II, c. 1, p. 220; c. 2, p. 231, ed. Schneider.

(4) Columell. lib. V, c. 12; lib. VIII, c. 4.

(5) Loc. cit.

(6) Lib. I, c. 113, p. 286.

(7) Galen. antidot. lib. I, p. 427.

(8) Geopon. lib. XV, c. 2, p. 1059: Ἡδίστη μελισσῶν τροφὴ, τά τε νέα σμήνη προσιζάνει κυτίσῳ μάλιστα καὶ ἀπ' αὐτοῦ λαμβάνεται ἀπονώτερον.

(9) Hippocrat. de morb. mulier. lib. I, p. 608.

(10) Id. de diæta, lib. II, p. 360.

in quo quidem consentit Dioscorides, qui et refrigerantem, et diureticam, et diaphoreticam habet virtutem. Columells quoque ex Aristomacho expressum succum cum vino potaudum exhibet mulieribus, quæ a lacte deficiuntur : sic et ipsas valere, et pueros lactis abundantia confirmari. Diaphoreticam prædicat virtutem Galeuns (1), et qui eum exscripserunt, Oribasius (2), Aetius (3), Paullus Ægineta (4), Matthæus quoque Silvaticus (5). Hinc contra ischiada expeditissime valere decocta ejus folia, Marcellus Empiricus conteudit (6).

Præterea sertis atque coronis Antiquorum ob jucunditatem florum inserviisse, patet ex Crstini fragmentis (7).

Ad ipsam jam accedo Cytisi descriptionem, qualem Antiqui nobis reliquerunt. Et primum quidem Milleri aliorumque sententia protinus explodenda est, qui neque arborem, neque fruticem fuisse hunc cytisum autumant, quod pasci frondibus ejus, alioquin armenta et oves non potuerint. Manifesto duram ejus, medioque, ceu ebeni, nigricantem materiem laudant Theophrastus et Plinius. Fruticem vocant Plinius et Columella, qui plantandi ejus rationem docentes, probant in arbusculæ staturam prosilire. Fruticem vocant Dioscorides et Strabo (8), Galenusque cum myrto comparat. Frutetum quoque vocat Marcellus Empiricus. Scio equidem, Salmasium niti Plinii verbis, quod ligno cytisi nulla sit gratia, unde nequaquam fruticem esse, neque eumdem ac Theophrasti cytisum, efficere aliquis possit (9). At vero diserte antea ipse Plinius locutus erat de osseo cytisi ligno et de germanitate cum ebeni ligno (10). Ideoque corruptus hic esse locus, ubi de inutilitate ligni loquitur, mihi videtur : id etiam vel inde patet, quod *ne hostium quidem injuriam expavescere* cytisum Plinius dicat, *propter nullam ligni gratiam.* Sibyllinis plane foliis obscuriora hæc verba nemo certe explicabit, si etiam cum Salmasio legerit, *ne nostram quidem injuriam.* Sensit Salmasius ipse difficultatem hujus loci, quæ tanta omnino est, ut nullo modo, nisi collatis Aristomachi ipsis græcis verbis, quæ interpretatur

(1) De Facult. simplic. medicam. lib. VII, p. 96.

(2) Lib. XV, p. 270, b. ed. Rasar.

(3) Tetr. I, serm. 2, c. 90, p. 76, coll. Stephan.

(4) Lib. VII, p. 247, ed. Basil. græc. 1538. fol.

(5) Pandect. medic. f. 113, col. 6 (Lugd. 1534, fol.). Kitisueg, i. e. folia diaphoretica.

(6) C. XXV, col. 352, coll. Stephan.

(7) Athen. lib. XV, p. 685, Κύτισος αὐτόματος παρὰ μέδοντος ἔρχεται.

(8) Lib. XVI, p. 1107, ed. Almeloveen. Βάλσαμος φυτόν ἐστι θαμνῶδες, κυτίσῳ ἐοικὸς καὶ τερμίνθῳ. Similitudo specierum externarum in Balsamo, Cytiso et Terebintho nititur præprimis ternis foliis, quæ tum in Amyride gileadensi, tum in Medicagine arborea, tum etiam in Pistacia trifolia et Narbonensi observamus.

(9) Salmas. homonym. hyl. iatric. p. 102.

(10) Lib. XVI, c. 38, 40.

Plinius sibi prælecta, exponi possit. Neque id mirum, siquidem passim exstant Plinii loca, ubi eum vel male intellexisse græcos libros, vel textum ejus corruptissimum esse patet (1).

Duplex fuisse cytisi genus, alterum sativum, alterum agreste, cum Columella statuit Salmasius, illud quidem nulla ligni præstantia, sed solo frondium usu, hoc vero utilitate et firmitate materiei maxime celebre fuisse; unde difficultates omnes ex differentia cytisi Theophrastei et Pliniani, seu Dioscoridei, sine negotio dilucidari posse autumat. Equidem olim in eamdem sententiam abii, dum Ebenum *Creticam* Linnæi, agrestem, atque Theophrasti cytisum; Medicaginem *arboream* vero sativum ac Plinii Columellæque cytisum fuisse opinarer. Neque desunt ei opinioni argumenta speciosa: similitudo enim materiei, quam cytisus præbet, cum *Ebeni* ligno accedit ad nomen ipsum Cytisi *incani Cretici*, quo a Bauhino (2) Ebenus *Cretica* insignitur, ut facile irretiaris, hunc fruticem pro vero cytiso Veterum, et quidem agresti ac Theophrasteo, vendere.

Ulterius vero notarum characteristicarum, quas in cytiso Veteres indicant, habeamus rationem, ut eo facilius ac propius ad veritatem accedamus. Frutex licet fuerit, humilis tamen semper manere dicitur. Ita Ovidius:

> Silva nemus non alta facit: tegit arbutus herbam,
> Rosmarus et lauri, nigraque myrtus olent.
> Nec densæ foliis buxi, fragilesque myricæ,
> Nec tenues cytisi, cultaque tinus abest (3).

Ob eamdem etiam rationem demeti posse totum fruticem vel pueri, vel anus vilissima opera tradit Plinius, quod meo quidem arbitrio, tenuitatem solam fruticis probat, nequaquam vero herbis cytisum potius esse adnumerandum, sicut Salmasius statuit.

Speciem ejus Plinius ita exprimit, ut canum adspectu, et si quis similitudinem exponere velit, angustioris trifolii fruticem esse perhibeat. Amplior est in descriptione Dioscorides: ramos emittere cubitales, qui-

(1) Ejus rei testimonia adduxi olim ad Bergii librum von Leckereyen, e Suecico idiomate a me translatum, Th. I, S. 107: alioque loco (Geschichte der Arzneykunde, Th. II, S. 57) caussam ejus indicavi.

(2) Πίναξ theatri botan. p. 391. Conf. 10. Pone plantæ Baldi montis, pag. 51 (Basil. 1608, in-4.)

(3) Artis amator. lib. III, vs. 690-692. Quanquam bene jam Salmasius (Plin. Exercit. pag. 198) monuerit, loco *pinus* vulgatæ *tinus* esse legendum, Burmannos tamen vulgatæ lectioni perperam adhæret. *Tinum* enim ἀβοτανολόγητος vir pro *iauru* habet, cujus jam meminerit Ovidius. Est tamen Viburnum Tinus, frutex in Italia frequens, atque nostras etiam hiemes tolerans, qui simul cum aliis fruticibus hic nominatur, neque pinus, excelsa arbor, huc pertinere potest.

bus adnata sint folia Trigonellæ *Fœno græco* aut Medicagini *sativæ* similia, sed minora et magis venosa, quæ fricata, odorem spirent Brassicæ *Erucæ* (εὐζώμου), masticata vero saporem exhibeant cicerum similem. Marcelli vero Empirici descriptionem, quæ cum his non convenit, nullius æstimandam esse duco, quum de compilatore eo ἀκριτομύθῳ jam alibi judicium, ut arbitror, æquum tulerim (1).

Ex his itaque efficere audeo, cytisum Veterum, et Theophrasti, et Columellæ, et Plinii, et Dioscoridis, nil alind esse, quam *Medicaginem arboream*, fruticem, qui per totam Europam australem sponte provenit, nostrarum vero hiemum frigus haudquaquam facile perfert. Elegans hic frutex canescentibus gaudet foliis ternis, venosis, floribus croceis et materie durissima, quæ intus nigricantem monstrat colorem. In ollis servatur per hiemem in nostro frigidario: verno vero tempore terræ illum confidimus. Legumina fert, sicut omnes medicagines, compressa, lunata, margine integerrima. Ex toto ejus habitu facile quivis intelliget, quare Columella sepibus eum inservire statuerit.

Tempore eo, quo, instauratis litteris græcis, ultra Dioscoridem sapere nefas esset, plantæ etiam omnes, quas ille nominaverat, in Germania reperiri et in Gallia, ubivis denique terrarum, arbitrabantur botanici, libris magis quam naturæ studentes, quos cum Galeno itaque ἐκ βιβλίων κυβερνήτας appellare liceret. Primus fere Cornarus, Hippocratis interpretatione egregia celeberrimus, ingenue fassus est, Cytisum verum Antiquorum in Germania haudquaquam provenire. Quatuor vero ejus ævi virorum opera clarius tandem exposita fuit veri cytisi Veterum indoles; Joannis nimirum Antonii Cortusii, qui horto Patavino præerat, Bartholomæi Marantæ, Venusini, tum Honorii Belli, Vicentini, medici Cydoniensis, et Petri Bellonii, Cenomani, quorum duo priores accepta ex Græcia Syriaque semina ac plantas cum amicis communicabant, tertius ipsum adierat Orientem, totamque Græciam, Asiam minorem et Ægyptum permigraverat, et quartus artem medicam in Creta exercebat. Cortusius jam ex regno Neapolitano cytisum Veterum miserat Matthiolo, qui iconem ejus quoque exhibet, ac omnes fere notas in eo observavit, quas Veteres de suo cytiso nobis reliquerunt (2). Mox quoque Petrus Bellonius verum hunc fruticem misit Conrado Gesnero (3), qui legere se eum in Italiæ variis regionibus meminit, immerito propterea postulatos a Matthiolo, Colnteam Gesnero Cytisum visam fuisse arbitrante. Neque tamen Bellonius, neque ipse Gesnerus idoneam nobis reliquerunt cytisi descriptionem, quamvis ille hujus fruticis sæpius meminerit (4).

Tum Bartholomæus Maranta, qui peculiarem hortum alebat, semini-

(1) Geschichte der Arzneyk. Th. II, S. 178.
(2) Matthiol. Comment. in Dioscor. lib. IV, cap. 108, p. 508.
(3) Gesner. Hort. German. f. 256. b.
(4) Bellon. Observat. lib. I, cap. 56, pag. 60, s.

bus ex Græcia missis, verum cytisum coluit, atque deinde descripsit, unde passim nomen Cytisi *Marantæ* tulit (1). Descriptio ea apprime congruit cum Medicagine nostra *arborea*.

Egregium tandem fulcrum nacta est vera sententia Honorii Belli inquisitionibus. Is enim frequentis hujus in Creta fruticis lecti ramum foliis et floribus onustum Carolo Clusio misit. Legumina habebat frutex lunata, flores croceos, superare humanam altitudinem et brachii crassitiem. Dum floreat, acrem spirare odorem, quo Aristotelis supra adlegata sententia confirmatur. Bene quoque differentiam indicat Ebeni *Creticæ* et Medicaginis *arboreæ*. Illam enim foliis gaudere angustioribus et longioribus, neque terna ubique habere, sed quaterna etiam et quina. Semina ferre non in leguminibus, sed trifolii more (2).

Reliqui ejus sæculi auctores, qui botanices studium instaurare sategerunt, tantis premi difficultatibus Antiquorum cytisum crediderunt, ut, qualis sit proprie frutex, definiri plane non posse statuerent, aut plures et longe differentes species uno eodemque nomine comprehenderunt.

Ita Lobelius invenisse se opinatur verum cytisum ad Aquapendulam Hetruriæ, et prope Vepanium: plantam vero, quam delineat, Cytisum habeo *supinum* vel *alpinum* Linn. (3).

Septem species cytisi numerat Clusius (4), quarum *prima* est Genista *Canariensis* Linn. vel Cytisus *anagyrius* Heriter. (5).

Secunda Spartium *complicatum* L. vel Cytisus *divaricatus* Her.

Tertia Cytisus *triflorus* Herit.

Quarta Cytisus *nigricans* (6).

Quinta Cytisus *Austriacus*.

Sexta Anthyllis *cytisoides*.

Septima Cytisus *hirsutus*.

Duodecim species vero delineavit Tabernæmontanus (7): 1. Est Cytisus *Laburnum*; 2. Cytisus *nigricans*; 3. Medicago *arborea*; 4. Cytisus *triflorus* Herit. 5. Cytisus *sessilifolius*; 6. Cytisus *hirsutus*; 7. Genista *Canariensis*; 8. Spartium *complicatum*, s. Cytisus *divaricatus* Herit. 9. Anthyllis *cytisoides*; 10. Cytisus *supinus*; 11. Cytisus *Austriacus*; 12. Cytisus *Alpinus*.

(1) Marant. Method. cognoscend. simplic. p. 50 (Venet. 1559, in-4.)

(2) Bell. epist. ad Clus. p. CCCIX. ad calc. Clus. rar. stirp. histor.

(3) Lobel. stirp. adversar. p. 387.

(4) Rar. stirp. hist. p. 98, s.

(5) Stirp. nov. fasc. VI, tab. 93.

(6) Cf. Ponteder. antholog. lib. I, p. 92, c. 32.

(7) New vollkommentlich Kreuterbuch, B. III, S. 823 (Erkf. 1613, fol.).

C. PLINII SECUNDI

NATURALIS HISTORIÆ

LIBER XIV.

I. Externæ arbores, indocilesque nasci alibi, quam ubi 1
cœpere, et quæ in alienas non commeant terras, hactenus
fere[1] sunt. Licetque jam de communibus loqui, quarum
omnium peculiaris parens videri potest Italia. Noscentes
tantum meminerint, naturas earum a nobis interim dici,
non culturas : quamquam et colendi maxime[2] in natura
portio est. Illud satis mirari non queo, interiisse quarumdam
memoriam, atque etiam nominum, quæ auctores
prodidere, notitiam. Quis enim non communicato[3] orbe 2
terrarum, majestate romani imperii, profecisse[4] vitam
putet commercio rerum ac societate festæ pacis[5], omniaque
etiam quæ occulta ante fuerant, in promiscuo usu
facta? At hercules non reperiuntur, qui norint multa ab
antiquis prodita : tanto priscorum cura fertilior, aut industria
felicior fuit, ante millia[6] annorum inter principia

I. 1. *Hactenus fere sunt.* Dal. *fere narratæ sunt.* Ed.

2. *Et colendi maxime.* Sic ex MSS. em. Hard. M. *maxima* Gr. et Al. — Etiam maxima culturæ pars pendet a natura. Hard.

3. *Communicato.* Orbe terrarum factu promiscui usus, amplitudine imperii romani. Hard.

4. *Profecisse vitam.* Profecisse *homines* in vita, ex usu rerum. A.

5. *Ac societate festæ pacis.* Quo die Rumani pacem cum hoste faciebant, Diis tantum sacra persolvebant, et vota, ab omni opere abstinentes. Inde festa pax. Dal. — *Festæ pacis.* Lætæ et jucundæ. Sic lib. II, cap. 45 : « Nunc vero pace tam festa, tam gaudente rerum proventu, etc. » Hard.

6. *Ante millia.* Scribendum existimo, *ante mille annos*, non *ante millia annorum.* Nam a Plinio ad Homerum mille anni intercesserunt, ut testatur vel Juvenalis versus, « atque uni cedit Homero,

litterarum Hesiodo præcepta agricolis pandere orso, subsecutisque non paucis hanc curam ejus, unde nobis crevit labor : quippe quum requirenda sint non solum postea inventa, verum etiam ea, quæ invenerant prisci,
3 desidia[7] rerum internecione memoriæ inducta. Cujus somni causas quis alias, quam publicas mundi, invenerit? Nimirum alii subiere ritus, circaque alia mentes hominum detinentur, et avaritiæ tantum artes coluntur.

Antea inclusis gentium imperiis intra ipsas, ideoque et ingeniis, quadam sterilitate fortunæ[8], necesse erat animi bona exercere : regesque[9] innumeri honore artium colebantur, et in ostentatione has præferebant opum[10], immortalitatem sibi per illas prorogari arbitrantes. Quare
4 abundabant et præmia, et operæ vitæ. Posteris laxitas mundi[11] et rerum amplitudo damno fuit : postquam senator censu legi cœptus, judex fieri censu, magistratum ducemque nihil magis exornare, quam census : postquam cœpere orbitas in auctoritate[12] summa et potentia esse,

Propter mille annos. » Et Plinius septimo, cap. 16: « Jam vero ante annos prope mille vates ille Homerus non cessavit minora corpora mortalium quam prisca conqueri. » Porro Hesiodum eodem fuisse tempore quo Homerus, auctores nonnulli tradunt. Pint. — *Ante millia.* Sic MSS. Reg. Colbert. Th. De ætate Hesiodi diximus in Auctorum Indice. Hard.

7. *Desidia.* Propter hominum desidiam memoria rerum intermortua, deleta, exstincta. In MSS. Reg. 1, Colb. 3, et Ch. *indicta.* In Colb. 2, Th. aliisque *inducta.* H.

8. *Sterilitate fortunæ.* Quum spes nulla foret extra patriæ angustias amplificandæ fortunæ. Hard.

9. *Regesque.* MS. *exercere reges.* Ut Hieron, Attalus, aliique, de quibus in Auctorum Indice diximus. Hard.

10. *Has præferebant opum.* Vet. apud Dalec. « præferebant, opem et immortalitatem. » Hanc opum suarum partem præcipuam ducebant. Hard.

11. *Laxitas mundi.* Latitudo possessionum amplior. Hard.

12. *Orbitas in auctoritate.* Quoniam qui liberis carerent, horum benevolentia, spe hereditatis adeundæ, omni obsequiorum genere captaretur. H. — Similia fere queruntur Senec. Cons. ad Marc. cap. xix, t. II, p. 162 ; Tac. Annal. III, 25, t. I, p. 318 edit. nost.

captatio in quæstu fertilissimo, ac sola gaudia in possidendo, pessum iere vitæ pretia: omnesque a maximo bono[13] liberales dictæ artes, in contrarium cecidere, ac servitute sola profici cœptum[14]. Hanc alius alio[15] modo,

13. *A maximo bono.* A libertate scilicet. Sunt enim liberales artes, quæ ingenio coluntur, atque idcirco dignæ sunt liberis ingenuisque hominibus. Unde et ingenuæ quoque a Tullio appellatæ. H.

14. *Profici cœptum.* In MSS. *cœptæ*. Forte, *perfici cœptæ*. H.

15. *Hanc alius alio modo et in aliis adorare.* Budæus verba hæc es fide antiquorum codicum superfluere scribit, habentur tamen in nostris; tractat et hunc locum Rhenanus, vir doctus et de Plinio bene meritus. Pint. — *Alius hanc alio modo et in aliis adarare, eodem tamen habendi quæstu ad spes hominum tendente voto.* In edit. quam nobis dedit Lutetia, annotatum est Gulielmum Budæum, virum eruditissimum, priorem istius sententiæ partem tanquam subdititiam resecuisse, non inventam in vol. quodam veteri. De qua re equidem multum miror. Nam ea dempta video sententiæ quoque elegantiam perire, quæ est in his verbis, *alio modo, et in aliis*, deinde *eodem voto.* Vult enim hoc dicere Plinius: « miram esse servientium diversitatem propter varias servitutis species: et rursus miram convenientiam, dum omnes huc spectant, ut ditescant. » Alteram vero partem nempe posteriorem sic legendam putat, « eodem tamen habendi, quo spes omnium, tendente voto. » Manuscript. exemplar hic habet, « Hanc alius alio modo et in aliis adorare, eodem tamen habendique ac spes omnium tendente voto. » Proinde malim legere: « Hanc alius alio modo et in aliis adorare, eodem tamen, habendique spes omnium accendente voto. » Nam conjicio *accendente* scriptum fuisse avulsa priore syllaba a reliquis, hoc modo, *ad cendente.* Quumque librarius duas esse dictiones putaret, præpositionemque suo casu carere, transtulit hanc in anteriorem locum, aptius legi censens, *ad spes omnium*, quam *spes omnium ad.* Deinde *cendente*, quod nihil significabat mutavit in τὸ *tendente.* Cæterum *habendique*, expositivum est, ut sit, *Eodem voto habendique voto*, hoc est, *eodem vota*, nempe habendi, *spes omnium accendente.* Suspicatus aliquando sum pro *habendique* scribendum *appendice*, sed alterum magis probatur. Rhen.— *Hanc alius.* Servitutis, inquit, genera diversa fuere, mira et servientium animorum diversitas, dum alius alium et alio modo coleret: eodem tamen omnium adspirante voto, nempe ad spem habendi ditescendique. — *Eodem*, etc. In hujus loci explicatione exercuere se frustra summa ingenia. Rhenanus legendum putavit: « Eodem tamen, habendique spes omnium accendente voto. » Hoc est, eodem voto nempe habendi, spes omnium accendente. Parm. ed. « Eodem ta-

et in aliis adorare : eodem tamen, habendique ad spes, omnium tendente voto[16]. Passim vero etiam egregii aliena vitia, quam bona sua, colere malle. Ergo hercules voluptas vivere cœpit, vita ipsa[17] desiit. Sed nos oblitterata quoque scrutabimur : nec deterrebit quarumdam rerum humilitas, sicut nec in animalibus[18] fecit. Quanquam videmus Virgilium præcellentissimum vatem, ea de causa hortorum dotes[19] fugissé : et[20] e tantis, quæ retulit, flores

men quæstus ad spes habendi omnium tendente voto. » Pintianus : « Eodem tamen, quæstus spe, omnium tendente voto : » expuncta *habendi* vocula. Nobis ab omnium MSS. fide, qui lectionem eam, quam secuti sumus, totidem apicibus repræsentant, discedere religio fuit : nulla Frobenio, qui princeps et auctor ita edendi fuit, quemadmodum in libris hactenus editis habetur, « Eodem tamen habendi, quo eat spes, omnium tendente voto. » Hard.

16. *Eodem tamen habendi quo eat spes hominum tendente voto.* Sic Budæus legit: sed non sapit hæc sententia salem et elegantiam Plinianam. Ego puto redundare verbum illud *habendi*, et cætera sic legenda : « Eodem tamen, quæstus spe, omnium tendente voto : » ut sit *eodem* adverbium, hoc est, ad eamdem servitutem: nam ambo nostri codices *omnium* habent, non *hominum*. Pint.

17. *Vita ipsa.* Homines ipsi. Familiaris Plinio ea locutio est. Inf. cap. 5, « Quantum postea CCXXX annis vita profecerit : » hoc est, homines profecerint, hominum usus et experientia, in vita. Cap. 59 : « Nec seguiter in eo vita elaboravit. » Libro seq. cap. 1 : « Hesiodus cultum agrorum docendam arbitratus vitam. » Plura ex Indice verborum exempla repete. Hard.

18. *Nec in animalibus.* Ne animalculorum quidem, quæ insecta vocant, tractatione prætermissa : actum enim est de iis volumine operis hujus undecimo. Hard.

19. *Hortorum dotes.* Nihil de hortorum cultura scripsisse. Sic enim ipse, Georg. lib. IV, v. 118 : « Forsitan et pingues hortos quæ cura colendi Ornaret, canerem, biferique rosaria Pæsti, etc. Verum hæc ipse equidem spatiis disclusus iniquis Prætereo, atque aliis post commemoranda relinquo. » Verum hanc desertarum a præcellentissimo vate partium possessionem occupavit cum laude, et insigni commendatione doctrinæ, atque elegantiæ *Ren. Rapinus e Societate nostra*, singulari opere de cura hortorum : quod opus exceptum ubique cum admiratione, in Gallia finitimisque regnis jam tot fere, quot ipsum Maronem, typis excusum, redditum est etiam Anglico carmine, et quidem expolito. H.

20. *Et.* Sic ex MSS. em. Hard. cons. Chiffl. *e tantisque* Gr. et Al. omissa copulat. *et*. Ed.

modo[21] rerum decerpsisse, beatum[22] felicemque gratiæ[23], xv omnino generibus uvarum nominatis, tribus oleæ, totidem pirorum, malo vero tantum Assyrio, cæteris omnibus neglectis.

II. Unde autem potius incipiemus, quam a vitibus? 1
quarum principatus in tantum peculiaris Italiæ est, ut vel hoc uno omnia gentium vicisse[1], quam odorifera[2], possit videri bona: quanquam ubicumque pubescentium[3] odori

21. *Flores modo.* Hoc est, ea tantum attigit, quæ floridiore, ut ita dicam, oratione narrari, exornarique; quæ nitorem et ornamentum recipere possent: unde in eo Georgicon opere tam crebræ digressiones a proposito, quibus occurrat satietati et fastidio. HARD.

22. *Beatum.* Felicem, inquit, virum, qui tantam sit gratiam consecutus, tam paucis etiam ex frugiferarum arborum numero appellatis: quarum tamen tractationem integram sibi proposuisse eo opere videbatur. Barbarus hunc locum præpostere interpretatur. HARD.

23. *Gratiæ.* Al. *Græciæ.* Parm. ED.

II. 1. *Ut vel hoc uno omnino gentium vicisse, quanquam odorifera, possit videri bona.* Vetus codex non habet *quamquam odorifera*, sed tantum *quam odorifera.* Conjicio scriptum fuisse *usquam.* Nec enim hic placet *inquam*, magis placeret *quamlibet.* Itaque sic leges, « Quorum principatus in tantum peculiaris Italiæ est, ut vel hoc uno omnia gentium vicisse usquam odorifera possit videri bona. » RHENANUS. — *Vitibus*, etc. (*Vitis* species varietatesq. *Pentandr. monog.* gen. 577, Pers. *Vites*, Juss.) Ubicumque fere colitur; multæ varietates hic non describentur quæ nostri operis habita ratione, hisce in schedulis vix nominari possint. Redeat ad Hortulanos et Geoponicos qui plura desideraverit; quanquam nec notulis pepercerimus, quibus Nostri sensus clarius eluceat. Cf. de vite Latinorum doct. FÉE, pag. CLXXX, Flor. Virgil. tom. VIII, edit. nost. ED.

2. *Quam odorifera.* Hoc est, præter odorifera: vel odoriferarum terrarum bonis exceptis. Ita restituimus admonitu codicum Reg. Colb. Th. et aliorum. Nullus enim, ipso attestante Rhenano, habet *quanquam odorifera*, ut in libris vulgatis legitur. Et vox ipsa *quanquam*, quæ statim iterum occurrit, locum hic sibi deberi negat. Et ipsa loci sententia, *quam odorifera*, hoc est, præterquam odorifera, legi postulat: Ait enim vitium bono, gentium cæterarum, terrarumque, si odoriferas exceperis, bona superari: ac veluti se ipse deinde retexens, oratoria correctione, ne hæc ipsa quidem odorifera bona, excipi oportere subjicit: « Quanquam, inquit, ubicumque pubescentium vitium odori, nulla suavitas odoriferarum arborum præfertur. » HARD.

3. *Pubescentium.* Vitium nempe

nulla suavitas præfertur. (1.) Vites jure apud[4] priscos magnitudine quoque inter arbores[5] numerabantur. Jovis simulacrum in urbe Populonio[6] ex una conspicimus, tot ævis incorruptum : item Massiliæ pateram. Metaponti templum Junonis vitigineis columnis stetit. Etiam nunc scalis tectum Ephesiæ Dianæ scanditur una e vite[7] Cypria, ut ferunt, quoniam ibi ad præcipuam amplitudinem exeunt. Nec est ligno ulli æternior natura. Verum ista ex silvestribus[8] facta crediderim[9].

1 III. Hæ vites[1] tonsura annua coercentur, et vis earum omnis evocatur in palmites[2], aut deprimitur in propagines, succique[3] tantum gratia exire sinitur pluribus modis ad cæli mores, solique ingenia. In Campano agro populis

florentium. Martial. lib. III, ep. 65 : « Vinea quod primis floret quum cana racemis, etc. » H.

4. *Vites jure apud*, etc. Theophrastus, Hist. lib. I, cap. 5, vitem inter arbores recenset. Columella, lib. II, arborem esse negat, sed medium quoddam genus inter arborem et fruticem esse vult. Dal.

5. *Inter arbores*. Horat. lib. I, Od. 18 : « Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem. » Et Ulpianus Dig. lib. XLVII, tit. 7, arboris appellatione vites quoque censeri ait. Hard.

6. *Jovis simulacrum in urbe Populonio. Geographi* omnes *Populonium* appellant, non *Populoniam* : et sic in Pomponium legendum diximus, sicque duo nostri codices præferunt. Virgilius tamen poetica licentia, nomine abusus *Populonio* protulit lib. X, 172. Pint.

7. *Una e vite Cypria*. Sic ex MSS. em. Hard. *ex vite* Dal. *vite una Cypria* Gr. et Al. Ed.

8. *Verum ista ex silvestribus*, etc. Lege : « Verum ista ex silvestribus facta crediderim. Mites tonsura annua coercentur, et vis earum omnis evocatur in palmites, aut deprimitur in propagines, succique tantum gratia exire sinitur, pluribus modis ad cæli mores solique ingenia. » Salm. pag. 817.

9. *Crediderim. Hæ vites*. Gr. et Al. *Crediderim, quando hæ vites*. Ed.

III. 1. *Hæ vites*. Ita MSS. omnes. Nempe sativæ, sive mites, quæ silvestribus opponuntur : eæ namque quotannis tonsæ, aut in propaginem depressæ, suppeditare materiæ seu ligni copiam vix queant ad opera intestina, cujusmodi proxime recensita sunt. H.

2. *In palmites*. Palmites sunt utilia in fructum flagella vitium. H.

3. *Succique*. Vini tantum gratia exire et crescere sinitur, idque pluribus modis, quos deinde expedit. Sunt porro modi illi dispares, pro cæli more, et soli ingenio. H.

nubunt; maritasque complexæ, atque per ramos earum procacibus brachiis geniculato cursu[4] scandentes, cacumina æquant, in tantum sublimes, ut vindemitor[5] auctoratus[6] rogum ac tumulum excipiat. Nullo fine crescunt, dividique, aut potius avelli nequeunt. Villas et domos ambiri singularum palmitibus ac sequacibus loris[7], memoria dignum inter prima Valerianus quoque Cornelius existimavit. Una vitis Romæ in Liviæ porticibus[8] sub- 2
diales inambulationes umbrosis pergulis[9] opacat, eadem

4. *Geniculato cursu.* Quoniam in vitium palmitibus internodia quædam articulique sunt geniculorum instar, γονατώδη, quibus modo huc, modo illuc repunt. Hard.

5. *Ut vindemitor.* Vindemitor operam suam locans vineæ putandæ, apud prætorem hac exceptionis formula utebatur : ut si casu interiret, rogi sibi jus et sepulcri foret, locantis sive auctorantis impendio. *Excipere* hoc loco est, nominatim cavere, ac nominatim pacisci de rogo et tumulo. H.

6. *Auctoratus.* Ad hanc operam periculosæ plenam aleæ quasi pretio obligatus. Vide quæ de hac voce dicturi sumus lib. XXXVI, cap. 24. Hard.

7. *Loris.* Flagellis, seu *quibusdam* loris sese spargendo dilatantibus. Hard.

8. *In Liviæ porticibus.* De Liviæ porticu vide Sueton. in Augusto. De porticibus milliariis, stadiariis, subterraneis, simplici, duplici ordine columnarum exstructis, vide Lucium Fannum, lib. III, c. 5, in explicatione porticus Octaviæ, ubi nunc est fanum Divæ Mariæ in porticu. Dal.—Superiori sæculo vitem *Bisuntio* in urbe (*Besançon*) mirari licuit, tanta feracitate, ut, occupata vastæ domus facie, multa quotannis in operæ pretium vini dolia colentibus ferret. Multa quæ viri docti de hac vite scripsere, si libuerit in Act. Acad. Scient. Parisiensi, leges. Ejusdem generis arbor in Septimania (*Languedoc*) citatur, quæ umbrosis altisque pergulis parietes totius villæ, præter fenestras portasque vestiens, latum quasi nemus efficiebat, jugera plusquam septem *sequacium lororum* ambitu complexa. (Cf. *Journal économique*, Jul. 1760.) — Hodie item in *Palatinatus* vico (*Handeulsheim*) vitis colitur ita, ut supra domorum tecta viticeæ stirpes arborum instar fere assurgant, truncis diametro duos pedes exsuperantibus, nec hiberno quidem anni 1709 gelu torridis. Cf. François de Neufchateau, *Not. sur Oliv. de Serres*, lib. III, pag. 367. Ed.

9. *Umbrosis pergulis.* Pergulæ sunt tabulata e vite opere topiario structa. Hinc apud Colum. l. III, cap. 2, pergulanæ vites, quæ pergulas exornant, arundinibus impositæ : *une treille.* Vites pergulas alio significatu dixit Petrus de Crescentiis, lib. IV, cap. 4, extr. pag. 143. Habuisse se vitem Aminneam,

duodenis musti amphoris fecunda. Ulmos quidem ubique exsuperant. Miratumque altitudinem earum Ariciæ ferunt legatum regis Pyrrhi Cineam[10], facete lusisse in austeriorem gustum vini[11], merito matrem ejus pendere in tam alta cruce. Rumbotinus vocatur[12], et alio nomine populus arbor[13] Italiæ Padum transgressis, cujus tabu-

in pergulis, quæ denas amphoras peræquaret, Columella testatur, lib. III, c. 9. HARD.

10. *Legatum regis Pyrrhi Cineam.* Eum ἄπρακτον, infecta pace senatus remisit, ut ait Plutarchus in Pyrrho, ἀποκρινάμενοι ἐξελθόντα τῆς Ἰταλίας, εἰ δέοιτο, περὶ φιλίας καὶ συμμαχίας διαλέγεσθαι. De eo legato Ennius apud Varronem : « Orator sine pace redit, regique refert rem. » DAL. — *Cineam.* Diximus de Cinea lib. VII, cap. 24. HARD.

11. *In austeriorem gustum vini.* Vinum ejusmodi atrum et asperum, Crucium vocat Festus, Gallam Lucilius : « Quæ gallam bibere ac rugas conducere ventri Farre aceroso, oleo decumano, pane coegit Cumano. » Exemplo Alexidis poetæ : οἶνος ξενικὸς παρῆν, ὁ γὰρ Κορίνθιος βασανισμός ἐστι. DAL. — *In austeriorem.* Et hanc austeritatem nostro tempore magna ex parte ferunt Ariciæ vina, inquit Andr. Baccius, lib. VI de vinis Ital. pag. 281. H.

12. *Rumbotinus vocatur.* Rumbotinus Columel. lib. V, cap. 7, non arboris genus, sed arbusti Gallici, vulgo *de hautins.* Vide infra lib. XXIV, cap. 19. DAL.

13. *Populus arbor.* Al. *opulus arbor* malunt, quam corno similem facit Columella. — *Populus arbor.* Sic libri omnes, etiam MSS. proxime appellati. Sunt tamen, qui *opulus arbor* legi hoc loco ex Columella malint : quibus ego lubens assentior. Sic enim ille descripsit, lib. V, cap. 7, pag. 192 : « Est alterum genus arbusti Gallici, quod vocatur rumpotinum : id desiderat arborem humilem, nec frondosam : cui rei maxime videtur idoneus opulus : ea est arbor corno similis. Quin etiam cornus, et carpinus, et ornus, nonnumquam et salix a plerisque in hoc ipsum disponitur. » Itaque rumpotinum Columellæ arbusti genus est, ὁ δενδρὼν, vitibus maritandis idoneum, ex opulo, cornu, aliisve conditum, quemadmodum ulmarium ex ulmis. Ipsæ vero arbores, quibus rumpotinum constabat, rumpotinæ quoque et ipsæ dicebantur, teste eodem Columella, pag. 198. Plinius, lib. XXIV, cap. 112 : « Rumpotinum arborem demonstravimus inter arbusta. » Peculiare arboris genus hac voce signat, atque, ut arbitror, opulum eam, de qua Columella. Quo vero nomine appellari apud nos oporteat, atque adeo num apud nos vivat, disceptant herbarii. Verum et populum in hos usus olim adhibitam haud temere credimus, quum hodieque ad Bononiam, Parmam, Placentiamque, in agris vites, infinita serie, arborumque potius nemora populnearum, ulmorumque sint, in quibus

lata[14] in orbem patula replent, puroque perductæ[15] dracone in palmam ejus, inde in subrectos ramorum digitos flagella dispergunt. Eædem modici hominis altitudine ad- 3
miniculatæ sudibus[16] horrent[17], vineamque faciunt : et aliæ improbo[18] reptatu pampinorumque superfluitate, peritia domini amplo discursu atria media complentes[19]. Tot differentias vel sola tantum Italia recipit. Stat provinciarum aliquarum per se vitis[20] sine ullo pedamento, artus suos in se colligens, et brevitate crassitudinem[21] pascens. Vetant hoc aliubi venti : ut in Africa et in Narbonensis 4
provinciæ[22] partibus. Excrescere ultra suos[23] pollices pro-

sublevatæ ab humo vites cum pendulis racemis jucundo propendent spectaculo. Hard.

14. *Cujus tabulata.* Hoc est, ramos, truncosque projectos in morem tabulati : hos vites amplexæ replent. Hard.

15. *Perductæ dracone.* Ita MSS. non *producto.* Draconem vocant palmitem emeritum, multis annis duratum : Palmam, partem eam trunci seu caudicis, cujus ab utroque latere ramuli, velut digiti e palma volaque manus, subriguntur : cui trunco vitis applicata innititur, ut dicemus lib. XVII, cap. 35. Hard.

16. *Sudibus.* Palis, pedamentis. Gallis *des échalas.* Unde *échalasser une vigne*, palos figere, quibus vitis adminiculetur. Hard.

17. *Horrent.* Alii *hærent.* Ed.

18. *Et aliæ improbo.* Ita quidem Parmensis editio, aliæque. At in MSS. Reg. Colbert. Th. etc. hoc tantum : « Et aliæ improbo reptatu, pampinorumque peritiam damna discursu atria media complentes. » Quæ quidem verba expedienda aliis et corrigenda reliuquimus, properantes ad majora. Hard.

19. *Amplo discursu atria media complentes.* Hæ sunt jugatæ et compluviatæ vites. Dal.

20. *Stat ... per se vitis.* Et hæc vitis erecta, Græcis ὀρθάμπελος appellatur : in Andegavensi, Vasconicoque Galliæ agro frequens. Apud Monspelienses ita coluntur vites, ut stipites vix cubitum excedant, nec pedamentis utantur. Ramos fere quotannis omnes abscindunt, stolonibus modo parvis relictis. H.

21. *Brevitate crassitudinem pascens.* Dal. *brevitatem crassitudine pensans.* Ed.

22. *Narbonensis provinciæ.* Plin. lib. II, cap. 46 : « Item in Narbonensi provincia clarissimus ventorum est Circius, nec ullo violentia inferior, etc. » Hard.

23. *Ultra suos pollices.* Sic lib. XVII, cap. 35 : « Ut semper pollices tantum reliquantur. » Ne ventorum scilicet vehementiæ injuriæque pateant. Quid sint in vite

hibitæ, semperque pastinatis similes[24], herbarum modo vagantur[25] per arva, ac succum terræ passim uvis bibunt, quæ ob id magnitudinem infantium puerorum in interiore Africæ parte exsuperant. Uva non aliubi gratior[26] callo, ut inde possit invenisse nomen duracina[27]: namque genera magnitudine, colore, saporibus, acinis innumera, etiamnum multiplicantur vino. Hic purpureo lucent colore, illic fulgent roseo, nitentque viridi. Candicans enim nigerque, vulgares. Tument vero mammarum modo bumasti[28]. Præ-

pollices nescisse Dalecampius videtur, qui *ultra senos pollices*, infelici conjectura legi hoc loco jubet. Nos lib. XVII, cap. 35, de iis dicturi sumus : ubi et de justa altitudine vitis agitur, quæ sine pedamento ordinatur, qualis ea est, de qua nunc instituta oratio est. Hard.

24. *Semperque pastinatis similes.* Legendum reor non *pastinatis*, sed *per se natis*, quod manifeste indicant verba statim sequentia, *Herbarum modo vagantur per arva.* Et considerandum an scribendum sit paulo ante, *duo pollices*, non *suos pollices*. Pint. — *Semperque pastinatis similes.* Nam quum vinea pastinatur, soluta suis adminiculis sarmenta vinitores humi jacere patiuntur, quoad putata suis rursum pedamentis alligent. Dalec.

25. *Vagantur.* Et hæ prostratæ vites appellantur, quæ a trunco enatæ statim serpunt, ac veluti projectæ per humum porriguntur, proferuntque fructus jucundissimos ; apud Andegavenses et Rupellenses, crebræ. In Asia quoque, et Africa, ut Plinius monet, lib. XVII, cap. 35, multis in locis terra cubilia præbet uvis. Gallis, *vignes courantes*. Hard.

26. *Uva non aliubi gratior.* Ita libri omnes, etiam MSS. non *crassior*, ut Turnebo placuit, Advr. lib. XXV, cap. 26, pag. 899. Et gratam esse uvam ad gustum ait Auctor, et callo præditam : hoc est, carne seu corpore ad morsum paulo solidiore ac duriore : nunc *maroquin* vocant ; qualem in horto Regio vidimus : unde forte nomen uvæ datum, Duracinæ. In omnibus MSS. legitur, *Durus acinus.* Meminit uvæ duracinæ Sueton. in Augusto, cap. LXXVI, ipsius verba recitans ejusmodi : « Dum lectica ex regia domum redeo, panis unciam cum paucis acinis uvæ duracinæ comedi. » Prope Vesuvium ab arboribus id genus uvarum pendet, teste Sanfelic. in descr. Campaniæ. H.

27. *Duracina.* Vulgo *Piquepoule*, Monspessulanis vero *maroquin* a *Maroc* Africæ civitate. Dalec. — Sic appellatur a duritia acini omnibus rei rusticæ scriptoribus, ut postea etiam liquebit. Pint.

28. *Bumasti. Ollares* vocat Aurelianus. Vide Columellam lib. XII, cap. 43 ; Martial. lib. VII, xx, 8, 9, de Sanctra comsrum fure his versibus : « Buccis placentæ sordidam linit mappam ; Illic et uvæ collocantur

longis dactyli[29] porriguntur acinis. Est illa naturæ lascivia, ut prægrandibus adhæreant parvi, mites, et suavitate certantes: leptoragas[30] has vocant. Durant aliæ per hie- 6
mes, pensili[31] concameratæ nodo. Aliæ in sua[32] tantum continentur anima ollis fictilibus, et insuper doliis[33] inclusæ, stipatæ vinaceis[34] circumsudantibus. Aliis gratiam, qui et vinis, fumus affert[35] fabrilis; iisque gloriam præ-

ollares. » Aetius vocat σαφυλὴν ἀπὸ χύτρας, καὶ ἐκ τῶν σεμφύλων. Diosc. σαφυλὴν ἐκ τῶν σεμφύλων, καὶ ἐκ τῶν θηκῶν. Dalec. — *Bumasti*. Βουμασοί, quasi vaccæ mammas magnitudine referant. Βοῦ in compositione dictioues auget, quod sæpius dicendum erit. Bumamma Varroni de R. R. cap. 5, et Macrobio, Sat. lib: II, cap. 16, pag. 379, hæc uva dicitnr. Virgil. Georg. lib. II, 102: « Et tumidis, bumaste, racemis. » Hoc uvarum igitur genus rotundatur acino, ut id qnod proxime sequitur, porrigitur prælongo. Hard.

29. *Dactyli.* A digitali gracilitate, ut ait Plinius, cap. 4. Gallis, *raisins aux longs grains.* Hard.

30. *Leptoragas.* A tenuitate acinorum, ceu granorum uvæ. Est enim ῥάξ uvæ granum: λεπτὸν, tenue: unde λεπτορᾶγες. Hard.

31. *Pensili.* Suspendi eas jubet e camera, et nodo ligari. Quæ ita suspenduntur, opportunissimas esse duracinas auctor est Varro de R. R. lib. I, cap. 18, ex Catone, cap. 7. Hæc uva pensilis Horatio, lib. II, Sat. 2, v. 121: « Tum pensilis uva secundas Et nux ornabat mensas, cum duplice ficu. » Plauto, in Pœnulo, Act. I, Sc. 2, v. 99. « Uva passa pensilis ». Sic hodieque provinciales uvæ in horreis maxime suspenduntur. Hard. — Dalec. *pensiles, congeminatæ nodis.* V. *pensili conglomeratæ nodo.* M. *pen. conc. modo.*

32. *Aliæ in sua tantum*, etc. Horum conditure generum meminit Cato, cap. 143 et c. 7; Varro, cap. 58. Dal. — *Aliæ in sua... anima.* Anima vis ea est, qua fructus quilibet et poma ipsa polleut, dum a matre pendent, aut ubi statim decerpnntur. Plin. lib. XIII, cap. 9, de palmulis: « Thebaidis fructus extemplo in cados conditur, cum sui ardoris anima: ni ita fiat, celeriter exspirat, etc. » Varro, l. c. « Uvam Ammineam, et Apiciam in ollis commodissime condi Cato ait. » Has aliasque arbitror, ab ollis, in quibus conderentur, ollares appellatas a Martiali, lib. VII, ep. 19. Idem de Venucula tradit Horatius, ut dicturi sumus cap. sq. H.

33. *Doliis inclusæ.* Ch. *doliis fictilibus.* Ed.

34. *Stipatæ vinaceis.* Vinacea sive vinacei hic sunt grana, seu retrimenta uvæ jam passæ: *le marc des raisins déja foulés.* Græci σέμφυλα vocant. Hard.

35. *Fumus affert.* De hoc more Horat. lib. II, Sat. 4, v. 74: « Rectius Albanam fumo duraveris

cipuam in fornacibus Africæ Tiberii Cæsaris auctoritas fecit. Ante eum Rhæticis[36] prior mensa erat, et[37] uvis Veronensium agro. Quin et a patientia[38] nomen acinis datur passis. Conduntur et musto uvæ[39], ipsæque vino
7 suo inebriantur. Aliæ decoctæ in musto dulcescunt, aliæ vero sobolem novam in matre ipsa exspectant translucidæ vitro[40]; additque acinis eamdem, quam in[41] doliis amphorisve, duratricem illam firmitatem austeritas picis infusa pediculo[42]. Jam inventa per se[43] in vino picem

uvam. » Cæl. Aurel. Chron. lib. IV, cap. 3 : « Item uva, inquit, et magis fumi vapore siccata, quam fabrilem appellant. » Iterum *uvas fabriles* idem dixit lib. III, cap. 2. HARD.

36. *Rhæticis.* Qua de vite Virgil. Georg. lib. II, v. 96 : « Et quo te carmine dicam, Rhætica? » In Valle Telina, ut vocant, ad flumen Adduam, crescunt eæ vites. HARD.

37. *Et uvis.* MSS. omnes, *et ullis.* Latere hic proprium agri nomen suspicamur. An *et Tullis?* An *et visulis*, de quibus cap. sq. HARD.

38. *Quin et a patientia*, etc. Fallitur Plinius. Passas vocamus, quod ad solem expandantur. DALEC. — *Quin et a patientia.* Quin solem passi, cujus calore siccantur : vel ignem, ut docet Columella, lib. XII, cap. 16, de uvis passis faciendis, pag. 423. Nonius paulo aliter, cap. 1, n. 38 : « Passum, inquit, est proprie rugosum, et siccum; unde et uva passa dicta est, quod sit rugis implicata. » Lucilius Satyr. lib. IX : « Rugosi passique senes eadem omnia quærunt. » Gallis, *raisins secs, raisins séchés au soleil, raisins de passe*, quales sunt Corinthiaci acini, quasi rugis implicíti. Sic passa frons et caperata dicitur, quæ rugis exasperata. HARD.

39. *Conduntur et musto uvæ.* Nempe Sapa, ut lib. XXIII, cap. 1. Conduntur enim musto, vino dulci, sapa, aqua cælesti. DAL.

40. *Translucidæ vitro.* Adeo tenui membrana, seu cute, ut per eam ceu per vitrum, succus inclusus, vinaceique transluceant. HARD.

41. *Quam in doliis.* Laudat Plutarch. in Symp. lib. V, Probl. 3, picata et resinata vasa, quod et gratum odorem vinis impertirent, et omnem aquositatem tollerent. H.

42. *Pediculo.* Pediculus appellatur id quo mala, pira, cerasa, uvæ et hujusmodi alia sustinentur. *Les queues.* HARD.

43. *Jam inventa vitis per se*, etc. Allobrogica, cap. proxime sequenti. Vide lib. XXIII, cap. 1. DAL. — *Jam inventa per se.* Hoc est, sine ulla admixtione picis uva picem resipiens. Quod ex ea fit vinum, Delphinates hodie appellant *vin de violette*, teste Nic. CHORIER, lib. I, pag. 55. Vitis ipsa Allobrogica, et eadem picata vocatur cap. seq. Ex ea laudatur lib. XXIII, c. 24 : « vinum quod sponte naturæ suæ pi-

resipiens, Viennensem agrum nobilitans, Arverno, Sequanoque et Helvico[44] generibus non pridem illustrata. Atque 8
hæc Virgilii vatis ætate incognita, a cujus obitu XC aguntur anni[45]. Quid quod insertæ castris summam rerum imperiumque continent[46]? Centurionum[47] in manu vitis, et opimo[48] præmio tardos ordines ad lentas perducit aquilas,

cem resipit, picatumque appellatur. » De eo vini genere Martial. lib. XXIII, ep. 107 : « Hæc de vitifera venisse picata Vienna Ne dubites : misit Romulus ipse mibi. » Plutarchus qnoqne l. c. ἐκ δὲ τῆς περὶ Βίενναν Γαλατίας ὁ πισσίτης οἶνος καταχομίζεται, διαφερόντως τιμώμενος ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων. Uvam incolæ vocant, *raisin de livre, ou de Dauphiné.* Vidimus in Horto Regio. H.

44. *Helvico* Helvii hodie *Vivarez.* Dal. — *Helvico.* Qnod et Helvenacnm appellat lib. XXIII, cap. 24, ab Alba. Helvorum, de qua diximus lib. III, cap. 5. Hard.

45. *XC aguntur anni.* Igitur errasse Donatum necesse est, qui Virgilium obiisse asseverat ann. Urb. cond. DCCXXXV, decimo kal. octob. C. Sentio Saturnino, Q. Lucretio Vespillone coss. Scripsit enim hæc Plinius anno DCCCXXX, Tito Vespasiano sextum jam consule, uti ex ipso liquet aperte, ita prodeute, cap. 5 libri hujus, et lib. XXVIII, cap. 3. Est porro Plinins alias, ut sæpe vidimus, in signandis annorum ac temporum epochis, supra fidem diligens et accnratus. Hard.

46. *Insertæ... continent.* Ch. et Tnrn. *inserta... continet.* Ed.

47. *Centurionum.* Vitis Centnrionum insigne fuit : hac plectebant eos qui plagas merebantur ; quod pigre ac lente nimis Aquilas sequerentur. Spartianus in Hadriano, pag. 5, vitem simpliciter accipit pro Centurionatu : « Nulli vitem, inquit, nisi robnsto et bonæ famæ daret. » Et Juven. Sat. 14, v. 139 : « Aut vitem posce libello. » Hoc est, Centuriouatum posce libello supplici, quem porrigas Imperatori. Livins in Epit. lib. LVII, de Scipione Africano : « Qnem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, vitibus : si extraneus, virgis cecidit. » Cassiodorus, Variar. lib. VII, in formnla Principis Dalmatici, epist. 22 : « Tu vitem tenes improbis minantem. » Et in actis Martyrum, B. Marcellus Centnrio Martyr : « Ecce projicio vitem. » Centurio quidam apud Tacitum, Annalium primo, militaribus facetiis *Cedo alteram* dictus, quod fracta vite in tergo militis, clara voce alteram, ac rursum aliam poposcerat. Hard.

48. *Et opimo.* Pretium fuit fortitudinis opimnm vitis, quæ tradebatur iis, qui Centurionatus munere et honore donabantur. Eadem tardos alioqui mortis metn milites ad sua signa cogebat. Lipsius de Milit. R. lib. II, legit, *lætas aquilas.* At MSS. omnes, *lentas.* Forte, *elatas.* Hard.

atque etiam in delictis[49] pœnam ipsam honorat[50]. Nec non vineæ[51] oppugnationum dedere rationem. Nam in medicaminibus adeo magnum obtinent locum, ut per sese vino ipso remedia sint[52].

1 IV. (II.) Genera vitium numero[1] comprehendi[2] posse unus existimavit Democritus, cuncta sibi Græciæ[3] co-

49. *Atque etiam in delictis*, etc. ete. Polybio, tribuni Rufuli legionum delicta coercebant, ut auxiliarium copiarum Socium præfecti. Rhod. lib. XXV, c. 22. In castigandis militibus centuriones vitem adhibuisse traditum a Livio, lib. LVII, et a Floro, observatumque ab Africano Scipione, qui Numantiam evertit. Hujus supplicii meminit Plutarchus in Galba. Macrobius centurialem vitem appellat. Martianus ff. de re militari, « Si miles vitem tenuit, militiam mutat : si ex industria fregit, vel manum centurioni intulit, capite punitur. » Rhod. lib. XXVI, cap. ult. Qui castigatur a Centurione miles, Pompeio *sub vineam jacere* dicitur. Vide Pithœum, lib. I, cap. 15. Scipio Æmilianus si quem militem deprehendisset in delicto, romanum civem, vulgato inter milites exemplo, vite, externum vero fuste cædebat. Alex. ab Alex. lib. I, cap. 22. Castigationum ac animadversionum militarium varietatem, et graviorem levioremque modum, pro noxæ magnitudine et conditione, vide apud eumdem auctorem, lib. II, cap. 13. Juvenal. Sat. 8 : « Nodosam posthæc frangebat vertice vitem, Si lentus pigra muniret castra dolabra. » Gerebant vitem centuriones. Vitis eum, cui erat aquila commissa, paulatim et lente ad Primipili centurionatum perducebat. Turn. lib. XXV, cap. 26. Dalec.

50. *Pœnam honorat.* Quoniam cives tantum romani vite cæderentur, uti ex Livio proxime antea diximus. Hard.

51. *Nec non vineæ.* Vinea in re militari machina fuit, tabulatis cratibusve constrata, quæ subjectis rotulis impellebatur, cujus tecto muniti obsidentes, murorum fundamenta subruebant. Dicitur autem vinea, a similitudine illius vineæ, quæ jugata dicitur, et in tectum attollitur. Hard.

52. *Ut per sese vino ipso remedia sint.* Lego, *ut per sese vina ipsa remedia sint*, ex codice Salmanticensi : nam vinum multos in medicina usus habere, res nota est. Pint. — *Vino ipso.* Ita libri editi, et Reg. 2. Vel vino quoque ipso, inquit, vites prosunt : quum sit alias tardum dictu, pluribusne id prosit, an noceat, ut dicetur lib. XXIII, cap. 19. Hard.

IV. 1. *Genera vitium numero*, etc. Vide Theophr. Hist. lib. II, cap. 7 ; Columel. lib. III, cap. 2. Dalec.

2. *Posse*, in V. deest. Ed.

3. *Cuncta sibi Græciæ.* Non tamen gentium simul exterarum, quas Plinius nihilominus hic etiam complectitur. Cave eos audias qui contra

gnita professus. Cæteri innumera[4] atque infinita esse prodiderunt, quod verius apparebit ex vinis. Nec omnia dicentur, sed maxime insignia : quippe quæ totidem pæne sunt, quot agri[5]. Quamobrem celeberrimas vitium, aut quibus est aliqua proprietate miraculum, ostendisse satis erit.

Principatus datur Ammineis[6] propter firmitatem, senioque[7] proficientem vini ejus utique vitam. Quinque earum genera : ex iis germana minor acino[8], melius defloresceit,

librorum omnium fidem, *cuncta sibi egregie*, hoc loco reponunt. H.

4. *Cæteri innumera.* Signat inprimis Virgilium, cujus hi noti versus, Georg. lib. II, v. 103, de vitium generibus : « Sed neque quam multæ species, nec nomina quæ sint, Est numerus, neque enim numero comprebendere refert. Quem qui scire velit, Libyci velit æquoris idem Discere quam multæ Zephyro turbentur arenæ, etc. » HARD.

5. *Quot agri.* Habet istud etiam Theophr. Hist. II, cap. 7, et Columella, lib. III, cap. 2, pag. 88. H.

6. *Ammineis*, etc. Vulgo *gros plant.* Quidam scribunt cum duplici *m*, syllaba media correpta. Ausonius, « Solus qui Chium miscet et Ammineum : » alii cum simplici *m*, media producta. Serenus, « Succus Amineæ vitis cum pane medetur. » Turn. lib. XXIX, cap. 26. Virgil. Hesychius in suis Glossis, vide not. sq. DAL. — *Principatus... Ammineis.* Virgilius, Georg. lib. II, vs. 97 : « Sunt etiam Ammineæ vites, firmissima vina. » A regione nomen habent, in qua natæ primum. De his multa Columella, lib. III, c. 2. — *Ammineis.* Ita hæc vox scribitur etiam Ausonio Ep. 2, ad Ursulum : « Solus qui Chium miscet, et Ammineum. » Alli Aminæum scribunt. Q. Serenus, c. XXXVIII, p. 150 : « Aut in Aminæo cochleas haurire Lyæo. » Hesychius, p. 74 : Ἀμιναῖος, δι' ἑνὸς ν. οἶνος· ἡ γὰρ Πευκετία Ἀμιναία λέγεται. Ex quo Hesychii loco, Macrobium emendamus, apud quem in vulgatis codicibus ita legitur, Saturn. lib. II, cap. 16, pag. 379 : « Uva Aminæa, scilicet a regione : nam Aminæi fuerunt, ubi nunc Falernum est. » Lego, *ubi nunc Salentum est*, nempe Salentinus ager, ubi olim Peucetia regio, Plinio teste, lib. III, cap. 16. Nugatur, ut sæpe Servius, qui Ammineum dici vinum putat, quasi sine minio, id est, robore; quum nigram Ammineam Plinius agnoscat hoc ipso cap. Obtinuit deinde usus, ævo Galeni, ut vetustissima quæque vina, neque Itala modo, sed Græca quoqueAmminea dicerentur. HARD.

7. *Senioque.* Sic ex MSS. em. Hard. *senique prof. vini e. utique* Ch. *vini ejus ubique vitam* Gr. et Al. — *Senioque.* Vetustate vim meliorem acquirunt. HARD.

8. *Minor acino.* Prius *melior* legebatur. At MSS. omnes Reg. Colb.

imbres tempestatesque tolerat : non item major[9], sed in arbore[10], quam in jugo, minus obnoxia[11]. Gemellarum[12], quibus hoc nomen uvæ semper geminæ dedere, asperrimus sapor, sed vires præcipuæ. Ex iis minor austro læditur, cæteris ventis alitur, ut in Vesuvio monte, Surrentinisque collibus. In reliquis Italiæ partibus non nisi arbori[13] accommodata. Quintum[14] genus lanatæ[15], ne Seras miremur[16], aut Indos, adeo lanugo eam vestit : prima ex Ammineis maturescit, ocyssimeque putrescit.

Th. etc. *melius* : ipseque Columella. Sic enim ille R. R. lib. III, c. 2, p. 84, de Ammineis : « Duas germanas cognovimus : quarum minor ocyus et melius deflorescit; habilis arbori, nec non jugo, etc. » H.

9. *Non item major.* Columella l. c. de Ammineis : « Duas germanas ... quarum minor ... longe præcedit majorem, quia imbres et ventos fortius patitur : nam major celeriter in flore corrumpitur, et magis in jugis, quam in arboribus. » Hard.

10. *Sed in arbore.* Quum arbores scandit. Quam in jugo positam Latini, Galli vocant, *en treille*. Jugata vinea dicta est a similitudine militaris jugi, quod ita fiebat, ut duabus in terram defixis hastis, tertia superligaretur. Hard.

11. *Minus obnoxia.* Imbribus, tempestatibusque. Hard.

12. *Gemellarum.* Et hæ quoque ut germanæ, bifariam dividuntur : altera enim major, minor altera. Columella, lib. III, 2 : « Verum et aliæ duæ geminæ, quæ ab eo quod duplices uvas exigunt, Gemellæ vocantur, austerioris vini, sed aquæ perennis. Earum minor vulgo notissima : quippe Campaniæ celeberrimos Vesuvii colles Surrentinosque vestit. Hilaris inter æstivos Favonii flatus, Austris affligitur. Cæteris itaque partibus Italiæ non tam vineis, quam arbusto est idonea, etc. » Meminit harum etiam Isidor. Origg. lib. XVII, cap. 5. H.

13. *Non nisi arbori.* Nonnisi ut scandat arborem vitis ea idonea est. Hard.

14. *Quintum.* Columella l. c. « Lanatam quoque Ammineam quidam maxime probant, quæ hoc vocabulum non ideo usurpat, quod sola ex omnibus Ammineis, verum quod præcipue canescit lanugine. Sane boni vini, sed levioris, quam superiores. Crebram quoque materiam fundit, atque ideo propter pampini densitatem sæpe parum recte deflorescit, eademque maturo fructu celeriter putrescit. » Apud Isidor. l. c. *lagana* pro *lanata* perperam scribitur. Hard.

15. *Lanatæ.* Cujus lanugine vestiuntur adversa folia. Lanatam uvam Marcellus Empiricus, cap. 14, *caniculatam* vocat, veluti lanugine canescentem et hirtam. Dal.

16. *Ne Seras miremur.* Quorum

Proxima[17] dignitas Nomentanis rubente materia[18]: quapropter quidam rubellas[19] appellavere vineas. Hæ minus fertiles[20], vinaceis[21] et fæce nimia, contra pruinas[22] fortissimæ, siccitate magis quam imbre, æstu, quam algore vexantur. Quamobrem in frigidis[23] humidisque principatum obtinent. Fertilior quæ minor acino, et folio scissa minus. 3

Apianis[24] apes dedere cognomen, præcipue earum avidæ. Ex eis duo genera[25], lanugine et ipsa pubescunt. Distant, quod altera celerius maturescit, quanquam et altera properante. Situs frigidos[26] non respuunt: et tamen nullæ celerius imbre putrescunt[27]. Vina primo dulcia, austerita- 4

laudigeras arbores mirati sumus, lib. VI, cap. 20; Indorum lib. XII, cap. 21. Hard.

17. *Proxima.* Et hæc sunt apud Columellam l. c. « Nomentanæ vini nobilitate subsequuntur Amminea, fecunditate præveniunt... Sed earum quoque feracior et minor, cujus et folium parcius scinditur, et materia non ita rubet, ut Amminei: a quo colore rubellianæ nuncupantur; eædemque fæciniæ, quod plus quam cæteræ, fæcis afferunt. » Nomentana uva laudatur a Macrobio, Sat. lib. II, cap. 16, pag. 379. A Nomento Italiæ oppido nomen habet, de quo lib. III, cap. 9. Nomentanæ similis Veientana, teste ipso Martiali, lib. I, ep. 104: « Et Veientani bibitur fæx crassa rubelli. » Nisi *Nomentani* ibi pro *Veientani* legi oportet. Hard.

18. *Materia.* Ligno vel *sarmento* rubente. Hard.

19. *Rubellas.* Columella *Rubellianas.* Ed.

20. *Hæ minus fertiles.* Sic ex MSS. em. Hard. cons. M. et Cb. *Eæ minus fertiles vino, acinis et fæce nimiæ* Gr. et Al. Ed.

21. *Vinaceis.* Propter vinacea, et fæcem nimiam. Hard.

22. *Contra pruinas*, etc. Columella, l. c. Hard.

23. *In frigidis.* In solo frigido, humidoque. Hard.

24. *Apianis.* Columella, lib. III, cap. 2, pag. 86, de vitibus Apianis: « Pluviis, ventisque, et apibus afferunt prædam, quarum vocabulo propter hanc expopulationem cognominantur. » Et hæc habet etiam Isidor. lib. XVII, cap. 5. Apiana uva in Gallia *raisin muscat:* Italis *muscatella*, a muscarum telis quibus impetitur; non a moscho, ut quibusdam visum. Hard.

25. *Ex eis duo genera.* Columella, l. c. « Duæ, inquit, lanatæ qualitate sunt dispariles, quum tardius altera recipiat cariem vetustatis. » H.

26. *Situs frigidos.* Columella, l. c. Hard.

27. *Nullæ celerius imbre putrescunt.* Isidorus, l. c. Hard. — M. *nulla celerius maturescit imbre.* Ed.

tem[28] annis accipiunt. Etruria nulla magis vite gaudet. Et hactenus potissima nobilitas peculiaribus atque vernaculis Italiæ. Cæteræ advenere Chio[29], Thasove. Græcula[30] non inferior Ammineis bonitate, prætenera acino: et uva tam parva, ut nisi pinguissimo solo colere non prosit. Eugeniam[31] Taurominitani colles cum generositatis cognomine, misere Albano tantum agro : quoniam translata statim mutatur. Namque est aliquibus tantus locorum amor, ut omnem in his gloriam suam relinquant,

5

6 nec usquam transeant totæ. Quod et in Rhætica Allobrogicaque, quam supra[32] picatam appellavimus, evenit, domi nobilibus, nec agnoscendis alibi. Fecundæ tamen, bonitatis vice copiam præstant: Eugenia ferventibus locis, Rhætica temperatis, Allobrogica frigidis, gelu maturescens, et colore nigra. Ex his, quas adhuc diximus, sed etiam e nigris vina vetustate in album colorem transeunt.

28. *Austeritatem*, etc. Pliniani interpolatores locum hunc ita ediderant : « Austeritatem annis accipiunt, et rubra fiunt. Nulla magis vite gaudet. » Quum et vox ea *fiunt* a MSS. omnibus libris absit, et quid ea verba postrema significent, obscurum sit. In MSS. Reg. 1, et Colb. 2, *accipiunt et rubra nulla magis*. In Th. *Et rubria nulla magis*. At in Reg. 2, et Chiffl. planissime, *accipiunt. Etruria nulla magis*, etc. Et sane quum cuique generi suum hactenus in Italia assignarit natale solum, Ammineis Vesuvium et Surrentinos colles, Rubellis Nomentum, Apianæ cujates sint, nusquam aperit, nisi hoc loco facit. Sic Plinius ipse inferius, hoc ipso capite de helvenaca vite : « Nulla, inquit, vitium minus Italiam amat. » H.

29. *Chio*. Tibullus, II, 1, 27 : « Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos Consulis, et Chio solvite vincla cado. » Dalec.

30. *Græcula*. *Raisins de Corinthe*. Dal. — *Græcula*. Non unius generis id nomen, aut loci est : nam Columella, l. c. pag. 87, Græcularum vitium generis esse ait Mareoticas, Thasias, Psythias, etc. H.

31. *Eugeniam*. Græcis εὐγένεια et εὐγενία nobilitatem ac generositatem sonat. Colum. l. c. pag. 86 : « Frigidum ac roscidum solum et cælum commodissime sustinent Eugeniæ, dum sunt in Albano colle : nam mutato loco vix nomini suo respondent. » Hard.

32. *Supra*. Sub finem primi capitis hujus libri. Dal. — *Quam supra picatam*. In Allobrogicis quoque vini jucunditatem cum regione mutari, prodidit Columella l. c. Hard.

Reliquæ ignobiles. Aliquando tamen cæli aut soli opera 7
non fallunt vetustatem, sicuti Fecenia[33], et cum ea florens Biturica[34], acino rarior[35], numquam floris[36] obnoxii, quoniam antecedunt, ventisque et imbribus resistunt: meliores tamen algentibus locis, quam calidis: humidis, quam sitientibus. Visula[37] magis quam denso uvarum partu,

33. *Fecenia.* Supra Rubella : sic dicta, quod fecis plus afferat, quam cæteræ. Columel. Dal. — *Sicut Fecenia.* Ita libri omnes, etiam MSS. De fæcinia seu rubelliana, egimus haud paulo superius hoc ipso capite. Num ea nunc quoque intelligatur, considerandum. Hard.

34. *Biturica. Le plant d'Orléans.* Dalec. *Biturica.* Non *Biturica*, sed *Biturigiaca*, archetypum Toletanum, magis ex etymologia a Biturigibus Galliæ Aquitaniæ populis Plinio, lib. IV, cap. 19. Pint. — *Biturica.* Colum. lib. III, pag. 21 : « Uvæ Bituricæ fructibus opimæ. » Et ejusdem libri cap. 2, pag. 87 : « Possunt tamen etiam secundæ notæ vites proventu et ubertate commendari, qualis est Biturica... Nam et vetustatem vinum earum patitur, et ad bonitatem aliquam per annos venit. Jam vero ipsæ fecunditate præstant... tum etiam patientia : quippe turbines imbresque fortissime sustinent, et commode fluunt, nec deficiunt macro solo. Frigora melius quam humores sustinent, humores commodius, quam siccitates, nec caloribus tamen contristantur. » Isidorus quoque, lib. XVII, cap. 5 : « Biturica a regione nomen sortita, etc. » In MSS. Reg. 1, Th. Colb. et Chiffl. *Bituriaca.* In Reg. 2, *Biturigiaca.* Biturigum porro Viviscorum agrum, qui nunc Burdegalensis et Vasconicus appellatur, signari hoc loco credimus; etsi sua quoque laus est Bituricensium vino, qui Cubi dicti sunt. De utrisque egimus lib. IV, cap. 33. Hard.

35. *Acino rarior.* Acini sunt uvæ grana, non nuclei, seu vinacei quæ granis singulis includuntur. H.

36. *Floris obnoxii.* Nempe tempestatibus, ut ex Columella diximus. Obnoxium præcise Latini dixere olim, quod nos imbecillum, tenerum, ac patens injuriæ. Seneca, Nat. Quæst. lib. III, cap. 26, pag. 874 : « Quam longo tempore opus est, ut conceptus ad puerperium perducatur infans? quantis laboribus tener educatur? quam diligenti nutrimento obnoxium novissime corpus adolescit? » Et Epist. 65, p. 298 : « Quidquid in me potest injuriam pati, hoc est, in hoc obnoxio domicilio animus liber habitat. » Florus, lib. IV, cap. 4, p. 175, ubi de Octavio Cæsare, « quem intra decem et octo annos tenerum, et obnoxium, et opportunum injuriæ juvenem » fuisse ait. Hard.

37. *Visula.* Libri hactenus vulgati, *Vix ulla magis quam denso.* Sinceram lectionem eruimus tum ex MSS. Reg. 1, Colb. Th. alio-

impatiens variantis cæli, sed contra tenorem unum algoris æstusve constans. Quæ minor est ex eo[38] genere, melior. In eligendo solo morosa, pingui putrescit, gracili omnino non provenit. Mediam temperiem delicate quærit, ob hoc Sabinis collibus familiaris. Uva ejus indecora visu, sapore jucunda: nisi matura protinus rapitur[39], etiam non putrescens cadit[40]. Contra grandines[41] eam tuetur foliorum amplitudo atque duritia.

8 Insignes jam colore inter purpureas nigrasque medio helvolæ[42], sæpius varianti, et ob id varianæ a quibusdam appellatæ. Præfertur in his nigrior: utraque alternis annis fertilis, sed melior vino, quum parcior. Et[43] Preciæ

rumque, in quibus *Visulla magis quam denso* legitur: tum vero maxime, quod multo est certius, ex Columella, ut in notis vidimus. Et vero Visulam aperte Plinius ipse appellat paulo inferius. Sed et voculam excidisse præterea amanuensibus autumamus, integrumque fore locum, si sic legatur, « Visula materia magis quam denso uvarum partu. » Quum scilicet ii viderent scriptum per notas et compendia, *Visula maa magis*, medias hasce litterulas, quibus materia indicatur, ceu superfluas induxere. Suspicandi causa ex Columella ipso ducitur, qui postquam de Bituricis uvis aliisque egit, lib. III, cap. 2, pag. 87: « Visulæ deinde ab his, inquit, fertiles vastis materiis, et uvis exuberant. » Sed desunt MSS. codices qui conjecturæ faveant. Itaque indico tantum, non judico. H.

38. *Quæ minor est ex eo genere.* Visulam eam dictam fuisse ostendit Columella, qui hæc omnia de Visula tradit. Dalec. — *Quæ minor.* Hæc vero Argitis proprio nomine a Columella appellatur, lib. III, cap. 2, pag. 87: « Visulæ deinde, inquit, et minor argitis terræ mediocritate lætatur, etc. » Meminit ejus Virgilius, Georg. lib. II, v. 99: « Argitisque minor, cui non certaverit ulla, Aut tantum fluere, aut totidem durare per annos. » H.

39. *Rapitur.* Sic ex MSS. em. Hard. cons. Ch. *rapiatur* Gr. et Al.

40. *Putrescens cadit.* Talis est quam Lugdunenses vocant, *des gametz*. Dal.

41. *Contra grandines.* Columella l. c. Hard.

42. *Helvolæ.* Colum. l. c. « Sunt et helvolæ, quas nonnulli varias appellant, neque purpureæ, neque nigræ, ab helvo, nisi fallor, colore vocitatæ. Melior est nigrior abundantia vini, sed hæc sapore pretiosior, etc. » Ex iis uvis vinum conficitur, dubii coloris, quod Gallis dicitur, *vin paillet*. Græci κιῤῥὸν vocant. Helvus color Varroni de R. R. lib. II, cap. 5, inter rubeum et album. Hard.

43. *Et Preciæ.* Vel *Pretiæ*; nam

duo genera magnitudine acini discernuntur, quibus materies plurima, uvaque ollis utilissima[44], folium apio[45] simile. Basilicam[46] Dyrrachini celebrant, Hispaniæ cocolobin vocant. Rarior uva, æstus austrosque tolerat; capiti inimica[47], copia larga. Hispaniæ duo genera ejus faciunt: unum oblongo acino, alterum rotundo: novissimas vindemiant. Quo dulcior cocolobis, hoc melior. Sed et austera 9
transit in dulcem vetustate[48]; et quæ dulcis fuit, in austeritatem: tunc Albanum vinum æmulantur. Tradunt vesicæ vitiis utilissimum ex his potum. Albuelis[49] summis arboribus fertilior est, Visula imis. Quamobrem circa easdem satæ diversitate naturæ locupletant. Inerticulam[50] e nigris appellavere, justius sobriam dicturi, inveterato præcipue commendabilem vino, sed viribus innoxiam; siquidem temulentiam sola non facit.

utroque nimirum modo diversis in codicibus legitur. Columella l. c. « Sicut Pretiæ (nempe viles) major et minor, quæ generositate vini commendantur, et frequentibus materiis frondent, etc. » Meminit vitis hujusce Virg. Georg. lib. II, v. 95: « Purpureæ, preciæque. » Has a maturitate quasi præcoquas appellari Servius, ut solet, divinat. H.

44. *Ollis utilissima.* Apta maxime in ollis servari, ut Venucula, de qua mox dicemus. Celso, lib. II, cap. 24: « Uvæ ex olla. » Hard.

45. *Folium apio.* Dissectis nempe alte foliis, quales Vesontione vidit Bauhinus, Herb. Univers. tom. II, lib. XV, pag. 33, cujus uvæ similes iis quas Burgundi vocant *raisins fendans.* Hard.

46. *Basilicam.* Colum. III, c. 2: « Basilicam.... Cocolubem vocant Hispani, etc. » Hodieque in Granatensi regno copiosissima, teste Christ. a Vega, in libris de Art. Med. Hard.

47. *Capiti inimica.* Tale vinum est ex ea pressum, quod Monspessulani vocant *piquardant.* Dal.

48. *Vetustate.* Dal. *vetustatem.*

49. *Albuelis.* Colum. III, c. 2: « Albuelis utilior, ut ait Celsus, in colle, quam in campo: in arbore, quam in jugo: in summa arbore, quam in ima, etc. » De Visula proxime dictum est. Hard.

50. *Inerticulam.* Colum. loc. cit. « Inerticula tamen nigra, quam quidam Græci ἀμέθυςον appellant, potest in secunda quasi tribu esse, quod et boni vini est, et innoxia: unde etiam nomen traxit, quod iners habetur in tentandis nervis, quamvis in gustu non sit hebes. » Et hæc habet etiam Isidorus, lib. XVII, c. 5. Hard.

10 Fertilitas commendat cæteras, principemque[51] helvenacam[52]. Duo ejus genera : major, quam quidam longam; minor, quam emarcum[53] appellant, non tam fecundam, sed gratiorem haustu. Discernitur folio circinato; verum utraque gracilis. Furcas subdere his necessarium : alioqui ubertatem suam non tolerant : maritimo afflatu gaudent,
11 roscido odore[54]. Nulla vitium minus Italiam amat, rara, parva, putrescens in ea; vino quoque, quod genuit, æstatem non exsuperans; nec alia macro solo familiarior. Græcinus[55], qui alioqui Cornelium Celsum transcripsit, arbitratur non naturam ejus repugnare Italiæ, sed culturam, avide palmites[56] evocantium. Ob id fertilitatem suam[57] absumi, si non præpinguis soli ubertas lassescentem sustineat. Carbunculari[58] negatur : magna dote, si verum est, aliqua in vite cælo non esse jus.

12 Æstum fert spionia[59], quam quidam spineam vocant, autumnisque et imbribus pinguescit. Quin immo nebulis una alitur, ob id Ravennati agro[60] peculiaris. Venicu-

51. *Principemque*. Dalec. *præcipueque*. Ed.

52. *Helvenacam*. Quæ et Helvica dicta est sup. cap. Nunc in Picenis, præsertim prope Maceratam colitur. Hard.

53. *Quam Emarcum*. « Quam Galliarum incolæ, inquit Columella, pag. 88, Emarcum vocant, mediocris vini, etc. » In cod. Th. *marcum*. Hard.

54. *Roscido odore*. Quid si *roscida odore* legas, ut ante nos Dalecampio visum est ? H.—Colum. III, 2: « Laudabilis est quod siccitates maxime perfert, quod frigora sustinet, dum tamen sine imbribus sit. » Ed.

55. *Græcinus*. Egimus de eo in Auctorum Indice. Hard.

56. *Avide palmites*. Carpit vinitorum præposteram festinationem, qui vites, ut palmites uvasque quam celerrime ferant, urgent avidius, spe lucri propioris. Plinius supra, cap. 3, statim initio, de vitibus : « Vis earum omnis evocatur in palmites, aut deprimitur in propagines, etc. » H. —Vitium illud dicimus, *taille trop longue*. Brot.

57. *Fert. suam*. Dal. *fertilitate sua*.

58. *Carbunculari*. De carbunculatione conf. ad XVII, 37. Hard.

59. *Spionia*. Spioniam Columella laudat pag. 88, dapsilem musto, et amplitudine magis uvarum, quam numero fertilem. Hard.

60. *Ravennati agro*. Palustri videlicet et uliginoso. Hinc est quod Martialis, lib. III, ep. LVI, Raven-

lam[61] inter optime deflorescentes, et ollis aptissimam, Campani malunt sirculam vocare, alii staculam: Tarracina numisianam[62], nullas vires proprias habentem, sed totam perinde ac solum[63] valeat. Surrentinis[64] tamen efficacissima testis, Vesuvio tenus. Ibi enim Murgentina[65] e Sicilia potissima, quam Pompeianam aliqui vocant, Latio demum feracem: sicut horconia[66] in Campania, tantum vilitatis cibariæ[67], sed ubertate[68] præcipua. Tolerat et annos mœrica[69], contra omne sidus[70] firmissima, nigro acino, vinis in vetustate rubescentibus.

(III.) Et hactenus publica sunt genera: cætera regionum locorumque, aut ex his inter se insitu mixta[1]. Si- 13

natia vina detrectans, simulque penuriam aquæ objiciens, facete ludit: « Sit cisterna mihi, quam vinea malo Ravennæ, Quum possim multo vendere pluris aquam. » Hodie tamen exsiccatis paludibus, vineisque studio excultis, vina condunt haud pœnitenda, teste Andr. Baccio, lib. V, pag. 264. Hard.

61. *Veniculam.* Cæteri venuculam vocant. Horat. lib. II, Sat. 4. « Venucula convenit ollis. » Macrob. Saturn. lib. II, cap. 16, pag. 379. Colum. pag. 84: « Ut Venucula, eademque scirpula, atque sticula, etc. » Ea in ollis condebatur, unde ollaris dicta Martiali, lib. VII, ep. XIX: « Illic et uvæ collocantur ollares. » Hodie Venetis *Marzemina.* Sic far venuculum apud Colum. lib. II, cap. 6. Hard.

62. *Tarracina numisianam.* Hanc a Venucula diversam Columella facit, pag. 84 et 88. Numesiana dicitur Isidoro, lib. XVII, c. 5. H.

63. *Perinde ac solum. Ingenium ac vires mutat*, pro varia soli *in quo seritur*, indole. Hard.

64. *Surrentinis.* E testis Surrentinis, in quibus conditur, accipere vim aliquam id vini genus videtur. De calicibus Surrentinis dicemus lib. XXXV, cap. 46. Hard.

65. *Murgentina.* Translata e Siciliæ oppido Murgento, prope Simæthum, de quo lib. III, cap. 14. Columella, pag. 88: « Ut Murgentina, eademque Pompeiana. » H.

66. *Horconia.* Fortassis quam Arelacam majorem Columella vocat. Dalec.

67. *Cibariæ.* Alii *escariam* vocant, quæ mensis tantum et cibo non item vino sit utilis. Hard.

68. *Sed ubertate.* Igitur Plinii horconia fuerit fortassis ea, quæ Columellæ arelaca major vocatur, *quam omnium quæ cognitæ sint, copiosissimam* ait esse. Hard.

69. *Mœrica.* Columellæ, III, 2, est *Merica.* In Reg. Colb. et Th. *Metica.* Hard.

70. *Omne sidus.* M. *omnes situs.*

1. *Inter se ins. mixta.* Insitione, quum ramum, ut ait Ovidius, ramus adoptat: surculo ex vite una

quidem Tuscis[2] peculiaris est Tudernis[3], atque etiam ejus nominis[4] Florentia. Est opima Aretio talpana, et etesiaca, et conseminia. Talpana nigra[5] candidum facit mustum. Etesiaca fallax, quæ quo plus tulit, eo laudabilius fundit; mirumque[6], fecunditate cessat. Conseminia nigra[7], vino minime durante, uva maxime: post XV dies, quam ulla
14 alia, metitur; fertilis, sed cibaria. Hujus folia, sicut labruscæ, prius quam decidant, sanguineo colore mutantur. Evenit hoc et quibusdam aliis, pessimi generis[8] argumento. Irtiola[9] Umbriæ, Mevanatique et Piceno agro peculiaris est, Amiternino pumula[10]. Iisdem bannanica fallax est[11]: amant tamen eam. Municipii[12] uvam Pompeii

resecto, et in alteram implantato. H.

2. *Siquidem Tuscis.* Tuscæ vites, si Martiali credimus, non admodum vino insignes. Libro I, ep. 27: « Uva nec in Tuscis nascitur ista jugis. » Hard.

3. *Tudernis.* A Tuderte; ut reor, oppido, quod olim Tuscorum fuit, ut dictum est lib. III, cap. 19. H.

4. *Atque etiam ejus nominis.* Ac pariter Tusci soli ac nominis, uva Florentia. In MSS. *atque etiam nominis Florentia.* Forte, *atque etiam nominis sui Florentia*, ut sententia sit, uvam hanc suo nomini respondere, quod numquam sit floris obnoxii. H.—Immo nomen ducit ab urbe Florentia, auct. Broter. Ed.

5. *Tolpana.* MSS. omnes *Tolpono*, a talpæ forte colore nomen sortita: ut etesia ab etesiis ventis, quibus flantibus variare ea uva creditur. Conseminia vinea Columellæ, lib. III, cap. 21, ea est, quæ ex variis vitium seminibus generibusque constat. Hard.

6. *Mirumque*, etc. Quum plurimum vitis ea tulit, tum lassescit ac deficit, atque ubertatem sterilitate mutat. Hard.

7. *Conseminio nigra. Conseminia* cognomen hic proprium est. Alioquin *Conseminalis vitis* Columellæ lib. XII, cap. 45, diversis vitium generibus consita. Dalec.

8. *Pessimi generis.* Quod judicium est e pessimo genere ac *semine* eas vites esse. Hard.

9. *Irtiola.* Vel *Irciola*, ut in MSS. Irtiolæ vitis meminit Columella, de R. R. lib. III, cap. 2, pag. 88. Andr. Baccius, lib. V, pag. 258, legit *Itriolo*, quoniam ἰτριὸν apud Athenæum ex Aristophane dulciarii genus est. Nunc utrumque nomen Italicis auribus ignotum. Pro Italiæ passulis accipi eam vocem osse idem putat, pag. 269; Meminæque agrum his uvis hodie abundare. Hard.

10. *Pumula.* Sic cod. Th. At Colb. 2, *Pomula.* Hard.

11. *Fallax est.* Haud certi constantisque proventus. Bannanica unde nomen acceperit, nescio. H.

12. *Municipii uvam Pompeii no-*

nomine appellant, quamvis Clusinis copiosiorem. Municipii[13] et Tiburtes appellavere, quamvis oleagineam nuper invenerint a similitudine olivæ. Novissima hæc uvarum ad hoc tempus reperta est. Vinaciolam[14] soli noverunt Sabini, et Laurenti[15]. Nam Gauranas[16] scio a Falerno agro translatas vocari Falernas, celerrime ubique degenerantes. Nec non Tarentinum[17] genus aliqui fecere, prædulci uva. Capnias[18], et bucconiatis, et tarrupia, in Thurinis collibus non ante demetuntur, quam[19] gelaverit. Pharia[20] gaudent Pisæ; Mutina[21] Prusinia, nigro acino, intra quadriennium albescente vino. Mirum ubi[22] cum sole circumagi uvam, quæ ob id streptos[23] vocatur. Et in Italia Gallicam placere, trans Alpes vero Picenam.

mine appellant. Exemplar Toletanum, *Municipii suam Pompeii nomine appellat.* Scribendum reor præpostero ordine, *Pompeii municipii suo nomine appellant.* Pint. — *Municipii.* Pompeianam et Tiburtinam uvam, de municipiorum nomine traxisse appellationem ait. De his municipiis egimus lib. III, cap. 9 et 17. H.— *Pompeii nomine.* Nempe a Pompeiis, nunc *Pompeia*, ruinis quam vino clarioribus. Brot.

13. *Municipii.* Vet. apud Dalec. *Matianam.* Ed.

14. *Vinuciolam. Vinaciola vitis*, inquit Baccius, lib. VI, pag. 281, « in altis arboribus sublevata, tenue et aqueæ ferme substantiæ vinum edebat. » Hard.

15. *Laurenti.* De Laurento oppido, in Ostiensi agro, lib. III, cap. 9. Hard.

16. *Gauranas.* A Gauro monte, de quo lib. III, cap. 9, quo translatæ Falernæ vites, sed ibi degeneres. H.—Mons ille (*Barbaro* quoque appellatus) eximiæ fertilitatis volcanicus est. Cf. Hamilton, *Campi Phlegræi*, t. XXVIII. Brot.

17. *Tarentinum.* De eo genere dicemus cap. 8. Hard.

18. *Capnias.* A quodam quasi colore fumi, qui καπνὸς est Græcis, sortita hæc uva nomen videtur. Hinc οἶνος καπνίας Beneventi in Italia præcellens, teste Athenæo, lib. I, pag. 31, non a fumo, quo vinum suffitum fuerit, ut Barbaro visum, sed ab uvæ colore. Hard.

19. *Quam gelaverit.* Martiali teste, lib. I, ep. xliv, in mensarum deliciis fuere, « Quæ de tardis servantur vitibus uvæ. » Hard.

20. *Pharia.* MSS. *Paria.* Ed.

21. *Mutina.* Ut Pharia Pisani agri, ita Mutinensis Prusinia peculiaris fuit. Hard.

22. *Mirum ubi.* Ita MSS. proxime laudati. Forte *ibi*: vel *ubi*, pro *alicubi.* Libri vulgati, *ubique.* Hard.

23. *Streptos.* Στρεπτὸς, versabilis, quæ circumagatur. Hard.

Dixit Virgilius [24] Thasias, et Mareotidas, et Lageas, compluresque externas, quæ non reperiuntur in Italia.

16 Sed sunt etiamnum insignes uvæ, non vino, ambrosiaca, duracina [25], sine ullis vasis [26] in vite servabilis: tanta est contra frigora, æstus, tempestatesque firmitas! Nec orthampelos [27] indiget arbore, aut palis, ipsa se sustinens: non item dactylides digitali gracilitate. Columbinæ e racemosissimis [28]: et magis purpureæ cognomine bimammiæ [29], quando non racemos, sed uvas alias gerunt. Item

24. *Dixit Virgilius.* Georg. lib. II, v. 91: « Sunt Thasiæ vites, sunt et Mareotides albæ: Pinguibus hæ terris habiles, levioribus illæ: et passo Psythia utilior, tenuisque Lageos Tentatura pedes olim, vincturaque linguam. » *Thasiæ* vites ab insula Thaso nomen habent, de qua lib. IV, cap. 23; *Mareotides*, ab Ægyptia palude cognomine, ut recte Strabo lib. XVII, pag. 796, et Scholiastes vetus Horatii, ad illud vatis ejus carmen, lib. I, Od. 37: « Mentemque lymphatam Mareotico, etc. » *Lageas* denique Macrobius quoque commendat, Sat. lib. II, cap. 16, pag. 379: « Quod ad maturitatem currant velociter, ut lepus, » dictas putat Isidor. Orig. lib. XVII, c. 5. A colore leporino alii appellationem repetunt. H.

25. *Duracina.* De ea diximus cap. sup. Hard.

26. *Sine ullis vasis.* Quibus condendis non est vasis opus, quum in ipsa vite commode asserventur. Quibus in vasis doliisve servari uvas mos olim fuerit, dicetur libro seq. cap. 18. Hard.

27. *Nec orthampelos.* Hoc est, vitis erecta, sive surrecta, de qua sup. cap. ubi et de dactylide, quæ Græcis δακτυλίς. Dactylos vocat Columella, lib. III, c. 2, p. 83. H.

28. *Columbinæ e racemosissimis.* Gr. et Al. *Columbinæ acinosissimæ.* — *Acinosissimæ.* Uvæ majores, et crassioribus acinis: racemi minores, et tenuioribus; qui fere a vindemiatore sub pampinis latentes et fallentes relinquuntur. Græcis ἐπιφυλλίδες: inde racemstio. Turn. lib. XXV, cap. 26. Dalec. — *E racemosissimis.* Ita MSS. omnes, Reg. Colb. Th. etc. Hard.

29. *Et magis purpureæ cognomine bimammiæ.* Legendum arbitror, *Et magis purpureæ cognomine bibammiæ;* hoc est, duplicis tincturæ: ut dibapha purpura, de qua supra Plinius, lib. IX, cap. 39: « Huic successit dibapha Tyria, quæ in libras denarii mille non poterat emi. » Cur vero dictæ sint Bibammiæ, illico subjicit, quod gerant diversos, hoc est, diversicolores non racemos, sed uvas, quales etiam apud nos plerisque in locis cernuntur. Pint. — *Bimammiæ.* Quoniam geminas semper uvas ferunt, quæ crassitudine mammas æmulentur. Eædem bumasti superius appellatæ. Notæ Virgilio purpureæ, Georg. l. II v. 65. Hard.

tripedanea[30], cui nomen a mensura est. Item[31] scirpula 17
passo acino[32]. Et Rhætica in maritimis[33] Alpibus appellata, dissimilis laudatæ illi[34] : namque hæc brevis, conferta acino, degener vino, sed cute omnium tenuissima, nucleo quem Chium[35] vocant, uno ac minimo, acinum prægrandem[36] unum alterumve habens. Est et nigra Amminea, cui Syriacæ nomen imponunt. Item Hispana ignobilium probatissima.

In pergulis vero seruntur[37] escariæ appellatæ, e du- 18
racinis, albæ nigræque ; et bumasti totidem coloribus ; ac nondum dictæ Ægia[38], et Rhodia[39], et uncialis[40], velut a

30. *Tripedanea.* Colum. pag. 84.

31. *Item scirpula.* Reg. Colb. Th. Chiffl. *scripula.* Hard.

32. *Passo acino.* Rugoso, sicco. H.

33. *In maritimis.* A Genua ad Vesulum montem, qui Padum fundit. Hard.

34. *Laudatæ illi.* Superiore cap. Hard.

35. *Quem Chium.* MSS. proxime laudati, *quod Chii vocant.* H.

36. *Acinum prægrandem.* MSS. iidem, *acinum prægrande.* Acinus nostris, *un grain de raisin* : nucleus, *un pepin.* Hard.

37. *In pergulis vero seruntur escariæ*, etc. Lege : « In pergulis vero seruntur escariæ appellatæ : Ederæ acinis albæ nigræque bumasti, totidemque coloribus. » Vides bumastum uvam dici, quæ acinos hederæ habet. Ergo acini ederæ Græcis proprie μαςοί. Salmas. pag. 366. — *In pergulis.* De pergulis diximus cap. 3. Hard. — *Escariæ.* Esui accommodæ, secundisque mensis. H. — *E duracinis.* Ex jam appellatis vitibus duracinas sit, et bumastos in pergulis seri : ex nondum dictis, Ægiam, Rhodiam, etc. — *In pergulis*, etc. Hæc summa fide expressa lectio a codicibus MSS. Reg. 1, 2, Colb. 1, 2, 3, Th. Chiffl. vet. Dalec et Par. In Parm. edit. *eduræ acinis.* Frobenius interpolavit, *ederæ acinis*, ex animi conjectura : cui Salmasius favit in Solin. pag. 366, ita emendans : « Ederæ acinis albæ nigræque bumasti, totidemque coloribus. » Quam emendationem et MSS. omnium consensus, et Pliniana ipsa oratio, et interpretatio nostra convellit. Nec bumastus igitur uva appellatur, ut Salmasius existimat, quæ acinos ederæ habet : neque ederæ acini, ut idem colligit ex hoc uno loco, μαςοί proprie Græcis vocantur. Hard.

38. *Ægia.* Ab Ægio Achaiæ oppido, haud procul Corintho, de quo lib. IV, cap. 6. Hard.

39. *Rhodia.* Virgil. Georg. lib. II, v. 101 : « Non ego te, mensis et diis accepta secundis, Transierim, Rhodia. » Meminit et Macrobius, Sat. lib. II, cap. 16, pag. 279. Eadem Hipponia appellata, apud Athen. lib. XIV, pag. 654. H.

40. *Uncialis.* Unciaria. Colu-

pondere acini. Item picina[41] omnium nigerrima : et coronario naturæ lusu stephanitis[42], acinos foliis intercursantibus : et quæ forenses[43] vocantur, celeres proventu, vendibiles aspectu, portatu faciles. Contra damnantur etiam visu cinerea, et rabuscula[44], et asinusca[45]; minus
19 tamen, caudas vulpium imitata, alopecis[46]. Alexandrina appellatur vitis circa Phalacram[47] brevis, ramis cubita-

mellæ, lib. III, cap. 2, pag. 84, et Isidoro, lib. XVII, cap. 5. H.

41. *Item picina.* Ita MSS. Reg. Colb. Th. Chiffl. etc. a colore picis. Prius *Pucina* legebatur. At aliud Pucinum vinum est, de quo cap. 8. Hard.

42. *Stephanitis.* Hoc est, coronaria. Et in coronam quoque vites ponuntur, ut in Gallia Narbonensi. Quin etiam, inquit Car. Stephanus in Vineto, pag. 298, non longe ab Aurelianensi agro, vites jugatæ, sive simplici jugo canteriatæ, ita collocantur, ut unumquodque jugum aut canterium vites in coronam ducat, nec tam ornamenti, quam ubertatis gratia. Verum hæc omnia artis sunt et culturæ: quod Plinius genus uvæ laudat, sic plane a natura est : nec alio ritu coronam imitatur, quam quod uvæ intercursantibus foliis distinguantur; ut in coronis folia floribus admiscentur. Stephanitæ vites et a Columella laudantur, l. c. Hard.

43. *Forenses.* Etiam vetusto nomine retento rusticis nostris, *des foirars.* Hard.

44. *Rabuscula. Ravuscula*, colore ad ravum inclinante. Asinisca, asini colore, quemadmodum in hoc Virgilii versu : « Et passo Psythia utilior, tenuisque Lageos. » Servius exposuit leporis colore. Brod. lib. IV, cap. 25. Dal. — *Et rabuscula.* In MSS. *rabucula.* Forte, *ravuscula*, ob colorem, qui ad ravum, hoc est, ut Nonius interpretatur, ad fulvum, inclinet. H.

45. *Asinusca.* Ita MSS. et Macrobius, l. c. Hard.

46. *Alopecis.* ἀλωπεκίς. *Raisins barbus.* Hard.

47. *Alexandrina appellatur vitis circa Phalacram.* Scribo *Phalacras* numero plurium, ex Theophrasto, lib. III, cap. 17; « Vitis, inquit, nascitur ea parte Idæ quam vocant Phalacras, » adstipulante etiam Stephano. Pint. — *Alexandrina.* Ab Alexandria Troadis, non Ægypti, juxta montem Idam : unde Idæa vitis a Theophrasto dicitur, Hist. lib. III, c. 17, ἄμπελος παρὰ Ἴδης; cujus montis pars Phalacra est. Scholiastes Nicandri, pag. 53: Φαλάκρα, ἀκρωτήριον Ἴδης. Hesychius : Φαλάκραι, τόπος τῆς Ἴδης. Φάλακρον, ἀκρωτήριον Ἴδης. Quæ in Apennino vocatur *Vigna dell' Orso*, hanc Idæam vitem esse aiunt Aloys. Anguillara et Roh. Constantinus : eamdemque ἀρκτοσταφύλην Galeno dictam lib. VIII, κατὰ τόπους, cap. 4. Verum hujus Galenicæ vitis fructus austerus, dulcis Idææ est. H. — Cl. Tournefort, *Voyage*, t. I, pag. 62, vitem illam in monte Ida quæsivit, nec reperit. Brot.

libus, acino nigro fabæ magnitudine[48], nucleo molli et minimo, obliquis racemis prædulcibus[49], folio parvo et rotundo, sine divisuris. Septimo hinc anno[50], in Narbonensis provinciæ Alba[51] Helvia, inventa est vitis uno die deflorescens: ob id tutissima[52]. Narbonicam vocant, quam nunc tota provicia conserit.

V. (IV.) Catonum ille[1] primus, triumpho et censura 1
super cætera insignis, magis tamen etiamnum claritate
litterarum, præceptisque omnium rerum expetendarum
datis generi romano[2], inter prima vero agrum colendi,
illius ævi[3] confessione optimus ac sine æmulo agricola,
pauca attigit vitium genera, quarumdam ex iis jam etiam
nominibus abolitis. Separatim toto tractatu sententia ejus
indicanda est, ut in omni genere noscamus, quæ fuerint
celeberrima, anno sexcentesimo Urbis, circa captas Carthaginem[4] ac Corinthum, quum supremum is diem obiit,
et quantum postea CCXXX annis[5] vita profecerit. Ergo de 2
vitibus[6] uvisque ita prodidit[7]: qui locus vino optimus

48. *Acino nigro fabæ magnitudine.* Acino nigro, dulci, oblique ramis adhærente, fabæ magnitudine, qui vinaceo simile quippiam intus continet, molle, folio parvo, etc. Theophr. DALEC.

49. *Racemis prædulcibus.* Racemus Græcis βότρυς, Gallis, *une grappe*, ea scilicet uvarum testa, quæ plurima grana continet. H.

50. *Septimo hinc anno.* Sic Reg. 1 cod. et Colb. 3, aliique, non ut vulgati libri, *septem his annis.* H.

51. *Alba*, etc. Vulgo, *Aubenas de Vivarais.* H. —Nunc *Alps.* BROT.

52. *Ob id tutissima.* Nam quum uno die deflorescat, vix est in eam imbribus tempestatibusque jus. H.

V. 1. *Catonum ille.* Major idem et Censorius appellatus: de cujus triumpho e citeriore Hispania, Plutarchus in ejus vita, pag. 342; de Censura, pag. 345. HARD.

2. *Romano.* Dal. *humano.*

3. *Illius ævi.* Reg. 1 et Colb. 3, *ille vero ævi.* Reg. 2, et Chiffl. *ille ævi.* HARD.

4. *Carthaginem*, etc. Eodem utraque urbs excisa anno Urbis nempe DCVIII, quod de Corintho quidem disertis verbis Plinius asseverat, lib. XXXIV, cap. 3. De Carthagine, Velleius, lib. I. H.

5. *CCXXX annis.* Scripsisse se hoc opus significat ann. U. C. 830. HARD.

6. *Ergo de vitibus.* Hæc in Catonis libro de R. R. exstant, cap. 6, pag. 12 et 13. HARD.

7. *Ita prodidit.* Cap. 6 et 7. DAL.

dicetur esse, et ostentus solibus Ammineum minusculum, et geminum Eugenium, Helvinum minusculum[8] conserito. Qui locus crassior aut nebulosior, Ammineum majus, aut Murgentinum[9], Apicium Lucanum serito. Cæteræ vites miscellæ maxime in quemvis agrum conveniunt. In lora recte conduntur[10]. Quas suspendas[11] duracinas, Ammineas majores: vel ad fabrum ferrarium[12] pro passis hæ recte servantur. Nec sunt vetustiora de illa re latinæ linguæ præcepta: tam prope ab origine rerum sumus. Ammineam proxime dictam, Varro Scantianam[13] vocat.
3 In nostra ætate pauca exempla consummatæ hujus artis

8. *Helvinum minusculum*. Scribo *Helveolum minusculum*, ex Catone ipso, cap. 6. Confirmat etiam Varro repetitis Catonis verbis, lib. I, cap. 25, et Columella, lib. III, cap. 2. Sunt et helveolæ quas nonnulli varias appellant, neque purpureæ, neque nigræ, ab helvo, nisi fallor, colore. Pint. — *Helvinum*. Reg. 1 et Chiffl. *helvium*. Reg. 2, Colb. et Th. *helvinum*. Cato helveolum vocat, et verbis iisdem Varro de R. R. lib. I, c. 25 (quod melius putat Broterius. Ed.). De his uvarum generibus nominibusque diximus sup. cap. Hard.

9. *Aut Murgentinum, Apicium, Lucanum serito*. Cato prædicto cap. Pint. — Verba Catonis æque ab Harduino laudata v. sq. nota. — *Apicium*. Cato, l. c. « Qui locus crassus erit, aut nebulosior, ibi Ammineum majus, aut Murgentinum, aut Apicium Lucanum serito. » Sic Varro quoque, l. c. H.

10. *In lora recte conduntur*. Scribo *olla*, non *lora*. Sed complura ut conjicio verba hic desiderantur ex ipso Catone, ex cujus cap. 7 puto legendum hoc pacto: « Amineum minusculum et majusculum et apicium, hæc in ollis, ollæ in vinaceis conduntur, eadem in sapa et musto in olla recte conduntur. » Pint. — *In lora*. Quid lora sit, dicemus cap. 12. Hard. — Nobis, *le rapé*. Brot.

11. *Quas suspendas*. Subintellige, idoneas esse. Cato, l. c. « Quas suspendas, duracinas, Ammineas majores, et Scantianas opportunissimas esse. Vel ad fabrum ferrarium pro passis eæ recte servantur. » H.

12. *Vel ad fabrum ferrarium*. Ambustus etiam locus, potest vero resarciri ex Catone sic: « Et Scantianas opportunissimas esse. Hæ et ad fabrum ferrarium pro passis recte servantur. » Pint. — *Vel ad fabrum*. Si fumo fabrili exponantur, ut dictum est cap. 3. Hard.

13. *Scantianam*. A Scantio haud dubie, a quo multo postea duxit originem paterno genere, quæ in nummo aureo, ex Gaza Regia, appellatur MANLIA SCANTILLA AVG. A Scantio enim fit Scantilla, ut a Lucio fit Lucilla, Plautilla a Plantio. Hard.

fuere : verum eo minus omittenda, ut noscantur etiam
præmia, quæ in omni re maxime spectantur. Summam
ergo adeptus est gloriam Acilius Sthenelus e plebe liber-
tina, LX jugerum non amplius vineis excultis in No-
mentano agro[14] atque $\overline{CCCC}$ nummum[15] venumdatis.
Magna fama et Vetuleno Ægialo perinde libertino fuit, in
Campaniæ rure Liternino[16], majorque etiam favore homi-
num, quoniam ipsum Africani[17] colebat exsilium. Sed 4
maxima[18], ejusdem Stheneli opera, Rhemmio Palæmoni,

14. *In Nomentano agro.* Martialis, lib. I, ep. 106, de vino Nomentano: « In Nomentanis, Ovidi, quod nascitur agris, Accepit quoties tempora longa merum, Exuit annosa mores nomenque senecta, Et quidquid voluit, testa vocatur anus. » Hard.

15. *$\overline{CCCC}$ nummum.* Ita Reg. 2, aliique, hoc est, quadringenties nummum, sive sestertium millibus: nam lineola superposita, ut sæpe monuimus, centena millia subintelligi indicat. Sunt ea monetæ Gallicæ, Turonicæ, ut aiunt, libræ 4,000,000, seu quatuor milliones: qua ex æstimatione, libris circiter 67,100 jugerum unum quodque veniit: quod pretium sua se magnitudine, nimioque excessu commendat. Quod si cccc millibus nummum, cum Hermolao legi malis, cui haud sane assentimur, esset modo pretium 60 jugerum, libris taxatum 40,000, singulorum vero jugerum, libris fere 671: quod si verum foret, imminuisse tunc communem vinearum taxationem Acilius, non auxisse deprehenderetur. H.—Broterius edidit *CCCC*, nempe omisso millesimo numero, qui plerumque in MSS. omittitur.

16. *In Campaniæ rure Liternino.* De quo vide supra lib. III, cap. 9. Hard.

17. *Africani.* Augustin. de Civit. Dei, lib. III, cap. 21: « Scipio ille Romæ, Italiæque liberator, ejusdemque belli Punici confector, victor Hannibalis, domitorque Carthaginis... inimicorum accusationibus cessit, carensque patria, quam sua virtute salvam et liberam reddidit, in oppido Liternensi egit reliquam, complevitque vitam, etc. » Idem tradunt Valer. Max. lib. V, cap. 3, pag. 258, et Livius, lib. XXXVIII, pag. 485. Hanc Liternam Scipionis Africani villam describit egregie Seneca, ep. 86, pag. 373 et 374: « In ea villa, inquit, didici ab Ægialo, diligentissimo patrefamiliæ (is enim nunc hujus agri possessor est), quamvis vetus, arbustum posse transferri. » Unde Ægiali quæ fuerit ætas, intelligimus. Hard.

18. *Sed maxima.* Palæmoni, inquit, grammatica quoque arte claro, ante xx annos mercato rus sexcenties millibus nummum, maxima contigit fama, ejusdem Stheneli opera, hoc est, dum in colendis suis vineis culturam Stheneli

alias grammatica arte celebri, in hisce XX annis mercato
rus [19] $\overline{DC}$ nummum [20] in eodem Nomentano decimi lapidis
ab Urbe diverticulo. Est autem usquequaque nota vilitas
mercis [21] per omnia suburbana, ibi tamen maxima, quo-
niam et neglecta per indiligentiam prædia paraverat, ac
ne in pessimis quidem elegantioris soli. Hæc aggressus
excolere, non virtute animi, sed vanitate primo, quæ
nota mire in illo fuit [22], pastinatis de integro vineis cura
Stheneli, dum agricolam imitatur [23], ad vix credibile mi-
raculum perduxit, intra octavum annum $\overline{CCCC}$ num-
5 mum [24] emptori addicta pendente vindemia: cucurritque
nemo non [25] ad spectandas uvarum in iis vineis strues,

imitator. Sic paolo post, *cura Stheneli, dum agricolam imitatur.* De Rhemnio Palæmone multa Suetonius, lib. de illustr. Gramm. cap. 23. Tiberii et Claudii temporibus vixit. HARD.

19. *Mercato rus.* Ruris nomine certum aliquem jugerum modum a Plinio onoc signari noo dubitandum. Centuriam Budæus intelligit, quam in agris jugera duceota significare auctor est Columella, de R. R. lib. V, cap. 1, cum Varrone, de L. L. lib. IV. HARD.

20. *$\overline{DC}$ nummum.* Centena millia, ut prius, lioeola superposita signari remor; sont autem sexcenties sestertinm ceotena millia, gallicæ libræ 6,000,000. H. — Broterius *DC*, sine lineola superposita. ED.

21. *Vilitas mercis.* Prædiorum ac fundorum. DALEC. — *Vilitas.* Maxima fuit, ioquit, vilitas pretii, rore illo prioris domini negligeoti cultora male habito: et alioqui coostituto in Nomentaui agri haud feracissimo tractu. HARD.

22. *Quæ nota mire in illo fuit.* Noo sunt hæc verba spuria, ut Pintianus censuit, sed geouinus auctoria fetns, carpentis obiter grammatici mores, ut paulo post et Seuecæ, « Principiis tum eruditionis ac potentiæ, quæ postremo oimia fuit super ipsuio. » H.

23. *Cura Stheneli, dum agricolam imitatur.* In archetypo Toletano aliter: « Cura Stheleni agricolam imitatus. » Legeodum reor, « cura Stheneli agricolæ iovitatus. » Porro verba quæ statim ante præceduot, « uon virtute animi, sed vanitate, quæ primo nota mire in illo fuit, » nou Plinii, sed aliena esse duco. Nec eoim Plinio historiam oaturæ scribenti tantuio otii superfuisse verisimile est, nt grammatici mores tam curiose nobis describeret. PINT. — *Cura Stheneli.* Adhibens culturæ genus illud quo Stheoeli agricola, ex præscripto ejus, uteretur. HARD.

24. *$\overline{CCCC}$.* Quadringeoties sestertium. H.—Broter. ut sup. *CCCC*, omisso millesimo numero. ED.

25. *Cucurritque nemo non.* Prius

litteris ejus[26] altioribus contra id pigra vicinitate sibi patrocinante : novissime Annæo Seneca[27], principe tum eruditionis, ac potentiæ[28] quæ postremo nimia fuit[29] super ipsum[30], minime utique miratore inanium, tanto prædii ejus amore capto, ut non puderet[31] inviso alias et osten-

legebatur, non mendose utique, *non nemo*. Hard.

26. *Litteris ejus altioribus contra id pigra vicinitate sibi patrocinante.* Emendatius ut puto legetur, « Litteris a latrantibus contra, impigra vicinitate sibi patrocinante. » Pint. — *Litteris ejus altioribus*, etc. Putabatur enim, quod insigniter esset litteratus, rectius potuisse et scivisse agrum colere. Dalec. — *Litteris ejus*. Vicini, inquit, non eamdem adhibentes in colendis vineis suis diligentiam, quum fructus multo tenuiores deinde perciperent, pigritiam suam altioribus ejus litteris excusabant : quasi is reconditiore quadam doctrina præditus, veneficiis, magicisque incantationibus, non operoso culturæ genere tam insignem uvarum profectum assequeretur. Habet aliud prorsus affine, nec minus lepidum, Plinius noster, lib. XVIII, cap. 8, de C. Furio. Hard.

27. *Novissimè Annæo Seneca.* Emendemus errorem publicum, omnes enim *Anneus* penultima correpta scribunt et proferunt, quæ longa est diphthongo, ut manifestum facit Terentiani versus : « Annæus Seneca et Pomponius ante Secundus. » Verba autem quæ sequuntur, « Principe quum eruditionis, ac potentia quæ postremo nimia fuit super ipsum, » non redolent Plinium, putamusque falso Plinio attribui. Pint. — *Novissime Annæo Seneca*. De his Senecæ vinetis Columel. lib. III, cap. 3, et ipse Epist. 105. Dalec.

28. *Ac potentiæ.* De potentia Senecæ et auctoritate, locuples testis est Tacitus, Annal. lib. XIV, pag. 236, scribens accusatum apud Neronem fuisse Senecam, « tamquam ingentes, et privatum supra modum evectas opes adhuc augeret, quodque studia civium in se verteret : hortorum quoque amœnitate et villarum magnificentia, quasi principem supergrederetur : » (ejusdem verba hæc sunt :) « Verum mors Burrhi infregit Senecæ potentiam, etc. » Intra quadriennium regiæ amicitiæ ter millies sestertium paravisse auctor est idem, Annal. lib. XIII, pag. 204, et Dio, lib. LXI, pag. 694, hoc est, monetæ gallicæ libras, ut vocant, 30,000,000, sive triginta milliones. Hard.

29. *Nimia fuit.* Neronem in Senecæ perniciem excitavit. Forte rectius, *Nimia ruit super ipsum*. H.

30. *Super ipsum.* In ejus calamitatem ac exitium. Dal.

31. *Ut non puderet.* Exemplar Toletanum, « Ut non puderet inviso alias regiones et ostentaturo » ; scribendum arbitror, « ut non puderet iu ipsa illa regione Nomentana tradere palmam, » ex Columella, scribente vineas Senecæ in Nomentano

taturo tradere palmam eam, emptis quadruplicato [32] vineis illis intra decimum fere curæ annum : digna opera, quæ in Cæcubis Setinisque agris proficeret; quando et postea sæpenumero septenos [33] culeos singula jugera; hoc est, amphoras centenas quadragenas musti dedere. Ac ne quis victam in hoc antiquitatem arbitraretur, idem Cato [34] denos culeos [35] redire ex jugeribus scripsit, efficacibus exemplis non maria plus temerata [36] conferre mercatori, non in Rubrum littus Indicumve merces petitas, quam sedulum ruris larem [37].

fuisse. Pint. — *Ut non puderet*, etc. Et superba arrogantia, qua natas secum litteras atque morituras jactabat, et insolentissima maledicentia, qua Varronem, tantum virum, porcum appellabat. Dalec. — *Ut non puderet*. Non puduit Senecam, inanium rerum alioqui minime miratorem, tam insignis culturæ palmam tradere Palæmoni, inviso alias homini; quique ob peculiarem vanitatem, ingenitamque jactantiam, in suæ industriæ ostentationem, cum magna Senecæ emptoris invidia, ambitiose de ea foret gloriaturus: non puduit, inquam, Senecam confiteri, eximium in colendo agro, ac singularem virum fuisse Palæmonem; neque id verbis modo confiteri, sed facto; emptis nempe vineis illis quadruplicato pretio, quo Palæmon ipse coemerat. Hard.

32. *Quadruplicato*. Emerat Palæmon sexcenties sestertium, ut diximus : quæ summa quadruplicata efficit gallicæ monetæ libras 24,000,000. Laudat Juvenal. Sat. 10, v. 16 : « Magnos Senecæ prædivitis hortos. » H. — Brot. emptas esse vineas interpretatur $\overline{XXIV}$ *nummum*, non $\overline{MMCD}$, ut Hard. Ed.

33. *Septenos*. Octonos Columella, lib. III, cap. 3, p. 90. Culeus mensura vicenas amphoras continens, vel quod idem est, urnas quadragenas : hac nulla major liquoris mensura. Culeus modios nostros duos et semis capiebat, inquit Budæus, de asse, lib. V. Amphora pars est octava modii nostri : *la huitième partie d'un muid*. Hard.

34. *Idem Cato*. In libro Originum, quem Varro in hanc ipsam rem laudat, de R. R. lib. I, cap. 2 : « Annon M. Cato scribit in libro Originum sic ? Ager gallicus romanus vocatur, qui viritim cis Ariminum datus est ultra agrum Picentium. In eo agro aliquotfariam in singula jugera dena cullea vini fiunt. » Hard.

35. *Denos culeos*. Sexenas urnas. Columel. lib. III, cap. 3. Dalec. — Quindenos culeos Fulv. Ursin. ad Varr. de R. R. lib. I, c. 2, p. 15.

36. *Temerata*. Mercatorum audacia et lucri cupiditate, ac naufragiis. Hard.

37. *Larem*. Dalec. *laborem*. Ed.

VI. Vino antiquissima claritas Maroneo[1], in Thraciæ 1
maritima parte genito, ut auctor est Homerus[2]. Neque
enim fabulosa, aut de origine varie prodita consectamur,
præterquam Aristæum[3] primum omnium in eadem gente
mel miscuisse vino, suavitate præcipua utriusque naturæ
sponte provenientis. Maroneum vicies tanto addito aquæ
miscendum Homerus prodidit[4]. Durat[5] etiam vis eadem
in terra generi, vigorque[6] indomitus. Quippe quum Mu- 2
cianus ter consul ex his qui nuperrime prodidere, sextarios[7] singulos octogenis[8] aquæ misceri compererit præsens in eo tractu[9]. Esse autem colore nigrum, odoratum, vetustate pinguescere. Et Pramnio[10], quod idem Homerus[11] celebravit, etiam nunc honos durat. Nascitur

VI. 1. *Maroneo.* Μάρων rex Thraciæ. Cratino apud Pollucem vinum Maroneum : οὔτ' ὤπιον τοσοῦτον, οὐδὲ μάρωνα πίομαι. Dalec. — *Maroneo.* Athenæo, lib. I, pag. 26 : ὁ τοῦ Μάρωνος οἶνος. A Marone Evanthei filio, Bacchi nepote, Thraciæ rege, nomen habet, a quo et Maronea ejusdem oræ civitas, de qua lib. IV, cap. 18. Hodie *Marogna.* Vini tam nobilis vix hodie restare nomen ait Andr. Baccius, lib. VII, pag. 335. Hard.

2. *Auctor est Homerus.* Odyss. IX, v. 197. Hard.

3. *Aristæum.* De eo diximus lib. VII, cap. 57. Hunc τὰ μελισσουργικὰ invenisse primum scribit Apollonii Scholiastes ad Argon. lib. II, v. 500. Hard.

4. *Homerus prodidit.* Ejus hæc carmina l. c. v. 208 : Τὸν δ' ὅτε πίνοιεν μελιηδέα οἶνον ἐρυθρὸν, Ἓν δέπας ἐμπλήσας, ὕδατος ἀνὰ εἴκοσι μέτρα Χεῦ'· ὀδμὴ δ' ἡδεῖα, etc. H.

5. *Durat etiam vis eadem*, etc. Huic *vini* generi in eadem *illa* terra durat ea generositas. Hard.

6. *Vigorque.* MSS. omnes, *rigorque.* Hard.—Broter. *rigor.* Ed.

7. *Sextarios.* Sextarius congii sexta pars fuit : inde nomen : eam mensuram capiebat, teste Budæo, quam lingua nostra ternos septariolos vocat, hoc est, ternos semisextarios, *trois demi-setiers :* hic dodrans est pintæ Parisiensis, quæ quaternos capit. Hard.

8. *Octogenis.* Sic MSS. omnes, non *octonis*, quod interpolatorum obtrusit audacia. Hard.

9. *Præsens in eo tractu.* Commodius legendum Pintianus putat *præses*, quam *præsens.* Ed.

10. *Et Pramnio.* Ex eo caseo et polenta, Iliad. Λ, Hecamede τὸν κυκεῶνα parat. Dalec. — *Pramnio* Schol. Nicandri in Alexiph. p. 58 : Πράμνιος δὲ οἶνος, ἀπὸ ἀμπέλου Πραμνίας, ἣν καὶ ψιθίαν τινὲς καλοῦσιν.

11. *Idem Homerus.* Iliad. Λ, v. 638, Οἴνῳ Πραμνείῳ, etc. Hard.

Smyrnæ[12] regione, juxta delubrum Matris Deum. In reliquis claritas generi[13] non fuit alicui. Anno[14] fuit omnium generum bonitas, L. Opimio[15] consule, quum C. Gracchus[16] tribunus plebem seditionibus agitans interemptus: ea cæli temperies fulsit, quam cocturam[17] vo-
3 cant, solis opere[18], natali Urbis DCXXXIII[19]; durantque adhuc vina ducentis fere[20] annis, jam in speciem redacta

12. *Smyrnæ*. Et in Icaro insula, ubi scopulus Pramnius, nude vino nomen, teste Eparchide apud Athenæum, lib. I, pag. 30. Et in Lesbo, teste Ephippo apud eumdem, pag. 28. Et in Ephesino agro, qui Smyrneusi finitimus, teste Alciphrone, ibidem, pag. 31. H.

13. *In reliquis claritas generi*, etc. Legend. « In reliquis claritas generi non fuit alicui, anno fuit omnium generum bonitatis L. Opimio consule, quum C. Gracchus tribunus plebem seditionibus agitans, interemptus, ea cæli temperies fulsit, cocturam vocans solis opere, Natali Urbis DCXXXIII. » Anno fuit claritas bonitatis omnium generum. Salm. pag. 467, b.

14. *Alicui. Anno.* Inde novæ sententiæ petunt initium codices omnes MSS. Reg. Colb. Th. etc. Prius legebatur in vetustis editionibus, Romana, anni 1470, Parm. 1476, aliisque, « claritas generi non fuit alicui. Anno fuit, etc. » quod nunc videtur rectius: nisi cui magis etiam arriserit, « Annus fuit omnium generum bonitatis: » quoniam hæc vox postrema in plerisque MSS. sic legitur. Hard.

15. *L. Opimio.* Q. Fabio Max. Allobrogico collega. Hard.

16. *C. Gracchus.* Vide quæ dicenda sunt lib. XXXIII, c. 14. H.

17. *Cocturam.* Quum fructus est bene solibus coctus, ut Plinius alibi dicit: quod in omni genere vini hoc Opimii consulatu contigit. Martialis, lib. II, ep. 40: « Cæcuba saccentur, quæque annus coxit Opimi. » Et lib. III, ep. 26: « Massica solus habes, et Opimi Cæcuba solus. » Et Petronius: « Falernum Opimianum. » Hard.

18. *Opere.* Dal. *vapore.* Ed.

19. *DCXXXIII.* Ut diximus lib. II, cap. 29, dicemusque iterum cap. 16 libri ejus. Tamen hoc loco in MS. Parisiensi legitur, « natali Urbis sexcentesimo tricesimo quarto. » Hard.

20. *Ducentis fere.* Minus annis tribus: nam scripsisse hæc ipse prodit anno DCCCXXX, ut vidimus sup. capite. — *Ducentis.* Quum hac forma loquendi Plinius noster, temporis notam quo hæc edidit, post vini Opimiani ætatem, satis aperte signet: quidam existimarunt se posse Petronii Arbitri ævum pariter agnoscere ex iis verbis ejus Satyrici, pag. 114: « Statim allatæ sunt amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ, quarum in cervicibus pittacia erant affixa cum hoc titulo: FALERNVM OPIMIANVM ANNORVM CENTVM. » Referunt alii hunc scriptorem ad Ne-

mellis asperi : etenim hæc natura vinis in vetustate est; nec potari per se queunt, si non pervincat aqua, usque in amaritudinem[21] carie indomita. Sed cæteris[22] vinis commendandis minima aliqua mixtura medicamenta sunt : quod, ut ejus temporis æstimatione in singulas amphoras centeni nummi statuantur, ex his tamen, usura multiplicata semissibus[23], quæ civilis ac modica[24] est, in C. Cæ-

ronis, ad Antonniorum alii, alii ad Gallieni principatum : nullo sane omnes satis idoneo ducti argumento HARD.

21. *In amaritudinem*. Quam caries vetustatis induxit : quæ nec domari, nisi plurimum aquæ misceatur, queat. Catull. ep. XXVII : « Minister vetuli puer Falerni, Inger mi calices amariores : » hoc est, meraciores, ob vetustatem amariores. Cur autem vetustate vinum amarescat, disce ex Theophrasto, de Causis lib. VI, cap. 10, pag. 362. Plinius, lib. XXIII, cap. 22 : « Quo generosius vinum est, hoc magis vetustate crassescit, et in amaritudinem corpori minime utilem coit. » HARD.

22. *Sed cæteris*. Vina, inquit, quæ ab Opimio consule usque ad præsens durant, minima portione addi solent ad alia vina, commendationis et suavitatis gratia; et ob id medicamentorum pretio veneunt : nam ut eo tempore, hoc est, Opimii consulatu, licitatum vinum putemus in singulas amphoras, nummis sestertiisque centenis (gallicæ monetæ sunt libræ omnino decem) : tamen ex his amphoris singulas uncias Caio principe constitisse vidimus tot nummis, sive sestertiis, quot usura centenum illorum continet, per annos CLX, multiplicata semissibus : quæ usura civilis et modica est. Usura semissis est, quum de centenis nummis semis in mense redit, in anno nummi seni : Galli dicunt, *six pour cent :* sive, quod eodem recidit, quum e centenis assibus semis as in mense, sive semissis lucri fit (unde usuræ semissi primo nomen), in anno asses seni penduntur : uti ex Columella constat, lib. III, cap. 3, pag. 92. Vide quæ de usura centesima appellata Gothofredus habet in Cod. Theod. lib. II, tit. 33 de usuris, lib. I, pag. 234, et quæ Justellus in Cod. eccl. univ. pag. 74. Itaque si amphora, sive quadrantal (id est, ut Festo placet, verbo *Publica pondera*, LXXX vini libræ), Opimio consule centum nummis veniit : faciunt autem LXXX libræ uncias DCCCCLX; efficitur ut semisses usuræ, hoc est, nummi seni annorum CLX nummos DCCCCLX inferant : atque ita singulæ vini unciæ DCCCCLX nummis, sive sestertiis constitere: quæ monetæ nostræ libræ sunt XCVI. HARD. — Fallitur Harduinus. Vide notam ad calcem hujus libri, pag. 370. ED.

23. *Usura multiplicata semissibus*. Usura semissium in singulos annos adsueta, in centenarium sex, in millenarium sexaginta. DALEC.

24. *Quæ civilis ac modica*. Sic

saris[25] Germanici filii principatu, anno CLX singulas uncias vini[26] constitisse nobili exemplo docuimus, referentes vitam Pomponii[27] Secundi vatis, cœnamque quam Principi
4 illi dedit. Tantum pecuniarum detinent vini apothecæ! Nec alia res majus[28] incrementum sentit ad vicesimum annum, majusve ab eo[29] dispendium, non proficiente pretio. Raro quippe adhuc fuere, nec nisi in nepotatu, singulis testis millia nummum[30]. Viennenses soli picata sua[31], quorum genera diximus, pluris permutasse[32], sed inter sese amore patrio creduntur: idque vinum frigidius reliquis existimatur in frigido potu.

1 VII. (V.) Vino natura est[1], hausto accendendi[2] calore viscera intus, foris infuso refrigerandi. Nec alienum fuerit commemorare hoc in loco, quod Androcydes sapientia

Persius, Sat. V, v. 149, quincunces usuras *modestas* vocat : « Quid petis, ut nummi, quos hic quincunce modesto Nutrieras, peragant avidos sudare deunces? » Hard.

25. *Caii Cæsaris.* Quem Caligulam nuncuparunt alii, Plinius numquam. Hard.

26. *Annis CLX singulas uncias vini.* Sors in singulas ampboras Opimio cos. nummi 100. Annua usura semissis 160, annorum efficit 960, quibus si addas sortem, nempe 100, summa sortis et multiplicatæ usuræ futura est 1060. Dalec. — *Annis CLX singulas uncias vini.* Lego *nummis*, non *annis.* Pint. — *Anno CLX.* Post annos CLX ab Opimio consule ; nempe ann. U. 893, Caii Principis quarto. Hard.

27. *Pomponii.* De eo diximus lib. VII, cap. 18. Hard.

28. *Nec alia res majus*, etc. Hinc explere liceat præceptum, seu regulam Varronianam de Re Rust. lib. I, cap. 65. Dalec.

29. *Majusve ab eo.* Post eum annum, nempe vicesimum. Hard.

30. *Millia n.* Si ad Plinianorum temporum rationem spectes, monetæ nostræ sunt fere 170 fr. Ed.

31. *Picata sua.* De quibus egimus, cap. 3. Hard.

32. *Permutasse.* Ch. *permutare.*

VII. 1. *Vino natura est.* Οἶνος Græcis, vel διὰ τὸ τῆς οἰήσεως ἐμπίπλασθαι τὸν νοῦν : vel ἀπὸ τῆς ὀνήσεως. Nam, ut ait Homerus : ὀνήσεαι αἴκε πίησθα. In levandis curis vini utilitatem versus hi Homerici declarant : Οἶνόν τοι Μενέλαε θεοὶ ποίησαν ἄριστον Θνητοῖς ἀνθρώποισιν ἀποσκεδάσαι μελεδῶνας. Dal.

2. *Accendendi calore.* Αἴθοπα οἶνον Homerus vocat, ἐπικεκαυμένον τὴν ὄψιν, μέλανα ἢ ἐρυθρόν : vel θερμὸν, καὶ ἐκκαίοντα, παρὰ τοῦ αἴθειν. Plutarchus interpretatur λαμπρὸν, καὶ διαυγῆ. Dal.

clarus ad Alexandrum Magnum scripsit, intemperantiam ejus cohibens: « Vinum poturus[3], rex, memento te bibere sanguinem terræ[4]: cicuta hominum venenum est[5], cicutæ vinum. » Quibus præceptis si ille obtemperavisset, profecto amicos in temulentia non interemisset[6]. Prorsus ut jure dici possit, neque viribus corporis utilius aliud[7], neque aliud voluptatibus perniciosius[8], si modus absit.

3. *Poturus.* Sic ex MSS. em. Hard. cons. Ch. *potaturus* Gron. et Al. Ed.

4. *Memento te bibere sanguinem terræ.* Lego contra omnia exemplaria, et contra omnium hactenus sententias, *Memento te bibere sanguinem tauri*, id est, venenum; nam sanguinem tauri mortiferum esse haustu præter Paulum, Aetium, Dioscoridem, Nicandrum, Psellum, et omnem medicorum scholam, Plinius quoque prodit lib. XI, cap. 38 : « Taurorum, inquit, sanguis celerrime coit atque durescit : ideo pestifer potu maxime. » Confirmant hanc correctionem verba illa quæ statim subnectuntur. Pint. — *Sanguinem terræ.* Haud absimili fere translatione *sanguinem uvæ* vinum appellant Codices Sacri, Gen. XLIX, 11 ; Deut. XXX, 14, etc. Hard.

5. *Sicut cicuta homini venenum est, sic cicutæ vinum.* Duo verba superfluunt ex exemplari Toletano, *sicut*, et *sic* : legendumque prorsus ex ejus fide, « Cicuta homini venenum est, cicutæ vinum. » Vidit et hoc ante nos Hermolaus. Pint. — *Cicutæ vinum.* Quæ vis vini sit adversus cicutam dicetur lib. XXIII, cap. 23, et lib. XXV, cap. 95. Dat operam Androcydes, ut Alexandro persuadeat, tamquam re potentissima parcius ut utatur vino, quod veneni venenum id sit : unde non dispari sensu terræ esse sanguinem dixit. Hard.

6. *Amicos in temulentia non interemisset.* Clitum, Seneca lib. de ira, cap. 17 : Callisthenem, idem auctor lib. IV Natur. Quæst. cap. 23. Idem de Clito Epist. LXXXIII, 18 ; Val. Max. lib. IX, cap. 3. Dalec.

7. *Neque viribus corporis utilius aliud.* Venustum hac de re græcum epigramma : Οἶνος, καὶ τὰ λόετρα, καὶ ἡ περὶ κύπριν ἐρωὴ Ὀξυτέρην πέμπει τὴν ὁδὸν εἰς ἀΐδην. Rhod. lib. XXVIII, cap. 35. Elegantissimi sunt de Cratino et Nicerato versus : Οἶνός τοι χαρίεντι μέγας πέλει ἵππος ἀοιδῷ.... Ὕδωρ δὲ πίνων οὐ καλὸν τέκοις ἔπος, etc. Rhodig. ibidem ex Athenæo. Dalec.

8. *Aliud voluptatibus perniciosius.* Vocem *voluptatibus* Muretus in Varronem, lib. VI, cap. 12, expungendam censet, eamque lectionem a Politiano et Hermolao probari testatur. Lucilius : « Scito etenim bene longinquum mortalibus morbum In vino esse, ubi qui invitavit dapsilius se. » Theognis : Οἶνος πινόμενος πουλὺς κακός· ἢν δέ τις αὐτὸν Πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακὸς, ἀλλ' ἀγα-

1 VIII. (VI.) Genera autem vini alia aliis gratiora esse quis dubitet? aut non ex eodem lacu[1] aliud præstantius altero germanitatem præcedere[2], sive testa[3], sive fortuito eventu? Quamobrem de principatu se quisque judicem statuat. Livia Augusta LXXXII annos[4] vitæ Pucino[5] vino retulit acceptos, non alio usa. Gignitur in sinu Adriatici maris, non procul a Timavo fonte, saxeo colle, maritimo afflatu paucas coquente amphoras: nec aliud aptius me-
2 dicamentis judicatur. Hoc esse crediderim, quod Græci celebrantes miris laudibus Præcianum[6] appellaverunt[7] ex

θός. Panyasis: Ὡς οἶνος θνητοῖσι θεῶν πάρα δῶρον ἄριστον Πινόμενος κατὰ μέτρον, ὑπέρμετρος δὲ χερείων. Vide Politianum, Miscellan. cap. 61. Dal. — *Neque aliud voluptatibus.* Quas præmatura scilicet morte abrumpit, si modus potandi absit. — Redundare hæc vox *voluptatibus* Mureto videtur, Varr. lectt. lib. VI, cap. 12, pag. 140, meliorque futura sententia, si ea deleatur. Hoc enim dicet, immodico vino maxime debilitari corporis vires: quod et poetæ cecinerunt, quos eo loci recitat: sed et libri testimoniorum pleni sunt, et exemplorum plena vita. Illud tamen *voluptatibus*, quod expungendum credit, et Hermolaus, et Politianus agnoscunt: et quod his tutius est, MSS. omnes, Reg. Colb. Th. Chiffl. Par. etc. H.

VIII. 1. *Ex eodem lacu.* Lacus dicitur id vas quod mustum continet, quum prelo exprimitur, transmittitque, quum in dolia conditur: *une cuve:* vinum ex eodem lacu, *vin d'une même cuve.* Hard.

2. *Germanitatem præcedere.* Hoc est, præstantius esse altero, quod ex eodem lacu haustum, atque adeo germanitatis, sive fraternitatis, si fas est ita dicere, vinculo quodam conjunctum sit. Simili tralatione palmas cujusdam generis caryotarum sorores vocat, lib. sup. cap. 9. Hard.

3. *Sive testa.* Nam a testa, seu dolio saporem quemdam vinum accipit: et ex picatis quidem doliis olim expetitum. Hard.

4. *LXXXII annos.* LXXXVI omnino vixit, teste Dione, lib. LVIII, pag. 621: ἓξ καὶ ὀγδοήκοντα. Hæc Livia fuit Augusti conjux. Vetustæ omnes editiones, Romana anni 1470, Parmensis, Tarvisina, aliæque, cum libris MSS. vetustioribus habent *Livia*, non *Julia*. H.

5. *Pucino.* Vino ei nomen a castello est, de quo egimus lib. III, cap. 22. Hodieque vinum ibi dotis eximiæ haberi scribit Joh. Candidus, lib. de rebus Aquileiæ, quem Baccius laudat, lib. VI, pag. 328. In Notis, quæ falso Tironi adscribuntur, apud Gruterum, pag. 144, *Pæcinum.* Hard.

6. *Præcianum.* Ch. *Praicianum appellaverint.* Gr. et Al. *Pyctanon appellaverunt.* Ed.

7. *Pyctanon appellaverunt ex Adriatico sinu.* Exemplar Salman-

Adriatico sinu. Divus Augustus[8] Setinum[9] prætulit cunctis, et fere sequuti principes, confessa propter experimenta, non temere cruditatibus noxiis[10] ab ea saliva[11]. Nascitur supra Forum Appii[12]. Antea Cæcubo[13] erat generositas

ticense non *Pyctanon* legit, sed *Praictanum :* Toletanum vero *Praitianum ;* scribendum puto, *Parætypianum*, ex Dioscoride, lib. V : « Parætypianum, inquit, quod ex Hadriano agro itidem affertur, odoratum molliusque est, eapropter fallit bibentes copiose potum, etc. » Neque *pithanon* scribendum hic esse persuadebit mihi Sabellicus, aut, qui eum carpit, Hermolaus, *pyctanon*, nam a Pucino castello, quod item Ptolemæus Pucinon græce vocat, quumodo possessivum deduci possit *pyctanon*, non video. PINT. — *Precianum.* Ita MSS. omnes, Reg. Colb. Th. non *pyctanon*, ut Hermolaus scripsit. HARD.

8. *Divus Augustus.* Et Rhætico etiam vino delectatum scribit Suetonius in ejus vita, cap. LXXVII. H.

9. *Setinum.* Ab oppido Setia, nunc *Sezze*, haud procul Tarracina. Martialis, lib. XIII, epigr. CXII : « Pendula Pomptinos qua spectat Setia campos, Exigua vetulos misit ab urbe cados. » Athenæo, lib. I, pag. 26, οἶνος Σετῖνος, quod vinum simile Falerno dicit. Silio, lib. VIII, 376 : « Ipsius mensis seposta Lyæi Setia. » HARD.

10. *Non temere cruditatibus noxiis ab ea saliva. Nascitur supra Forum Appii. Simile* non *saliva* exemplar Salmauticense. Scribendum opinor, « non temere cruditatibus noxiis ab eo. Setia nascitur supra Forum Appii. » PINT. — *Ab ea saliva.* Saliva, gustus et sapor. Persius : « Nec tenuem solers turdorum nosse salivam. » De vini tamen familiari et peculiari sapore usurpatur infra lib. XXIII, cap. 1, circa medium. DALEC.

11. *Ab ea saliva.* Ita libri omnes. Hoc est, ab eo vini liquore, quum, uti par est, omnino deferbuit. Plinius, lib. XXIII, cap. 22 : « Sua cuique vino saliva innocentissima est » ; hoc est, naturalis sapor. Alia sententia lib. XI, cap. 12, mel idem appellat quamdam siderum salivam. Setinis porro vinis cibos concoqui Plinius tradit, lib. XXIII, cap. 21. HARD.

12. *Forum Appii.* De quo lib. III, cap. 9. Ibi nunc *Casarillo di S. Maria*, IV mill. pass. infra Setiam, juxta paludes Pomptinas. H.

13. *Cæcubo*, etc. Galen. lib. κατὰ τόπους, in Arteriacorum expositione Cæcubum vinum a loco dictum minime putat, sed ita vocatum fuisse quodvis vetustissimum, et ob vetustatem fulvum, πυῤῥὸν, quod etiam Meth. XII. rursus confirmat, et lib. I de Antidotis. DAL. — *Antea Cæcubo.* Martialis, lib. XIII, ep. CXV : « Cæcuba Fundanis generosa coquuntur Amyclis, Vitis et in media nata palude viret. » Sinus Fundanus, qui et Amyclanus, et Formianus, et Caietanus dictus est, non minus quam Pomptinæ paludes aquis restagnantibus et palustribus oppletur. Cave enim

celeberrima in palustribus populetis, sinu[14] Amyclano: quod jam intercidit, et incuria coloni, locique angustia; magis tamen fossa Neronis, quam a Baiano lacu Ostiam usque navigabilem inchoaverat[15].

3 Secunda nobilitas Falerno agro erat, et ex eo maxime Faustiano[16]. Cura culturaque id collegerat. Exolescit hoc quoque, copiæ potius, quam bonitati studentium. Falernus ager a ponte Campano[17] læva petentibus Urbanam coloniam[18] Syllanam nuper Capuæ contributam incipit. Faustianus autem circiter quatuor milliaria vico prope Ce-

eredas de palude Pomptina ipsa, aut Plinio nunc, aut Martiali, esse sermonem : quem tamen errorem Plinio affingit Cluverius in Ital. ant. Ager Cæcubus, de quo lib. III, cap. 9, nomen vino dedit. H.

14. *Sinu Amyclano.* In eo tractu fuerunt Amyclæ deletæ a serpentibus, et in propinquo Fundanus lacus. Supra lib. I, cap. 5. Dal.

15. *Quam a Baiano lacu Ostiam usque navigabilem inchoaverat.* Scribendum non *a Baiano*, sed *ab Averno*. Suetonius in Nerone, cap. xxxi : « Fossam ab Averno Ostiam usque, ut navibus nec tamen mari iretur, longitudinis per clx milliaria, latitudinis qua contrariæ quinqueremes commearent. » Cornelius Tacitus, lib. XV : « Namque ab lacu Averno navigabilem fossam usque ad ostia Tiberina depressurum promiserat. » Pint. — *A Baiano lacu.* Qui et Avernus proprie appellatus, a Baiarum vicinitate Baiani cognomen invenit. Hoc Neronis incœptum describit uberius Tacitus, et Tranquillus in Nerone, loc. cit. H.

16. *Faustiano.* Nunc *Falciano* dicitur, ubi nobilissimum hodieque Falernum nascitur, incolis *Vino Razzese* appellatum. H. — *Faustiano.* Chifflet. *Faustino ;* et mox Dalecamp. *culpa copiæ potius, quam*, etc. Ed.

17. *Ponte Campano.* Fuit ille Savoni amni impositus (quo de amne diximus lib. III, c. 9), in via Consulari, quæ ab urbe Capua ducit Sinuessam : ut recte vidit Gothofredus in Cod. Theod. lib. IX, tit. 40, de pœnis, pag. 304. Vide etiam Camillum Peregr. in Campan. pag. 418. Hujus etiamnum nomen restat in vicino pago, *S. Giovanni a Ponte Campano.* Quæ villa fortassis ea est, cujus Horatius meminit, Sat. I, v, 45 : « Proxima Campano ponti quæ villula, tectum Præbuit, etc. »

18. *Urbanam coloniam.* Quæ Ptolemæo, lib. III, cap. 1, Forum Popilii ; a Carinola seu Calenensi civitate, et Savone amne haud procul; diœcesos Capuanæ, cujus jurisdictioni olim quoque contributa. Tabul. Peuting. segm. iv : « Sinuessa VII. A Ponte Campano III. Urbanis III. » Appellatione ea *Urbanis* indicatur colonia Urbana Syllana. Hard.

dias[19], qui vicus a Sinuessa VI millibus abest. Nec ulli in vino major auctoritas: solo vinorum flamma accenditur. Tria ejus genera, austerum, dulce, tenue. Quidam ita distinguunt: summis collibus Gauranum gigni[20], mediis Faustianum, imis Falernum. Non omittendum autem nulli eorum, quæ celebrentur, jucundum saporem uvæ esse.

Ad tertiam palmam varie venere[21] Albana Urbi vicina, 4
prædulcia[22] ac rara in austero[23]. Item Surrentina[24] in vineis[25] tantum nascentia, convalescentibus maxime probata, propter tenuitatem salubritatemque. Tiberius Cæsar dicebat consensisse medicos, ut nobilitatem Surrentino darent[26], alioqui esse generosum acetum. C. Cæsar, qui

19. *Cedias*. Hic campus Ceditius, cujus meminit Plinius, lib. XI, cap. 97, et Ceditiæ tabernæ in via Appia, a domini nomine vocatæ apud Festum. Gruter. pag. 448: COLONIS. SINVESSANIS. ET. CEDIANIS. HARD.

20. *Summis collibus Gauranum gigni. Caucinum* utrumque exemplar non *Gauranum* agnoscit; recte puto: nam de Gaurano infra disserit. Caucinum autem vinum Athenæus celebrat inter Italica, lib. I. PINT. — *Summis collibus*. Montium scilicet in eo tractu assurgentium. HARD.

21. *Varie venere*. Variam fuisse eorum vini generum auctoritatem indicat, aliudque alio tempore præcelluisse: aut varia vini Albani genera exstitisse, quod et Athenæus prodidit lib. I, pag. 16: alterum subdulce, acerbum alterum: ὁ μὲν γλυκάζων· ὁ δ' ὀμφακίας. HARD.

22. *Prædulcia*, etc. Γλυκάζειν, subdulce esse, non prædulce esse Athen. lib. I, ex Galeno asserit.

23. *Albana Urbi vicina, prædulcia ac rara in austero. Item Surrentina in vineis tantum nascentia*, etc. Legendum arbitratur Pintianus, non *in austero*, sed *in arbusto*, ut inf. « Et quæ in vineis arbustisque nascuntur, Fundana. » ED. — *In austero*. Ita MSS. omnes. Rara esse ait Albana vina, quibus sit austera suavitas, ut ait Tullius de Orat. lib. III, n. 161. Falernum quoque geminum Athenæus agnoscit l. c. austerum, et subdulce: αὐστηρὸς καὶ γλυκάζων. HARD.

24. *Surrentina*. Laudat hæc vina Martialis, lib. XIII, ep. CX; et Ovid. Metam. lib. XV, v. 710: « Surrentino generosos palmite colles. » Colum. III, 2. Horat. II, Sat. 4, 57: « Surrentina vafer qui miscet vina. » ED.

25. *In vineis*. Palatis vitibus, *vignes échalassées*. HARD.

26. *Surrentino darent*. Galen. lib. XII Therapeutices: « Surrentinum adstringit nonnihil, aliisque suavius est ac calidius. » DAL.

successit illi, nobilem vappam [27]. Certant [28] Massica æque,
5 ex monte Gauro [29] Puteolos Baiasque prospectantia. Nam Falerno contermina Statana ad principatus [30] venere non dubie; palamque fecere sua quibusque terris tempora esse, sicut rerum proventus occasusque. Juncta his præponi solebant Calena [31]; et quæ in vineis arbustisque nascuntur, Fundana [32]. Alia ex vicinia Urbis Veliternina, Privernatiaque. Nam quod Signiæ [33] nascitur, austeritate nimia continendæ utile alvo, inter medicamina numeratur.

6 Quartum [34] curriculum publicis epulis obtinuere a Divo Julio (is enim primus auctoritatem his tribuit, ut in

27. *Vappam.* Vappa, vinum corruptum, ἐξεστηκὼς οἶνος, *vin tourné :* ut ὀξίνης acesceus : ἐκτραπελίδης, et ἐξίτηλος, evanidum, fugiens, *qui n'est point de garde :* ἐκλελυμένος, languidum et sublestum, *qui n'a point de force.* Dal. — *Vappam.* Vinum sublestum vox ea sonat. Horat. lib. I, Sat. 5, v. 16 : « Absentem cantat amicam Multa prolutus vappa nauta. » Hard.

28. *Certant.* De tertia palma, sive de tertio nobilitatis gradu certant cum Albanis Massica. Laudat Horatius, Od. I, 1, 19 : « veteris pocula Massici. » Hard.

29. *Ex monte Gauro.* Hoc est, e monte Massico in Gauranum translatis vitibus vina expressa. Hard. — *Gauro.* Six ex MSS. emendavit Harduinus; Gronov. et alii, *Gaureno.* Ed.

30. *Ad principatus.* Ad primam palmam : ut cæteris omnibus generibus anteponerentur. H. — Dalec. *principatum.* Ed.

31. *Juncta his præponi solebant Calena.* Ab oppido cognomine, de quo jam diximus libro III, capite 9. Hard.

32. *Fundana.* A suis quæque oppidis cognominata : de quibus, lib. III, egimus. Φουνδανὸς οἶνος Athen. lib. I, pag. 27. Et Privernas ager, et Veliterninus, hodieque vini ferax, teste Baccio, lib. VI, pag. 287 et 289. Privernatia commendat Galenus apud Athen. lib. I, pag. 26. Hard.

33. *Quod Signiæ nascitur, austeritate nimia,* etc. Martialis quoque, lib. XIII, epigramm. cxvi : « Potabis liquidum Signina morantia ventrem; Ne nimium sistant, sit tibi parca sitis. » Celsus item, lib. IV, cap. 5, ad resolutionem stomachi medendam, vinum Signinum ob insignem austeritatem commendat: hodieque ea vis ei vino est, teste Baccio, lib. VI, pag. 298. Vide et Cæl. Aurelianum, lib. IV, c. 3. H.

34. *Quartum curriculum... obtinuere,* etc. Quartum nempe auctoritatis ac nobilitatis locum : ab aurigis ducta metaphora, qui curru in Circo certabant. Hard.

epistolis[35] ejus apparet) Mamertina[36], circa Messanam in Sicilia genita. Ex iis Potulana[37], ab auctore dicta, in loco proximo Italiæ laudantur præcipue. Est in eadem Sicilia et Taurominitanis honos, lagenis pro Mamertino plerumque subditis.

Ex reliquis autem a supero mari[38] Prætutia[39] atque 7
Ancone nascentia, et quæ a palma una forte enata Palmensia[40] appellavere. In mediterraneo vero Cæse-

35. *Ut in epistolis.* Meminit harum Tranquillus in ejus vita, cap. LVI : « Epistolæ quoque ejus ad senatum exstant, quas primum videtur ad paginas et formam memorialis libelli convertisse, quum antea consules et duces nonnisi transversa charta scriptas mitterent. Exstant et ad Ciceronem, item ad familiares, domesticis de rebus: in quibus, si qua occultius perferenda erant, per notas scripsit, sic structo litterarum ordine, ut nullum verbum effici possit : quæ si quis investigare ac persequi vellet, quartam elementorum litteram, id est, *d* pro *a*, et perinde reliquas commutet. » Hard. .

36. *Mamertina.* Locum corruptissimum sic restituo, « Mamertina circa Messanam in Sicilia genita et Iotaliana ab auctore dicta: » ut sit sensus : Mamertina a Romanis dicta, eadem in Sicilia genita appellari Iotaliana. Athenæus auctor, lib. I. Pint. — *Mamertina.* Laudat hæc Athenæus, lib. I, pag. 27; Martialis, quoque, lib. XIII, ep. CXVII : « Amphora Nestorea tibi Mamertina senecta Sidetur, quodvis nomen habere potest. » Hoc est, vel Opimiana dici, vel Falerna potest, aut Cæcuba : et cum præstantissimo quoque vino de bonitate contendere. Hard.

37. *Potulana.* Athenæo, lib. I, pag. 27, Ἰωταλῖνος οἶνος pro Πωταλῖνος scribitur, et præcipuæ commendationis esse dicitur. Hard.

38. *Ex reliquis autem a supero mari.* Vina hæc supernatia appellata, ut Persica, de quibus lib. sq. cap. II : vetus inscriptio apud Reines. pag. 337, NEGOTIANTES. VINI. SVPERNAT. ET. ARIMIN. H.

39. *Prætutia.* De Prætutiano agro, lib. III, cap. 18. Juxta Anconam Sirolum oppidum est novo nomine, ubi Prætutianus olim ager, suo adhuc vino celebre, inquit Andr. Baccius, lib. V, pag. 259; Anconitanum laudat Athen. lib. I, pag. 26. Hard.

40. *Palmensia.* In Palmensi agro genita de quo, lib. III, cap. 18, ubi nunc castellum, *Torre de Palma.* Palmenses uvas incolæ hodie Maranas vocant a vicino pago. In vinis non habet usum, sed in mensis tantum. Baccius, lib. V, pag. 256. MSS. *Palmesia* præferunt, et libri hactenus editi, veteri more, pro *Palmensia:* quemadmodum in Vespasiani nummis, ROMA. RESVRGES pro *Roma Resurgens.* Sic passim in lapidibus et MSS. cos.

natia[41] ac Mæcenatiana[42]. In Veronensi item Rhætica, Falernis tantum posthabita a Virgilio[43]. Mox ab intimo sinu maris, Adriana[44]. Ab infero autem, Latiniensia[45], Graviscana, Statoniensia. Etruriæ palmam Luna[46] habet,
8 Liguriæ Genua[47]: inter Pyrenæum Alpesque Massilia gemino sapore, quando et condiendis aliis pinguius[48] gignit, quod vocant succosum. Bæterrarum[49] intra Gallias consistit auctoritas. De reliquis in Narbonensi genitis asseve-

et PROCOS. pro *Consul*, et *Proconsule*. HARD.

41. *Cæsenatia*. A Cæsena, de qua lib. III, cap. 20. Nostris temporibus, inquit idem Baccius, pag. 261, tam copia quam gratia facile laudem eam exsuperant vina Cæsenatia, quam a vetustis scriptoribus habuere. Laudant ea Cato, Varroque, de R. R. lib. I. H.

42. *Mæcenatiana*. A Mæcenate, C. Augusti familiari et fido amico, regio sanguine orto, quod Horatius palam facit. Ejus enim pater Menodorus Cæsaris partes secutus contra Pompeium. Menodori pater Menippus, et hujus Cecinna, rex Etruscorum. Cilninm vocatum fuisse ostendit Tacitus, lib. V. Cæterum Augustus bellis civilibus Cilnium Mæcenatem equestris ordinis cunctis apud Romam atque Italiam præposuit. DALEC.

43. *A Virgilio*. Lib. II Georg. v. 95. Admirantis hoc esse Plinius existimat: Seneca vero, incerti, laudaturusne, an vituperaturus sit. Turn. lib. XXX, cap. 26. DAL. — Georg. lib. II, v. 95: « et quo te carmine dicam, Rhætica? nec cellis ideo contende Falernis. » Rhætorum oppidum Verona dicitur, lib. III, cap. 23. HARD.

44. *Adriana*. MS. *Adriatica*. — *Adriana*. Ἀδριανὸς οἶνος Athenæo, lib. I, pag. 33, ab Adria oppido in intimo sinu Adriatici maris posito, ut vidimus lib. III, cap. 20, et vino et mari nomen. HARD.

45. *Latiniensia*. Et bis generibus a suo quibusque agro nomen. Nos de iis dudum in Geographicis egimus, lib. III. HARD.

46. *Luna habet*. Hodieque vina Lunensia Romæ gratissima. Baccius, lib. VI, pag. 307. Ex ora Genuensi vinum e Quinque terris nominatum, eximiæ nobilitatis est: idem, pag. 308. HARD.

47. *Liguriæ Genua*. Vinum Ligusticum vilioris notæ fuisse Martialis innuit, lib. III, ep. 82: « Ligurumque nobis saxa quum ministrentur, etc. » HARD.

48. *Pinguius*. Nigrius, crassiusque. Sed et delicatius vinum habet Massilia hodie, cui a S. Laurentio nomen fecere. HARD.

49. *Bæterrarum*. Haud procul Bæterris vinum generosum ab agro in quo provenit, nomen habet, *vin muscat de Frontignon*. Sed et reliqua gallica vina sunt regalibus cœnis expetita: e Campania Remense, et quod *vin d'Ai*, *de Sillery*, vocant, aliaque propemodum infinita. H.

rare non est : quoniam officinam ejus rei fecere tingentes fumo[50], utinamque non et herbis, ac medicaminibus noxiis! Quippe etiam aloen mercantur[51], qua saporem coloremque adulterant.

Verum et longinquiora Italiæ ab Ausonio mari, non 9
carent gloria : Tarentina[52], et Servitiana, et Consentiæ[53] genita, et Tempsæ, ac Babiæ[54], Lucanaque[55], antecedentibus Thurinis. Omnium vero eorum maxime illustrata Messalæ potu et salute, Lagarina[56], non procul Grumento[57] nascentia. Campania nuper excitavit novis nominibus auctoritatem, sive cura, sive casu, ad quartum

50. *Quoniam officinam ejus rei fecere tingentes fumo.* Exemplar Toletanum, « quoniam officinam ejus rei fumo tinguentes fecere. » Legendum puto, « quoniam officinas eorum fumo et unguentis infecere. » Nam alibi Plinius vina unguentis condiri tradit. Pint. — *Quoniam officinam*, etc. Vinum id Plato Comicus apud Athenæum καπνίαν vocat : Martialis fumos Massilitanos. Locum, in quo sic condiebantur, Columella Nebularium appellat. Dal. — *Tingentes fumo.* Fumo adulterantes, ut saporem mutarent, ac vetustatem referrent. Martial. lib. X, ep. xxxvi : « Improba Massiliæ quiquid fumaria cogunt, Accipit ætatem quisquis ab igne cadus. » Et lib. III, ep. lxxxii : « Vel cocta fumis musta Massilianis. » H.

51. *Quippe etiam aloen mercantur.* Ad potum vinum id non parabatur, sed ad usum medicinæ. Dalec. — *Etiam aloen.* Sic MSS. Reg. etc. non ut editi omnes vulgo, *oloen*. H.

52. *Tarentina.* Laudat hæc vina Martialis, lib. XIII, ep. cxxv, et Athenæus libro I, pag. 27. Pro *Servitiana*, etsi ita MSS. omnes habent, Andr. Baccius, lib. V, pag. 241, legit *Seberiniana*, ab urbe nobili, quam vulgus vocat *San-Severina*, Archiepiscopali sede ornata, quæ Stephano Σιβερηνή, cujus ager hodieque optimi vini ferax. H.

53. *Consentiæ.* De Consentia et Tempsa, lib. III, cap. 10. H.

54. *Babiæ.* Apud Athen. lib. I, pag. 27, inter vina Italiæ Βαρβῖνος οἶνος laudatur, quem Plinius nunc forte signat. Hard.

55. *Lucanaque.* E Lucaniæ vinis, inquit, Thurina cæteris antecedunt. Θουρῖνον οἶνον laudat ex Strabone Stephanus, pag. 311. Hard.

56. *Lagarina.* Quibus salutem suam Messala tulit acceptam : ut Pucino Livia. De Messala sene egimus in Auctorum Indice. A Lagaria quondam urbe Lagarina vina nomen habent, teste Strabone, lib. VI, pag. 263. Prope Thurios fuit : nec oppidi hodie ullum, nec vinearum superest vestigium. Hard.

57. *Non procul Grumento.* De eo oppido jam supra diximus lib. III, cap. 15. Hard.

a Neapoli lapidem Trebellicis[58]: juxta Capuam Caulinis[59], et in suo agro Trebulanis[60]: alioqui semper inter plebeia et Trifolinis gloriata[61]. Nam Pompeianis[62] summum X annorum incrementum est[63], nihil senecta conferente. Dolore etiam capitum[64] in sextam horam[65] diei sequentis infesta deprehenduntur. Quibus exemplis, nisi fallor, manifestum est, patriam terramque referre, non uvam; et supervacuam generum consectationem in numerum; quum eadem vitis aliud aliis in locis polleat. Hispaniarum Lale-

58. *Trebellicis.* Ὁ ἐν Νέᾳ πόλει Τρεβελλικὸς οἶνος, inquit Galenus apud Athenæum, lib. I, pag. 27: εὔκρατος τῇ δυνάμει, εὐστόμαχος, εὔστομος. HARD.

59. *Caulinis.* Quæ Falernis similia fuisse ait Galenus l. c. De vinis Caulinis vide Camill. Peregrinum in Camp. Fel. pag. 515. HARD.

60. *Trebulanis.* Trebulani cognomine Balinienses, de quibus in Campania dictum est, lib. III, cap. 9, dedere huic generi nomen: non Trevium Calabriæ oppidum, ut Baccius existimat, lib. V, pag. 267. HARD.

61. *Inter pl. et Trifolinis gloriata.* Campania, inquit, et Trifolinis vinis gloriatur, sed quæ inter plebeia et vulgaria numerari oporteat. Ab agro cognomine traxere nomen. — *Trif.* Sic MSS. omnes et editi libri. Frustra Cluverius in Italia antiqua emendat, « Trifolinis gloria sua. » Hanc emendationem, tum MSS. omnium auctoritas, tum interpretatio nostra convellit. Quod si porro hæc vina Campaniæ propria ac peculiaria sunt, ut Plinius noster asseverat, male trifolina vina Dalecampius interpretatur ea, quæ tertio foliorum exortu, nempe tertio anno ad bibendum tempestiva erant, vulgo *vin de trois feuilles*, quum hæc ubique gentium nasci possint. Ab agro Campaniæ aliquo nomen oportet accepisse, eoque Cumis vicino. Juvenalis, Sat. 9, v. 56: « Et Trifolinus ager fecundis vitibus implet, Suspectumque jugum Cumis. » Trifolina vina inter plebeia pariter censeri vult Martialis, lib. XIII, ep. CXIV, cujus lemma, *Trifolinum vinum*: « Non sum de primo, fateor, Trifolina Lyæo, Inter vina tamen septima vitis ero. » Τριφυλλῖνος οἶνος Galeno, de sanitate tuenda, lib. V, cap. 5, pag. 147, tom. VI. HARD.

62. *Pompeianis.* A municipio ejus nominis, prope Vesuvium, de quo lib. III, cap. 9. HARD.

63. *X annorum incrementum est.* Durationis et ætatis tempus, ἡ ἀκμή. DALEC.

64. *Etiam capitum.* MS. *etiam capitis.* ED.

65. *In sextam horam.* In meridiem. H. — *Quum eadem vitis... polleat.* Vet. *pullulet*; quod si placeat, legere jubet Dalec. *vitis alia aliis in locis pullulet.* ED.

tana[66] copia nobilitantur; elegantia vero Tarraconensia[67], atque Lauronensia[68]; et Balearica ex insulis, conferuntur Italiæ primis. Nec ignoro, multa prætermissa plerosque existimaturos, quando suum cuique placet, et quocumque eatur, fabula eadem reperitur[69]: Divi Augusti judiciorum ac palati peritissimum e libertis, censuram vini in epulas ejus facientem, dixisse hospiti de indigena vino[70], novum quidem sibi gustum esse eum, atque non ex nobilibus, sed Cæsarem non aliud poturum[71]. Nec negaverim et alia digna esse fama; sed de quibus consensus ævi judicaverint, hæc sunt.

IX. (VII.) Nunc simili modo transmarina[1] dicemus. In 1
summa gloria post Homerica illa, de quibus supra diximus[2], fuere Thasium[3] Chiumque: ex Chio quod Arvi-

66. *Laletana.* De quibus jam dixi, lib. III, cap. 4. Martialis, lib. VII, ep. LII: « Et Laletanæ nigra lagena sapæ. » Et lib. I, ep. XXVII: « Fæx Laletana. » Copia magis, quam bonitate, commendari ea Plinius significat. HARD.

67. *Tarraconensia.* Idem Martialis, lib. XIII, ep. CXVIII: « Tarraco, Campano tantum cessura Lyæo, Hæc genuit Tuscis æmula vina cadis. » Silius quoque, lib. III, 370: « Latio tantum cessura Lyæo Tarraco. » HARD.

68. *Lauronensia.* Λαύρων Tarraconensis Hispaniæ oppidum, a Sertorio igni vastatum, ut auctor est Plutarchus in ejus vita, pag. 577. HARD.

69. *Reperitur.* Vet. *reperiatur.* ED.

70. *Indigena vino.* Ibi genito, nec aliunde advecto: *du vin du pays.* HARD.

71. *Poturum.* MS. *potaturum.* ED.

IX. 1. *Nunc simili modo transmarina dicemus.* Ex transmarinis vinis præcipua Plautus in Pœnulo memorat: « Ubi Leucadio, Lesbio, Thasio, Coo, vetustate vino edentulo ætatem irriget. » DALEC.

2. *Supra diximus.* Cap. 6. HARD.

3. *Thasium Chiumque: ex Chio quod Arvisium vocat.* Utrumque laudat et Athen. lib. I, p. 28. Idem pag. 32, ex Chio genere illud anteponit, quod Arvisium vocant: Χαριέστερος δ' ἐστὶν ὁ Χῖος, καὶ τοῦ Χίου ὁ καλούμενος Ἀρουσίος. Sic et Galenus scribit, κατὰ τόπους, lib. II, cap. 1, pag. 364, et lib. IV, cap. 6, pag. 431. De eo Virgil. Ecl. V, v. 71: « Vina novum fundam calathis Arvisia nectar. » Et Silius, VII, 210: « Tmolus, et ambrosiis Arvisia pocula succis. » Ab Arvisio ejus insulæ monte, si Vibio Sequestro fides, pag. 342, id vino ei nomen. Chium hodieque vinum in summo pretio est. HARD.

sium vocat[4]. His addidit Lesbium[5] Erasistrati maximi medici auctoritas, circiter CCCCL[6] annum urbis Romæ. Nunc gratia ante omnia est Clazomenio[7], postquam parcius mari condiunt. Lesbium sponte naturæ suæ mare sapit. Nec Tmoliti per se gratia[8], ut vino : sed cujus dulci admixto[9], reliquorum duritia suavitatem accipiat, simul
2 et ætatem, quoniam vetustiora protinus videntur. Ab his dignatio est Sicyonio[10], Cyprio, Telmesico, Tripolitico, Berytio, Tyrio, Sebennytico. In Ægypto hoc nascitur tri-

4. *Vocat*. Dal. *vocant*. *Arusium* Turn. XXV, cap. 26, agro aspero et importuoso insulæ Chii. Strabo, lib. XIV. Virgilius in super. nota citatus : « Vina fundam Arvisia » : quamvis aliqui legant *Arethusia*. Hujus meminit Clemens Alex. pædagog. II, cap. 2; Plutarch. adversus Epicurum; Victorius, XV, c. 24. Servius apud Virgil. Georg. II, in his versibus : « Sunt et Amineæ vites, firmissima vina, Tmolus et assurgit quibus, et rex ipse Phanæus : » notat Lucilio Χῖον οἶνον δυναστὴν vocatum fuisse, tamquam satrapam, eademque forma loquendi Phanæum regem appellari. Tmolus Lydiæ mons Sardibus immineus, Phanæus promontorium in insula Chio, vino nobilissimum. Canterus, cap. 3. Dalec.

5. *Lesbium*. Quo nullum suavius aiunt Alexius apud Athen. lib. I, pag. 28, et Archestratus, pag. 29. Hard.

6. *Circiter CCCCL*. Ita MSS. omnes Reg. Colb. Chiffl. etc. H.

7. *Clazomenio*. Ab urbe cognomine, de qua lib. V, cap. 31. H.

8. *Nec Tmoliti per se gratia ut vino*. Illud prætermittendum non est, Tmoliten et mesogiten idem vinum esse; Plinio diversa, qui paulo post de mesogite tamquam diverso loquitur; subscribit Plinio Strabo lib. V. Pint.—*Nec Tmoliti*. A Tmolo monte, de quo lib. V, c. 30. Vinum Tmolites commendat Vitruvius, lib. VIII, cap. 3, pag. 161. Idem *Lydiam Tmoliten*. Sic enim legendum, non *Meliton*, ut in editis. Hard.

9. *Cujus dulci admixto*. Cujus vini mustum si reliquis admisceatur. Græcorum ritu loquitur, quibus γλυκὺς οἶνος, mustum est, et vinum dulce. Hard.

10. *Sicyonio*, etc. Et hæc a suis cognominata oppidis, de quibus in Geographicis egimus. Sicyonium laudat Athenæus, lib. I, pag. 33. Berytio porro, Tyrioque, Gazetum adjungi, sive Gazeticum, quod ex eodem fere tractu, potuit, a Gaza scilicet urbe Palæstinæ. Commendant enim id vini genus Sidon. Apollinar. Carm. 15, ad Ommatium; Corippus, lib. III, num. 3; Cassiodorus, lib. XII, ep. 12; Fortunatus de vita S. Martini, lib. IV; Gregor. Turon. de Gloria. Conf. cap. 65, et alii. Hard.

bus generibus[11] uvarum ibi nobile, Thasia[12], Æthalo[13], Peuce. Post hæc auctoritas Hippodamantio[14], Mystico[15], Cantharitæ[16], Protropo[17] Gnidio, Catacecaumenitæ[18], Petritæ[19], Myconio[20]. Nam Mesogiten[21] capitis dolores facere compertum est: nec Ephesium salubre esse; quoniam mari et defruto condiatur. Apamenum[22] mulso præcipue

11. *Tribus generibus uvarum.* Codices omnes tam antiqui quam impressi, *Thasia* et *alopece* agnoscunt, sed quia præcessit verbum *tribus*, emendatores veterem lectionem inverterunt, ut ex duobus generibus tria facerent vitium genera. Sed satius fuisset pro *tribus duobus* substituere, quum pauci in Plinio numeri errore vacent, quam ita impudenter vim priscæ lectioni afferre: nam de Æthalo et Peuce nusquam mentio, de alopece vero sic dicta quod caudas vulpium imitetur, in fine capitis tertii dixerat. PINT.

12. *Thasia.* Et Thasiam in Ægypto vitem appellatam esse rursum idem tradit, cap. 22. HARD.

13. *Æthalo, Peuce.* Græca hæc sunt nomina, quibus fuliginosam, piceamque uvam designat, ceu hanc appellationem a colore traxerint. Forte enim *euthalo* rectius, quod probe floreat, nempe ab εὖ et θάλλω. HARD.

14. *Hippodamantio.* Vino huic factam appellationem a generositate crediderim: δαμάζειν enim domare est: vox altera ἵππος, nihil aliud fere in compositione quam significata vocabulorum intendit. H.

15. *Mystico.* An ab insula Mysto, de qua lib. IV, cap. 19? HARD.

16. *Canthariti.* A vite ejus nominis huic vino appellatio est. Meminit Theophrastus de Caus. plant. lib. II, cap. 20: ἄμπελος ἡ λεγομένη κανθαρέες. HARD.

17. *Protropo.* Πρότροπος οἶνος, protropum dicitur vinum, quod suopte impulsu atque uvarum pondere defluit, antequam uvæ calcentur. Institores appellant, *Mère-goutte: le vin qui vient sans avoir été pressuré.* Mustum lixivum appellat Columella, lib. XII, cap. 27: « ante quam prelo pressum sit, quod in lacum musti fluxerit. » HARD.

18. *Catacecaumenitæ.* In Mæonia Κατακεκαυμενίτην οἶνον gigni scribit Vitruvius, lib. VIII, c. 3, pag. 161. Est enim Mæoniæ sive Mysiæ pars Catacecaumene, Κατακεκαυμένη, teste Strabone, lib. XII, pag. 579. Phrygiæ Hesychio, in Εἰναρίμεις. De hoc vino Virgilius locutus, Georg. lib. IV, v. 380: « cape Mæonii carchesia Bacchi. » HARD.

19. *Petritæ.* A Petra Arabiæ, ut quidem remur. HARD.

20. *Myconio.* Ab insula Mycono, de qua lib. IV, cap. 22. HARD.

21. *Mesogiten.* E Tmolo monte: Diosc. lib. V, cap. 10: Ὁ δ' (οἶνος) ἐκ τῆς Ἀσίας, Μεσογείτης· ἐκ τοῦ Τμώλου, κεφαλαλγής, καὶ νεύρων βλαπτικός. HARD.

22. *Apamenum.* Ab Apamea, de qua lib. V, cap. 29. HARD.

convenire dicitur, sicut Prætutium in Italia. Est enim hæc proprietas generum, ut dulcia utique inter se non congruant[23]. Exolevit et Protagion[24], quod Italicis proximum fecerant Asclepiadis scholæ. Apollodorus medicus, in volumine, quo suasit Ptolemæo regi, quæ vina biberet, Italicis etiam tum ignotis, laudavit in Ponto Naspercenitem, mox Oreticum[25], OEneaten[26], Leucadium, Ambracioten, et quod cunctis prætulit Peparethium[27]: sed minoris famæ esse dixit, quoniam ante sex[28] annos non placeret.

1 X. (VIII.) Hactenus bonitas vini nationibus debetur. Apud Græcos jure[1] clarissimum nomen accepit, quod appellaverunt Bion[2], ad plurimos valetudinum usus exco-

23. *Non congruant.* Non sint apta, ut inter se misceantur. Plin. lib. XVII, cap. 35 : « Mixtura generum etiam in vino, non modo in musto discors. » HARD.

24. *Protagion.* Quasi primæ ac præcipuæ auctoritatis vinum : πρωτάγιον, διὰ τὰ πρῶτα ἄγειν, ut quidem auguramur. HARD.

25. *Oreticum.* Vel *Oreoticum*, ab Oreo Eubœæ oppido, de quo, lib. IV, cap. 21. Incolæ Ὠρεῖται, vel Ὠρειῶται dicti apud Strabonem, lib. X, pag. 445. HARD.

26. *OEneaten.* Quum OEneaten, Leucadium, Ambraciotenque copulet Plinius noster, Leucadis autem et Ambraciæ situs sint probe cogniti, ex lib. III, cap. 2; nullus etiam dubito quin OEneates vinum appellatum sit a Calydonia his terris vicina, cui OEneus Dejaniræ pater imperitavit. Quod si ab OEnoe insula, vel Icari oppido nomen id deductum foret, non OEneaten, sed OEnoaten dici oportuerat. Leucadium vero commendat Athen. lib. I, p. 29. H.

27. *Peparethium.* In MSS. Reg. Colb. *Preparentium.* Ubi *Perperenium* legi oportere conjecit aliquando Sirmondus noster. Pintianum sequimur, quem Turnebus quoque amplexus, Advv. lib. XXV, c. 26, pag. 900. De Peparetho insula, a vini fertilitate Evœno appellata, diximus lib. IV, cap. 23. Meminere Peparethii vini Aristoph. apud Athen. lib. I, pag. 29; Heraclides in Politiis, aliique. HARD.

28. *Ante sex.* Ita MSS. omnes. Frobenius interpolavit, *post sex annos.* In Reg. 2, *ante sextum annum.* HARD.

X. 1. *Apud Græcos jure.* MSS. omnes *curæ :* forte *cura.* HARD.

2. *Bion.* Βίαιον Rhodig. l. XXVI, cap. 8, quod ad vetustatem accelerandam affuso mari cogeretur. Marinam enim Veteres vinis miscebant, tum ut gratior sapor esset, tum ut celerior et præcocior vetustas contingeret. Maris expers vinum Gal. Meth. XII, ἀπράγχυτον vocat. Hermol. in Diosc. a festinatione nomen impositum, quasi

gitatum, ut docebimus[3] in parte medicinæ[4]. Fit[5] autem
hoc modo : uvæ paulum ante maturitatem decerptæ, siccantur acri sole, ter die versatæ per triduum ; quarto exprimuntur; dein in cadis sole inveterantur. Coi marinam
aquam largiorem miscent[6] (a servi furto origine[7] orta, sic
mensuram explentis), idque translatum[8] in album mu-
stum, leucocoum[9] appellatur. In aliis autem gentibus si- 2
mili modo factum tethalassomenon vocant. Thalassiten

violenter fiat. Plautus in Rud. act. II, scen. 7, vs. 30 : « Quasi vinis Græcis Neptunus nobis suffudit mare. Itaque alvum prodi speravit nobis salsis poculis. » Turneb. XXV, cap. 26, legit *Abion*, id est, adynamon. Vini Græci faciendi rationem Cato docet cap. 24. Miscetur et sal, ut vinum incorruptum servet. Colum. XII, 37. Apud Horat. II, Sat. 8, 5 : *Chium maris expers*, vel nimis crudum, vel factitium.—*Bion.* A vita, ut credere est, cujus incolumitati tuendæ id utile foret. Dioscoridi vinum Omphacites. — *Quod.* Ita libri omnes, etiam MSS. tum hoc loco, tum lib. XXIII, cap. 26. Abion legit Turnebus, Advv. lib. XXV, cap. 26, pag. 900, quod ἀδύναμον interpretatur : sed aliud est ab Omphacite, quod bion esse docuimus, ἀδύναμον, uti liquet ex Dioscoride, immo et ex Plinio ipso, qui vinum adynamon describit c. 19. Βίαιον Rhodiginus, lib. XXVI, cap. 8, quod ad vetustatem accelerandam affuso mari cogeretur. Atqui in hoc vini genere nulla est aquæ marinæ mentio : sed in altero tantum, quod leucocoum appellarunt, et ab eo quod bion dixerunt, diversum est. Hard.

3. *Docebimus.* Lib. XXIII, cap. 26. Hard.

4. *In parte medicinæ.* Conf. ad lib. XXIII, cap. 1. Dalec.

5. *Fit autem.* Hæc de vino, quod omphaciten vocat, totidem verbis Dioscorides, lib. V, cap. 12. H.

6. *Coi marinam aquam largiorem miscent.* Exemplar Toletanum *Coi* legit, non *Cui*, ut intelligas habitatores insulæ Co, nobilis alioqui natalibus Hippocratis. Cui lectioni favere videntur verba illa, quæ paulo post sequuntur. Pint. — *Coi marinam.* Ita Reg. 2, non, ut editi, *cui marinam.* Diversum a superiore id vini genus : de quo Palladius, in Octobr. lib. XI, tit. 14, pag. 154 : « Alii Græci, inquit, Coi nimirum, insulæ Co cives, ita jubent aquam marinam, etc. » Mox addit ea arte « non ætatem solum vino, sed splendorem quoque coloris afferri. » Hard.

7. *Origine.* Ejus mixturæ ex arte et modo parandæ origine orta a servo mensuram dolii, ex quo hauserat, ita replente. Hard.

8. *Idque translatum.* Ch. *quæ translata.* Ed.

9. *Leucocoum.* Hoc est, album e Co vinum. Sic restituimus ex vestigiis veterum codd. Reg. 1, Colb.

autem vasis musti dejectis in mare, quo genere præcox fit vetustas. Nec non apud nos quoque Coum vinum ex Italico faciendi rationem Cato demonstravit, super cætera in sole[10] quadriennio maturandum præcipiens. Rhodium Coo simile est[11]. Phorineum[12] salsius Coo. Omnia transmarina septem vel in sex annis ad vetustatem mediam pervenire existimantur.

1, in quibus *leucocoum* : Reg. 2, in quo *leucocum* legitur. In Chiffl. codice Dalecampius, in aliis hoc Turnebus vidit, Advv. lib. XXV, cap. 26, pag. 900. Prius *leucochron*, λευκόχρουν legebatur, hoc est, albicantis coloris. Factum id porro nomen a λευκὸς et Κῶς, hoc est, ex vini albi, et patriæ, in qua gignitur, appellatione. Apposite id quidem ad totius loci sententiam : antecedit enim ex emendatione nostra : « Coi marinam aquam largiorem miscent... idque translatum in album mustum, leucocoum appellatur. » Sic voce pariter composita *Hippocoum* Veteres appellavere, *vinum* scilicet, doctore Festo, « ex insula Coo, dictum ab agro generoso, cui nomen est Hippo. » H. — *Tethalassomenon vocant.* Oraculum vetus redditum narrant, Dionysium mari demergendum. Athenæus refert Dionysium fulmine Jovis accensum in mare fugisse. Utrumque id vini temperaturam cum aqua marina indicat. Daleg. — *Tethalassomenon.* Τεθαλασσωμένον maxime commendat Athenæus, lib. I, pag. 32. Vina Græca fere sic omnia condiebantur. Unde festivus est hominis naufragi apud Plautum in Rudente jocus : vid. sup. not. 2.

10. *Super cætera in sole quadriennio maturandum præcipiens.* Ita codices nostri omnes. At Cato tantum quatriduum postulat : de R. R. cap. 112, pag. 63 : « Ampboras, inquit, in sole ponito, ubi herba non siet; et amphoras operito, ne aqua accedat : et ne plus quatriduum in sole siveris. Post quatriduum in culeum componito, et instipato. » Initium hoc capitis ejusce fecerat : « Vinum Coum si facere voles, aquam ex alto marinam sumito, mari tranquillo, quum ventus non erit, etc. » Hard. — *Quadriennio.* Videtur in Exemplaribus Catonis, quæ habuit Plinius, scriptum fuisse *quadriennium*, ut et quædam adhuc habent. At in accuratioribus exemplaribus editionibusque legitur, *quatriduum.* Hic certe in Plinio aut emendandum, aut intelligendum, *quatriduo.* Brot.

11. *Rhodium Coo simile est.* E Zacyntho præcipue laudabatur. Daleg. — *Rhodium.* Rhodium tamen minus quam Coum, aquam marinam pati, scribit Athen. lib. I, pag. 32. Hard.

12. *Phorineum.* MSS. R. aliique, *Phormeum.* Ignota vox. An *Corynæum*, a Coryna oppido, prope Clazomenas, de quo agitur lib. V, cap. 31. Hard.

XI. (IX.) Vinum omne dulce minus odoratum[1]: quo tenuius, eo odoratius. Colores vinis quatuor: albus[2], fulvus, sanguineus, niger. Psythium[3] et melampsythium passi genera sunt[4], suum saporem, non vini referentia: Scybilites[5] vero musti, in Galatia nascens, et Aluntium[6] in Sicilia. Nam siræum[7], quod alii hepsema, nostri[8] sa- 1

XI. 1. *Minus odoratum.* Aristot. Problem. sect. 3, quæst. 13, et Theophr. de Caus. lib. VI, cap. 24. DALEC.

2. *Colores vinis quatuor : albus.* Galeno vinorum colores sunt, λευκὸς, albus : κιῤῥὸς, fulvus : ἐρυθρὸς, ruber, sive sanguineus : ξανθὸς, flavus, sive gilvus, quem idem vocari posse ait πυῤῥὸν ὠχρὸν, e ruffo pallescentem : μέλας, niger : ὠχρὸς, pallidus, medius inter album et fulvum, ut fulvus medius est inter album et nigrum. Color κιῤῥὸς annis et vetustate in ξανθὸν transit. DALEC.

3. *Psythium*, etc. Psythiam vitem eam esse putant, quæ et Pramnia dicitur. Rhod. lib. XIX, cap. 15. DAL. — *Psythium.* Ψυθίου οἴνου meminit Eubulus apud Athen. lib. I, pag. 28. Μελαμψύθιον, nigrum Psythium est. Hesychio, Ψυθία, εἶδος ἀμπέλου. HARD.

4. *Passi genera sunt.* Athenæus, lib. I. DALEC. — *Passi genera.* Passum est mustum, quod solem vel ignem passum est. Passum tamen alii sole, defrutum igne et coctione fieri intelligunt. Nonius, cap. 17, n. 16 : « Varro de vita populi romani lib. I. Passum nominabant, si in vindemia uvam diutius coctam legerent, eamque passi essent in sole aduri. » Vinum passum imitantur ea potione Turcæ, quam *sorbet* vocant. Fit ex uva passa quæ mola subacta sit, cui deinde calda superfunditur : vase deinde tecto ea defervescit per aliquot dies : peractaque fermentatione fit jucundi saporis. Vide Busbeq. ep. 1. H.

5. *Scybilites.* Græcis Σκυβελίτης οἶνος. Prius *Cisibilites* legebatur. At in MSS. Reg. Colb. ac Par. *Civilitas.* Ex quo haud dubia conjectura Scybilites rescripsimus, suffragante Galeno de sanitate tuenda, lib. V, cap. 5, pag. 148, t. VI: Σκυβελίτης οἶνος. Et uvæ Σκυβελίτιδες κατὰ τὴν Παμφυλίαν, de alim. Fac. l. II, cap. 10, pag. 343, eod. tom. Denique Σκυβελίτης οἶνος inter vina dulcia ab eodem censetur de simpl. med. Fac. lib. IV, cap. 8, pag. 95. HARD.

6. *Aluntium.* Ab oppido cognomine, de quo lib. III, cap. 14. H.

7. *Nam siræum.* Galenus in Explic. voc. Hipp. tom. II, pag. 91 : Ἕψημα, ὅπερ καὶ Σίραιον. Hippocr. ipse de morb. mul. lib. I, text. 91, pag. 479, οἴνῳ σιραίῳ. Diosc. lib. V, cap. 9, Καὶ ὁ καθεψομένου τοῦ γλεύκους Σείριος ἢ ἕψημα καλούμενος. « Sapam quæ fit musto igni decocto, Græci sirion seu hepsema vocant. » In officinis Pharmacopolarum, *rob*, sive *sapa simplex.* HARD.

8. *Nostri sapam appellant.* Colum. lib. XII, cap. 19, *sapam* fieri tradit nunc quarta parte consumpta, nunc tertia, nunc dimidia. Vide

pam appellant, ingenii, non naturæ opus est, musto usque ad tertiam partem mensuræ decocto : quod ubi factum ad dimidiam est, defrutum[9] vocamus : omnia in adulterium mellis excogitata. Sed priora[10] uva terraque constant[11]. Passum a Cretico[12] Cilicium probatur, et Afri-
2 cum, et in Italia finitimisque provinciis. Fieri certum est ex uva, quam Græci sticham vocant, nos[13] apianam; item scirpula[14], diutius in vite sole adustis, aut ferventi oleo[15]. Quidam e quacumque dulci, dum præcocta alba, faciunt : siccantes sole, donec paulo amplius dimidium pondus supersit, tusasque leniter exprimunt. Deinde quantum expressere, adjiciunt[16] vinaceis aquæ Puteanæ, ut et secundarium passum faciant. Diligentiores eodem modo

locum. *Carenum*, sapam Marcellus medicus appellat, vulgo, *vin cuit* : at defrutum, *raisiné*. Dal. — Quomodo Antiqui vinum excoquerent videre est in Herculanensibus picturis, *Pitture antiche d'Ercolano*, t. I, tab. 35. Brot.

9. *Defrutum*. A defervendo dictum, auctore Palladio. Gallis, *vin cuit*. Charasius in Pharmac. pag. 143, modum utrinsque parandi edocet. Columella, lib. XIII, cap. 21 : « Mustum quam dulcissimi saporis decoquatur ad tertias, et decoctum, sicut supra dixi, defrutum vocatur. » Hard.

10. *Sed priora*. Non ab ingenio et arte, sed a natura, hoc est, ab uvæ terræque bonitate, priora illa suam auctoritatem obtinent. H.

11. *Uva terraque constant*. Saporis proprietatem ex uvæ terræque natura et conditione obtinent, non hominum industria. Dalec.

12. *A Cretico*. Post Creticum, cui princeps locus debetur : *Malvoisie*. Baccius, lib. VI, pag. 23. H.

13. *Nos apianam*. Græcis ςίχαν a ςίξ, hoc est, ab acinorum ordine. *Raisin muscat*, ut diximus cap. 4. Passi ex uva apiana conficiendi modum docet Columella, lib. XII, cap. 39, pag. 442. Hard.

14. *Item scirpula*. Cujus jam ante facta mentio, cap. 4, his verbis : « Item scirpula passo acino. » H.

15. *Aut ferventi oleo*. Aut aqua fervente et oleo. Sic Monspessulani passam uvam dum parant, racemos binos hinc illinc filo ligatos, vitiosis acinis forfice detractis, ferventi lixivio, addito olei paululum, immergunt, quoad flaccescant tantum, et corrugentur : deinde perticis imponunt, ut siccescant, ac post triduum quatriduumve insolant. Dal. — *Ferventi oleo*. Ita Columella, lib. XII, cap. 16, pag. 423. Hard.

16. *Adjiciunt*. Quantum boni succi ad primarium passum expressere, tantum vinaceis aquæ adjiciunt ad secundarium faciendum. Vinacea, *le marc*, ut diximus cap. 3. Hard.

siccatis[17] acinos eximunt, ac sine sarmentis[18] madefactos vino excellenti, donec intumescant, premunt. Et hoc genus ante cætera laudant; ac simili modo aqua addita, secundarium faciunt. Medium inter dulcia vinumque est, 3
quod Græci aigleucos[19] vocant, hoc est, semper mustum. Id evenit cura, quoniam fervere prohibetur: sic appellant musti in vina transitum. Ergo mergunt e[20] lacu protinus in aqua cados, donec bruma transeat, et consuetudo fiat algendi. Est etiamnum aliud genus ejus per se[21], quod vocat dulce Narbonensis provincia, et in ea maxime Vocontii. Asservatur ejus gratia uva diutius in 4
vite, pediculo intorto[22]. Ab aliis ipse palmes inciditur in medullam, ab aliis uva torretur in tegulis: omnia ex Helvenaca[23] vite. His adjiciunt[24] aliqui, quod vocant diachyton[25], uvis in sole siccatis, loco clauso per dies septem, in cratibus, totidem pedes a terra alte, noctibus a rore defensis, octavo die calcatis: ita fieri optimi odoris sapo-

17. *Siccatis.* Uvis nimirum acinos, hoc est, grana eximunt, rejectis sarmentis, hoc est, pediculis et ligno, cui ea adhærescunt. Habet hæc eadem fere Mago apud Columel. lib. XII, pag. 39. Hard.

18. *Sine sarmentis madefactos*, etc. Columel. lib. XII, cap. 39; Cato, cap. 23, *scorpiones* vocant: Varro, lib. I, cap. 54, *scopos*, nempe uvas cum acinorum detractorum pediculis integras, a scoparum similitudine. Pediculos acinorum in uva Græci vocant κρεμαστῆρας, ficuum πείσματα, pomorum πὸλματα, Palladius *tenacia*. Dal.

19. *Aigleucos.* Græcis ἀειγλεῦκος, vinum quod est semper dulce, sive mustum, quia fervere prohibetur: nam fervere musta dicuntur, quum in vina transeunt. Hard.

20. *E lacu.* Quid lacus sit, diximus cap. 7. Habet his aliquid simile Cato, cap. 120, pag. 65. H.

21. *Genus ejus per se.* Genus vini quod natura sua ac sponte, sine ulla propemodum arte, ejusmodi est quale Græcorum ἀειγλεῦκος. Nunc appellant *le vin doux de Limoux*, sive *blanquette de Limoux.* Item, *le vin muscat d'Azile.* Vide G. du Catel, hist. Langued. lib. I, pag. 43. Hard.

22. *Pediculo intorto.* Hunc morem e Cretensibus in sua Malvasia hodieque servari dicit Andr. Baccius, lib. I, cap. 8, pag. 12. H.

23. *Helvenaca.* Seu Helvica, ut dictum est cap. 3. Hard.

24. *His adjiciunt.* His vinorum dulcium generibus. Hard.

25. *Diachyton.* Columella, lib.

risque. Dulci e genere est et melitites. Distat a mulso, quod fit e musto[26], cum quinque congiis austeri musti, congio mellis et salis cyatho suffervefactis, austerum. Sed inter hæc genera potuum ponere debeo et protropum[27]: ita appellatur a quibusdam mustum[28] sponte defluens, antequam calcentur uvæ. Hoc protinus diffusum lagenis suis defervere passi, postea in sole quadraginta diebus torrent æstatis secutæ, ipso Canis ortu.

1 XII. (x.) Non possunt jure dici vina, quæ Græci deuteria appellant[1], Cato[2] et nos loram, maceratis aqua vinaceis[3]: sed tamen inter vina operaria numerantur. Tria

XII, cap. 27. Dal. — *Diachyton.* Διαχυτὸν, diffusum. Rhodii vini genus, passo quam maxime simile ὑποχυτὸν appellatum scribit Timachides Rhodius apud Athen. lib. I, pag. 31. Hard. — *Uvis in sole siccatis, loco clauso*, etc. Uvas sic resiccatas extra vitem, et a suis palmitibus extractas Græci vocant θηλοπεδευμένας. In crate, et super cannas id commode fieri ostendit Colum. lib. XII, cap. 16. Ea voce utitur Dioscorides in vino myrtite, οἱ δὲ, inquit, προθηλοπεδεύουσιν ἐν ἡλίῳ. Dalec.

26. *Quod fit e musto.* Hoc est, quoniam fit e musto, vinum scilicet melitites. Diosc. lib. V, cap. 15: Οἶνος μελιτίτης... διαφέρει τοῦ οἰνομέλιτος, ὅτι ἐκεῖνο μὲν ἐξ αὐστηροῦ οἴνου... ὁ δὲ μελιτίτης πρὸς ε´ χόας αὐστηροῦ γλεύκους, μέλιτος χοῦν ἕνα, καὶ ἁλὸς κύαθον ἕνα. « Distat a mulso: mulsum enim ex austero vino fit.... Melitites autem ex musto, cum quinque congiis austeri musti congio mellis et salis cyatho suffervefactis: » nam verbo ὑπερζεῖν paulo postea utitur. Hard.

27. *Protropum.* De quo jam diximus, cap. 9. Hard.

28. *Mustum*, etc. Lixivium *mustum* a Latinis vocari auctor est Rhod. lib. XXVIII, cap. 34. Vide Athenæum, lib. I. Dalec.

XII. 1. *Quæ Græci deuteria appellant.* Deuterias Hesychio: δευτερίας οἶνος, ὁ κατὰ τὸ ὕδωρ ἐπιχεθῆναι εἰς τὰ στέμφυλα. Turn. cap. decimonono, libri vigesimi octavi Advers. Dal. — *Deuteria.* Subintellige vina: δευτερίας οἴνους, vina secundaria. Diosc. lib. VI, cap. 13; Hesychius, l. c. Hard.

2. *Cato.* De R. R. c. 57, pag. 43: « Vinum familiæ ubi vindemia facta erit, loram bibant menses tres. » Varro quoque de R. R. lib. I, cap. 54: « Vocatur lora, quod lota acina, ac pro vino operariis datur hieme. » Quod Galli vocant *du rapé*, etsi id secundarium dici vinum quoque, et lora possit, re tamen ipsa et apparatu, atque etiam facultate a Veterum lora discrepat. Hard.

3. *Vinaceis.* Vinacea, *le marc*, ut diximus cap. 3. Hard.

eorum genera. Decima[4] parte aquæ addita, quæ musti expressa sit, et ita nocte ac die madefactis vinaceis, rursusque prelo subjectis. Alterum, quomodo Græci factitavere, tertia parte ejus quod expressum sit, addita aquæ, expressoque decocto ad tertias partes. Tertium est, fæcibus vini expressum, quod fæcatum Cato appellat[5]. Nulli ex his plus[6], quam anno, usus.

XIII. (XI.) Verum inter hæc subit mentem, quum sint 1
genera nobilia, quæ proprie vini intelligi possint, LXXX fere in toto orbe, duas partes[1] ex hoc numero Italiæ esse, longe propterea ante cunctas terras. Et hinc deinde altius cura serpit, non a primordio hanc gratiam fuisse: (XII) auctoritatem post sexcentesimum Urbis annum cœpisse.

XIV. Romulum lacte[1], non vino, libasse, indicio sunt 1
sacra ab eo instituta, quæ hodie custodiunt morem. Numæ regis Postumia[2] lex est: Vino rogum[3] ne respergito.

4. *Decima.* Hic modus a Columella traditur, lib. XII, cap. 40, pag. 443 : « Lora optima quomodo fiat. Quantum vini uno die feceris, ejus partem decimam quot metretas efficiat considerato, et totidem metretas aquæ dulcis in vinacea addito. » Sic etiam Diosc. lib. V, cap. 13. HARD.

5. *Cato appellat.* De R. R. cap. 153, pag. 82 : « Vinum fæcatum sic facito. Fiscinas olearias Campanicas illi rei habeto : eas fæcis impleto, sub prelumque subdito, exprimitoque. » HARD.

6. *Nullis ex his.* Post annum, inquit, vina hæc exolescunt. Diosc. l. c. Χρῶ δὲ αὐτῷ ἐντὸς ἐνιαυτοῦ· ταχέως γὰρ ἐξίτηλος γίνεται. HARD.

XIII. 1. *Duas partes.* Hoc est, bessem, *les deux tiers.* HARD.

XIV. 1. *Romulum lacte*, etc. Paulus ex Festo : « Sobrium vicum Romæ dictum putant, vel quod in eo taberna nulla fuerit, vel quod in eo Mercurio lacte, non vino supplicabatur. » Ante Romulum tamen Latinos vino libasse docet ejusdem Festi fragmentum : « Rustica vinalia appellantur, mense Augusto quarto decimo kal. septemb. Jovis dies festus, quia Latini bellum gerentes adversus Mezentium, omnis vini libationem ei Deo dedicaverunt, etc. » HARD.

2. *Postumia lex est.* Postumia, postrema supremoque vitæ tempore lata. De hujus verbi notione vide apud Gellium, lib. XII, cap. 16, Cesellii Vindicis et Sulpitii controversiam. Ut ab extra extumus, a citra citumus, sic fit a post postumus. Canterus, lib. II, cap. 10. Vel *postuma*, ab eorum similitudine, qui

Quod sanxisse illum propter inopiam rei nemo dubitet. Eadem lege, ex imputata[4] vite libari vina diis, nefas statuit, ratione excogitata, ut putare cogerentur, alias[5] ara-

patre mortuo nascuntur. Nam multis annis post ejus interitum, Numæ libri reperti sunt Pontificii juris, ac in lucem editi, quibus id jussisse verisimile est. Supra, lib. XIII, cap. 13. Scaliger in Catulli versu: « Ut lex Posthumiæ jubet magistræ, » interpretans, *legem Posthumiæ*, pro *lege Posthumia*: eademratione dictum censet, qua urbem Romæ, et herbam lapathi legimus: citansque hunc Plinii locum, vult has leges Numæ συμποτικὰς fuisse, non πολιτικάς. Qui enim id Numa vetarit, quum ex veteribus auctoribus satis constet, vino rogum respergi? Apparet itaque, inquit, allusum esse ad voluptariorum dicteria, cujusmodi sunt hæc in Epigr. Græcis: Μὴ μύρα, μὴ ςεφάνους λιθίναις στήλαισι χαρίζου, Μηδὲ τὸ πῦρ βρέξης· εἰς κενὸν ἡ δαπάνη. Ζῶν τί μοι, εἴ τι θέλεις, χάρισαι, τέφρην δὲ μεθύσκων Πηλὸν ποιήσεις, οὐχ' ὁ θανὼν πίεται. Quanquam, subjungit, in duodecim scriptum fuit: MVRRINAM MORTVO NE INDITO. DALEC. — *Postumia lex.* A Postumio judice lata, Numa præeunte. Delicias facit Scaliger, qui hoc Catulli versu; « Inger mi calices amariores, Ut lex Postumiæ jubet magistræ » legis hujus a Numa Pompilio latæ fieri mentionem putet: quum ibi Postumia mulier bibacissima fuerit, cujus hortatu et Catullus ipse potare se largiter velle significat. H. — *Postumia.* Parm. edit. et Chifflet. cod. *Postumi.* ED.

3. *Vino rogum ne respergito.* Manibus quum parentabatur, rogum sepulchrumve conversa manu vino respergebant, pocula libabant, effuso vino vasa in ignem mittebant, nigras hostias immolabant. Alexander ab Alex. lib. V, cap. 26. Quamvis ob inopiam Numa rogum vino aspergi vetuerit: Decemviri tamen, quorum leges interpretati sunt Scævola, Lælius, Capito, ab auctore nominati, vino quovis id fieri permiserunt, præterquam Murrato, quod ex Varrone Festus citat. Pythagoricæ disciplinæ scientissimum regem hoc Symbolo putant vinum iracundis prohibuisse. DAL. — *Vino rogum.* Fuit ea tamen consuetudo Veterum, ut rogum reliquiasque vino respergerent. Vide Homerum, Iliad. Ψ, in funere Patrocli: quem secutus Maro, Æn. lib. VI, v. 226: « Postquam collapsi cineres, et flamma quievit, Relliquias vino ac bibulam lavere favillam. » Decemviri ann. U. C. trecentesimo tertio, lege XII tabularum, non omnem vini, sed murrati tantum respersionem vetuere: « Murata potio mortuo ne inditor. » Quam Cicero de Legg. lib. II, explanans uberius, pro murata potione, *sumptuosam respersionem* dixit. HARD.

4. *Imputata vite.* Nondum putata. HARD.

5. *Alias aratores, et pigri circa pericula arbusti.* Quum alioqui de aranda solum tellure cogitarent, et circa pericula vitis arbustæ pigri forent. HARD.

tores, et pigri circa pericula arbusti[6]. M. Varro auctor est, Mezentium Etruriæ regem auxilium Rutulis contra Latinos tulisse vini mercede, quod tum in Latino agro fuisset. (XIII.) Non licebat id feminis Romæ bibere[7]. In- 2
venimus inter exempla, Egnatii Mecenii[8] uxorem, quod vinum bibisset e dolio, interfectam fusti a marito, eum-

6. *Arbusti.* Vitium arboribus applicitarum. HARD.

7. *Non licebat id feminis Romæ bibere* Vide Val. Max. lib. II, cap. 1. Scribit Gellius romanas mulieres usas in potu laurea, passo, murrhina : quo loco *lauream* loram esse intelligunt. Grandiores natu feminas auctor est Varro bibere solitas loram, poscam, defrutum, passum, quod a Plauto dictum volunt murrhinam. Rhod. lib. XVIII, cap. 37. Mulieres romanas, servos, ephebos ad annum usque tricesimum, mulieres item Massilienses vino abstinuisse refert idem auctor, lib. XXVIII, cap. 5. Apud Agellium Cato in oratore de dote : « Vir, nisi quum divortium facit, mulieri judex et pro censore est : imperium, quod videtur, habet : si quid perverse tetreque factum est a muliere, multatur : si vinum bibit, si cum alieno viro quid probri fecit, condemnatur, etc. » Lips. lib. I, cap. 13. Apud Nonium Cic. III de Rep. « Ita magnam vim habet disciplina verecundiæ : Carent temeto omnes mulieres. » Idem lib. IV : « Atque etiam si qua erat famosa, ei cognatio osculum non ferebat. » Apud Athenæum, lib. X, Polybius scribit, etiam nullo modo fallere potuisse quæ bibissent, quum mos ille mane ipsas osculandi ea de causa sit inventus, et illarum curæ non committeretur cella vinaria. Victorius, lib. XXIV, cap. 7. DALEC. — *Non licebat.* Gellius, lib. X, cap. 23, pag. 556 : « Mulieres Romæ, inquit, atque in Latio, bibere solitas ferunt loram, passum, murrhinam, et quæ id genus sapiant, potu dulcia. » Vide et Dion. Halic. lib. II, pag. 96. Addit Ælianus Variar. lib. II, cap. 38, nec licuisse cuiquam nobilium a pube ad annum XXXV vinum bibere. HARD.

8. *Metelli.* Val. lib. VI, cap. 3; Gellius, lib. VI, cap. 23 ; Sigonius de jure ant. Rom. lib. I, cap. 9. — *Egnatii Mecenii.* Egnatium Metellum vocat Val. Max. lib. VI, cap. 3, pag. 304, ejusque factum ait non accusatore tantum, sed reprehensore caruisse. Verum non Metellum, sed Mecenium appellatum esse, testis est præter Plinium Tertullianus in Apolog. cap. 6 : « Circa feminas quidem, inquit, etiam ipsa illa majorum instituta ceciderunt, quæ sobrietati patrocinabantur... quum mulieres usque adeo vino abstinerent, ut matronam ob resignatos cellæ vinariæ loculos sui inedia necarint : sub Romulo vero quæ vinum attigerat, impune a Mecenio marito trucidata est. Idcirco et oscula propinquis offerre necessitas erat, ut spiritu judicarentur. » HARD.

que cædis a Romulo absolutum. Fabius Pictor[9] in Annalibus suis scripsit: Matronam, quod loculos, in quibus erant claves vinariæ cellæ, resignavisset, a suis inedia mori coactam. Cato ideo propinquos[10] feminis osculum dare, ut scirent, an temetum olerent. Hoc tum nomen vino erat: unde et temulentia[11] appellata. Cn. Domitius judex pronuntiavit, mulierem videri plus bibisse[12], quam valetudinis causa, viro insciente, et dote mulctavit: diuque
3 ejus rei magna parsimonia fuit. L. Papirius[13] imperator adversus Samnites dimicaturus votum fecit, si vicisset, Jovi pocillum vini. Denique inter dona sextarios lactis datos invenimus, nusquam vini. Idem Cato, quum in Hispaniam navigaret, unde cum triumpho[14] rediit: « Non

9. *Fabius Pictor*. De eo in Auctorum Indice. Habet hæc quoque Tertullianus in Apol. cap. 6. H.

10. *Ideo propinquos*. Gellius, l. c. « Institutumque est, ut cognatis osculum ferrent, deprehendendi causa, ut odor indicium faceret, si bibissent. » Hard.

11. *Temulentia*. Nonius, cap. 1, n. 14, pag. 486: « Temulenta dicta est ebriosa, dicta a temeto, quod est vinum, quod attentet mentem, M. Tull. de rep. lib. IX. Ita magnam habet vim disciplina verecundiæ: Carent temeto omnes mulieres. » Hard.

12. *Mulierem videri plus vini bibisse*. Ea modestia fuit priscorum hominum, ut qui testimonium dicerent, etiamsi referrent quæ vidissent, et certo scirent, ea tamen ἠθικῶς sibi videri, νομίζεσθαι, δοκεῖν, loquerentur. Idem observatum fuit in senatusconsultis, quæ ob id δόγματα Græci vocaverunt, in plebiscitis, et a judicibus in causarum cognitione, quæ vera esse didicissent, ut ea, non tamquam essent, sed tamquam facta viderentur, pronuntiarent. Cujacius Observ. lib. III, cap. 26. Brissonius, cap. 22. Dalec.

13. *L. Papirius imperator*, etc. De hoc vide lib. XVII, cap. 11. Dal. — *Papirius*. Furcarum Caudinarum infamiam, quando deditionem Samnitibus fecit romanus exercitus, et sub jugum missus est cum utroque consule, ann. Urb. cond. 433, sequenti anno majori Samnitium clade, ac pari ignominia rependit Papirius imperator, quem Livius, lib. IX, Alexandro M. si in Italiam, ut erat fama, venisset, parem ait esse potuisse. Hard.

14. *Quum in Hispaniam navigaret, unde cum triumpho*. Quem Livius describit lib. XXXIV, pag. 417: Florus, lib. II, cap. 17, pag. 90: « Cato ille censorius, Celtiberos, id est, robur Hispaniæ, aliquot prœliis fregit. » Hard.

aliud[15], inquit, vinum bibi, quam remiges: » in tantum dissimilis istis, qui etiam convivis alia[16], quam sibimetipsis, ministrant, aut procedente[17] mensa subjiciunt.

XV. Lautissima apud priscos vina erant; myrrhæ 1
odore condita[1], ut apparet in Plauti fabula[2], quæ Persa

15. *Non aliud.* Frontinus, Strateg. lib. IV, cap 3 : « M. Catonem vino eodem quo remiges, contentum esse traditur. » Festus in fragm. pag. 18 : « Cato in ea quam scripsit, quum in Hispaniam proficisceretur, ait : Navitæ, quod secum portaverant vinum atque oleum, usus tantum eo sum. » Hard.

16. *Qui etiam convivis alia.* Nihil festivius in eam rem dici, aut elegantius potest, quam quod de hominis sordidi simul et sumptuosi, quod deinde de suo more Plinius alter prodidit, lib. II, ep. 2 : « Aliud sibi vinum, et nobis, inquit, aliud minoribus amicis (nam gradatim amicos habet), aliud suis nostrisque libertis. Animadvertit qui mihi proximus recumbebat; et an probarem interrogavit : negavi. Tu ergo, inquit, quam consuetudinem sequeris? Eadem omnibus pono : ad cœnam enim, non ad notam invito : cunctisque rebus exæquo, quos mensa et toro æquavi. Etiamne libertos? etiam : convictores etiam tunc, non libertos puto. Et ille, Magno tibi constat : Minime. Qui fieri potest? Quia scilicet liberti mei non idem quod ego bibunt, sed idem ego quod liberti. Et hercule, si gulæ temperes, non est onerosum, quo utaris ipse, communicare cum pluribus. Illa ergo reprimenda, illa quasi in ordinem redigenda est, si sumptibus parcas, quibus aliquanto rectius tua continentia, quam aliena contumelia consulas. » Spectat huc et elegans Martialis lib. III, epigr. LX : « Quum vocer ad cœnam, non jam venalis, ut ante : Cur mihi non eadem, quæ tibi, cœna datur? etc. » H.

17. *Aut procedente.* Aut si semel convivis eadem ac sibimetipsis ministravere vina, procedente mensa alia iisdem, ac deteriora subjiciunt. Hard.

XV. 1. *Myrrhæ odore condita.* Myrrhæ odorem hic τὸ ἄρωμα vocat Colum. lib. XII, cap. 19. Ad prædictum autem modum musti adjici debent hi odores, nardi folium, iris Illyrica, nardum Gallicum. Brod. lib. IV, cap. 20. Vinum sic conditum ἀνθοσμίαν οἶνον, et ἀνθίνην Græci vocabant, ut et Latini veteres vini florem, Ennius : « Hæc anus admodum Friguit, nimirum sauciavit se flore Liberi. » Dalec. — *Myrrhæ odore.* Sic libri omnes vetustissimi, Parm. Ven. Brixiens. cæterique editi. Sic Reg. 2, Cod. et Par. Sic Plinius ipse scripsisse se apertissime prodit, tum hoc loco, quum ait, et *calamum* in ea vina adjici : unde intelligitur peculiare jam ab eo aromatis genus fuisse designatum, myrrham videlicet : tum vero maxime, cap. 19, ubi vinum aromatiten describens : « Aromatiten, inquit, invenio factitatum, tantum non un-

inscribitur[2], quanquam in ea et calamum[3] addi jubet. Ideo quidam aromatite[4] delectatos maxime credunt. Sed Fabius Dossennus[5] his versibus decernit:

Mittebam vinum pulcrum, murrhinam.

Et in Acharistione[6]:

Panem et polentam, vinum murrhinam.

Scævolam quoque et Lælium, et Atteium[7] Capitonem in

guentorum compositione, primo e myrrha, ut diximus: » non alio certe loco, quam isto, quem ibi apectat. Quare cæteros codices nihil moror, in quibus *miro odore condita* legitur: neque Hermolaum audio, qui *myri*, μύρου, hoc est, *unguenti*; neque Salmasium, qui pag. 610 in Solin. *pomorum odore condita* reposuit. Hard.

2. *Persa inscribitur.* Aut diversam esse necesse est ab ea quæ hodieque exstat eo nomine, aut versus eos excidisse, quos Plinius noster allegat. Nam qui in ea fabula exstant, quæ Persa inscribitur, act. I, sc. 3, v. 7, quos Salmasius affert, pag. 709 in Solin. « Commisce mulsum, struthea, coluthea que appara, Bene ut in scutris concaleant, et calamum injice: » in iis nec vini genus describitur, sed mulsi; nec myrrhæ ibi ulla mentio. Hard.

3. *Et calamum.* Aromaticum scilicet, de quo lib. XII, cap. 49. H.

4. *Aromatite.* Vino nimirum, quod e myrrha calamoque factitatum dicitur, cap. 19. Sic MSS. R. etc. Prius *aromatice* perperam legebatur. Hard.

5. *Dossennus.* De eo in Auctorum Indice. Hard.

6. *Acharistione.* Hanc fabulam Plauto Nonius adjudicat, cap. 2, verbo *Pauperavit.* Hard.

7. *Scævolam quoque et Lælium et Ateium Capitonem.* Lege *Ælium*, non *Lælium*, ex indice antiquorum codicum et Romanæ etiam impressionis. Tres enim hic jurisconsulti memorantur, Scævola, Ælius, Ateius Capito: quorum inter alios Pomponius meminit jurisconsultus primo Digestorum volumine, titulo de origine juris. Verba cujus de hoc Ælio sunt: « Non post multum temporis spatium Sextus Ælius alias actiones composuit, et librum populo dedit, qui appellatur jus Ælianum: » et mox, « Deinde Sextus Ælius et frater ejus P. Ælius Aterius, et P. Atilius, maximam scientiam in profitendo habuerunt: et duo Ælii etiam consules fuerunt: Atilius autem a populo primus Sapiens appellatus est. Sextum Ælium etiam Ennius laudavit, et exstat illius liber, qui inscribitur Tripartita. » Hæc Pomponius. Versus autem Ennii quo Ælius hic laudatur, a Cicerone affertur prima Tusculana: « Egregie cordatus homo catus Ælius Sextus: » et in Catone majore idem Cicero hunc Ælium laudat, cujus verba ut ab inveterata multos jam

eadem sententia fuisse video, quoniam in Pseudolo[8] sit :

> Quod si opus fiet, ut dulce promat
> Indidem, ecquid habet? CHAR. Rogas?
> Murrhinam, passum, defrutum, mella.....

Quibus apparet non inter vina modo murrhinam[9], sed inter dulcia quoque nominatum.

annos menda asserantur, libnit snbtexere : « Nihil Sextus Æmilius tale, nihil multis annis ante T. Coruncanins, nihil modo P. Crassus, a quibus jura civibus præscribebantur. » Scribendnm, *Sextus Ælius*, non *Sextus Æmilius*. PINT. — *Scævolam*, etc. De his in Auctorum Indice. Ex Cornelia gente fuit Lælia, quæ nomen dedit Læliano Augusto : cujus nomine nummus inscriptus est in Thesauro Regio : IMP. C. VLP. COR. LAELIANVS. Alii IMP. C. LAELIANVS. P. F. AVG. Quem vero Plinins Lælium vocat, is est fortassis, cujus est nummus argentens in Gaza Regia, et apnd Patin. in Fam. pag. 288, n. 7. Caput Romæ victricis galeatum et laureatum exhibet : supra, ROMA. Retro, P. LAE. CA. Imperator paludatus stans dextram imponit capiti senatoris togati, adstante ad sinistram imperatoris lictore, cum virga : infra, PROVOCO. Hic Læcam nescio quem pingi multi imprudenter scripsere, et de provocatione agi popnlo rom. data. Atqui sententia hæc ibi snb istis litteris latet : P. LAE*lius* CA*to* PR*aetor omnium votis ordinum constitutus*: id quod ipsa nnmmi pictura docet. In alio apud Gorlæum, et in Mnseo nostro, et apud Patinnm, n. 3, est tantum LAECA, sine prænomine P. sed divisa littera A. ab E. magis recepto more, sensu eodem : LAE*lius* CA*to*. In aversa parte, M. Porcius curru quadrijugo vehitur, supervolitante Victoria, et coronam porrigente. Sub bigis, M. PORC. Infra, ROMA. Docet hic nummus P. Lælium Catonem fuisse paterno genere Lælium, materno Catonem, ex gente Porcia. Unde M. Porcii victoriam in altera nummi parte jnssit inscribi. HARD.

8. *In Pseudolo*. Quæ Plauti fabula est. Exstat hic locus act. II, sc. 4, v. 51. HARD.

9. *Murrhinam*. Quidam legunt *Murrianam*, alii *Murinam*, alii *Myrrhinum*. Hadrian. Jun. V. cap. 19, Murrynum, ἀπὸ τοῦ μύρου, quoniam, ut inquit Ælianus, οἶνον μύρῳ μιγνύντες οὕτως ἔπινον, vinnm odoribus imbutum bibebant, μυρινίτην οἶνον, sive, nt legit Pollnx, μυρίτην, Philippides Comicus appellavit : Ἦν δέ τις, inqnit Pollux, καὶ μυρίτης οἶνος, μύρῳ κεχραμένος· οἱ δὲ τὸν γλυκὺν οὕτως οἴονται κεκλῆσθαι. Sex. Pomp. murinam exponit Græcorum nectar : quibus argumentis fit, ut interpretatio Plinii minus sit probabilis; quamvis Fulgentius laudet : ac præterea, quia ingrato amarore myrrhæ perfusum vinum vix cuiquam placiturnm sit. Juvenal. Sat. VI : « Qunm perfusa mero spnmant unguenta Falerno. » Martia-

1 XVI. (XIV.) Apothecas[1] fuisse, et diffundi[2] solita vina anno DCXXXIII[3] Urbis, apparet indubitato[4] Opimiani

lis : « Et foliata sitis. » Brod. lib. IV, cap. 4. Est et οἶνος ἀνθοσμίας Xenophonti Ἑλλην. Δ ; ac Luciano, idem fortassis cum myrino. Thomas interpretatur εὔοσμον. Brod. lib. V, cap. 26 et 33. Alex. ab Alex. lib. III, cap. 11 ; Scalig. in cap. 6 lib. IX de Caus. Theophr. Murrhinam vocatum censet vinum, quod romanis feminis premebatur ex baccis myrti, quoniam myrrha ob amarorem non sit idonea potui, et myrtum ubique Theoph. vocet μύῤῥινον. Murratam potionem ædiles per supplicationes ad pulvinaria Diis addebant. Duodecim tabulis cautum erat, ne illa mortuo inderetur. *Murrinam* Græci vocant nectar : mulieres *murriolam* : quidam *murratam vinum* : quidam dictum putant ab uva Murrina. Festus : Plauti versus est : « Bene in strutheis concaleat (mulsum) et calamum injice. » Apud Sutrium Comicum, Glycerium : « Myrinum mihi adfer, quo virilibus armis occurram fortiuscula. » Supplicationibus publicis ad Deorum pulvinaria ædilium jussu Myrinum apponebatur, quos ambrosia et nectare pasci credidit antiquitas. Apud Petronium Arbitrum quidam Myrini potu se ad libidinem concitatum fuisse narrat. DAL. — *Murrhinam.* Veterum itaque murrhinam vini genus aut passi, myrrhæ odore conditi, atque adeo aromatiten, Plinius noster putat, certos auctores secutus, quos Varro laudat apud Nonium, cap. 17, n. 11 : « Loram dicebant in vindemia, quum expressissent acinis mustum, et folliculos in dolium conjecissent. Varro, de vita pop. R. lib. I. Antiquæ mulieres majores natu bibebant, aut sapam, aut defrutum, aut passum, quam murrhinam Plautum quidam appellare putant. » Sane Gl. Gr. Lat. *murinam* ἀρωματεῖον interpretatur. E myrrha vinum fieri indicasse se hoc loco Plinius inferius admonet, c. 19. H.

XVI. 1. *Apothecas.* Ἀποθήκη Græcis, Columellæ, lib. I, cap. 8, cella vinaria. « Plenam antiquis apothecam cadis » apud Phædrum legimus Fabb. lib. IV. HARD.

2. *Et diffundi solita vina*, etc. Scribe : « et diffundi solita vina anno DCXXXIII Urbis apparent, in consulatu Opimii, Opimiani vini argumenta. » Nam hoc anno Urbis consul fuit Opimius. SALM. 467, b. — *Et diffundi solita vina*, etc. Colari, siccari, διαχεῖσθαι, transvasari, elutriari, ex cupa in qua per aliquot dies ferbuit, in dolia et cados transfundi, in quibus conditum servabatur, ac unde œnophoris haustum in crateres et pocula fundebatur bibituris. Ἠθικὰ Theophrast. de Caus. lib. VI, cap. 24, quasi ἠθούμενα vocat. DALEC. — *Et diffundi.* Hoc est, recondi in doliis. Vinum diffunditur, quod e lacu in amphoras et cados apothecarum ad asservandum funditur. Horat. lib. I, ep. V, v. 4 : « Vina bibes iterum Tauro diffusa. » Et Juven. Sat. V : « Ipse capillato diffusum consule potat. » Et Sat. XI : « Hic tibi vina dabit diffusa in montibus illis. » Adde his et Colu-

vini[5] argumento, jam intelligente suum bonum Italia. Nondum tamen ista genera in claritate erant. Itaque omnia tunc genita[6] unum habent consulis nomen. Sic quoque postea diu transmarina in auctoritate fuerunt, et ad avos usque nostros: quin et Falerno jam reperto, sicut apparet ex illo Comici versu[7],

Quinque Thasi[8] vini depromam, bina Falerni.

P. Licinius Crassus, et L. Julius Cæsar censores anno Urbis conditæ DCLXV[9] edixerunt[10], ne quis vinum Græ-

mellam, lib. XII, cap. 28. Hard.

3. *Anno DCXXXIII.* Ita MSS. omnes, Reg. Colb. etc. et recte, uti monnimus cap. 6, ubi de Opimii consulatu. Hard.

4. *Indubitato.* Ita Reg. 2, Colb. 1, 2, Th. etc. Hard.

5. *Opimiani vini*, etc. L. Opimii consulis anno omnium vini generum bonitatem laudavit supra, cap. 4 hujus libri. Dalec.

6. *Itaque omnia tunc genita*, etc. Cicero in Bruto: « Ut si quis Falerno vino delectetur, sed eo nec ita novo, ut proximis coss. natum velit: nec rursus ita vetere, ut Opimium aut Anatium coss. quærat. Atqui hæ notæ sunt optimæ. Credo. Sed nimia vetustas, nec habet eam, quam quærimus, suavitatem; nec est jam sane tolerabilis. » Dalec.

7. *Sicut apparet ex illo Comico versu Anaxipolis Thasii*, etc. Quid ego audio, Anaxipolim Thasium latinos versus scriptitasse? au forte græce quidem scripsit, sed togatas fabulas. Alioqui inepte citatur testis, ubi agitur de auctoritate, quæ fuit vinis in Urbe atque Italia. Subjiciam et hic veterem lectionem, quo magis appareat depravatio: « Sic quoque postea diu transmarina..... sicut apparet ex illo Comico versu, Quippe Thasii, etc. » non *Quinque*, etc. Gelenius.

8. *Quinque Thasi.* Hoc est, Thasii, vini e Thaso insula advecti. — Prius legebatur, « Quinque Thasii vini inde depromam, Falerni bina. » Gelenius legi malebat, *Quippe.* At in Reg. cod. Paris. et Th. « Quinque Thasi vini depromam vini Falerni: » omnino pro *bina Falerni*: est enim versus heroicus integer, sive hexameter. Voculam *inde*, quæ binis syllabis constat, conflatam esse ex posteriore vocis prioris syllaba, et ex priore subsequentis, nemo non videt. Hard.

9. *DCLXV.* Ita MSS. Reg. Colb. Th. Chiffl. Paris. et vett. edd. Sed legendum haud dubie *DLXV.* Nam hos censores, ipsumque urbis annum 565, jam supra notavimus, XIII, 5. H — Ipsa vini vilitas argumentum est erroris. Brot.

10. *Edixerunt, ne quis*, etc. Olim minime liberum fuit cuique negotiatori tanti res suas æstimare quanti vellet, sed quanti censuisset magistratus, cujus censionem ac æsti-

cum Amineumque octonis æris[11] singula[12] quadrantalia venderet. Hæc enim verba sunt. Tanta vero vino Græco gratia erat, ut singulæ potiones in convictu darentur.

1 XVII. Quibus vinis auctoritas fuerit sua in mensa, M. Varro his verbis tradit : L. Lucullus puer apud patrem nunquam lautum convivium vidit, in quo plus semel Græcum vinum daretur. Ipse quum rediit ex Asia, millia cadum[1] in congiarium[2] divisit amplius centum. C. Sentius, quem prætorem vidimus, Chium vinum domum suam illatum dicebat tum primum, quum sibi[3] cardiaco
2 medicus dedisset. Hortensius super decem millia cadum heredi reliquit. Hactenus Varro. (XV.) Quid? non et Cæsar dictator triumphi sui cœna vini Falerni amphoras, Chii cados in convivia distribuit[4]? Idem Hispaniensi triumpho Chium, et Falernum dedit. Epulo vero[5] in

mationem annonam fori vocabant. Apud Terent. Donatus, illud, *scisti uti foro*, sumptum vult a negotiatoribus, qui, quanti vendant, quæ advehunt, non præscribunt, priusquam veniant in commercii locum : sed secundum annonam fori, quam deprehenderit, de vendendis, aut non vendendis mercibus consilium capiunt. Rævard. lib. III Variorum, cap. 17. DALEC.

11. *Octonis æris.* Hoc est, octonis assibus, romano ac veteri more : quorum deni octonis assibus monetæ gallicæ æstimatione nostra permutantur : octoni fere senis. Vide quæ dicturi sumus lib. XV, cap. 1, et lib. XVIII, cap. 4, de hac vilitate omnis annonæ. H.

12. *Quadrantalia.* Quid quadrantal, seu amphora sit, diximus cap. 5. HARD.

XVII. 1. *Millia cadum.* Cadus est vasis vinarii genus decem congios, vel ut aliis placet, duodenos capiens, ut amphora tantum octonos. HARD.

2. *In congiarium.* Congiarium munus erat, quo populus donabatur, ut milites donativo. Sueton. in Aug. cap. XLI : « Congiaria frequenter populo dedit, etc. » H.

3. *Sibi cardiaco.* Cardiacus est, qui cardiaco morbo tentatur : quo de genere morbi dicemus in libris de Medicina. Horat. lib. II, sat. 3 : « Non est cardiacus, etc. » H.

4. *In convivia distribuit.* Id est, in singula convivia singulos cados, singulasque amphoras. *Convivia* hic vocat certum convivarum numerum una discumbentium, qui fere intra Musarum numerum consistebat, juxta tritum illud proverbium : « Septem convivium, novem convitium. » GELEN.

5. *Epulo vero.* Quum esset epulo. Epulones dicebantur ii, quibus

tertio consulatu suo, Falernum, Chium, Lesbium, Mamertinum: quo primum tempore quatuor genera vini apposita constat. Postea ergo alia omnia[6] in nobilitatem venerunt, circiter septingentesimum Urbis annum.

XVIII. (XVI.) Itaque non miror innumerabilia pæne genera fictitii reperta multis ante sæculis, quæ nunc dicemus, omnia ad medicinæ usum pertinentia. Omphacium quo modo fieret, propter unguenta, diximus priore libro[1]. Fit e labrusca[2], hoc est, vite silvestri, quod vocatur œnanthinum. Flores ejus libris duabus in musti cado macerati[3], post XXX dies mutantur. Præter hoc radix labruscæ et acini coria perficiunt. Ii paulo postquam defloruere, singulare remedium habent ad refrigerandos in morbis corporum ardores, gelidissima, ut ferunt, natura. Pars eorum æstu moritur, priusquam[4] reliqui, qui solstitiales[5] dicuntur. Universi numquam maturescunt: et

potestas esset Jovi O. M. cæterisque diis epulas indicendi. Hi primum terni fuere, mox et septeni. Cicero de Orat. lib. III, n. 70: « Pontifices veteres propter sacrificiorum multitudinem tres viros epulones esse voluerunt: quum essent ipsi a Numa, ut etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, instituti. Postea est auctus numerus, et septem creari cœpti. » Hinc apud Plinium Juniorem, lib. II, ep. 11: *Septemvir Epulonum.* Hujus sacerdotii expressa mentio in denario gentis Cœliæ, cum effigie Septemviri in Jovis epulo lectum eidem deo pro more sternentis cum epigraphe, L. CALDVS. VII. VIR. EPVL. *Lucius Caldus Septemvir Epulonum.* HARD.

6. *Postea.... alia omnia.* Alia vinorum genera claritatem accepere. HARD.

XVIII. 1. *Priore libro.* Priore scilicet ex iis in quibus arbores tractantur, hoc est, lib. XII, cap. 61. HARD. — Dalec. *superioribus libris*, mera tamen et inani conjectura. ED.

2. *Fit e labrusca.* Hæc iisdem verbis Diosc. lib. V, cap. 33: ὁ δὲ οἰνάνθινος σκευάζεται οὕτω· λαβὼν τῆς ἀγρίας ἀμπέλου, etc. HARD.

3. *Flores ejus libris duabus... macerati.* Dalecampii cod. *maceratis*; et mox Chifflet. pro *defloruere*, exhibet *defluere.* ED.

4. *Priusquam reliqui.* Dal. *perstant reliqui.* ED.

5. *Qui solstitiales.* Iidem et caniculati appellati a Marcello Empirico, cap. XIV; quoniam ardores caniculæ durant, aut iisdem torrentur: non quia canam lanuginem habeant, ut visum est non nemini. HARD.

si prius, quam tota marcescat uva[6], incocta detur cibo gallinaceo generi, fastidium gignit uvas appetendi.

1 XIX. Fictitiorum[1] primum fit ex ipso vino, quod vocant adynamon[2], hoc modo: Albi musti sextarii xx[3] aquæ dimidium, fervet donec excoquatur aquæ mensura[4]. Alii marinæ[5] sextarios decem, tantumdem pluviæ, in sole quadraginta diebus torrent. Dant ægris, quibus vini noxiam timent.

2 Proximum fit e milii semine[6] maturo, cum ipsa stipula[7], libram et quadrantem in congios duos musti, macerato, et post septimum mensem transfuso. Ex loto arbore[8], frutice, herba, dictum est uti quæque fierent[9].

3 Fiunt et e pomis[10] quæ dicemus, interpretationibus

6. *Marcescat uva*. Ita Reg. Colb. Chiffl. Hard.

XIX. 1. *Fictitiorum*. Ita MSS. Reg. etc. tum boc loco, tum in Iudice. Sic lib. XXIII, cap. 26: « Inter vini genera, quæ fingi possunt, etc. » Alii *factitiorum* hic legunt, MSS. omnibus invitis. H.

2. *Adynamon*. Ἀδύναμος οἶνος, Diosc. lib. V, cap. 13, boc est, vinum impotens, imbecille: in quo parando musti ille et aquæ pares recipit portiones: quum a Plinio dupla exigatur musti ad aquam mensura. Hard.

3. *Sextarii XX*. De sextario diximus cap. 5. Hard.

4. *Aquæ mensura*. Hoc est, donec excoquatur aqua, ἄχρις ἂν ἐξαναλωθῇ τὸ ὕδωρ, Diosc. l. c. H.

5. *Alii marinæ*. Diosc. l. c. H.

6. *E milii semine*. Quo plane modo confici vinum e milii semine Plinius noster præcipit, eodem plane Dioscorid. vinum e vettonica, quam κέστρον Græci vocant: prorsus ut κέγχρον legisse Plinius in iisdem fontibus græcis, in quibus κέστρον Dioscorides, existimari possit. Vidit hoc ante nos Budæus, de asse, lib. V, fol. 115, et Budæum secutus P. Ciaconius, lib. de ponderibus, pag. 70. Hard.

7. *Cum ipsa stipula*, etc. Cum juba, sive phoba. Dal.

8. *Ex loto arbore*. Lapsus est memoria Plinius, tum quod citato loco ex fructu loti, Africanæ arboris, vinum tantum fieri dixit mulso simile, quod ultra denos dies non durat: tum quod loti arboris, et herbæ Ægyptiæ, ibi tantum meminit, non autem fruticis. Dalec.

9. *Dictum est uti quæque fierent*. Arborem vocat Africanam: fruticem, Lotometram: herbam, Ægyptiam. Dalec. — *Dictum est*. Lib. XIII, cap. 32. Hard.

10. *Fiunt et e pomis*. Pomum hic nomen est commune fructuum omnium qui esui apti proveniunt: unde et nuces pomorum quando-

non nisi necessariis additis: primumque e palmis[11], quo Parthi et Indi utuntur, et Oriens totus: maturarum, quas vocant chydæas[12], modio in aquæ congiis tribus macerato, expressoque[13]. Sic fit et sycites[14] e fico, quem alii palmiprimum[15], alii catorchiten vocant. Aut si dulce esse non libeat, pro aqua tantumdem[16] vinaceorum adjicitur. E Cypria fico[17] et acetum præcellens[18], atque Alexan-

que genere scriptores vetusti comprehendunt. Hard.

11. *E palmis.* Ut dictum est lib. XIII, cap. 9. Hard.

12. *Maturarum quas vocant chydæas.* E caryotis fieri, non e chydæis, auctor scribit, lib. XIII, cap. 4. E chydæis fieri Dioscorides ait. Dalec. — *Maturarum*, etc. Sic Dioscor. lib. V, cap. 40, ubi de palmei vini confectione: Φοινικίτης οἶνος. Λαβὼν φοίνικας τὰς χυδαίους πεπείρους, etc. Quid chydææ palmulæ vox sonet diximus lib. XIII, cap. 9. In MSS. *mitearum*, forte pro *mitiorum*. Aliud porro longe vinum Palmatianum est, de quo Cassiod. lib. XII, ep. 12: « quod ita redolebat ore ructatum, ut merito illi a palma nomen videretur impositum. » Sed e vite succus is fuit, nomen ab odore, qui palmæ fructuum similis foret. Hard.

13. *Expressoque*, etc. Lego, « expressoque: aut si ita dulce esse non libeat, congiis quinque. Fit et sycites e fico (carica, Diosc.) in Cypro, ut palmeum: aliqui catorchiten vocant, sed pro aqua tantumdem humoris adjiciunt, in quo recenter pressa vinacea maduerint. Fit et liquor in acetum, præcellens, etc. » Sic locus hic ex Diosc. restituendus. Dalec.

14. *Et sycites.* Hoc est, eodem modo concinnatur, quo palmeum, id vini genus quod ficatum a fico, unde exprimitur, appellarunt. Diosc. lib. V, cap. 41: Καὶ ὁ κατορχίτης δὲ ὃν ἔνιοι συκίτην καλοῦσιν, ἐν Κύπρῳ σκευάζεται ὁμοίως τῷ φοινικίτῃ, etc. Hard.

15. *Palmiprimum.* Hæc vox si integra est, vinum Palmeo bonitate proximum significat. Quidam legunt *Carycinum.* Dalec. — MSS. *parnu primum. Quem* Plinius noster quum dixit, græce οἶνον subintellexit. Hard.

16. *Pro aqua tantumdem*, etc. Pro aqua, cremoris vinaceorum tantumdem, Diosc. lib. V: ἔνιοι ἀντὶ ὕδατος στεμφύλων ἀπόβρεγμα νεοθλίπτων τὸ ἴσον μέτριον βάλλουσι. Dalec.

17. *Et Cypria fico.* De qua dictum jam fuit lib. XIII, cap. 15. Ægyptiæ illa sive Alexandrinæ similis, quæ et sycomorus appellata, ut diximus eodem libro, cap. 14. Dioscor. bis concinit, lib. V, cap. 42, quum e sycomoris fieri vinum ait, sed quod in acetum acre degeneret. Aceti ficulnei parandi modum Columella tradit, lib. XII, cap. 17. Hard.

18. *Et acetum præcellens.* Gron. et alii ante Harduinum, *acetum fit præcellens.* Ed.

drina[19] quoque melius vinum fit, et e siliqua[20] Syriaca,
4 et e piris[21], malorumque omnibus generibus. Sed e Punicis, quod rhoiten[22] vocant: et e cornis, mespilis, sorbis, moris siccis[23], nucleis pineis[24]. Hi musto madidi exprimuntur: superiora[25] per se mitia. Myrtiten Cato quemadmodum fieri docuerit, mox paulo[26] indicabimus. Græci vero[27] et alio modo. Ramis teneris cum suis foliis in albo musto decoctis, tusis, libram in tribus musti congiis defervefaciunt, donec duo supersint. Quod ita[28] silvestris myrti baccis factum est, myrtidanum vocatur[29]; hoc manus tingit.

19. *Atque Alexandrina*, etc. Alexandriæ plurima sycomorus est, cujus e fructu liquor in acetum acre facile degenerat. Diosc. lib. V, cap. 24. Dalec.

20. *Et e siliqua Syriaca*. Diosc. lib. V, cap. 32. Dalec. — *Et e siliqua*. De qua lib. XIII, cap. 16. Hard.

21. *Et e piris*. Qui ἀπίτης οἶνος Diosc. lib. V, cap. 32. Hard.

22. *Quod rhoiten*. Diosc. lib. V, cap. 33: Ὁ ῥοΐτης δὲ οἶνος, etc. Vide et Pallad. lib. IV in Mart. tit. 10, pag. 94. Ῥοὰ Græcis malum Punicum est. Hard.

23. *Moris siccis*. Quod *moratum*, ut remur, sequior ætas appellavit. Capitulare de Villis, cap. 35: « Vinum, acetum, moratum, vinum coctum, etc. » Hard.

24. *Nucleis pineis*. Nuclei pineæ nucis, Gallis, *des pignons*, *les noyaux des pommes de pin*. Vini ex iis parandi modum edocet Diosc. lib. V, cap. 44, apud quem στροβιλίτης οἶνος, a strobilis, hoc est, a nucleis pineis appellatur. Hard.

25. *Superiora*. Corna, mespila, sorba, mora, per se sine musto addito exprimuntur, quum mitia seu matura sunt. Hard.

26. *Mox*. Lib. XV, c. 37. H.

27. *Græci vero*. A quibus hæc quoque Dioscorides totidem verbis, lib. V, cap. 37, e nigræ myrti ramulis teneris, baccisque. Μυρσινίτης σκευάζεται οὕτω, etc. Vide etiam Palladium, in Febr. lib. III, tit. 31. Hard.

28. *Quod ita*. Quod arte simili paratur ex silvestris myrti baccis (*des baies de myrte sauvage*) myrtidanum vocatur. Alia est apud Diosc. lib. I, cap. 156, vocis hujusce acceptio, μυρτίδανον: alia apud scriptores alios, quos laudaturi sumus, lib. XV, cap. 35. Plinio Palladius concinit, de silvestris myrti vino, in Octob. lib. XI, pag. 155. H.

29. *Myrtidanum vocant*. Myrtidanum Dioscoridi est adnatum myrto tuber, inæquale, verrucosum, concolor, quod manus instar candicem myrti amplectitur. Ex eo vinum non fit, sed tusum cum vino austero reconditur, deinde in pastillos formatur, qui in umbra

Ex his quæ in hortis gignuntur fit vinum e radice, asparago[30], cunila, origano, apii semine, abrotono, mentastro, ruta, nepeta, serpyllo, marrubio. Manipulos binos condunt[31] in cadum musti, et sapæ[32] sextarium, et aquæ marinæ heminam. E napis fit[33], duum[34] denariorum pondere in sextarios binos musti addito: item e scillæ[35] radice.

resiccati efficacius adstringunt, quam myrti et folium, et fructus. Vide infra, lib. XXIII, c. ultimo. Catonem, c. 125. Palladium, c. 2, et Columel. lib. XII, c. 18. Dal.

30. *Asparago*, etc. Quæ sint harum herbarum nomina, suis quoque locis dicemus, ubi de hortensibus agetur, lib. XIX et seq. Ex his vinorum generibus hæc a Dioscoride recensentur. Thymbrites, quod e thymbra fit, seu cunila, lib. V, cap. 60. Origanites quod ex origano, cap. 61. Sclinites, quod ex apii semine, c. 74. Abrotonites, quod ex abrotono, c. 62. Calaminthites, quod ex calamintha, sive ut Plinius appellat, mentastro, cap. 62. Prasites denique e marrubio, cap. 58. Hard.

31. *Condunt*. Sic ex MSS. em. Hard. cons. Ch. *tundunt* Gr. et Al.

32. *Et sapæ*. Ita Reg. 1 cod. et Par. Editi perperam, *et sæpe sextarium*. Hard.

33. *E napis fit*, *XI denariorum pondere*. Archetypum Toletanum, *fit duum denariorum*: verbum etiam *pondere* superfluit, ex eodem exemplari. Hermolaus *undecim* defendit ex Dioscoride, nescio quo jure: nam Dioscoridis verba libro quinto mire cum verbis emendatissimi exemplaris faciunt. « Tundito, inquit, naporum drachmas duas, etc. » Porro idem esse pondus drachmæ, et denarii, in aperto est apud omnes. Pint. — *E napis fit*. Dioscor. lib. V, cap. 56, βουνίτης οἶνος. Est enim bunion, uti cum Plinio dicemus, lib. XX, cap. 11, naporum genus. Hard.

34. *Duum denariorum*. Sic restituimus ope codicum Reg. Colb. etc. in quibus *duum* planissime, nec per notarum compendia legitur: magis autem ipsius Dioscoridis admonitu, qui binas ad id quoque drachmas postulat, lib. V, c. 56: Βουνίου δραχμὰς δύο κόψας, κάθες εἰς κοτύλας γλεύκους τέσσαρας. Græcis κοτύλη hemina est, sive dimidiatus sextarius. Prius legebatur, *XI denariorum*: quod quum in quibusdam exemplaribus scriptum librarii recentiores invenissent, *II denariorum* quæ Romani numeri nota *duum* exhibet, Arabicam esse rati, undecim nobis obtulere. H. — *In sextar*. Ita bene Regg. 1, 2, et ed. princ. Brot.

35. *Item e scillæ*. Vinum scillites quemadmodum conficiatur docet Colum. XII, 33: « Scillam legito, eamque secato quam tenuissime, sicut raphani radicem, taleolasque sectas suspende in umbra, ut assiccentur: deinde quum aridæ erunt, in musti Aminei sextarios XLVIII, scillæ aridæ adde pondo libram, eamque inesse patere diebus XXX, postea eximito, et defæcatum vinum in amphoras binas adjicito. »

Inter flores ex rosæ foliis tusis in[36] linteolo in mustum collatis, cum ponderusculo, ut sidat[37], XL pondere[38] denariorum in sextarios vicenos musti, nec ante tres menses vase aperto[39]. Item e nardo[40] Gallico, et aliud e silvestri.

6 Aromatiten quoque[41] invenio factitatum tantum non unguentorum compositione, primo e myrrha, ut diximus[42], mox et nardo[43] Celtico, calamo, aspalatho, offis[44]

36. *Ex rosæ foliis tusis in*, etc. Legend. « Ex rosæ foliis tusis in linteolo in mustum chalatis cum ponderusculo, ut sidat, CCL denariorum pondere in sextarios vicenos musti, nec ante tres menses vase aperto. » Nam minæ sive centum denariorum pondus in sextarios octo, requirit duas minas in sedecim, duas et ἡμίμναιον in vicenos. Male vulgo, *XL denariorum*. Sed nec recte *colatis*. Scripsi *chalatis*, id est, demissis : quod verbum apud Vegetium, ut et *chalatorios funes* eruit Turneb. Vide Gronov. de Sestert. 193. — *In mustum*. In Hyssopite id Dioscorides. Dal. — *In mustum collatis*. Sic Reg. 2, Colb. etc. vel ut vetustiore forma Reg. 1, *conlatis*. Longe enim a Pliniano stylo vox *chalatis*, quam Gronovius, lib. de sestert. pag. 193, bic nobis obtrudit. Id latine Plinius noster expressit, quod græce Dioscorides, lib. V, c. 35 : Ῥοδίτης οἶνος. Κάθες εἰς γλεύκους ξέστας η'. » Vinum rhodites. Confer in mustnm sextarios octo. » Hard.

37. *Ut sidat*. Intra linteolnm, inquit Diosc. lapilli simnl immittuntur, nt degravatus ponderusculo fasciculus sidat, petatque cadi fundnm. Hard.

38. *XL pondere*. Ita MSS. omnes : etsi de pondere a Plinio dissidet Diosc. loc. cit. multo vero etiam magis Palladius in Maio, tit. 13, de rosa. Hard.

39. *Nec ante tres menses vase aperto*. Ut defæcatum vinum transfundatur. Diosc. Daleo.

40. *Item e nardo*. De utraque nardo diximns, lib. XII, cap. 26. Hæc Diosc. pariter lib. V, c. 67 et 69. Hard.

41. *Aromatiten quoque*, etc. Paladins in Octobri, cap. XIV. Colum. lib. XII. Athen. lib. I, τρίμμα vocari scribit. Dalec. — *Aromatiten*. Ἀρωματίτης οἶνος, cujus parandi modos multiplices tradit Diosc. lib. V, cap. 64 et 65. Hard.

42. *Ut diximus*. Cap. 15. De vino e myrrha, Diosc. lib. V, cap. 65. Myrrhatum id forte vinnm fuerit, οἶνος ἐσμυρνισμένος, qnod morituro Domino propinarunt, ut sacri codices referunt. Hæc certe est, quæ apud Festum *murrata potio* nuncupatur. Hard.

43. *Mox et nardo Celtico, calamo, aspalatho*, etc. Aliud est aromatitæ vini genns, de quo Diosc. lib. V, cap. 64. Hard.

44. *Offis*. Ex contritis herbis proxime nominatis factas grandiores offas in mnstum austerum dejicito, βάλε, inquit Diosc. l. c. H.

in mustum aut dulce vinum[45] dejectis. Alii[46] de calamo, junco, costo, nardo Syriaco, amomo, casia, cinnamomo, croco, palma, asaro, similiter et offa[47]. Apud alios nardi, et malobathri selibris in musti congios duos[48] additis: qualia nunc quoque fiunt pipere et melle[49] addito, quæ alii condita, alii piperata appellant. Invenitur et nectarites[50] ex herba, quam alii helenion, alii medicam, alii symphyton, alii Idæam et Orestion, alii nectaream vocant, radice ponderis[51] XL denariorum in sextarios sex musti addita, similiter in linteo[52]. Ex cæteris[53] herbis, 7

45. *Dejectis*. Sic et Dal. *defectis* Ch. *desectis* Gr. et Al. Ed.

46. *Alii de calamo*. Alii, inquit, aliter id vinum concinnant. Diosc. loco cit. Σκευάζεται δὲ καὶ ἄλλως. Καλάμου ὁλκὰς η'. In MSS. Reg. Colb. etc. Prius, *aliud e calamo*. H.

47. *Similiter et offa*. Hoc est, dejecta, ut prins dictum est, offa in mustnm. Hard.

48. *Congios duos*. Conginm sex sextarios capere, auctor est Festus, verbo *Publica pondera*. De sextario dixi cap. 6. Et hunc vini parandi modum Diosc. expedit, lib. V, c. 67. Hard.

49. *Pipere et melle addito*. Hunc tertium modum non describit Diosc. Dalec.

50. *Nectarites*. Totidem verbis hæc Diosc. lib. V, cap. 66: Ὁ δὲ νεκταρίτης σκευάζεται ἐκ τοῦ ἑλενίου, ὃ ἔνιοι Μηδικὴν, οἱ δὲ σύμφυτον, οἱ δὲ Ἰδαῖον φλόμον (hoc est, Idæum verbascum), οἱ δὲ ὀρέστιον, οἱ δὲ νεκτάριον καλοῦσι. Hoc illnd heleninm est, de qno lib. XXI dicturi sumus, cap. 91. Hard.

51. *Radice ponderis*, etc. Lege: « radice ponderis V denariorum in sextarios XXXVI mnsti addita. » Gronov. de Sestert. pag. 194: « Radice ponderis XL denariorum in sextarios sex musti addita. » Scribo, « radice ponderis V denariorum, » Dioscorides: « Conficitur et nectarites dictum vinnm ex helenio berba, quam alii a gente Medicam, alii symphyton, alii verbascon Idæon, alii orestion, alii nectarion appellant. Sumito helenii radicis siccatæ drachmas quinque, colligatasque in linteolo in musti congios sex demittito, etc. » Pint. —*Radice ponderis XL*. Ita MSS. omnes, dissidente, ut prins, scriptore nostro a Dioscoride, in ratione ponderum mensurarumque assignanda. Neo tamen Georg. Agricolam andio, aliosque eum secutos, Salmasinm, Gronoviumque, qui *V denariorum et sextarios XXXVI* reponunt: quum præsertim Dioscoridis ipsius codices hac parte vitiati vix dno inter se concinant. H.

52. *Similiter in linteo*. Tnsis nimirum, et in mustum collatis. H.

53. *Ex cæteris herbis*. Quod ad herbas cæteras attinet, ex absinthio primum fit absinthites. Hujus con-

fit absinthites in XL sextarios[54] musti, absinthii Pontici libras decocta ad tertias partes, vel scopis[55] absinthii in vinum additis. Similiter hyssopites[56] e Cilicio[57] hyssopo, unciis tribus in duos congios musti conjectis, aut tusis in unum. Fiunt utraque[58] et alio modo, circa radices vitium sato. Sic et elleboriten[59] fieri ex veratro nigro Cato docet[60]. Sic fit et scammonites. Mira vitium natura, saporem alienum[61] in se trahendi, qualem et salicum redolent Patavinorum in palustribus vindemiæ. Sic et elleborum seritur in Thaso, aut cucumis silvester, aut scammonia: quod vinum phthorium[62] vocant, quoniam abortus facit.

8 Fit et ex herbis, quarum naturæ suo loco dicentur. E stœchade[63], et radice gentianæ, et tragorigano, et dicta-

cinnandi modos multiplices vide ap. Diosc. lib. V, cap. 49. HARD.

54. *In XL sextarios.* « XLVIII sextariis musti, absinthii Pontici libra, decoctis ad tertias partes. » Budæus. — Regg. 1, 2, *sextariis musti*, quod recepit Broterius. ED.

55. *Scopis absinthii.* Scopæ manuales, herbarum fasciculi sunt colligati, seu manipuli, ita dicti, quod manum impleant, αἱ δεσμαὶ ποῶν χειροπληθεῖς, *des poignées d'herbes.* HARD.

56. *Hyssopites.* De quo Dioscor. lib. V, cap. 50: Ὑσσωπίτης δὲ ὁ ἐκ τοῦ Κιλικίου ὑσσώπου καλλιςός ἐςιν. H.

57. *Cilicio. Cicilio* Hard. ex operarum peccato. ED.

58. *Fiunt utraque.* Fit vinum, inquit, et absinthites, et hyssopites alio modo: nam absinthio, vel hyssopo, circa vitis radices sato, ejus herbæ saporem refert id vinum, quod ex ea vite fit: trahente in se vite saporem alienum. HARD.

59. *Sic et elleboriten.* Sic nimirum ad vitium radices veratro consito, vel scammonia, Cato de R. R. c. CXV, pag. 164. HARD.

60. *Cato docet.* Cap. CXV. Cæterum serendum veratrum esse non scribit, verum ejus radicis fasciculos tres circa vitis ablaqueatæ radicem defodiendos. Dioscorides ex plantæ radicibus musto immissis elleboritem et scammonitem parat. DALEC.

61. *Saporem alienum*, etc. Non saporem tantum, sed etiam vires. Diosc. lib. V, cap. 77. DALEC.

62. *Phthorium.* Hæc plane iisdem verbis Diosc. lib. V, c. 77: Γίνεται δὲ καὶ φθόριος ἐμβρύων οἶνος, etc. H.

63. *E stœchade*, etc. Vinum stœchadites Dioscor. lib. V, cap. 52; Tragoriganites, cap. 55; Dictamnites, cap. 57; Asarites, cap. 68; Daucites, cap. 70; Elelisphacites, cap. 71; Panacites, cap. 72; Acorites, cap. 73; Conyzites, cap. 63;

mno, asaro, dauco, elelisphaco, panace, acoro, conyza, thymo, mandragora, junco. Vocarunt et scyzinum, et itæomelin, et lectisphagiten, quorum jam obliterata ratio est.

Et fruticum vero e genere, cedri utriusque[64], cupressi, 9
laurus, juniperi, terebinthi, in Gallia lentisci[65], baccas aut lignum recens musto decoquunt. Item[66] chamelææ, et chamæpityos, et chamædryos lignum eodem modo, et ex flore[67], in congium musti decem denariorum pondere addito[68].

Thymites, c. 59; Mandragorites, cap. 81. Hard.

64. *Cedri utriusque.* Negligenter Plinius de utraque cedro id scribit, quum de cedrino ex oxycedri baccis parato, et cedrite ex cedrya confecto, id scribat Diosc. Dalec. — *Cedri utriusque.* Minoris, opinor, quæ inter frutices: non majoris, quæ inter arbores annumerari debet. Sunt autem duo minoris cedri genera, ut dictum est lib. XIII, cap. 11, Lycium, Phœniciumque. Quanquam et cedrites vini genus e majoris cedri fructu laudat Diosc. lib. V, cap. 45, ubi et cupressinum explicatur, ac laurinum. Juniperinum, cap. 46; Terebinthinum, cap. 39; Lentiscinum, cap. 38. Hard.

65. *In Gallia lentisci.* In libris hodie pervulgatis, *terebinthi, calami, lentisci*: cujus lectionis auctor ac princeps Frobenius exstitit, haud satis considerate: nam e calamo fieri vinum aromatites Plinius paulo ante commonuit. In MSS. Reg. Colb. et Par. *terebinthi nicallin lentisci.* Dalecampius in suo *callia* legi admonet: hoc tantum. Plane favent emendationi nostræ vestigia veteris scripturæ, resque adeo ipsa, quod in Narbonensis Galliæ ora lentiscus nascitur. Quanquam Galliæ nomine Italiam Transpadanam intelligi Galliamque Togatam a Plinio similius veri videtur, quod id ei admodum familiare est, ut lib. XVII, cap. 35; Columellæ quoque, lib. III; cap. 3, aliisque scriptoribus. Hinc acer Gallicum in Transpadana Italia nuncupatum, lib. XVI, cap. 26. *In Italia lentisci* legi nolim, quod id recedat longius paulo a vetere scriptura: nec si velim, idcirco certe velim, quod *lentiscum Italicam* Plinius laudet, lib. XVII, cap. 44: ea enim verba in mendo cubare dicturi eo loci sumus. H.

66. *Item.* Χαμελαίτης οἶνος, Diosc. lib. V, cap. 79. Χαμαιπιτύϊνος, c. 80; Χαμαιδρυίτης, cap. 51. Hard.

67. *Eodem modo, et ex flore.* Hoc est, lignum recens cum suis baccis, ut in prioribus fruticibus fieri diximus, musto decoquunt: et simul ex flore immittunt in musti congium, denum denarium pondus. Diosc. lib. V, cap. 79. Hard.

68. *Decem denariorum pondere ad-*

1 XX. (XVII.) Fit vinum[1] et ex aqua ac melle tantum. Quinquennio[2] ad hoc servari cælestem jubent. Aliqui prudentiores[3] statim ad tertias partes decoquunt, et tertiam mellis veteris adjiciunt: deinde XL diebus Canis ortu in sole habent. Alii diffusa[4] ita x. die obturant. Hoc vocatur hydromeli[5], et vetustate saporem vini assequitur, nusquam laudatius, quam in Phrygia.

1 XXI. Quin et acetum melle temperabatur: adeo nihil intentatum vitæ fuit. Oxymeli[1] hoc vocarunt, mellis x. libris, aceti veteris heminis quinque, salis marini libra, aquæ pluviæ sextariis quinque suffervefactis decies, mox elutriatis[2] atque ita inveteratis. Omnia ab Themisone summo auctore damnata: et hercule coactus eorum usus videri potest; nisi si quis naturæ opus esse credit aromatiten, et ex unguentis vina composita, aut ut biberentur genuisse eam frutices. Ista sunt cognitu jucunda, solertia humani animi omnia exquirente. Nihil quidem ex his

dito. Diosc. hanc vini et materiæ, quæ injicitur portionem docet c. de vino ex chamelæa. DALEC.

XX. 1. *Fit vinum.* Vinum appellat, quum vini nihil admixtum ei sit; vini tamen appellationem meruit, quod, ut mox Plinius ait, vetustate vini saporem assequitur: sive, ut lib. XXII, cap. 52, longa vetustate transit in vinum. HARD.

2. *Quinquennio.* Veterem aquam cælestem Dioscorides pariter desiderat, lib. V, c. 17: ὕδωρ ὄμβριον παλαιόν. HARD.

3. *Aliqui prudentiores.* Dioscor. loc. cit. HARD.

4. *Alii diffusa.* Vina videlicet. Quæ vis huic voci subsit, diximus cap. 16. HARD.

5. *Hydromeli.* Ὑδρόμελι, ab aqua et melle. Latini aquam mulsam vocant: Galli, *de l'hydromel.* De eo rursum, lib. XXII, cap. 51. H.

XXI. 1. *Oxymeli.* Ὀξυμέλιτος concinnandi modum plane eumdem Dioscor. affert, lib. V, cap. 22, ex Dienche scilicet, quem inventi hujus auctorem Plinius noster facit, lib. XXIII, cap. 29. Nullo fere alio syrupo usa antiquitas, quam suo oxymelite, inquit Andr. Baccius, lib. I, cap. 26, p. 40; nempe quoniam ii saccharo caruerunt, quo syrupa nostra concinnamus. H.

2. *Mox elutriatis.* Hoc est, de vase in vas translatis, transfusis, sive (ut elegantius Latini) diffusis. Plinius ipse ubi hunc oxymelitis conficiendi modum totidem rursus ferme verbis tradit, lib. XXII, c. 29: « Oxymeli antiqui, ut Dieuches tradit, hoc modo tempera-

anno durare, præterquam quæ vetustate ipsa fieri[3] diximus: et plura ne tricenis quidem diebus, non erit dubium.

XXII. (XVIII.) Sunt et in vino prodigia[1]. Dicitur in 1
Arcadia fieri[2], quod fecunditatem[3] feminis importet, viris rabiem. At in Achaia maxime circa Caryniam[4] abigi partum vino, atque etiam si uvam edant gravidæ, quum differentia[5] in gustatu non sit. Trœzenium[6] vinum qui bibunt, negantur generare. Thasos duo genera vini diversa facere proditur[7]: uno quo somnus concilietur, alterum vero quo fugetur. Apud eosdem vitis theriace[8] vocatur, cujus et vinum et uva contra serpentium ictus medetur.

bant: mellis minas decem, aceti veteris heminas quinque, salis marini pondo libram, et quadrantem, aquæ marinæ sextarios quinque pariter coquebant, decies defervescente cortina, atque ita diffundebant, inveterabantque. » H.—*Elutriatis*. Elutriare est quod vernaculo sermone dicimus, *soutirer*. Ed.

3. *Vetustate ipsa fieri*. Hoc est, confici et absolvi: ut quod e milii semine dictum est cap. 19, post septimum tantum mensem transfundi: rosæ item, non ante tres menses, etc. Hard.

XXII. 1. *Sunt et in vino prodigia*. De his vide Theophrastum, Hist. lib. IX, cap. 19. Ed.

2. *In Arcadia fieri*, Apud Heracleam Theophrast. Histor. lib. IX, cap. 20; Athen. lib. I. Dalec. — *In Arcadia*. Sic plane Theophr. ap. Athen. lib. I; Ælianus quoque Var. Hist. lib. XIII, cap. 6. H.

3. *Fecunditatem*. Th. *sterilitatem*. Ἀτεκνούσας ποιεῖ. Ed.

4. *Caryniam abigi*, etc. *Cabineam* Theophr. *Ceryniam* Athenæo. Addidit Theophrastus, canibus, si uvas gustaverint, etiam catulos elidi. Victorius, lib. VII, cap. 23. Dalec. — *Circa Caryniam*. Περὶ δὲ Κερυνίαν τῆς Ἀχαΐας, Athen. l. c. Theophr. ipse, Hist. lib. IX, cap. 20, πάλιν δ' ἐν Ἀχαΐᾳ, καὶ μάλιστα περὶ Καρυνίαν, etc. At Ælianus l. c. Ἐν δὲ Ἀχαΐᾳ περὶ Κεραυνίαν, etc. H.

5. *Quum differentia*. Quum neque uva in gustu secus ac cæteræ, nec vinum, sapiat. Theophrast. H.

6. *Trœzenium*. Theophr. l. c. H.

7. *Thasios duo genera vina diversa facere proditur*. Verior lectio ejusdem exemplaris, *Thasos duo genera*, etc. ut insulam intelligas, non insulares. Pint. — *Thasos*. Theophrast. et Ælian. ll. cc. Hard.

8. *Theriace vocatur*. Vide infra lib. XXIII, cap. 1. Dalec. — *Theriace*, Θηριακὴ ἄμπελος, de qua et eadem cum Plinio, et alia plura prodit Auct. Geopon. lib. IV, cap. 7, pag. 106. Palladius quoque, lib. III, in Febr. tit. 28, pag. 80. H.

2 Libanios[9] thuris odore, ex qua diis prolibant. E diverso aspendios[10], damnata aris. Ferunt eam nec ab alite ulla attingi. Thasiam[11] uvam Ægyptus vocat apud se prædulcem, quæ solvit alvum. Est contra in Lycia, quæ solutam firmat. Ægyptus et ecbolada[12] habet, abortus facientem. Vina in apothecis Canis[13] ortu mutantur quædam, posteaque restituuntur sibi. Sic et mari navigatio, cujus jactatus his, quæ duraverint[14], tantum vetustatis[15] adjicere sentitur, quantum habuerint.

1 XXIII. (XIX.) Et quoniam religione vita constat, prolibare diis nefastum habetur[1] vina, præter imputatæ vitis,

9. *Libanios*. Λιβάνιος vel λιβανῖτις a thure nomen habet; Ἀσπένδιος ab α privante græco, et σπένδειν libare: quod ex vitis ejusce vino libare diis nefas putetur. H.

10. *Aspendios*. Quidam sic dictam interpretantur ab Aspendo urbe Pamphyliæ. Lego *Aspondos*, vel *Aspondios*, a particula privationis græca α, et verbo σπένδειν, libare; ut uva sit, cujus vino diis libare nefas est. Dal.

11. *Thasiam*. De qua cap. 9. H.

12. *Ecbolada*. Ἐκβολὰς Græcis abortum sonat, ab ἐκβάλλω, *ejicio*. H.

13. *Vina in apothecis Canis*, etc. Hesiodus tamen vinum tum esse optimum scribit, Τῆμος πιόταταί τ' αἶγες καὶ οἶνος ἄριστος, ut interpres, quoniam τότε ἤδη κεκριμένος, τὰς μεταβολὰς ὁρῶν ἐκφυγὼν, καθ' ἃς ἦν κίνδυνος τραπῆναι. Ea de causa sub Canis ortum Veteres largius bibendum præceperunt: non tantum quod ingens æstus sitibundos ad potum invitet. Theognis: Ἄφρονες ἄνθρωποι καὶ νήπιοι οἵτινες οἶνον Μὴ πίνουσ', ἄστρου καὶ κυνὸς ἀρχομένου. Alcæus, θέρους δὲ τέγγε πλεύμονας οἴνῳ, τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται. Brod. lib. III, cap. 20; Magius, lib. I, cap. 28. Ita et Geop. auct. lib. VII, cap. 10, pag. 187. Dal.

14. *Quæ duraverint*. Quæ jactationem maris citra noxam pertulerint. H. — *His, quæ duraverint*, etc. Vinis, quæ jactatum illum ferunt. Sic longa navigatione meliora fiunt Burdegalensia vina. Illo jactatu plerumque labefactantur vina Burgundica. Audivi tamen vinum inter Antissiodorensia, *d'Auxerre*, optimum, dictumque hemicranium, *le vin de migraine*, maris jactatum tulisse illæsum. Brot.

15. *Tantum vetustatis*. Alterum tantum. Notat Christph. a Vega, art. med. lib. II, vina quædam Hispanica in Germaniam, Hispaniamque novam translata, ibi meliora esse, quam in Hispania, ubi nata. H.

XXIII. 1. *Prolibare diis nefastum habetur vino præter imputatæ vitis*, etc. Non solum, inquit, imputatæ vitis, ut dictum est cap. 14, sed et fulmine tactæ. Cur voculam *præter* Pintian. et in editione Elzeviriana Lætius, invitis MSS. expungant,

fulmine tactæ[2], quamque juxta[3] hominis mors laqueo pependerit[4], aut vulneratis pedibus conculcata[5], et quod circumcisis[6] vinaceis profluxerit, aut superne deciduo immundiore lapsu aliquo polluta. Item Græca, quoniam aquam habeant. Vitis ipsa quoque manditur, decoctis caulibus summis, qui et condiuntur[7] in aceto ac muria.

XXIV. Verum et de apparatu vini dixisse conveniat, 1 quum Græci privatim ea præcepta condiderint, artemque fecerint, sicut Euphronius, et Aristomachus, et Commiades, et Hicesius. Africa gypso[1] mitigat asperitatem, nec non aliquibus sui partibus[2] calce[3]. Græcia argilla, aut

non video: nisi quod non intellexere quæ vis ei hoc loco subesset. Festus: « Imputatum, nondum purgatum. Putum enim est purum: unde putare vites dicimus, hoc est, detrahere, quæ sunt impedimento ad fructum. » Quæ porro vina nefas libare diis, paulo aliter Labeo Antistius apud eumdem Festum: « Spurcum, inquit, vinum est, quod sacris adhiberi non licet; ut ait Labeo Antistius, libro decimo Commentarii juris Pontificii: cui aqua admixta est, defrutumve: aut igne tactum est, mustumve ante quam defervescat. » H.

2. *Fulmine tactæ.* Cujus vinum ideo damnatum, quod, ut scribit Seneca, Natural. Quæst. lib. II, cap. 31, pag. 858, « fulmine gelatum, quum ad priorem habitum redit, potum, aut exanimat, aut dementes facit. » Hard.

3. *Quamque juxta.* Et juxta quam mortui hominis cadaver laqueo pependerit. Hard.

4. *Hominis mors laqueo pependerit.* Audacter quidem, sed eleganter pro *homine mortuo* dictum. Ed.

5. *Conculcata.* Ita MSS. Reg. Colb. Th. Par. Subintellige, vina. Hard.

6. *Circumcisis vinaceis.* Mustum id tortivum vocant, quod post primam pressuram vinaceorum circumciso pede exprimitur, inquit Columella, lib. XII, cap. 65. Tortivum mustum circumcidaneum Cato appellat cap. XXIII, pag. 26. H.

7. *Qui et condiuntur in aceto ac muria.* Condiendi modum Columella expedit lib. XII, cap. 7, pag. 416. Hard.

XXIV. 1. *Africa gypso.* Etiam et Italia, uti ex Columella colligimus, lib. XII, cap. 20, ubi gypsationis hujusce rationem aperit. Quod et Didymus facit in Geop. lib. VI, cap. 18. Etiamnum in Hispania vina quædam calce et gypso condiuntur, teste Christoph. a Vega, cap. 237. Hard.

2. *Aliquibus sui partibus.* Carthagine, ut dicetur lib. XXXVI, cap. 48. Hard.

3. *Calce.* Condiri etiam vina gypso, et calce, vide lib. XXIII, cap. 1. Dalec.

marmore[4], aut sale, aut mari[5], lenitatem excitat : Italiæ pars[6] aliqua rabulana pice[7] : ac resina[8] condire musta vulgare est ei, provinciisque finitimis. Nonnusquam[9] prioris vini fæce, acetove condiunt. Nec non et ex ipso musto fiunt medicamina : decoquitur, ut dulcescat portione virium. Nec durare ultra annuum spatium tale proditur. Aliquibus in locis decoquunt ad sapas[10] musta, infusisque his ferociam frangunt. Et in hoc tamen genere, et in omni alio subministrant vasa ipsa[11] condimentis picis : cujus faciendæ ratio proximo[12] dicetur volumine.

4. *Aut marmore.* Marmoris flore, inquit Colum. l. c. hoc est, marmore in pulverem contrito, *du marbre* (*chaux carbonatée*) *pulvérisé*. H.

5. *Aut mari.* Adde et muriam ex Colum. lib. XII, cap. 25, pag. 434. Hard.

6. *Italiæ pars.* MS. *in parte*. Ed.

7. *Rabulana pice.* Lego, *radulana* (tam sicca ut radi possit. Nam, ut ait Colnmel. lib. XII, cap. 20, quanto vetustior, tanto melior). Idem anctor *rasim* (lego, *rasilem*) vocat, ξυστήν. Quidam *Rhetica* legunt. Eam certe Constantinus in Geoponicis maxime landat. Dalec. — *Rabulana pice.* Ita Reg. et Colb. At Th. *Rapulana.* Beroaldus in Columellam, *radulanam* scribit, qnod tam sicca ea est, ut radi possit. Columella ipse, lib. XII, cap. 20, pag. 420, rasim vocat, nisi locus est vitiatus ; « Commisceri debet rasis, inquit, quod est genus crudæ picis. » Hard.

8. *Resina.* Vinum resina conditum resolntioni stomachi prodesse scribit Celsus, lib. IV, cap. 5 ; Martial. lib. III, ep. lxxvii : « Resinata bibis vina, Falerna fugis. » H.

9. *Nonnusquam.* Hunc modum explicat uberius Colum. lib. XIII, cap. 28, etc. 30, pag. 437 : « Si qua vina erunt duriora, aut minus bona, quod agri vitio aut tempestate sit factum, sumito fæcem vini boni, et panes facito, et in sole arefacito, et coquito in igne : postea terito, et pondo quadrantem singulis amphoris infricato, et oblinito : bonum fiet. » Hard.

10. *Ad sapas musta.* Vinum id γλύτριν vocat Athenæus, lib. I. Dal. — *Ad sapas.* Hoc est, usqne ad tertiam partem, quemadmodum de sapa dictnm est, cap. 11. Hæc multo uberins Columella, lib. XII, cap. 20, pag. 428. Hard.

11. *Subministrant vasa ipsa condimentis.* Alii apud Dalecampium, *subm. vasis ipsis condimenta.* Alii, *sublinunt vasa ipsa condimento.* Dalecampius vero ipse, *cum condimentis.* Ed. — *Condimentis picis.* Hoc est, non vina modo, sed et vasa quoque condiuntur. Hard.

12. *Proximo dicetur.* Lib. XVI, cap. 21. Hard.

XXV. (xx.) Arborum[1] succo manantium picem resinamque, aliæ ortæ in Oriente, aliæ in Europa ferunt. Quæ interest Asia, utrimque[2] quasdam habet. In Oriente optimam tenuissimamque terebinthi[3] fundunt; deinde lentisci, quam et mastichen[4] vocant; postea cupressi, acerrimam sapore. Liquidam omnes[5], et tantum resinam; crassiorem vero[6] et ad pices faciendas cedrus. Arabica resina[7] alba est, acri odore; difficilis coquenti. Judæa callosior, et terebinthina quoque[8] odoratior: Syriaca Attici mellis similitudinem habet. Cypria antecedit omnes: est autem melleo colore, carnosa. Colophonia[9] præter cæte-

1
2

XXV. 1. *Arborum.* Verbum illud *ortæ* procul dubio depravatum est. Exemplar Toletanum *acta* legit, non *ortæ*. Puto scribendum *Asiæ*, quia sequitur statim: « Quæ interest Asia utrimque quasdam habet. » Verior lectio *utramque* quam *utrimque*, hoc est, Asiam Orientalem et Europam. Pint.

2. *Utrimque quasdam.* Ex utroque genere quasdam habet: earum scilicet quæ in Oriente, et quæ in Europa gignuntur. Ex arboribus quæ picem ferunt, succus erumpit: qui si igne exprimitur, pix vocatur, *poix*: si sponte fluit, resina, *poix résine*. Hard.

3. *Terebinthi.* Sic Diosc. lib. I, cap. 91, primas tribuit *terebinthinæ* resinæ, *térébenthine*: secundas, e lentisco, *lentisque*. Sic etiam Theophrast. Hist. lib. IX, cap. 2, et Galen. κατὰ γένη, lib. III, cap. 2, pag. 715. Hard.

4. *Lentisci, quam et mastichen vocant*, etc. De Chia mastiche e lentisco dictum jam fuit lib. XII, cap. 37. Diosc. lib. I, cap. 9: Γεννᾶται δὲ καὶ ῥητίνη... σχινίνη καλουμένη, ὑπ' ἐνίων δὲ μαστίχη... καλλίστη ἐν Χίῳ τῇ νήσῳ. H. — Conf. Tournefort, *Mémoir. de l'Académie des Scienc.* a. 1705, pag. 344. Ed.

5. *Liquidam omnes*, etc. Idem etiam e lentisco resinam liquidam fluere tradit lib. XXIV; quod tamen usus falsum esse monstrat. Pint. — *Liquidam omnes.* Vide quæ dicturi sumus lib. XXIV, cap. 22. Hard.

6. *Crassiorem vero.* Qui a cedro manat liquor, expressus igne videlicet, non sponte erumpens, picis e genere est, ut dicetur, lib. XVI, cap. 21. Hard.

7. *Arabica.* Hæc e terebintho arbore funditur, Diosc. lib. I, cap. 91. H. — Cf. Tournef. loc. cit. Ed.

8. *Terebinthina quoque.* Optimam censet Diosc. l. c. quæ terebinthum oleat. Plinius, lib. XXIV, cap. 22: « In arborum differentia placet terebinthina, odoratissima, atque levissima: nationum, Cypria et Syriaca: utraque mellis Attici colore: sed Cypria carnosior, sicciorque. » Hard.

9. *Colophonia*, etc. Colophonia-

ras fulva; si teratur, alba fit, gravior odore: ob id non utuntur ea unguentarii. In Asia quæ fit e picea, admodum candida, spagas vocatur [10]. Resina omnis [11] dissolvitur oleo. Quidam et creta figlinarum [12] hoc fieri arbitrantur; pudetque confiteri [13], maximum jam honorem ejus esse
3 in evellendis virorum corpori pilis. Ratio autem condiendi musta, in primo fervore, qui novem diebus quum plurimum peragitur, aspersu picis, ut odor vino contingat, et saporis quædam acumina. Vehementius id fieri arbitrantur

cam vocat et Celsus lib. V, cap. 18. Dal. — *Colophonia*. Retinet hæc hodie in officinis nomen. Ἀπὸ τῆς Κολοφῶνος Κολοφωνία κληθεῖσα, Diosc. lib. I, cap. 92. Hard.

10. *Spagas vocatur*. Sic MSS. Reg. etc. Vox barbarica, incertæ originationis: nisi σφαγὰς legi placet, baud magis comperti significatus hoc loco. Hard.

11. *Resina omnis*. Plinius, lib. XXIV, cap. 22: « Resolvitur resina ad vulnerum usus et malagmata oleo. » Hard.

12. *Creta figlinarum*. Cretam figularem vocat Celsus, lib. V, cap. 1. Dal.

13. *Pudetque confiteri*, etc. Καταπιττοῦν id Græci vocabant. Clemens Alexand. pædag. lib. III, cap. 3, de Cynædorum impura, infamique mollitie: διὰ τούτους γοῦν πλήρεις αἱ πόλεις πιττούντων, ξυρούντων, παρατιλλόντων τοὺς θηλυδρίας τούτους. Qui sic vulsi et glabri forent πιττοκοπημένοι eidem dicuntur. Fuit et καταπιττοῦν tormenti genus, quum ferventi pice instillata corpora hominum urebantur. Lucret. « Verbera, carnifices, robur, pix, lumina, tædæ. » Plautus in Capt. « Atra bilis agitat hominem. B. At pol, te, si hic sapiat senex, Atra pix agitet apud carnificem, ac tuo capiti illuceat. » Victorius, lib. VIII, cap. 18. Visco quoque pilos evelli solitos monstrant hi versus Juvenalis: « ... nullus tota intercute, qualem Præstabat calidi circumlita fascia visci. » De hac re plura Had. Jun. lib. de coma. Idem poeta: « ... quid enim resinata juventus, Cruraque totius facient tibi lævia gentis? » Philostratus in Viris, de Scopeliano ὡς οὐκ ἐκδεδωκὼς ἑαυτὸν πίττῃ καὶ παρατιλτρίαις. Theopompus apud Athenæum narrat, omnes Barbaros, qui ad Occidentem habitant, picari et radi: apud Thuscos multas esse ad eam rem institutas officinas, quas adeant, et peritis artificibus radendos ac picandos se præbent, nulla prorsus verecundia, si quis foris intueatur, vel dum hoc fit, interveniat. *Evirationem* pilorum eam vulsuram auctor vocat lib. XXIX, cap. 1. Palladius in Octobri, cap. 14. Dal. — *Pudetque*. Πίττωσις vocabatur παρατιλμὸς, sive vulsura pilorum picis ministerio facta, cujus molles et cinædi curiosi: ob idque vulsi et depilati dicti sunt, καὶ πισσόμενοι. Hinc πιττοῦν Græcis παρατιλτριῶν

crudo flore[14] resinæ, excitarique[15] lenitatem. E diverso crapula compesci feritatem[16] nimiam, frangique virus; aut ubi pigra lenitas torpeat, virus addi[17]. Liguriæ maxime Circumpadanisque mustis crapulæ utilitas discernitur hoc modo: pugnacibus[18] mustis crapulæ plus inditur, lenibus parcius. Sunt qui ex utroque[19] condiri velint: nec 4
non alia[20], quæ est musti, pice et natura; vitiumque musto quibusdam in locis iterum sponte fervere: quæ calamitate deperit sapor, vappæque accipit nomen[21], probro-

vile monus erat, quæ glabros et depiles reddebant picis illito. Vide Philostr. et Cl. Alexand. apod Rob. Constant. in Lexico, verbo Πιττόω. Hard.

14. *Crudo flore.* Flos crudos, resina ipsa est, quæ nuper est avulsa arbori, necdum cocturam passa: eadem cocta, crapola nuncopatur: coquendi ratio dicetur lib. XVI, cap. 22. Errant qui crapulam fæcem resinæ putant, aut florem, id quod supernatat. Hard.

15. *Excitarique.* Addi levioribos viois saporis qooddam acumen, *donner du montant.* Ed.

16. *Feritatem.* Mitigari ea quæ fomosa sint, et vebementiora. H.

17. *Virus addi.* Tenuiculis, languidisque vinolis vim vehementiorem, quæ inducat ebrietatem, adjici. Hard.

18. *Pugnacibus.* Vehemeotibus, et validis. Hard.

19. *Sunt qui ex utroque.* Ex flore et crapula. Hard.

20. *Alia*, etc. Vel musta condieoda, vel mustorum coodimeota. Dalec. — *Nec non et alia.* Coudiuntur etiam vina, inquit, si decoctum iis mustum infundatur, quod picis vices et vim repræsentet. — In ed. Parm. « nec non alia qoæ est multa pice natora »; in Reg. 2: « nec non alia quæ simulet pice et natura »; Reg 1: « nec non alia quæ est molsi pice et natura »; Colb. *quæ est mulci;* Chiffl. *quæ est multi*, etc. Nos, *quæ est musti.* Id enim spectare nobis visus est, quod sup. cap. dixit: « Aliqnibus in locis decoqount ad sapas musta, infusisque his ferociam vinorum fraugunt », quibus infundontur. Et quod cap. 9 docuit, *Tmolitis vini dulci*, sive musto, si admisceatur, condiri vina cætera, qoorum *duritia* vel sic « suavitatem accipiat, simul et ætatem. » Recessit saoe longissime a veterum exemplarium vestigiis Hermolaus, quo auctore vulgati codices ita præ se feront, « nec non alia æque multiplici natora »: quibus verbis nulla, quæ huic loco aptari possit, seoteotia sobest. H.

21. *Vappæque accipit nomen.* Οἶνον παρατρέπεσθαι, vappescere, vulgo *se tourner*, εἰς ὀξίνην μεταπεσεῖν, ὀξυνέσθαι dicunt, *s'aigrir.* Chrysost. οἴνου μὲν ἀρετῆς βλάβη τὸ παρατραπῆναι, καὶ εἰς ὀξίνην μεταπεσεῖν. Ἀχρήστους homines etiam Græci ὀξίνας dicunt, qnasi corrupta vina. Aristophanes in Equitibus, Ἄνδρα

sum[22] etiam hominum, quum degeneravit animus. Aceti enim[23] nequitiæ inest virtus magnos ad usus, et sine queis
5 vita mitior degi non possit. Cætero vinorum medicaminis tanta cura est, ut cinere apud quosdam, ceu[24] gypso alibi, et quibus diximus modis, instaurentur. Sed cinerem e vitis sarmentis, aut quercu præferunt : quin et marinam[25] aquam ejusdem rei gratia ex alto peti jubent, servarique ab æquinoctio verno, aut certe nocte solstitio, et Aquilone flante hauriri; vel si circa vindemiam hauriatur,
6 decoqui. Pix in Italia ad vasa[26] vino condendo[27] maxime probatur Brutia. Fit e piceæ resina : in Hispania autem e pinastris, minime laudata. Est enim resina[28] harum amara et arida, et gravi odore. Differentiam rationemque faciendi proximo volumine[29] demonstrabimus inter arbo-

μοχθηρὸν πολίτην, ὀξίνην, ὑπέρβολον. Idem ἐμαχόμεθ' αὐτοῖσι θυμὸν ὀξίνην πεπωκότες : inde Græcis οἶνος τροπίας, καὶ ἐκτροπίας, vinum mutatum, fugiens in vappam aut acetum degenerans et exolescens, quod ætati cedit. Horatius : « Ac nisi mutatum parcit defundere vinum. » Turn. lib. I, cap. 1, lib. VII, cap. 9, lib. XX, cap. 13. DALEC. — *Vappæque*. De vappa superius, cap. 8. HARD.

22. *Probrosum*. Subintellige nomen. Vappam Veteres appellarunt hominem ignavum, in quo nihil esset prudentiæ, nihil salis. Horat. lib. I, sat. 2, v. 12 : « Fufidius vappæ famam timet, ac nebulonis. » Acron : « Vappæ, inquit in Sat. 1 lib. I, dicuntur perditi ac luxuriosi... Aliter vappa dicitur stultus et insulsus, qui nihil sapit : dicitur enim vinum vappa, quod perdidit saporem. » HARD.

23. *Aceti enim*. Aceti enim, quanquam inesse ei quædam gustus nequitia videtur, melior tamen est, quam vappæ conditio: virtus eximia ad magnos usus, etc. HARD.

24. *Ceu gypso*. Ut gypso, inquit, Africa, Græcia marmore, aliisque, quibus diximus modis, sup. cap. vina mitigat : sic alii cinere. H.

25. *Quin et marinam*. Columella, lib. XII, c. 21, p. 431 : « Sumitur autem aqua quam longissime a littore : nam liquidior et purior est, quantum altiori mari hausta est. » HARD.

26. *Ad vasa*. Subintellige picanda. De hac picatione vasorum, in quibus condebatur vinum, e pice Brutia, vide Colum. lib. XII, cap. 18, pag. 426. HARD.

27. *Condendo*. MS. *condiendo*. ED.

28. *Est enim... arida*. Nec valde aridam, nec valde humentem laudat Diosc. lib. I, cap. 92. HARD.

29. *Proximo volumine*. Lib. XVI, a cap. 16 ad 23. HARD.

res feras[30]. Vitia[31], præter supra dicta[32], acor aut fumidum virus: picis autem, adustio: experimentum vero, si fragmenta subluceant, ac sub dente lentescant acore[33] jucundo. Asia picem Idæam maxime probat[34], Græcia Piericam, Virgilius[35] Naryciam. Diligentiores admiscent nigram mastichen, quæ in Ponto[36] bituminis similis gignitur; et iris radicem[37] oleumque[38]. Nam ceram accipientibus[39] vasis compertum est vina acescere. Sed transferre

30. *Inter orbores feras.* Ita Reg. 2, aliique. Hoc est, peregrinas. Plinius, lib. XVI, cap. 16: « Peregrinæ tum videbantur, quoniam non erant suburbanæ, pinus atque abies, omnesque quæ picem ferunt, de quibus nunc dicemus, simul ut tota condiendi vina origo cognoscatur. » In quibusdam MSS. *feraces*, male. Hard.

31. *Vitia.* Nempe resinæ. Hard.

32. *Supra dicta.* Amarorem, ariditatem, gravem odorem. Dalec.

33. *Acore.* Sapore acido, qualis fere est in malo Punico. Hard.

34. *Asia picem Idæam maxime probat.* Hermolaus pro *Indicam*, ut prius legebatur, *Idicam* substituit, id est, montis Idæ: melius qui *Idæam* emendat, nam picem Idæam et summus poeta celebrat Georgicon III: « Idæasque pices et pingues unguine ceras. » Idicus vero possessivum ab Ida nusquam (quod recorder) legi. Exemplar quoque Toletanum *Idæom* habet, non *Indicam*. Pint. — *Picem Idæam.* Ab Ida monte, qui in Troade est. Ita Reg. 2, Tolet. Par. At in aliis, *Indicam*, male. Idæam Piericamque laudat Didymus in Geop. lib. VI, cap. 5, pag. 169: Τὴν πίσσαν οἱ ἀρχαῖοι ἡμῖν παραδεδώκασι καλλίστην εἶναι τὴν ἀπὸ τῆς Ἴδης, μετὰ ταύτην τὴν ἐκ Πιερίας, etc. Virgilius quoque Georg. lib. III, v. 105, *Idæas pices* dixit. Hard.

35. *Virgilius.* Georg. lib. II, v. 438: « Naryciæque picis lucos. » Ab oppido Locrorum Narycio, de quo lib. IV, cap. 12. Hard.

36. *Quæ in Ponto.* Ut dictum antea est, lib. XII, cap. 36. H.

37. *Et iris radicem.* Iridis modicum pariter admisceri jubet auctor Geopon. lib. VI, cap. 7, p. 171: ἴρεως τὸ μέτριον. De iri dicemus lib. XXI, cap. 19. Hard.

38. *Oleumque.* Dalecampius, *foliumque*, id est, malabathrum. Ed. — *Oleumque.* Ita MSS. omnes et editi libri. *Foliumque* nihilominus legi magis placet Dalecampio: est autem folium simpliciter appellatum, malabathri folium, ut diximus lib. XII, cap. 25. Conjecturæ huic haud leve momentum affert, quod apud Didymum legimus in Geoponicis, lib. VI, c. 6, p. 171, ubi φύλλου μαλαβάθρου et calami aromatici pilulas in Italia solitas admisceri ait, ad picationem vasorum. Hard.

39. *Nam ceram occipientibus*, etc. In picandis doliis ceram pici admisceri solitam scribit Palladius cap.

in ea vasa, in quibus acetum fuerit, utilius, quam in ea, in quibus dulce aut mulsum. Cato jubet [40], vina concinnari (hoc enim utitur verbo [41]) cineris lixivii [42] cum defruto cocti parte quadragesima in culeum [43] : vel salis sesquilibra; interim et tuso marmore. Facit et [44] sulphuris mentionem, resinæ vero in novissimis. Super omnia addi maturescente [45] jam vino jubet mustum, quod ille tortivum appellat, nos intelligimus novissime expressum [46]. Et adjicimus tingendi gratia colores [47], ut pigmentum aliquod

11 Septembris. Adjecta cera ampliore vina vappescere scribit lib. VI, cap. 5 et 7, et fortassis hic legendum *vappescere*. Dal. — *Nam ceram*. Didymus in Geop. loc. cit. pag. 170, vappescere vina scribit, cera in vasorum picationibus addita, στρυφνότερον τὸν οἶνον γίνεσθαι, ὡς ῥᾳδίως εἰς ὀξίνην μεταβάλλειν, sic ut promptius ea acescant. Hard.

40. *Cato jubet*. Libro de R. R. cap. 23. Hard.

41. *Hoc enim utitur verbo*. Libro de R. R. cap. 115, pag. 64, et cap. 122, pag. 66. Festus : « concinnare, est apte componere. » H.

42. *Cineris lixivii*, etc. Sic auctor vocat κονίαν σταχτὴν Græcorum, nempe liquidum lixivium. Nam calce addita cum cinere quolibet, lixivium id aut πρωτόστακτος, aut σταχτὴ διηθημένη vocabatur, quasi excolatum lixivium. Dalec. — *Cineris lixivii*. Apud Catonem hodie perperam, *de musto lixivo* legitur, quum *de cinere lixivio* scribi oporteat. Cinerem lixivam femineo genere Scribonius Largus non semel protulit. Est porro hic cinis lixivus, ipsum liquidum lixivium, non cinis, qui in aquæ lixiviæ fundo sidit. Ad concinnanda vina tantum lixivii Cato requirit, quantum cum admixto defruto ad quadragesimam culei partem æquandam necesse est. Hard.

43. *In culeum*. Quid culeus sit diximus cap. 5. Cato loc. cit. pag. 25 : « Si opus erit, defrutum indito in mustum, de cinere lixivio coctum : partem quadragesimam addito defruti, vel salis sesquilibram in culeum : marmor si indes in culeum, libram indito.... Resinam si indes in culeum musti, etc. » MSS. Reg. Colb. *in culeum*. Editi libri perperam, *pulegii*. Hard.

44. *Facit et sulphuris*. In Catonis libris, quos terimus, mentio sulphuris nulla. Hard.

45. *Maturescente*. Quum deferbuit. Verba Catonis sunt ea l. c. pag. 26 : « Tortivum mustum circumcidaneum suo cuique dolio dividito, additoque pariter. » H.

46. *Novissime expressum*. E vinaceis circumcisis, ut dictum est cap. 23. Idem præcipit Columella, lib. XII, cap. 36, pag. 439. H.

47. *Et adjici mustis tingendi gratia coloris*. Ambo codices non *adjici mustis* legunt, sed *adjicimus* : scribo cum majore littera in initio, « Et adjici mos tingendi gratia colo-

vini, atque ita pinguius fieri. Tot veneficiis placere cogitur[48]; et miramur noxium esse. In vitium inclinantis experimentum est, laminæ plumbeæ[49] mutatus in eo colos.

XXVI. Proprium autem inter liquores vino, mucescere, aut in acetum verti[1]; exstantque[2] medicinæ volumina. Et fæx vini siccata recipit ignes, ac sine alimento per se flagrat. Cinis ejus nitri naturam habet, easdemque vires, hoc amplius, quo pinguior sentitur. 1

XXVII. (XXI.) Magna et collecto jam vino differentia in cella. Circa Alpes ligneis vasis condunt, circulisque cingunt, atque etiam hieme gelida ignibus rigorem arcent. Mirum dictu[1], sed aliquando visum : ruptis vasis stetere glaciatæ moles, prodigii modo, quoniam vini natura non gelascit[2], alias ad frigus stupens tantum. Mitiores plagæ doliis condunt, infodiuntque terræ tota, aut ad portionem situs[3]. Item cælum præbent : alibi vero impositis 1

res; » nam Toletanum archetypum *colores* legit, non *coloris*. PINT. — *Et adjicimus.* Sic MSS. Reg. Colb. Par. HARD.

48. *Placere cogitur.* Subintellige, vinum. HARD.

49. *Laminæ plumbeæ.* Sic Geop. auct. lib. VII, cap. 15, pag. 195, apud quem hæc paulo explanata uberius. HARD.

XXVI. 1. *Mucescere aut in acetum verti.* Proprium verbum id usurpatur de pane, carne et aliis id genus, quæ diutino situ lanuginem contrahunt, cum quadam graveolentia. DALEC. — *Mucescere.* Hoc est, vappescere, in vappam degenerare. In MSS. Reg. Colb. *mulcescere*. H.

2. *Exstantque.* Et ad hanc depellendam calamitatem medicinæ quamplurimæ voluminibus integris continentur. HARD.

XXVII. 1. *Mirum dictu*, etc. Æque mirum quod prodit Arist. in Arcadia vinum ἀναξηραίνεσθαι ὑπὸ τοῦ καπνοῦ ἐν τοῖς ἀσκοῖς, ὥστε ξυόμενον πίνεσθαι. Rhod. l. XXVIII, cap. 36. Virgil. G. III, 364 : « ... cæduntque securibus humida vina. » Vide Brod. lib. V, cap. 31. DAL.

2. *Non gelascit.* Causas Macrobius investigat, « Cur vina nunquam aut rarenter congelascant. » Sat. lib. VII, cap. 12, pag. 620. H. — Immo in septemtrionalibus regionibus glaciatur ipse vini spiritus, *l'eau-de-vie*. ED.

3. *Ad portionem situs.* Ut quæque terra mitiore cælo aut frigidiore utitur. Nam ubi calidius cælum, tota sub dio relinquuntur : ubi frigidius, tota defodiuntur : medio, partim abduntur terra, partim cælo permittuntur. HARD.

tectis arcent : traduntur que et hæc præcepta : latus cellæ vinariæ, aut certe fenestras obverti in Aquilonem[4] oportere,
2 vel utique in exortum æquinoctialem. Sterquilinia[5] et arborum radices procul abesse, omniaque odoris evitandi, facillimo in vina[6] transitu : ficos utique et caprificos. Doliis etiam[7] intervalla dari, ne inter sese vitia serpant, contagione vini semper ocyssima. Quin et figuras referre. Ventruosa ac patula minus utilia. Picari oportere[8] protinus a Canis ortu, postea perfundi marina aqua aut salsa : dein cinere[9] sarmenti aspergi, vel argilla, abstersa[10] myrrha suffiri, ipsasque sæpius[11] cellas. Imbecilla[12] vina de-
3 missis in terram doliis servanda, valida expositis. Num-

4. *In Aquilonem.* Sic auct. Geop. lib. VI, cap. 2, pag. 165. Vitruvius, lib. I, cap. 4, pag. 8 : « In cellis enim vinariis tectis, lumina nemo capit a meridie, nec ab occidente, sed a septemtrione, etc. » Eadem tradit et Palladius de R. R. lib. I, cap. 18, pag. 17. H.

5. *Sterquilinia.* Palladius, l. c. In MSS. Reg. Colb. et Chiffl. *Sterculonia.* De ficubus et caprificis, eadem præcipit auct. Geop. lib. VI, cap. 22, pag. 166. De sterquilinio, cæterisque, Columella, lib. I, cap. 6 : « Eadem est ratio in plano sitæ vinariæ cellæ : quæ summota procul esse debet a balneis, furno, sterquilinio, reliquisque immunditiis tetrum odorem spirantibus : nec minus a cisternis, aquisve salientibus : ex quibus qui extrahitur humor, vinum corrumpit. » Hard.

6. *Facillimo in vina.* Colum. lib. XII, cap. 28, pag. 437 : « Nulla res alienum odorem celerius ad se ducit, quam vinum. » Hard.

7. *Doliis etiam.* Intervallum pedale requirit auct. Geop. lib. VI, cap. 2, pag. 165. H. — Qua de re et modo quo vinum confecerint Romani, vid. Cl. Winckelmann, *Lettres sur les découvertes d'Herculanum*, pag. 49. Brot.

8. *Picari oportere.* Sic Geop. auct. lib. VI, cap. 4, pag. 168; Columella quoque l. c. pag. 426. H.

9. *Dein cinere.* In MSS. omnibus *aspergi* constantissime legitur. In Reg. 2, *cinere e sarmentis aspergi.* Tamen *abstergi* sincerius existimari possit, tum quod proxime sequatur, *abstersa myrrha suffiri* : tum quod hic ipsum explanans Zoroastres in Geop. lib. VII, cap. 6, pag. 184, *abstergi*, non *aspergi* dixit. Δεῖ δὲ τοὺς πίθους παραχρῆμα σμήχειν ἅλμῃ, ἢ κληματίνῃ τέφρᾳ, ἢ κιμωλίᾳ, ἢ ἀργιλλώδει γῇ. Hard.

10. *Abstersa.* Spongiæ ope. Diophanes in Geop. lib. VI, cap. 12, pag. 175. Hard.

11. *Ipsasque sæpius.* Sic Diophanes in Geop. lib. VI, cap. 12, p. 176. H.

12. *Imbecilla.* Auct. Geop. lib. VII, cap. 2. Hard.

quam implenda[13]: et quod supersit, passo aut defruto perungendum, admixto croco, pice veteri, cum sapa: sic opercula doliorum medicanda, addita mastiche ac pice. Bruma aperiri vetant, nisi sereno die. Vetant Austro flante, lunave plena. Flos vini candidus probatur[14]: rubens triste signum est, si non is vini colos sit. Item vasa incalescentia, operculave sudantia. Quod celeriter florere cœperit, odoremque trahere[15], non fore diutinum. Ipsa quoque defruta[16], at sapas, quum sit cælum sine luna, hoc est, in sideris ejus coitu, neque alio die coqui jubent: præterea plumbeis vasis[17], non æreis, nucibusque juglandibus additis: eas enim fumum excipere[18]. Campaniæ nobilissima exposita sub dio in cadis verberari[19] sole, luna, imbre, ventis, aptissimum videtur.

XXVIII. (XXII.) Ac si quis diligentius reputet, in

13. *Numquam implenda.* Quoniam mustum effervescens per se dolia impleturum est. Diophanes l. c. pag. 175. HARD.

14. *Flos vini candidus probatur.* Flos vini, odor, fragrantia. Plaut. in Curcul. « Flos veteris vini naribus objectus est meis. » Flos vini, ἀνθοσμίας οἶνος, vinum optimum, et odoris jucundissimi. Idem in Cistellaria: « Quippe ubi lingoam percussi flore Liberi. » Flos vini, tenuis spuma in summo ionatans. Conf. Turneb. lib. XXXIX, cap. 34. Cæcilius apud Nonium io Flores, tria hæc numerat, florem, floces, id est, fæcem, et vinum. « Ego, inquit, neque florem, neque floces volo: mihi vinum volo. » DAL. — *Flos vini.* Tenuis spuma quam nos dicimus, *la fleur.* HARD.

15. *Odor. trahere.* Alium quam suum, et nativum. De hac loquendi forma dicemus l. XXXVI, c. 30. H.

16. *Ipsa quoque defruta.* Columella, lib. XII, cap. 19, pag. 427. HARD.

17. *Plumbeis vasis.* Columella, lib. XII, cap. 20, pag. 428: « Ipsa autem vasa, quibus sapa aut defrutum coquitur, plumbea potius quam ænea esse debent: nam in coctura æruginem remittunt ænea, et medicaminis saporem vitiant. » H. — Suum quoque est plumbo vitium, *la litharge*, ut recentiorum experimentis compertum. BROT.

18. *Fumum excipere.* In se recipiunt illæ fumum, qui sapam alias corrumperet. HARD.

19. *Verberari sole.* Ulpiaoo proprie verberatur, quod anima præditum verbere feritur non siue doloris aliquo sensu: pulsatur, quod anima carens ictu crebro percutitur, ut laoa, janua. Alex. ab Alex. lib. III, cap. 19. DAL. — *Verberari.* Sic scrobem in terra fossum *tem-*

nulla parte operosior vita est[1], ceu non saluberrimum ad potum aquæ liquorem natura dederit, quo cætera omnia animantia utuntur. At nos vinum bibere[2] et jumenta[3] cogimus: tantoque opere, tanto labore et impendio constat, quod homines[4] mente mutet, ac furorem gignat, millibus scelerum huic deditis: tanta dulcedine, ut magna
2 pars non aliud vitæ præmium intelligat. Quin immo ut plus capiamus, sacco frangimus[5] vires; et alia irritamenta excogitantur: ac bibendi etiam causa venena conficiuntur,

pestatibus verberari Columella dixit, lib. de arboribus, cap. 16, quod alibi, libro nempe V, cap. 6, *pluviis et gelicidiis macerari* interpretatur. HARD.

XXVIII. 1. *In nulla parte operosior vita est.* Eubulus primum cratera sanitati, secundum voluptati et amori, tertium somno, quartum injuriæ dicat. Panyasis vero primum Gratiis, Horis, Dionysio: secundum Veneri, ac rursum Dionysio: tertium injuriæ. ATHENÆUS.

2. *At nos vinum bibere*, etc. Hector apud Homerum, Iliad. Θ, sic equos suos alloquitur: Νῦν μοι τὴν κομιδὴν ἀποτίνετον, ἣν μάλα πολλὴν Ἀνδρομάχη θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἠετίωνος Ὑμῖν πὰρ προτέροισι μελίφρονα πυρὸν ἔθηκεν, Οἶνόν τ' ἐγκεράσασα πιεῖν ὅτε θυμὸς ἀνώγοι, Ἢ ἐμοί, ὅσπερ οἱ θαλερὸς πόσις εὔχομαι εἶναι. DAL.

3. *Jumenta.* Equis vinum olim præbitum ex Homero discimus, Iliad. Θ, v. 189. Refert Cominæus, Com. Gall. lib. I, equum suum vetulum, ac labore fractum, quum post prælium vini situlam casu oblatam hausisset, ea potione sic refectum, ut alacriorem numquam antea esset expertus. Familiare in Gallia est, vinum in os et nares equorum injicere, vel offam ex vino et pane offerre, ut valentiores fiant. Et Columella, lib. II, cap. 3, de bobus: « Merum faucibus, si æstuaverint, infundat. Satis autem est singulis binos sextarios præbere. » HARD.

4. *Quod homines.* Sic MSS. recte. Prius editi, « Quod hominis mentem mutet. » HARD.— *Mentem* servat quoque Broterius. ED.

5. *Sacco frangimus vires.* Vinum sacco castratum, σεσακκισμένον, τῷ σάκκῳ ἐξευνουχιζόμενον, καὶ ἀποθηλυνόμενον, ἠθικόν, Theophr. Causs. lib. VI, cap. 24, vocat: alii vero δινηθικὸν, colatum, saccatum, ἀπὸ τοῦ ἠθεῖν. Cic. II de Finibus, « Quibus vinum defusum e pleno sit: hirsiphon, ut ait Lucilius, cui nihil demsit, nil vires sacculus abstulit. » Nempe vinum integerrimum, quod nec siphone depletum est, nec vola manus (hic id significat) pitissatum. Hic sipho tubulus est, quo vinum exsugitur, alias vero γευςρὶς, veteri glossario. Meraria, sive gustatorium eidem, γευςρίδιον vasculum, quo in cau-

aliis cicutam præsumentibus, ut bibere mors cogat[6]: aliis pumicis farinam[7], et quæ referendo pudet docere[8]. Cautissimos ex his balineis coqui videmus[9], exanimesque efferri. Jam vero alios lectum[10] exspectare non posse, immo vero nec tunicam, nudos ibi protinus anhelos ingentia vasa corripere, velut ad ostentationem virium, ac plene infundere, ut statim vomant[11], rursusque hauriant, idque

pona vinum gustatur, tenui fistula, angustove collo. Inde *Simpo* veteribus Latinis, et a Simpone *Simpulum*. Scalig. Vide lib. XXXV, cap. 12. Huc pertinet quæstio apud Plutarchum in Sympos. lib. VI, cap. 7, An colandum vinum sit. Dalec.— *Sacco frangimus.* « Saccus quo vinum liquatur, inquit Columella, lib. IX, 15, tenui vimine rarius contextus, inversæ metæ similis. » Hinc vinum colatum, sive saccatum, altero non saccato debilius, dulciusque, Theophr. de Caus. lib. VI, cap. 9, οἶνος σακκιζόμενος, *vin passé par la toile, comme l'hypocras*. Martial. lib. II, ep. 40 : « Cæcuba saccentur, quæque annus coxit Opimi. » Hoc est, colo, vel sacco transmittantur ea, ut corrigantur, ac defæcentur. Et lib. XII, ep. 61 : « Turbida, sollicito transmittere Cæcuba sacco. » Hard.

6. *Mors cogat.* Metus mortis. Nam contra cicutam vinum remedio est, ut dicetur lib. XXII, cap. 23. Hard.

7. *Pumicis farinam.* Vide quæ Plinius ipse refert, lib. XXXVI, c. 42. Hard.

8. *Pudet docere.* Ut de Cosso tradit Seneca, epist. 83. Dal.

9. *Balineis coqui.* Cruditatem ex pridiana temulentia ortam balneo calido coquebant : manebant enim in eo tamdiu, ut sudarent, animusque interdum deficeret. Colum. in præf. « Mox deinde ut apti veniamus ad ganeas, quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus, et exsucto sudore sitim quærimus, etc. » Laconicum locus erat in balneo orbiculari ambitu in se recurvo, ubi sudor eliciebatur calore sicco, inquit Celsus lib. II, cap. 17, *un poêle*. Scribit Vitruvius Laconicum sudationesque conjungendas esse tepidario. Qui saturitate epularum immodica crudi erant, hi ad balneas confugiebant, et in sudoriis Laconicisque sudorem evocabant : ita stomachi cruditatem digerentes, quam epulæ copiosiores afferebant. Hæc poetarum Satyricorum conquestio, Horatii primum: « Crudi tumidique lavemur. » Juvenalis : « Crudum pavonem in balnea portas. » Hard.

10. *Lectum exspectare non posse.* Sed in mensa obdormiscere. Theophrast. Hist. lib. IX, c. 18. Dal. — *Nec tunicam.* E lecto surgentes. Dal.

11. *Ut statim vomant.* Et pinnis quidem excitabantur ad vomitum. Sic gulosissimi quique vomitu sese exonerabant. Tranquillus in Vitellio, cap. XIII : « Sed is vel præcipue sævitiæ luxuriæque deditus,

iterum tertiumque; tanquam ad perdenda vina geniti, et tanquam effundi illa non possint, nisi per humanum corpus. Ad hoc pertinent peregrinæ exercitationes [12], et volutatio in cœno [13], ac pectorosa cervicis repandæ osten-
3 tatio. Per omnia hæc prædicatur sitis quæri. Jam vero quæ vasa adulteriis [14] cælata? tanquam per se parum doceat libidinis temulentia. Ita vina ex libidine hauriuntur, atque etiam præmio invitatur ebrietas [15], et si diis placet, emitur [16]. Alius, ut quantum biberit, tantum edat, pre-

epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat, in jentacula, et prandia, et cœnas, comessationesque, facile omnibus sufficiens vomitandi consuetudine.» Et pinnis quidem excitari solitos ad vomitum diximus, quam consuetudinem notat idem Tranquillus in Claudio, cap. XIII: «Nec temere umquam triclinio abscessit, nisi distentus ac madens, et ut statim supino, ac per somnum hianti, penna in os inderetur ad exonerandum stomachum.» Et Aristoph. in Acharn. ejusque Scholiastes: Πτερὸν αἰτεῖ ἵν' ἐξεμέσῃ, εἰώθασι γὰρ οἱ δυσεμεῖς πτερῷ δρᾶσθαι. Sunt qui et eo pertrahant illud Martialis, lib. III, ep. 82: «Stat exoletus, suggeritque ructanti Pinnas rubentes, cuspidesque lentisci.» Aliquis scilicet e ministeriorum turba. Verum pinnis ego rubentibus eo loci, perinde ac lentisci cuspidibus, dentiscalpia intelligo, cujusmodi et hoc ævo sunt in frequenti apud omnes, qua nobiles, qua ignobiles, usu. Unde vetus parœmia apud Zenobium, Cent. 5, adag. 96: Σχῖνον διατρώγειν. Εἰώθασι τὸν σχῖνον τρώγειν οἱ καλλωπιζόμενοι, ἕνεκα τοῦ λευκοῦν τοὺς ὀδόντας, etc. HARD.

12. *Peregrinæ exercitationes.* Halterum, luctæ, saltus, pugilatus, etc. DALEC. — *Peregrinæ exercitationes.* Quales a Luciano describuntur, in Anacharsi, sive de Gymnasiis, statim initio, pag. 786, inter quas volutatio in cœno, suum more, καὶ ἐν τῷ πηλῷ συναναφύρονται καλινδούμενοι ὥσπερ σύες. HARD.

13. *Volutatio in cœno.* Pulvere palæstritarum, quem ἁφὴν vocaverunt. Aqueus hæc omnia refert ad inhonestas et indecoras poculis certantium inter bibendum leges et gesticulationes: *cervicemque repandam*, curvam interpretatur, nervis temulentia debilitatis, quod mihi non placet. Prolixe locum hunc narrat Rhod. lib. VII, cap. 26. DAL.

14. *Adulteriis.* Vasa in quibus adulteriorum cælatæ imagines. H.

15. *Præmio invitatur ebrietas.* Apud Flavium Vopiscum Aurelianus suos Phagones, sive Comedones et Bibones habuit. Vide apud Eras. proverb. *Edax currus.* DALEC.

16. *Et si diis placet, emitur alius ut quantum biberit, tantum edat.* Scribit diversa interpunctione, *et si diis placet emitur:* quæ prioribus annectenda sunt: deinde sequitur cum majore littera, «Alius ni

tium vinolentiæ lege accipit. Alius quantum alea quæsierit[17], tantum bibit. Tunc avidi[18] matronam oculi licentur, graves[19] produnt marito: tunc animi secreta proferuntur. Alii testamenta sua nuncupant: alii mortifera loquuntur, rediturasque[20] per jugulum voces non continent, quam multis ita interemptis: vulgoque veritas jam attributa vino est[21]. Interea ut optime cedat, solem orien-

quantum biberit, tantum edat, etc. » Pint.

17. *Alius quantum alea quæsierit*, etc. Tot haurit pocula, quot imperat modiperator, sive convivii magister et dominus, vel, ut aiunt Græci, βασιλεύς, talorum sorte eam præfecturam adeptus: de quo Macrobius, Cicero, Plato in Legibus. « Nec regna vini sortiere talis, » inquit Hor. Ego vero puto accensari perditos mores eorum, qui statim ab alea compotarent, ut quantum lucrati essent, tantum in convivia prodigeretur, omneque vitæ tempus in alea et bibendo periret. Vide et Rhod. lib. XXVIII, cap. 6. Insignis est de hoc vitio, ac perverso illo vitæ genere, epistola 123 Senecæ. Dalec.

18. *Tunc avidi*. Fuit quum augurarer: « Tunc avidi matronarum oculi liceuter graves produnt maritos. » Sed satius videtur nihil immutari. Vino captos oculos ait jam destinare secum ut matronæ pudicitiam pretio expugnent: eosdem nimio potu graves, matronæ scelus prodere marito, et secreta proferre. Hard.

19. *Graves*. Vino graves. H.

20. *Rediturasque*. Transfosso, ut ita dicam, jugulo resorbendas; accersente homini sæpenumero necem loquendi in vino intemperantia. Hard.

21. *Vulgoque veritas jam attributa vino est*. Inde natum proverbium, « vinum cum pueritia, et sine pueritia veridicum. » Sub Tiberio Cæsare, quum vigeret accusandi publica rabies, exceptum quoque fuisse ebriorum sermonem, Seneca lib. de Beneficiis tradit. Dalec. — *Vulgoque*. Hinc illa Horatiana, lib. I, ep. 4: « Quid non ebrietas designat? operta recludit, etc. » Et lib. III, Od. 21: « Tu lene tormentum ingenio admoves Plerumque duro: tu sapientium Curas, et arcanum jocoso Consilium retegis Lyæo. » Zenobius, in parœmiis, Cent. 4, n. 5: Ἐν οἴνῳ ἀλήθεια. Παροιμία παρόσον ὁ οἶνος τοὺς ἐμπιπλαμένους αὐτῷ, ὁποῖοί εἰσι παραδείκνυσι. « In vino veritas. Proverbium docet vinum prodere quales sint ii qui se eo proluunt. » Et Diogenianus, Cent. 4, n. 81: Ἐν οἴνῳ ἀλήθεια. Παρόσον οἱ οἴνῳ χρώμενοι τὰ ἀπὸ καρδίας λαλοῦσιν. Et in Append. e Vatic. Cent. 3, n. 34: Οἶνος καὶ ἀλήθεια. Τινὲς οὐχ οὕτως φασὶν, ἀλλ' οἶνος καὶ ἦθη. Κατὰ τὸ πρότερον Πέρσαι, φασὶν, οὐ βασάνοις ἀνετάζουσιν, ἀλλὰ μεθυσκομένους. Hard.

4 tem non vident[22], ac minus diu vivunt[23]. Hinc pallor, et genæ pendulæ, oculorum hulcera[24], tremulæ manus effundentes plena vasa, et (quæ sit pœna præsens) furiales somni, et inquies nocturna, præmiumque summum ebrietatis libido portentosa[25], ac jucundum nefas. Postera die ex ore halitus[26] cadi, ac fere rerum omnium oblivio, morsque memoriæ. Rapere se ita vitam prædicant, quum priorem diem quotidie perdant, illi vero et venientem.
5 Tib. Claudio principe ante hos annos XL institutum, ut jejuni biberent, potusque vini antecederet cibos: externis et hoc[27] artibus, ac medicorum placitis novitate aliqua

22. *Solem orientem non vident.* Smindyrides Sybarita, luxu et opibus diffluens, id sibi contigisse annis plus minus viginti gloriabatur. Idem et Hestieus Ponticus, sed honesta causa, quum studiis operam daret tota fere vita. Rhod. lib. XI, cap. 13, ex Athenæo, lib. VI. Dalec. — *Solem.* Qui solem nunquam occidentem viderint, nec orientem, Cato antipodes appellabat, apud Senec. ep. 122. Talis Smindyrides Sybarita apud Athen. lib. VI, pag. 273. Porro his similis habet Columella in Præf. Egregia habet in eam sententiam Seneca, ep. 122. Hard.

23. *Minus diu vivunt.* MSS. Reg. Colb. etc. *bibunt*: minus apposite. Quid sint Plinio genæ, diximus lib. XI, cap. 56. H. — Rezzonic. Brotier. cum MSS. et ed. principe, *bibunt*. Ed.

24. *Oculorum hulcera.* Iidemque et πελιδνοὶ et χυλοιδιῶντες, lividi, et circa cavum tumidi, quod et amantibus et melancholicis contingit, Theocritus οἱ δ' ὑπ' ἔρωτος δῆτα χυλοιδιόωντες ἐτώσια μοχθίζοντι. Dal.

25. *Libido portentosa.* Veneris imagine fœdatum somnium. H.

26. *Ex ore halitus cadi.* Apud Ulpianum Trebatius ait non esse morbosum os olere alicui, ut hircosum et raponem: hoc enim ex ingluvie oris accidere, nempe ἐκ τῆς ἀδηφαγίας καὶ πολυποσίας. Quidam legunt *ut hircosum et strabonem.* Hoc enim ex illuvie oris. Scalig. — *Postera die ex ore halitus cadi.* Sive amphoræ. De cado diximus cap. 17. — *Halitus.* « Odorem, et animam » Phædrus appellat, lib. VII, fab. 1, in qua quod hactenus mendum inolevit, operæ pretium fuerit obiter castigare. « Anus jacere vidit epotam amphoram, Adhuc Falerna fæce et testa nobili, Odorem quæ jucundum late spargeret. Hunc postquam totis avida traxit naribus: O suavis anima, quale in te dicam bonum Antehac fuisse, tales quum sint reliquiæ! » Male hactenus vulgg. « qualem te dicam bonam, » id quod latinæ aures vix ferant. H. — Cf. Phædr. t. II, p. 20 edit. nost. Ed.

27. *Externis et hoc.* Aliis antea

sese commendantium. Gloriam hac virtute Parthi quærunt, famam apud Græcos Alcibiades[28] meruit, apud nos cognomen etiam Novellius Torquatus Mediolanensis, ad proconsulatum usque e prætura honoribus gestis, tribus congiis[29] (unde et cognomen illi fuit) epotis uno impetu[30], spectante miraculi gratia Tib. Claudio principe, in senecta jam severo[31] atque etiam sævo[32] alias: sed ipsa juventa ad merum pronior[33] fuerat. Eaque commenda- 6

gentibus inolevisse eam consuetudinem significat: quas inter fuere Bithyni, ut auctor est Phylarchus apud Athen. lib. II, p. 58; Macedones quoque ipsi, ut ex eodem Athenæo colligimus, lib. IV, pag. 128. Vide quæ dicturi sumus lib. XXIII, cap. 23. Hard.

28. *Alcibiades.* Hunc meri potu superasse Thraces, Satyrus prodidit apud Athen. lib. XII, pag. 534. Vide et Plutarch. Symp. Quæ. 7, pag. 710. Hard.

29. *Tribus congiis*, etc. Tribus congiis, id est, libris triginta. Hemina libram pendit, sextarius 2, congius 10, urna 40, amphora 80, culeus 1600. Vel, hemina libram, sextarius heminas duas, congius sextarios quinque, urna congios quatuor, amphora urnas duas, culeus amphoras quatuor. Rhod. lib. XXIX, cap. 1. Dal. — *Cognomen.* Tricongii. Ita Xenarchus quidam Rhodius ob bibacitatem, Μετρήτης, hoc est, *congius* pariter est cognominatus, teste Euphorione in Chiliad. apud Athen. lib. X, pag. 436. Meminit et mulieris tricongiæ Hedylus in epigr. apud eumdem Athen. lib. XI, pag. 488. H.

30. *Uno impetu.* Ἀμυςί. Sic Diotimum Atheniensem χῶνα vocarunt, quoniam infundibulo ori apposito vinum affusum perpetuo biberet: sic Xenarchum Rhodium Metreten. Aureliani Phago, uno die aprum integrum absumebat, vervecem, porcellum, panes centum, vini plus orca. Rhodig. lib. XXIX, cap. 1. Idem auctor lib. ejusdem cap. 7, Heraclidem Pycten voracissimum et bibacissimum memorat. Dal.

31. *Tiberio Claudio principe, in senecta jam severo.* Scribendum opinor *sobrio*, non *severo*: nam sequitur mox: « Sed ipsa juventa ad merum pronior fuerat. » Verba autem illa, « atque etiam alias sævo, » invectitia esse existimo. Pint.

32. *Atque etiam sævo.* MSS. Reg. Colb. *æqueve etiam sævo.* Par. *æquævo.* Hard.

33. *Ad merum pronior.* Suet. in Tiberio, cap. XLII: « In castris tiro etiamnum, propter nimiam vini aviditatem, pro Tiberio Biberius, pro Claudio Caldius, pro Nerone Mero vocabatur. » Juventæ bibacitatem simul, et crudelitatem senectæ, quidam versus exprobrarunt, quos Suetonius recitat, cap. LIX: « Fastidit vinum, quia jam sitit iste cruorem: Tam bibit hunc avide, quam bibit ante merum. » Hard.

tione credidere L. Pisonem[34] urbis Romæ curæ ab eo delectum, quod biduo duabusque noctibus perpotationem continuasset apud ipsum jam principem. Nec alio[35] magis Drusus Cæsar regenerasse[36] patrem Tiberium ferebatur. Torquato[37] rara gloria (quando et hæc ars suis legibus constat[38]) non labasse sermone, non levatum vomitione, non altera corporis parte[39], dum biberet: matutinas obisse

34. *L. Pisonem urbis Romæ curæ*, etc. Hoc est, ad curam. Præfectus urbis creatus est, non curator : et præfecturam circumloqui libuit. Gelen. — *Urbis Romæ curæ*. Hoc est, Præfectura Urbis donatum. Suetonius in Tiberio, cap. xlii : « Postea princeps in ipsa publicorum morum correctione, cum Pomponio Flacco, et L. Pisone noctem continuumque biduum epulando potandoque consumpsit : quorum alteri Syriam provinciam, alteri præfecturam Urbis confestim dedit, codicillis quoque jucundissimos, et omnium horarum amicos professus. » Seneca, ep. 83, pag. 361 : « L. Piso, Urbis custos, ebrius ex quo semel factus est, fuit. Majorem partem noctis in convivio exigebat: usque in horam sextam fere dormiebat : hoc erat ejus matutinum : officium tamen suum, quo tutela Urbis continebatur, diligentissime administravit, etc. » Hard.

35. *Nec alio magis*. Nec alia dote patri similior, quam vinositate. Id quoque de Druso Plutarchus refert, Symp. lib. I, Qu. 6, pag. 624. Drusus Tiberii Aug. filius, de patrui cognomine nomen habuit Drusi; de matre Julia, Cæsaris Augusti filia, Cæsar est dictus. In nummo vetere e Gaza Regia ΔΡΟΥΣΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ ΥΙΟΣ. *Drusus Cæsar Augusti* Tiberii *filius*. In altera parte capita duo nuda et adversa, Drusi liberorum, superpositis nominibus; priori, ΤΙΒ. alteri ΓΕΡ. hoc est, *Tiberius* et *Germanicus*, infra, ΚΑΙΣΑΡΕΣ, *Cæsares* : quia de stirpe Cæsaris Augusti : quippe ex Druso nati, qui filius Tiberii Augusti fuit, et Juliæ Cæsaris Augusti filiæ. Nomen alteri e gemellis ab avo Tiberio fuit, alteri ab avunculo Germanico Cæsare, fratre Liviæ, quæ Drusi conjux. Hard.

36. *Regenerasse patrem Tiberium ferebatur*, etc. Repræsentasse. Vide Suetonium, cap. xlii, in Tiberio. Druso huic Cæsari fastiditum caulium delicatiorem tenerioremque cauliculum, neque id sine castigatione Tiberii patris, dicit infra lib. XIX, cap. 8. Dalec. — *Regenerasse*. Ea voce usus antea non semel, lib. VII, cap. 10. Et lib. XII, cap. 5 : « Platani satæ regeneravere vitium. » Hard.

37. *Torquato*. Mediolanensi, de quo proxime dictum est. H.

38. *Hæc ars suis legibus constat*. De iis legibus potoriis vide Ciceronem ultima Tusculana. Dalec.

39. *Non altera corporis parte*. Qua nempe micturimus : igitur nec

vigilias, plurimum hausisse uno potu: plurimum præterea aliis minoribus addidisse: optima fide non respirasse in hauriendo[40], neque exspuisse: nihilque ad elidendum in pavimentis[41] sonum ex vino reliquisse, diligenti scito legum contra bibendi fallacias. Tergilla Ciceroni[42] M. F. 7
binos congios simul haurire solitum ipsi objicit: Marcoque Agrippæ a temulento scyphum impactum. Etenim hæc sunt ebrietatis opera. Sed nimirum hanc gloriam auferre Cicero voluit interfectori patris sui M.[43] Antonio. Is enim[44] ante eum avidissime apprehenderat hanc palmam, edito etiam volumine de sua ebrietate: quo patrocinari sibi ausus, approbavit plane (ut equidem arbitror) quanta mala per temulentiam terrarum orbi intulisset. Exiguo tempore ante prælium Actiacum id volumen evomuit: quo facile intelligatur ebrius jam sanguine civium, et tanto magis eum sitiens. Namque et hæc necessitas vitium comitatur, ut bibendi consuetudo augeat avidita-

vomitione levatum fuisse dicit, nec urina. Hard.

40. *Non respirasse in hauriendo.* Hoc paulo ante dixit *uno impetu*, ἀμυστὶ et ἀπνευστὶ Græci, unde ἀμυστίζειν: quomodo Dion scribit Commodum in theatro feras ex alto jaculis impetentem, dulce vinum bibere solitum, acclamante populo ζήσειας. Dalec.

41. *Ad elidendum in pavimentis.* Eum morem indicat Horatius his versibus: « Absumet hæres Cæcuba dignior, Centum servata clavibus, et mero Tinget pavimentum superbo, Pontificum potiore cœnis. » Vide Rhod. lib. XXVIII, cap. 5. Ἀποκοτταβίζειν id Græci dicunt. Dalec.

42. *Ciceroni M. F.* M. Tullii filio. Sic MSS. Reg. Colb. etc. H. — *Tergilla Ciceroni..... binos congios simul haurire ipsi objicit.* Bini congii sunt Parisienses, ut nunc dicuntur, *pintæ* septem. Brot.

43. *M. Antonio.* Is, teste Paterculo, hedera redimitus, aurea corona tectus, cothurnos indutus, curru vectus, Liberum patrem vocari se jussit. Quum ergo sic Athenienses salutassent, ac ut Minervam suam in matrimonium duceret, rogarent, ducturum is ait, sed dotis nomine imperare se mille talenta. Imitatus est tantam insaniam et Caligula, et Commodus, Antigono et Mithridate jam antea Dionysii cultum et nomen usurpare ausis. Had. Jun. lib. V, cap. 1. Seneca suasoria 1. Dalec.

44. *Is enim.* M. Antonius triumvir. Hard.

tem: scitumque est Scytharum legati, quanto plus biberint, tanto magis sitire Parthos[45].

1 XXIX. Est et Occidentis populis sua ebrietas, fruge madida[1]: pluribus modis per Gallias Hispaniasque[2], nominibus aliis, sed ratione eadem. Hispaniæ jam et vetustatem ferre ea genera docuerunt. Ægyptus quoque[3] e fruge[4] sibi potus similes excogitavit: nullaque in parte mundi cessat ebrietas: meros quippe hauriunt tales succos, nec diluendo, ut vina, mitigant. At hercules illic tellus fruges parere videbatur. Heu, mira vitiorum solertia! inventum est quemadmodum aqua quoque inebriaret[5]. Duo sunt liquores corporibus humanis gratissimi, 2

45. *Sitire Parthos.* Erasmum vide Chil. 4, cent. 10, adag. 21: « Parthi quo plus biberint. » Hard.

XXIX. 1. *Fruge madida.* Frumento, hordeo, avena, olyra, milio, panico. Vide Geop. lib. VII, cap. 24, pag. 203. Hard.

2. *Per Gallias.* Ubi ex hordeo cervisia fit, *de la bière.* Exstat in Anthol. lib. I, cap. 59, epigramma quintum Juliani Imp. in vinum Galliarum ex hordeo, oppido sane elegans : ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ εἰς οἶνον ἀπὸ κριθῆς. Τίς; πόθεν εἶς, Διόνυσε; μὰ γὰρ τὸν ἀληθέα Βάκχον Οὔ σ' ἐπιγινώσκω· τὸν Διὸς οἶδα μόνον. Κεῖνος νέκταρ ὄδωδε· σὺ δὲ τράγον· ἦ ῥά σε Κελτοί, Τῇ πενίῃ βοτρύων, τεῦξαν ἀπ' ἀσταχύων; Τῷ σε χρὴ καλέειν Δημήτριον, οὐ Διόνυσον, Πυρογενῆ μᾶλλον, καὶ βρόμον οὐ Βρόμιον. Quod feliciter satis Grotius ita reddidit : « Unde, quis es Liber? hic sit mihi Liber amicus? Non mihi tu notus, sed puer ille Jovis. Ille ut nectar olet : tu ceu caper : an fera te gens Ex spica genuit Celtica, vitis egens? Hinc Cerealis eras meliori jure vocandus. Non satus ex Semela matre, sed ex simila. » Hard.

3. *Ægyptus quoque.* Ex hordeo, teste Hecatæo apud Athen. lib. X, pag. 447, et Herodot. Euterpe, lib. II, n. 77, pag. 118. Hard.

4. *Et fruge*, etc. Hordeo, tritico, avena, olyra. Cassianus in Geoponicis, lib. VI, ex Leontio. Colum. « Ut Pelusiaci proritet pocula zythi. » Vide infra loco proxime citato. Dalec.

5. *Aqua quoque inebriaret.* Nationes quibus familiaris est potus ejusmodi, illo inebriari testantur Leontius apud Cassianum in Geoponicis; Dioscorides, qui zytho et curmi cerebrum tentari, excitarique dolorem capitis ait; Dion Academicus, qui Ægyptios hordeaceo potu exhilaratos, cantare et saltare temulentos scribit; Arist. lib. de temulentia, qui scribit, zytho ebrios, quoniam id potionis genus καρωτικὸν est, in dorsum supinos cadere, ac reclinari, μόνους τῷ οἴνῳ μεθυσθέντας εἰς τοὐπίσω καὶ ὑπτίους κλι-

intus vini, foris olei[6], arborum e genere ambo præcipui, sed olei necessarius. Nec segniter vita in eo elaboravit. Quanto tamen in potu ingeniosior apparebit, ad bibendum generibus centum nonagintaquinque (si species vero æstimentur, pæne duplici numero) excogitatis, tantoque paucioribus olei : de quo in sequenti volumine dicemus.

νεσθαι, vino autem madidos in faciem pronos ferri. Virg. de septemtrionalibus popnlis, his versibus : « Hic noctem ludo ducnnt, et pocula læti Fermento, atque acidis imilanlur vitea sorbis. » Had. Jun. lib. II, cap. 12. Scythæ herbarum quarumdam vapore, dum uruntur, Thraces quorumdam seminum inebriantur, et veluti temulenti jacent : Babylonii quarumdam arborum fructu prunis injecto : Indi succo arundinis saccharatæ. Alexand. ab Alex. lib. III, cap. 11. Elegantes hi sunt Lucilii versus apud Nonium de vinosis, in Invito : « Scito enim bene longinquum mortalibus morbum In vino esse, ubi quis invitavit dapsilins se. » Quos etiam supra adduximus. Dalec.

6. *Liquores c. h. gratissimi, intus vini, foris olei.* Simile est quod de Pollione dicetur, lib. XXII, cap. 53. Hard.

NOTA

Ad ea Plinii verba, lib. XIV, cap. 6, pag. 305 :

Sed cæteris vinis commendandis minima aliqua mixtura medicamenta sunt : quod, ut ejus temporis æstimatione in singulas amphoras centeni nummi statuantur, ex his tamen, usura multiplicata semissibus, quæ civilis ac modica est, in C. Cæsaris Germanici filii principatu, anno CLX singulas uncias vini constitisse nobili exemplo docuimus, etc.

De Opimiani vini pretio Harduinum Broteriumque hallucinatos fuisse docet doctiss. nostras Guerroult, cujus hic verba transcribere nulli dubitamus :

« Le prix du douzième de l'amphore était l'équivalent de l'accumulation des intérêts à six pour cent. Le produit des intérêts pendant cent soixante ans était 960. Ainsi, l'an de Rome 793, l'amphore de vin Opimien se vendait neuf cent soixante sesterces (216 francs); l'*uncia*, ou le douzième de l'amphore, coûtait quatre-vingt sesterces (18 francs), 7 francs 71 centimes le litre.

« Le P. Hardoin, expliquant ce passage dans une de ses notes, dit que chaque once de vin Opimien se vendait un prix égal au produit des intérêts de cent sesterces, valeur primitive de l'amphore. Or, l'amphore contenait quatre-vingt livres romaines, et par conséquent neuf cent soixante onces; elle aurait donc coûté neuf cent soixante fois dix-huit francs (207,360 francs), somme exorbitante et tout-à-fait incroyable. Brotier a pourtant adopté ce sentiment. Ce qui peut avoir induit en erreur ces savants commentateurs, c'est qu'ils ont oublié pour le moment que le mot *uncia* n'est pas employé par les Latins pour signifier seulement l'once, partie aliquote de la livre, mais qu'il exprime le douzième de toute espèce de poids et mesures. De plus, ils ont cru que le prix de l'*uncia* était le produit des intérêts de la valeur de l'amphore; mais il était, selon le texte, le produit des intérêts de la valeur primitive de l'*uncia*. A cet égard, l'intention de l'auteur est clairement expliquée par la dernière phrase de cet article : « raro quippe adhuc fuere, nec nisi in nepotatu, singulis testis millia nummum. » On voit qu'il dit expressément que c'est l'amphore qui se vendait neuf cent soixante sesterces. » *Morceaux extraits de Pline*, tom. I, pag. 533, 534.

C. PLINII SECUNDI

NATURALIS HISTORIÆ

LIBER XV.

I. OLEAM[1] Theophrastus e celeberrimis Græcorum auctoribus, urbis Romæ anno circiter CCCCXL, negavit nisi intra XL[2] millia passuum a mari nasci : Fenestella vero omnino non fuisse in Italia, Hispania, atque Africa, Tarquinio Prisco[3] regnante, ab annis populi romani CLXXIII[4], quæ nunc pervenit trans Alpes quoque, et 1

I. 1. *Oleam. Olea Europæa* (*Diand. monog.* gen. 37, Pers. *Jasmineæ*, Juss.). Decem et octo varietates oleæ recensentur (DUHAMEL, tom. II, pag. 57 seqq.), in variis Europæ australioris regionibus cultæ. En. — *CCCCXL.* Sic libri omnes etiam MSS. Reg. Colb. Tb. tum hoc loco recte, tum lib. XIII, cap. 30. Monendus hic porro obiter lector poeticæ studiosus, elegans esse a Passeratio carmen singulare de oliva conditum an. 1588. H. —Vid. Exc. I ad calc. huj. lib. Ed.

2. *Nisi intra XL.* Sive, ut fert Græcorum mensura, intra CCC stadia a mari, sic enim iterum Plinius noster, lib. XXI, cap. 31, quibus habet similia quædam Theophrastus, Hist. Pl. lib. IV, cap. 3, ubi is tamen non nasci omnino oleam dicit nisi intra stadia XL a mari, sed a Thebana Ægypti præfectura, CCC stadiis nasci ait, ab aquis marinis fluviatilibusque Nili, ut ipse Plinius ait, lib. XIII, cap. 19, quæ duo diversissima sunt. Experimento nunc constat reperiri oleas et in locis quoque proximis mari. Cautius itaque Columella, lib. V, cap. 8, pag. 194 : « Hanc arborem plerique existimant ultra milliarium LX (forte XL) a mari, aut non vivere, aut non esse feracem. Sed in quibusdam locis recte valet. » H.

3. *Tarquinio Prisco.* Est illud non ætatis cognomen, sed gentis, Πρίσκος : e qua præter alios et Prisca, et Priscilla, in libris sacris, et in nummis Græcis, ΠΡΙCΚΟC : et in Latinis, PRISCVS ATTALVS P. F. AVG. HARD.

4. *Populi rom. CLXXIII.* Perperam cod. Reg. 1 et edit. princ. *CLXXXIII*, quam lectionem sequitur Harduinus in altera sua editione, romanorumque regum chronologiam temere pervertit. En. —

in Gallias Hispaniasque medias. Urbis quidem anno quingentesimo quinto, Appio Claudio Cæci nepote[5], L. Junio
2 coss. olei libræ duodenæ[6] assibus[7] veniere. Et mox anno DCLXXX, M. Seius, L. F.[8] ædilis curulis olei denas libras singulis assibus præstitit populo romano per totum annum. Minus ea miretur, qui sciat post annos[9] XXII,

Fenestella vero omnino non fuisse in Italia, Hispania, atque Africa... quæ nunc pervenit... in Gallias Hispaniasque medias. Quis umquam credat oleam, Plinii ætate, media in Gallia cultam fuisse, quum nostris etiam temporibus; intra Provinciæ Galliæque Narbonensis fines arboris cultura substiterit? Neque dubium esse potest, quin nostratis Franciæ solum sit temperatius; clementiorque cæli natura, multis sane in partibus, immensarum silvarum eradicatione facta fuerit. Inde patet non Plinium, sed POINSINET a vero deflexisse, qui de mediis tantummodo Hispaniis hic agi non vidit. ED.

5. *Cæci nepote.* Ita libri omnes miro consensu : tametsi hunc Cæci filium Tullius, et Fasti Capitolini, non nepotem vocant. HARD.

6. *Duodenæ.* Vet. *duodenis.* ED.

7. *Duodenæ assibus.* Incredibilis tum annonæ vilitas erat, ut ait Plinius lib. XVIII, cap. 4. Sic minimo pretio vina tum constitisse e superiore libro intelleximus, cap. 16, ubi vini amphoram non amplius asses octonos veniisse vidimus. Sic lib. XVIII, cap. cit. modii frumenti assibus permutati dicuntur. HARD.

8. *M. Seius Lucii filius.* De quo Tullius Offic. lib. II, n. 58 : « Ne Marco quidem Seio vitio datum est, quod in caritate annonæ asse modium populo dedit : magna enim se et inveterata invidia, nec turpi jactura, quando erat ædilis, nec maxima liberavit. » Fuit ex gente Seia Ælius Seianus, ut jam diximus. Fuit et Seia Orbiana conjux Caii Valentis Hostiliani Messii Quinti Augusti, in nummis duobus egregiis, quos affert Tristanus, pag. 660 et 661. Prior sic inscribitur : Γ. ΟΥ. ΟCΤΙΛ. Μ. ΚΟΙΝΤΟC. CΕΒ. Γάϊος Οὐάλης Ὁστιλιανὸς Μέσσιος Κόϊντος Σεβαστός. « Caius Valens Hostilianus Messius Quintus Augustus. » Caput laureatum .)(. ΓΝ. ΣΕΙ. ΗΡΕΝ. CΑΛ. Β. ΟΡΒ. CΕΒ. Γναῖα Σεῖα Ἡρεννία Σαλλουστία Βαρβία Ὀρβιανὴ Σεβαστή. « Cneia Seia Herennia Sallustia Barbia Orbiana Augusta. » Caput ejusdem. Alter est latinus : CN. SEIA. SALL. BARB. ORBIANA. AVG. Caput ejusdem. .)(.CONCORDIA AVGG. *Concordia Augustorum*, mariti et uxoris. Docet hic nummus, quod historicos latuit, Hostiliani Augusti conjugem Orbianam filiam fuisse alterius Orbianæ, quæ ante annos triginta Severi Alexandri Aug. conjux fuit, sed natam ex priore connubio cum Seio : unde filia Seii patris nomen jam olim percelebre maternis præponit nominibus. H.

9. *Post annos XXII.* Ann. U. C. 702, in quem tertius Pompeii consulatus incidit : non, ut vulgati hactenus libri, et MSS. quidam præ

Cn. Pompeii III consulatu oleum provinciis Italiam misisse. Hesiodus[10] quoque in primis cultum agrorum docendam arbitratus vitam, negavit oleæ satorem fructum ex ea percepisse quemquam : tam tarda tunc res erat. At nunc etiam in plantariis[11] serunt, translatarumque altero anno decerpuntur baccæ.

II. Fabianus negat provenire in frigidissimis oleam, neque in calidissimis. Genera earum tria dixit Virgilius[1], orchites, et radios, et pausias : nec desiderare rastros[2], aut falces[3], ullamve curam. Sine dubio et in iis solum maxime, cælumque refert. Verumtamen et tondentur, quum et vites : atque etiam interradi[4] gaudent. Conse- 1 2

se ferunt, quartus, quem numquam gessit. HARD.

10. *Hesiodus.* Nunc carmen illud intercidit. HARD.

11. *In plantariis.* Quæ et seminaria vocantur, *des pépinières*, plantarum locus, unde, quum opus est, transferuntur. HARD. — De olearum plantariis, generibus, cultura, etc. vide quæ dixit Cl. Gerardus (not. ined.), Excurs. II, ad calcem hujus libri. ED.

II. 1. *Virgilius.* Georg. lib. II, v. 85 : « Nec pingues unam in faciem nascuntur olivæ, Orchites, et radii, et amara pausia bacca. » Ubi *Orcades* MSS. exhibent, quod et carminis ratio poscit. Et apud Macrobium quidem, Saturn. lib. II, cap. 16, p. 739, « Olea orchas, radius, pausia » legitur. Cæteri tamen scriptores, quorum non est carminis legibus adstricta oratio, orchitin vocant. Varro de L. L. lib. IV, pag. 28. Fest. in. Fragm. pag. 30 : « Orchitin Atteius Philologus in collectaneis, ait esse genus oleæ, ductum ex græco ὄρχις, quod testiculorum sit magnitudinis : itaque vocari ex eo orchitin. » Orchis, et radius, Colum. lib. V, cap. 8, pag. 194. Virgilius, Plinius, aliique, ab oliva, cujus orchitis, et radii, pausiæque propria appellatio est, ad eorumdem generum stirpem singula hæc nomina transtulere : nec oleam tamen illi, ut visum est novitio scriptori, pro oliva dixere. Nam quis oleam non desiderare rastros quum audiat, de oliva id dici, nisi bardus, existimet? H.

2. *Rastros.* Idem Georg. lib. II, v. 420 : « Contra, non ulla est oleis cultura : neque illæ Procurvam exspectant falcem, rastrosque tenaces, Quum semel hæserunt arvis, aurasque tulerunt. Ipsa satis tellus, etc. » HARD.

3. *Falces.* Gr. et Al. *falcem.* ED.

4. *Interradi.* Interradi dicuntur arbores, quando rami intermedii succiduntur, quoniam densitas officit : ideoque laxioribus intervallis serendæ sunt arbores. Vide quæ dicturi sumus lib. XVII, cap. 30. Usus ea voce Columella, lib. de

quens earum vindemia est, arsque vel major, olei musta temperandi [5]. Ex eadem quippe oliva differunt succi. Primum omnium [6] e cruda, atque nondum inchoatæ maturitatis : hoc sapore præstantissimum. Quin et ex eo prima unda [7] preli laudatissima, ac deinde per diminutiones : sive (ut nuper inventum est), exilibus regulis pede incluso [8]. Quanto maturior bacca, tanto pinguior

arboribus, cap. 19 : « Arbores paribus intervallis serito, ut quum creverint, spatium habeant, quo ramos extendant : nam si spisse posueris, neque infra quidquam serere poteris, nec ipsæ fructuosæ erunt, nisi eas interraseris. » Sic fere interlegi et intervelli latine dicemus, ut annotaturi sumus lib. XVII, cap. 17, et interputari, atque interpurgari, lib. XVIII, cap. 65. Hard.

5. *Arsque vel major oleum quam musta temperandi.* In exemplari Toletano, « Arsque vel major olei musta temperandi, » verbum enim *quam* neutrum exemplar agnoscit : appellat vero *olei musta*, oleum recens. Pint. — *Olei musta.* Sic Reg. 2, et alii : non *oleum quam musta.* Olei musta translate dixit, pro recenti oleo : a vino ducta translatione. Sic proxime antea simili translatione utitur, quum vindemiam olearum dixit. Nam proprie olivationem diceret. Festus: « Olivetam antiqui dicebant, quum olea colligebatur ; ut messem, quum frumenta; vindemiam, quum uvæ : quod vocabulum potius frequentari debebat, quam nullum : quum ejus significationis causam haberemus. Quamvis quidam olivitatem eam dicant. » At Columellæ, lib. XII, cap. 50, olivitas est tempestivitas ad oleam decerpendam. Sed lib. I, cap. 1, *olivitas largissima* cum vindemia copulatur. H.

6. *Primum omnium.* Quod Catoni *oleum viride* dicitur, lib. de R. R. cap. LXV; *viridis notæ* Columellæ, lib. XII, cap. 50. Hard.

7. *Prima unda.* Oleum *primæ notæ*, id est, *primæ pressuræ*, ut vocat Columella, hoc est, quod primo exprimitur, optimum : deinde quod secundo, et sic bonitatis diminutione, et Plinius ait ipse lib. XIII, cap. 23, ad deterrimum. *Le premier, le second, le troisième pressurage.* « Sunt autem, inquit Columella lib. XII, cap. 50, in cella olearia tres labrorum ordines : ut unus primæ notæ, id est, primæ pressuræ oleum recipiat, alter secundæ, tertius tertiæ. Nam plurimum refert non miscere iterationem, multoque minus tertiationem, cum prima pressura : quoniam melioris saporis est, quod minore vi preli, quasi lixivium defluxerit. » Galli vocant, *de l'huile vierge :* in Gallia ex olivis maturis sno ipsarum pondere sponte id fluit. H.

8. *Exilibus regulis pede incluso.* Exilibus regulis samsa inclusa. Pes, sive samsa, *le marc des olives*, olivarum prima fæx est, primum recre-

succus, minusque gratus. Optima autem ætas[9] ad decerpendum, inter copiam[10] bonitatemque, incipiente bacca nigrescere. Nostri vocant drupas, Græci vero drypetas[11]. Cætero distat, an maturitas illa in torcularibus fiat, an ramis : rigua fuerit arbor, an suo tantum bacca succo, nihilque aliud quam rores cæli biberit.

III. (II.) Vetustas oleo tædium affert, non item ut vino : plurimumque ætatis annuo est, provida (si libeat intelligere) natura : quippe temulentiæ nascentibus vinis uti necesse non est : quin immo[1] invitat ad servandum

mentum, olivæ denique ipsæ, ex quibus jam primæ pressuræ, seu primæ notæ oleum minore vi preli expressum sit. Regula instrumentum est, quod ad facturam olei eumdem præstat usum, quem fiscus, seu fiscina : cujus quidem instrumenti, ac moris, nec nomen ullum, nec vestigium reliquum est. Columella, lib. XII, c. 50 : « Tum diligenter mundatam olivam protinus in torcular deferri, et integram in fiscinis novis includi, prelisque subjici, ut quantum possit, paulisper exprimatur. » En primam preli undam. « Postea resolutis corticibus, emoliri debebunt, adjectis binis sextariis integri salis in singulos modios : et aut regulis, si consuetudo erit regionis, aut certe novis fiscinis samsa exprimi. Quod deinde primum defluxerit, etc. » Quod Plinio pes, hoc samsa Columellæ; qui primum olivam integram includi regulis, seu fiscinis, postea et samsam jubet. Et vinaceorum quoque pedem, ex quo mustum tortivum exprimatur, idem Columella vocat, laudatus a nobis libro sup. cap. 23. Regularum idem, et cap. 52 ejusdem duodecimi libri meminit : « Baccam, inquit, manu stringito, et statim purgatam prelo integram subjicito, et amurcam exprimito, » post primam scilicet preli undam expressam. « Deinde suspensa mola olivam frangito, eamque vel in regulas, vel in novos fiscos adjicito : subjectamque prelo sic premito, ne vasa intorqueas, sed tantum ipsius preli pondere quantulumcumque exprimi patiaris. Deinde quum sic fluxerit, etc. » Quam priore loco samsam, olivam isto appellat. H.

9. *Optima autem ætas*. Columella, lib. XII, cap. 52 : « Antequam oliva nigrescat, quum primum decolorari cœperit, nec tamen adhuc varia fuerit. » HARD.

10. *Inter copiam*. Ut oleum reddat, neque quam maxima, neque quam minima copia : ut bonitate item neque omnino optimæ, neque infimæ omnino notæ. HARD.

11. *Drypetas*. Hesychio δρυπετεῖς, et Suidæ. Athenæus, lib. II, pag. 56 : Δρυπετεῖς ἐλαῖαι· ταύτας Ῥωμαῖοι δρύππας λέγουσι. HARD.

III. 1. *Quin immo*. Adeo non

blanda inveterati caries : oleo noluit parci, fecitque ea
necessitate promiscuum et vulgo. Principatum in hoc quo-
que bono obtinuit Italia toto orbe, maxime agro Vena-
frano[2], ejusque parte quæ Licinianum fundit oleum : unde
2 et Liciniæ[3] gloria præcipua olivæ. Unguenta hanc pal-
mam dedere, accommodato ipsis odore. Dedit et palatum,
delicatiore sententia. De cætero baccas Liciniæ nulla avis
appetit. Reliquum certamen inter Istriæ terram[4] et Bæ-
ticæ[5] par est. Vicina bonitas provinciis, excepto Africæ
frugifero solo[6]. Cereri totum id natura concessit : oleum
ac vinum non invidit tantum[7] : satisque gloriæ in messi-
bus fecit. Reliqua erroris plena, quem in nulla parte vitæ
3 numerosiorem esse docebimus. (III.) Olivæ constant nu-
cleo, oleo, carne, amurca : sanies hæc est ejus amara.
Fit ex aquis, ideo siccitatibus[8] minima : riguis, copiosa.
Suus quidem olivæ succus oleum est, idque præcipue ex
immaturis intelligimus, sicut de omphacio docuimus[9].

cogit natura, ut ulare vino, ut etiam ad servandum diutius invitet, spe saporis melioris quem carie ac vetustate contrahit. Contra oleum, quum ætatem non ferat, cito jubet absumi, etc. HARD.

2. *Venafrano.* Martial. lib. XIII, ep. 98 : « Hoc tibi Campani sudavit bacca Venafri : Unguentum, quoties sumis, et istud olet. » H.— Nunc *Venafro* in Campania. ED.

3. *Liciniæ.* De Liciniana olea, Cato de R. R. cap. VI, pag. 12 ; Varro, lib. I, cap. 24, et Colnm. lib. V, cap. 8, pag. 193. Iste et Licinianam, et Liciniam vocat. Nomen ei a Licinio Crasso. HARD.

4. *Inter Istriæ terram.* Oleum Liburnicum, a Liburnia, quæ adhæret Istriæ, sic cognominatum, laudat Apicius, lib. I, cap. 5. H.

5. *Bæticæ.* Cujus oleum et Strabo commendat, lib. II : καὶ ἔλαιον οὐ πολὺ μόνον, ἀλλὰ καὶ κάλλιστον. Vetus inscriptio apud Reines. pag. 460, NEGOTIATORES. OLEARI. EX. BAETICA. Et apud Gruter. pag. 1116, MERCATOR. OLEI. HISPANI. EX. PROVINCIA. BAETIOA. HARD.

6. *Excepto Africæ frugifero solo.* Byzaceno. Vide librum XVII, cap. 3. HARD.

7. *Non invidit tantum.* Sed et cætera quoque frugum aliarum commoda, seu pomornm invidit. Ita MSS. omnes, etsi Barbarus negstionis particnla erasa legat, *invidit tantum.* HARD.

8. *Siccitatibus.* Cælo soloque sicco. Theophrast. de Caus. plant. lib. VI, cap. 11, pag. 364. H.

9. *Docuimus.* Lib. XII, c. 60. H.

Augetur oleum[10] ad Arcturi exortum a. d. XVI[11] calendas octobris : postea nuclei increscunt et caro. Quum sitienti imbres copiosi accessere[12], vitiatur oleum in amurcam[13]. Hujus color[14] olivam cogit nigrescere : ideoque incipiente nigritia, minimum amurcæ : ante eam nihil. Et[15] error hominum falsus, existimantium maturitatis initium, quod est vitii proximum. Deinde, quod oleum crescere olivæ 4
carne arbitrantur, quum succus omnis in corpus[16] abeat,

10. *Augetur oleum.* Ambo exemplaria : « Augetur oleum ad Arcturi exortum, ad XVI, etc. » verissima lectione, et quæ patrono fulciatur Theophrasto. Erit ergo *ad Arcturi exortum*, ad tempus usque quo exoritur Arcturus, quod est XVI kalendas octobris. Theophrastus libro primo de Causis plantarum, cap. vigesimo tertio : « Nonnullis quodam tempore post copia largior data, ut olivis post Arcturi exortum, etc. » Pint.

11. *A. d. XVI kalendas.* Hoc est, ante diem XVI, seu die ipso XVI kalendas : qua de forma loquendi diximus lib. VIII, cap. 70. Prius legebatur, *ab Arcturi exortu ad XVI.* Errorem triplici ex fonte correximus : primum, ex MSS. Reg. Th. Colb. in quibus *ad Arcturi exortum ad XVI* scriptum reperimus. Deinde ex Theophr. de Causis plant. lib. VI, cap. 11, pag. 363 : Λέγουσι γὰρ ὡς οὐδὲν πλέον ἴσχει τοῦ ἐλαίου μετ' Ἀρκτοῦρον, etc. Et ejusdem operis lib. I, cap. 23, pag. 226 : Μέχρι γὰρ Ἀρκτούρου τὸ ἔλαιον ἐγγίνεσθαι δοκεῖ. Κατὰ δὲ τοῦτο τῆς σαρκὸς ἡ αὔξησις, etc. « Ad Arcturum usque oleum augescere creditur : postea caro increscit. » Denique ex ipso Plinio, qui exortum Arcturi medium hoc ipso die statuit, lib. XVIII, cap. 74. H.

12. *Accessere.* Dalec. *incessere.* — *Quum sitienti imbres copiosi accessere.* Nihil de hac siti Theophrastus, a quo Plinius hæc omissa hausit, ut ipse manifestum facit mox paulo illum citans, quare ita ego legendum censuerim, « Quid si etiam imbres copiosi accessere, etc. » Theophrastus, lib. I, cap. 23, de Causis plant. « Postea carnis incrementum succedit, et si imbres copiosi accessere, oleum in amurcam deterius redditur. » Pint. — *Quum sitienti.* Quum post siccitatem imbres copiosi oleam rigant, corrumpitur oleum, et plus amurcæ habet. Theophr. de Caus. lib. I, c. 23, p. 226 : Καὶ ἐάν γε δὴ πλείω ποιῇ ὕδατα· καὶ χεῖρον γίνεσθαι τὸ ἔλαιον, ἀμοργὴν λαμβάνειν πλείω. H.

13. *Amurcam.* MS. *amurca.* De amurca vid. Excurs. II ad calcem hujus libri. Ed.

14. *Hujus color.* Theophr. de Caus. lib. VI, cap. 11, pag. 363. H.

15. *Et error.* Quem Theophrastus pariter l. c. animadvertit. Hard.

16. *In corpus abeat.* In carnem : unde fæces. Hard.

lignumque[17] intus grandescat. Ergo tum maxime[18] rigantur. Quod ubi cura, multisve imbribus[19] accidit, oleum absumitur, nisi consecuta serenitate, quæ corpus extenuet. Omnino enim, ut Theophrasto[20] placet, est olei causa calor: quare et in torcularibus, et jam in cellis multo igne quæritur[21]. Tertia est[22] culpa in parcimonia, quoniam propter impendium decerpendi, exspectatur ut decidat oliva. Qui medium[23] temperamentum in hoc servant, perticis decutiunt, cum injuria arborum, sequentisque anni damno[24]. Quippe olivantibus lex antiquissima fuit: Oleam ne[25] stringito, neve verberato. Qui cautissime[26] agunt,

17. *Lignumque.* Nucleus, qui Græcis πυρήν. HARD.

18. *Ergo tum maxime rigantur.* Scribe, *Quod ubi cura, multisve imbribus accidit*, ex exemplari Toletano. Præterea transpositio hujus particulæ *ubi*, sensum elegantem perdit. Lego igitur, « Ergo tum maxime ubi rigantur, quod cura, etc. » Theophrastos loco citato: « Enimvero si calor vehementior sit, non eodem fungi officio potest, sed velut alienus et adjectitius quidam deficit, vimque omnem succi impellens ad carnem, corpus tantummodo crescere cogit, quod etiam æstate ac hieme imbrium accessu et aquis scaturientibus accidit incrementi tempore: caro enim crescit, atque ita oleum alimenti nimietate absumitur, nisi secuta serenitate corpus exsiccet atque extenuet, sic enim servari. » PINT.

19. *Quod ubi cura, multisve imbribus accidit*, etc. Gron. et vulgg. *Cura multa sive imbribus.* ED.

20. *Ut Theophrasto.* Ita nunc de Caus. pl. lib. I, cap. 23, pag. 226 legitur. HARD.

21. *Quare et in torc. et jam in c. multo igne quæritur.* Paratur, conficitur, servaturque. Cato de R. R. cap. LXV: « Quam calidissimum torcularium, et cellam habeto. » Columella, lib. I, cap. 6, pag. 27: « Torcularia præcipue, cellæque oleariæ calidæ esse debent, quia commodius omnis liquor vapore solvitur, ac frigoribus magis constringitur: oleum quod minus provenit, si congelatur, fracescet, etc. » HARD.

22. *Tertia est.* Theopbr. l. c. H.

23. *Qui medium.* Theophr. l. c. et de Caus. lib. V, pag. 328. H.

24. *Anni damno.* Theophr. loco citato. — *Olivantibus.* Olivas colligentibus. DAL.

25. *Oleam ne.* Cato de R. R. cap. CXLIV, pag. 76: « Oleam ne stringito, neve verberato injussu domini aut custodis. » Stringere hic decutere est, decerpere, manu legere. Sic « quernas glandes stringere » dixit Virg. Georg. lib. I, v. 305. HARD.

26. *Qui cautissime.* Ita et Varro de R. R. lib. I, cap. 55. HARD.

arundine levi ictu, nec adversos percutiunt ramos. Sic quoque[27] alternare fructus cogitur decussis germinibus. Nec minus[28], si exspectetur ut cadat : hærendo enim ultra suum tempus, absumunt venientibus alimentum, et detinent locum. Argumentum est, quod nisi ante[29] Favonium collectæ, novas vires resumunt, et difficilius cadunt.

IV. Prima ergo ab[1] autumno colligitur, vitio[2] operæ, non naturæ, pausia, cui plurimum carnis : mox orchites, cui olei : post radius. Has enim ocyssime occupatas, quia sunt tenerrimæ, amurca cogit[3] decidere. Differuntur vero etiam in Martium mensem callosæ, contra humorem pugnaces, ob idque minimæ, Licinia[4], Cominia[5], Contia, Sergia, quam Sabini regiam vocant, non ante Favonii afflatum nigrescentes, hoc est, a. d. VI[6] idus febr. Tunc arbitrantur eas maturescere : et quoniam probatissimum ex iis fiat oleum, accedere etiam ratio pravitati[7] videtur.

27. *Sic quoque.* Vel sic, inquit, injuria fit arbori, decussis germinibus : ac nonnisi altero quoque anno fructum fert arbos. HARD.

28. *Nec minus.* Subintellige, damnum. HARD.

29. *Ante Favonium.* Quo tempore is oriatur, dictum est lib. II, cap. 47, et mox dicetur cap. sq. H.

IV. 1. *Prima ergo ab*, etc. Columellæ olivarum decem genera, Pausia, Licinia, Sergia, sive Regia, Radius, Nevia, Culminia, Cominia Plinio, Orchites, Algiana, Murtea, Circites, Contia Plinio. DALEC.

2. *Vitio operæ.* Culturæ. HARD.

3. *Amurca cogit.* Metus amurcæ, sive metus, ne in amurcam, ut dictum est superius, oleum vitietur, facit ut celerrime ea olearum genera occupentur, seu stringantur, ac demetantur. Similis forma loquendi lib. XIV, cap. 28 : « Ut bibere mors cogat. » HARD.

4. *Licinia.* Liciniana, Sergiana, et Culminea, Macrobio, Sat. lib. II, cap. 16, pag. 379. Varroni hæc Colminia, Culminia Columellæ. At Cominia Palladio, lib. III in Febr. tit. 18, pag. 64. HARD.

5. *Cominia.* Varro lib. I, cap. 24, *Colminia.* Cato cap. VI, *Colmiana.* Columella lib. XII, cap. 48, *culminea.* Palladius lib. III, titulo 18, et codices scripti *cominia* cum Plinio. PINT.

6. *A. d. VI.* Gr. et Al. *ad VI id.*

7. *Accedere etiam ratio pravitati videtur. Parvitati* legerem potius quam *pravitati*, quia præcessit paulo ante *minimæ.* PINT. — *Videtur.*

2 Feruntque frigore[8] sterilitatem fieri, sicut copiam maturitate: quum sit illa[9] bonitas non temporis, sed generis, tarde putrescentium in amurcam. Similis error[10] collectam servandi in tabulatis, nec priusquam sudet premendi: quum omni mora oleum decrescat, amurca augeatur. Itaque vulgo non amplius senas libras[11] singulis modiis exprimi dicunt. Amurcæ mensuram nemo agit, quanto ea copiosior reperiatur in eodem genere diebus
3 adjectis. Omnino in vita error est publicus, tumore olivæ crescere oleum existimantium: præsertim quum magnitudine copiam olei non constare, indicio sint quæ regiæ[12] vocantur, ab aliis majorinæ, ab aliis phauliæ[13], grandissimæ, alioqui minimo succo. Et in[14] Ægypto carnosissimis olei exiguum. Decapoli vero Syriæ perquam parvæ, nec
4 cappari majores, carne tamen commendantur. Quam ob causam Italicis transmarinæ præferuntur in cibis, quum oleo vincantur: et in ipsa Italia cæteris Picenæ[15], et Sidi-

Patrocinari quodammodo errori hominum prave judicantium ratio nonnulla videtur. Hard.

8. *Frigore*, etc. Exactæ hiemis, qua memorata olivarum genera non colliguntur. Dalec.

9. *Quum sit illa.* Quum olei bonitas non tempori, sed olivarum naturæ tribuenda sit: quæ si diutius in arbore hæreant, putrescunt, nec oleum reddunt, sed amurcam. Hard.

10. *Similis error.* Cato de R. R. cap. LXIV: « Olea ubi matura erit, quam primum cogi oportet: quam minimum in terra, et in tabulato esse oportet. In terra et in tabulato putrescit. » Hard.

11. *Senas libras.* Olei scilicet, e singulis olearum modiis. Hard.

12. *Quæ regiæ.* A Sergia diversæ, quam Sabini quoque regiam appellarunt, ut paulo ante dictum est. Hard.

13. *Phauliæ.* Pauliæ Macrobio, Sat. lib. II, cap. 16, pag. 379, male pro *Phauliæ*. De his Theophr. de Caus. plant. lib. VI, cap. 11, pag. 364: ὧν δὲ ἡ σὰρξ πολλὴ, ὁ δὲ πυρὴν μικρὸς, ὀλιγοέλαιοι, καθάπερ αἱ Φαυλίαι. « Quibus caro multa, nucleus vero minimus, succum sive oleum parcissime fundunt, ut phauliæ. » Hard.

14. *Et in.* MS. *Est et in.* Ed.

15. *Picenæ.* Martial. pariter Epigr. lib. I, XLIV, laudat eam: « Quæ de Picenis venit oliva cadis. » Et lib. V, ep. LXXIX: « Succurrent tibi nobiles olivæ, Piceni modo

cinæ. Sale illæ[16] privatim condiuntur, et ut reliquæ, amurca sapave : nec non aliquæ[17] oleo suo sine accersita commendatione. Muriæ[18] innatant colymbades[19] : franguntur eædem, herbarumque[20] viridium sapore condiuntur. Fiunt et præcoces[21] ferventi aqua perfusæ, quamlibet immaturæ. Mirumque, dulcem succum olivas bibere, et alieno sapore[22] infici. Purpureæ sunt et in iis, ut uvis, in nigrum colorem transeuntibus, pausiæ. Sunt et superbæ[23], præter

quas tulere rami. » Sidicinæ vero a Teano Sidicino nomen accepere, de quo lib. III, cap. 9. HARD.

16. *Sale illæ*. Columella, lib. XII, cap. 47, pag. 453 : « Alii sive contuderint, sive insecuerint olivas, modico sale cocto... immiscent : deinde sapam vel passum infundunt. » Vide et cap. 48, pag. 456. HARD.

17. *Nec non aliquæ*. Columella, lib. XII, cap. 47 : « Olivæ pausiæ, quum jam decolorantur, antequam mitescant, cum petiolo leguntur, et in oleo quam optimo servantur: hæc maxime nota, etiam post annum, repræsentat viridem saporem olivarum. » HARD.

18. *Muriæ*. Hujus loci sic emendandi nobis auctor exstitit Columella, ubi de olivis colymbadibus parandis agens, lib. XII, cap. 47, pag. 454 : « Quidam, inquit, unam partem muriæ, et duas aceti miscent, eoque jure olivas pauseas colymbades faciunt : quibus si per se quis uti velit, satis jucundas experietur : quamvis et hæ quum exeunt de muria, condituram qualemcumque recipere possunt. » Palladius item, lib. XII in Novembr. toto tit. 22, quem consule; et Athen. lib. IV, pag. 133, quem in Nott. ante laudavimus. In libris hactenus editis, *puræ*, non *muriæ* legebatur, et vitiosa præter id interpunctione locus laborabat : sic nempe ; » Nec non aliquæ oleo suo sine accersita commendatione puræ innatant colymbades. » HARD.

19. *Colymbades*. Κολυμβάδες dicuntur, παρὰ τὸ κολυμβᾶν, ab innatando, quod muriæ innatent, inquit Athen. lib. IV, pag. 133; unde et ἁλμάδες eædem vocatæ, ἀπὸ τῆς ἅλμης, a muria. Cæl. Aurelian. Chronic. cap. III, » vel natantibus olivis, quas colymbadas appellant : » unde et νηκτρίδες ἀπὸ τοῦ νήχεσθαι, hoc est, natare, Polluci dicuntur, lib. VI, c. 8. H.

20. *Herbarumque*. Præsertim feniculi, ut auctor est Columella, lib. XII, c. 47, p. 453, qui mos hodieque in Gallia Narbonensi obtinet : apii quoque et rutæ, ex eodem, cap. 48, pag. 456. HARD.

21. *Et præcoces*. Hoc est, aptæ cibo, ac mensis : nec ferventi tantum aqua perfusæ, sed et lixivio cinere in Gallia. HARD.

22. *Et alieno sapore*. Herbarum, ut dictum est, sapore, ac muriæ, sapæve. HARD.

23. *Et superbæ*. Hispanicam nunc olivam vocant, *olive d'Espagne*,

jam dicta genera. Sunt et prædulces, per se[24] tantum siccatæ, uvisque passis dulciores, admodum raræ in Africa, et circa Emeritam Lusitaniæ. Oleum ipsum sale vindicatur a pinguitudinis vitio. Cortice oleæ[25] conciso odorem accipit[26] medicati : alias, ut vino, palati gratia nulla est. Nec tam numerosa[27] differentia : tribus ut plurimum[28] bonitatibus distat. Odor in tenui argutior[29], et is tamen etiam in optimo brevis[30].

1 V. (IV.) Oleo natura[1] tepefacere corpus, et contra algores munire : eidemque fervores capitis refrigerare. Usum ejus ad luxuriam vertere Græci, vitiorum omnium genitores, in gymnasiis publicando. Notum est, magistratus[2] honoris ejus, octogenis[3] sestertiis strigmenta olei vendidisse. Oleæ honorem romana majestas magnum

crassam et carnosam, nucis magnitudine. HARD.

24. *Per se tantum.* Non igne, aut sole siccatæ, sed sola ætate. H.

25. *Cortice oleæ*, etc. Lego, « Cortice olea conciso odorem accipit medicatum, alias palato gratia nulla est. Nec tam numerosa, ut vini, differentia. » DAL.

26. *Odorem accipit.* Si cortex oleæ concidatur, inquit, quod oleum ex olivis exprimitur, refert unguenti odorem : alias palatum non ullo eximio sapore invitat, titillatve : sicut nec vinum, ni vitis ante putetur. Hæc perperam, ut alia quam multa, Dalecampius accipit. HARD.

27. *Nec tam numerosa.* Nec tot olei, quot vini, genera. HARD.

28. *Tribus ut plurimum*, etc. Prima, secunda, et tertia pressura. Columella. DALEC.

29. *Argutior.* Acutior. HARD.

30. *Brevis.* Non durabilis, etiam in oleo optimo : quum plurimum ætatis annuo sit, ut dictum est cap. 3. HARD.

V. 1. *Oleo natura.* Hæc pariter Dioscorides, lib. I, cap. 30. De Græcorum gymnasiis, scite Prudentius in Hamartig. v. 365 : « Sic Lacedæmonias oleo maduisse palæstras Novimus, et placidum servire ad crimina succum. » HARD.

2. *Magistratus.* Gymnasiarchas, et athletarum ludis præfectos. H.

3. *Octogenis.* Sestertia hic generis, ut vocant, neutri intellige : quorum singula sestertios valeant mille : octogena, millia octoginta, seu monetæ gallicæ libras 8,000. De his olei strigmentis, quæ eradi e balineis solebant, quos ad usus medicinæ utilia putarentur, dicetur lib. XXVIII, c. 13. H.—*Octogena sestertia* sunt nostræ monetæ, libræ 15,562. BROT.—Si ad recentiorum computationem retuleris, erunt paulo plus 16,000 fr. ED.

præbuit[4], turmas equitum idibus[5] juliis ex ea coronando: item minoribus triumphis ovantes[6]. Athenæ quoque victores olea coronant, Græci vero oleastro Olympiæ[7].

4. *Præbuit.* Chiffl. *perhibuit.* Ed.

5. *Turmas equitum idibus*, etc. Quintus Fabius Rutilianus, equites romanos equis insidentes, et olea coronatos, idibus quintilibus ab æde Honoris in Capitolium transvehi statuit, ordinis ejus recognoscendi et probandi gratia: « Augustus, inquit Suetonius, turmas equitum frequenter recognovit post longam intercapedinem reducto more transvectionis: sed neque detrahi quemquam in transvehendo ab accusatore passus est, quod fieri solebat, etc. » Atque id est, quod Ulpianus, eum, qui equo publico in Capitolium transvehitur, in jus vocari non posse. Alia fuit equitum porro censio, de qua fuse Rævardus lib. II Var. cap. 15; Just. Lips. de milit. Rom. lib. I, dial. 5. Dal. — *Turmas equitum.* Livius in fine lib. IX, pag. 170: « A Q. Fabio Maximo institutum dicitur, ut equites idibus quintilibus transveherentur, etc. » Et de eo more Suetonius in Augusto, cap. xxx: « Equitum turmas, etc. » De hoc ritu multa prolixe Dion. Halic. A. R. lib. VI, pag. 351: « Θυσίαι τε πολυτελεῖς, ἃς καθ' ἕκαςον ἐνιαυτὸν ὁ δῆμος ἐπιτελεῖ διὰ τῶν μεγίςων ἱππέων ἐν μηνὶ Κυιντιλίῳ λεγομένῳ ταῖς καλουμέναις εἰδοῖς, ἐν ᾗ κατώρθωσαν ἡμέρᾳ τόνδε τὸν πόλεμον· ὑπὲρ ἅπαντα δὲ ταῦτα ἡ μὲν τὴν θυσίαν ἐπιτελουμένη πομπὴ τῶν ἐχόντων τὸν δημόσιον ἵππον, οἳ κατὰ φυλάς τε καὶ λόχους κεκοσμημένοι, ςοιχηδὸν ἐπὶ τῶν ἵππων ὀχούμενοι πορεύονται πάντες, ἐκ μάχης ἥκοντες, ἐςεφανωμένοι θαλλοῖς ἐλαίας, καὶ πορφύρας φοινικοπαρύφους ἀμπεχόμενοι τηβέννας, τὰς καλουμένας τραβέας, etc. « Splendidum sacrificium, quod populus rom. quotannis per insignes equestris ordinis viros idibus quintilibus peragit, qua die hæc illi victoria contigit. Præter omnia vero post sacrificium transvectio eorum, qui equos habent ex publico: qui per tribus et centurias distincti, ordine in equis vehuntur omnes, quasi e pugna redeant, coronati fronde oleaginea, et palmatis e purpura togis amicti, quas vocant trabeas, etc. » Hard.

6. *Ovantes.* Ovantium igitur corona, et oleaginea fuit: et myrtea, laureaque, ut dicetur cap. 33. Sed et « oleagineis coronis, inquit Festus, ministri triumphantium utebantur, quod Minerva Dea belli esse putabatur. » Quare Virgilius, qui se triumphorum Augusti Cæsaris ministrum deligi et haberi studuit, ita cecinit Georg. lib. III, v. 21: « Ipse caput tonsæ foliis ornatus olivæ Dona feram. » H.

7. *Oleastro Olympiæ.* Theocriti interpres et Aristophanis, Aristoteles in Pantho, Callistephani oleæ ramis, non oleastri coronatos, fuisse tradunt. Ejus autem folia extra, non intus, candicare: ramos esse myrto similes: plantatam eam ab Hercule in Olympia. Rhod. lib. XII, cap. 19. Olympicorum certaminum initia et progressus fuse docet ex Pausania idem auctor, lib. XIII,

1 VI. (v.) Nunc dicentur Catonis[1] placita de olivis. In calido et pingui solo radium majorem, Salentinam, orchitem, pausiam, Sergianam, Cominianam[2], albiceram[3] seri jubet : adjicitque[4] singulari prudentia, quam earum in finitimis locis optimam esse dicant. In frigido autem et macro, Liciniam. Pingui enim aut ferventi vitiari ejus oleum, arboremque ipsam fertilitate consumi : musco præterea[5] rubro infestari. Spectare oliveta[6] in Favonium loco exposito solibus censet (vi) : nec alio ullo[7] modo

cap. 17. Atheniensium duces ad bellum profecturos fronde ex olea sacra sumpta coronari solitos scribit Alex. ab Alex. lib. III, cap. 3. Dal. — *Oleastro.* Vide Geop. lib. IX, cap. 1, pag. 218 et 219. Archias in Anthol. lib. I, ep. 1 : Τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες ἀν' Ἑλλάδα, τέσσαρες ἱροί. Ἆθλα δὲ τῶν κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς. Hoc est, interprete Grotio : « Bis duo Grajugenæ certamina sacra celebrant : Dona, apium, pinus, mala, feræque oleæ. » Quæ Lucianus in Anacharsi, sive de gymnasiis, fere complexus, pag. 787 : Ὀλυμπιάσι μὲν στέφανος ἐκ κοτίνου, Ἰσθμοῖ δὲ ἐκ πίτυος, ἐν Νεμέᾳ δὲ, σελίνων πεπλεγμένος. Hard.

VI. 1. *Catonis.* Ita nunc in lib. de R. R. cap. vi, pag. 12. Eadem Varro habet de R. R. cap. xxiv. Confer ea cum iis quæ Geopon. auctor affert lib. IX, cap. 4. H.

2. *Cominianam.* Cato, *Colminianam.* Varro, *Colminiam, albicerem.* Columella, lib. XII, cap. 49, *Culmineam*, ut supra monuimus. H.

3. *Albiceram.* A Macrobio, Sat. lib. II, cap. 16, pag. 379, *albigerus* pro *albicerus olea* appellatur.

4. *Adjicit.* Verba hæc sunt Catonis : « Quam earum in his locis optimam dicent esse, eam maxime serito. » Ex Plinio certe emendandum, *vicinis locis.* Hard.

5. *Musco præterea.* In Chiffl. codice, *musco præterea et robo.* In aliis, *et robore.* Æque inepte : nam similiter Cato hæc prodidit, cap. vi : « Et ferundo arbor peribit, et muscus ruber molestus erit. » Quin Plinius ipse rursum alibi de morbis oleæ disputans, lib. XVII, cap. 37 : « Nocere tradit Cato, inquit, et muscum rubrum. » Adde et Columellam, lib. V, cap. 9, pag. 198. Hard.

6. *Spectare oliveta.* Varro l. c. ex Catone : « Agrum oliveto conserendo, nisi qui in ventum Favonium spectet, et soli ostentus sit, alium bonum nullum esse. » Catonis eadem verba sunt, cap. vi; Columella quoque, lib. V, cap. 9, pag. 196, et Palladius, lib. III in Febr. tit. 18, pag. 64. Hard.

7. *Nec alio ullo modo laudat.* Hæc fere omnia Cato a cap. lxiv ad lxix. Dal. — *Nec ullo alio modo laudat.* Hæc verba præcedenti capiti annectenda esse recte monet doctis-

laudat. Condi olivas[8] optime, orchites, et pausias, vel virides in muria, vel fractas in lentisco. Oleum[9] quam 2
acerbissima oliva optimum fieri. Cætero[10] quamprimum e terra colligendam : si inquinata sit, lavandam : siccari triduo satis esse. Si gelent frigora, quarto die premendam : hanc et sale aspergi. Oleum in[11] tabulato minui, deteriusque fieri : item et in amurca[12], et fracibus[13] : hæ sunt carnes, et inde fæces. Quare sæpius die capulandum[14]:

simus Fulvius Ursinus super Varr. de R. R. pag. 41 et 60. HARD.

8. *Condi olivas.* Cato, cap. VII, p. 13 : « Oleas orchites, pausias : eæ optime conduntur, vel virides in muria, vel in lentisco contusæ, » hoc est, in oleo lentiscino. Sic etiam Varro lib. I, cap. 60. HARD.

9. *Oleum quam.* Cato, cap. LXV, pag. 46 : « Quam acerbissima olea oleum facies, tam oleum optimum erit. » HARD.

10. *Cætero.* Verba Catonis l. c. « Oleum viride sic facito : Oleam quam primum ex terra tollito : si inquinata erit, lavito : a foliis et stercore purgato. Postridie, aut post diem tertium, quam lecta erit, facito. Si gelicidia erunt, quum oleam coges, triduum aut quatriduum post, oleum facito. Eam oleam, si voles, sale inspergito. » H.

11. *Oleum in.* Cato, cap. LXIV, pag. 45 : « Nolito credere oleum in tabulato posse crescere.... olea quæ diu fuerit in terra, aut in tabulato, inde olei minus fiet, et deterius. » Hoc Catonis placitum laudat maximopere Columella, lib. XII, cap. 50, pag. 462. Oleum certe in tabulato crescere tam falsum est, quam in area frumenta crescere. HARD.

12. *Item et in amurca.* Subintellige, minui oleum : si in amurca diutius maneat, vel in fracibus. Sic olivarum carnes vocant, quæ ubi succus omnis, hoc est, oleum fluxit, cum nucleo manent : et ex iis sunt fæces, *le marc des olives*. H.

13. *Fracibus. Fragibus,* vett. a frangendo tamquam fragmentis. Eæ sunt reliquiæ fractarum ac contusarum trapetis olivarum : unde *fracescere*, seu fragescere, apud Catonem et Nonium ex Accio. Turn. lib. XXVIII, cap. 7. DAL.

14. *Capulandum.* Deplendum, dehauriendum, in alia labra seu vasa transferendum : « Nam quanto sæpius translatione ipsa ventilatur, et quasi exercetur, inquit Columella, lib. XII, cap. 50, pag. 460, tanto fit liquidius, et amurca liberatur. » Cato, cap. LXVI : « Ubi factores vectibus prement, continuo capulator concha oleum quam diligentissime poterit, tollat, nec cesset : oleum in labrum primum indito : inde in alterum dolium, etc. » Capulator a capulis, quæ sunt ansata vasa, nomen habet. Idem Cato, cap. LXIV, pag. 45 : « Oleum, si poteris, bis in die depleto : nam oleum quam diutissime in amurca et in fracibus erit, tam deterrimum erit. »

præterea in conchas, et plumbeas[15] cortinas: ære vitiari.
3 Ferventibus[16] omnia ea fieri clausisque[17] torcularibus, et quam minime ventilatis: ideo nec ligna[18] ibi cædi oportere: qua de causa e nucleis ipsarum ignis aptissimus. Et e cortinis in labra fundendum, ut fraces et amurca liquentur[19]. Ob id crebrius[20] vasa mutanda, fiscinas[21] spongia tergendas, ut quam maxime pura sinceritas constet. Postea inventum, ut lavarentur utique ferventi aqua: protinus prelo subjicerentur solidæ, ita enim amurca exprimitur: mox trapetis[22] fractæ premerentur iterum. Premi

Et cap. LXVII: « Oleum frequenter capulet. » Huc pertinere arbitramur inscriptionem veterem, apud Gruterum ex Sirmondo, pag. 108: CAPLATORES. TIBVRTES. Iidem et doliarii, credo, appellati, quod oleum in dolia diffunderent. Apud eumdem Gruterum, pag. 583: CHRYSOGONVS. SER. DOLEAR. *Servus dolearius*. HARD. — Sic ex MSS. emend. Hard. *decapulandum* Gron. et vulgg. ED.

15. *Et plumbeas*. Cato, cap. LXVI, pag. 46: « Cortinam plumbeam in lacum ponito, quo oleum fluat.... Vase aheneo ad oleum ne utatur: nam si utetur, oleum male sapiet. » Cortina Gallis, *une chaudière*. H.

16. *Ferventibus*. Calidis, ut diximus cap. 3. HARD.

17. *Clausisque*. Cato, l. c. « Caveat quam minimum in torcularium et in cellam introeatur. » Vide et Colum. lib. XII, cap. 50, pag. 461. Torcularium, *le pressoir*. H.

18. *Ideo nec ligna*. Cato, cap. XLVII: « Ligna in torculario ne cædant. » HARD.

19. *Liquentur*. Sic libri omnes, etiam MSS. Hoc est, ut fraces et amurca, quæ in fundo sidunt, paulatim liquefiant, idque quod in ipsis est olei, sponte reddant. H.

20. *Ob id crebrius*. Prius *vasa mundanda* in editis: in plerisque autem manu exaratis, tum nostris, tum quos Pintianus vidit, *mutanda*: quæ vox sincerior visa est, quod Catonem testem habet, cap. LXVII: « Capulator concha oleum quam diligentissime poterit, tollat, nec cesset: amurcam caveat ne tollat. Oleum in labrum primum indito: inde in alterum dolium indito: de iis labris fraces amurcamque semper subtrahito. » Et cap. sq. « Quotidie lacum oleo commutet, donec in dolium pervenerit. » HARD.

21. *Fiscinas*. Cato, cap. LXVII: « Fiscinas spongia effingat. » Fiscus, seu fiscina, qualis est in quo olivæ ponuntur, quum subjiciuntur prelo, ut exprimantur, teste Columella lib. XII, cap. 49. *Un panier d'osier*. HARD.

22. *Mox trapetis*. Scribendum ita ut dictio *iterum* ad priora pertineat. Non abs re fuerit, quando *trapeti* mentionem incurrimus,

plus quam centenos modios, non probant. Factus[23] vocatur. Quod vero post molam primum est, flos[24]. Factus tres gemino foro[25] a quaternis hominibus nocte ac die premi justum est.

VII. (VII.) Non erat tum fictitium[1] oleum: ideoque arbitror[2] de ea nihil a Catone dictum: nunc ejus genera plura. Primumque persequemur ea, quæ ex arboribus fiunt, et inter illas ante omnes ex oleastro. Tenue id, multoque amarius quam oleæ: tantum ad medicamentum utile. Simillimum huic est ex chamelæa[3], frutice saxoso, non altiore palmo, foliis oleastri, baccisque. Proximum fit et e cici[4], arbore in Ægypto copiosa: alii crotonem,

confutare errabundam Servii grammatici et aliorum qui eum secuti sunt, opinionem, circa *trapeti* intellectum. Exponens enim versum Virgilianum secundi Georgicon: « Venit hiems: teritur Sicyonia bacca trapetis: » Servius, « Trapetis, inquit, olivaribus. » Falsum esse documentum hoc, Columella, ut reliquos omittamus, nos docet libro decimo secundo, capite quadragesimo nono: « Oleo, inquit, conficiendo molæ utiliores sunt quam trapetum: trapetum quam canalis et solea. Est et organon erectæ tribulæ simile, quod rudicula appellatur, idque non incommode opus efficit, pro conditione tamen et regionum consuetudine prædictæ machinæ exercentur. » Hæc Columella, cujus ex verbis elicitur conficiendo oleo quinque fuisse in usu machinas, molam, trapetum canalem, soleam, rudiculam. PINT. — *Mox trapetis.* Varro de L. L. lib. IV, pag. 34: « Trapetes, molæ oleariæ vocantur. » Trapetum dixit Columella, lib. XII, cap. 50. H.

23. *Factus vocatur.* Unde factores appellati, qui olivas premunt, apud Catonem, cap. LXVI. Factum, vel factus, ut dictum est, centeni sunt olivarum modii. HARD.

24. *Flos.* Prima unda preli, ut dictum est cap. 2. *Huile vierge.* H.

25. *Gemino foro.* Forum in torculari locus est, quo defertur olea vel uva, ut prematur: qua notione a Varrone, de R. R. lib. I, cap. 54, et a Catone, cap. XVIII, accipitur. *Une cuve.* Prius legebatur, *tergeminos fere.* In MS. Reg. 1, *tres gemino fero.* In Reg. 2, *tres gemino foro.* HARD.

VII. 1. *Fictitium.* Sic ex MSS. em. Hard. *factitium* Gr. et vulgg.

2. *Ideoque arbitror.* Sic ex MSS. em. Hard. consentit Ch. *arbitror nihil a Catone* Gr. et vulgg. ED.

3. *Ex chamelæa.* De qua dicemus lib. XXIV, cap. 82. HARD.

4. *E cici.* Diosc. lib. IV, cap. 164: Κίκι, ἡ κρότων, οἱ δὲ σήσαμον ἄγριον, οἱ δὲ σέσελι Κύπριον, οἱ δὲ κρότωνα. Et in Nothis: Αἰγύπτιοι σύσθαμνα· οἱ δὲ τρίξιν. Ῥωμαῖοι ῥικί-

alii trixin[5], alii sesamum silvestre appellant : ibique non pridem. Et in Hispania repente provenit altitudine[6] oleæ, caule ferulaceo, folio vitium, semine uvarum gracilium
2 pallidarumque. Nostri eam ricinum vocant a similitudine[7] seminis. Coquitur[8] id in aqua, innatansque oleum tollitur[9]. At in Ægypto[10], ubi abundat, sine igne et aqua sale aspersum exprimitur, cibis fœdum, lucernis utile[11].

Amygdalinum, quod aliqui metopium[1] vocant, ex amaris nucibus arefactis, et in offam contusis, aspersis aqua iterumque tusis, exprimitur. Fit et e lauro, admixto

νευμ. Oleum ipsum κίκινον vocat Galen. in expl. voc. Hippocrat. tom. II, pag. 81. Hard. — *Ricinus communis* (*Monœc. monadelph.* gen. 2141, Pers. *Euphorbiac.* Juss.). Herodot. l. II, c. 94, τὰ σιλλικύπρια vocat, quæ Ægyptii nominant κίκι. Conf. Sprengel. t. I, pag. 48. Ed. — *Arbore in Ægypto.* Et arborem Dioscor. vocat, quam is describit l. c. ficus altitudine, platani foliis, etc. Et Theophrast. Histor. lib. I, c. 18. Galenus quoque κατὰ γένη, lib. III, cap. 5, pag. 728, ut plane mirer a Dalecampio Plinium hoc loco insimulari erroris, qui cici arborem, non herbam, vocaverit. Hard.

5. *Alii trixin.* Reg. 2, Th. et Chiffl. *alii sibi;* Reg. et Colb. 1, 2, *alii sive.* Forte, *alii sili*, quæ vox Plinio, pro *seseli*, familiaris. Hard.

6. *Altitudine oleæ.* Altitudine ficus, cavo instar arundinis, folio platani, semine quale in uvis asperis. Dioscorid. Dalec.

7. *A similitudine.* Nempe a similitudine cum animalculo ejusdem nominis, hoc est, ricino. Ita Diosc. l. c. Καρπὸν δὲ ἐν βότρυσι τραχέσι, λεπισθέντα ὅμοιον κρότωνι τῷ ζώῳ. « Semen fert in uvis asperis, quod, ubi decorticatum est, ricinum animal repræsentat : » quod Galli vocant *tique.* Hard.

8. *Coquitur.* Hunc olei hujus concinnandi modum docet et Diosc. lib. I, cap. 38. Hard.

9. *Innatansque oleum tollitur.* Dioscorides, lib. I, c. 38. Dalec.

10. *At in Ægypto.* Hoc totidem verbis Dioscorides, lib. IV, cap. 164. Hard.

11. *Lucernis utile.* Et emplastris, inquit Dioscorides l. c. Κίκινον ἔλαιον, ἄβρωτον μὲν, ἄλλως δὲ χρήσιμον εἰς λύχνους, καὶ ἐμπλάστρους. In MSS. tamen Reg. Colb. Th. Chiffl. *lucernis exile.* Quanquam Herodot. Euterpe, lib. II, n. 92, p. 122, et Diod. Siculus, lib. I, pag. 31, oleum cicinum lucernis commendant. Hard. — *Utile.* Reg. codd. et edit. princeps, *exile;* quod forte melius. Judicent qui oleo cicino utuntur. Nunc adhibetur ad medicos usus; de ejus medica vi, vid. infra lib. XXIII, cap. 41. Brot.

1. *Aliqui metopium vocant.* Ut jam dictum est lib. XIII, capite 2. Hard.

druparum[2] oleo. Quidamque[3] e baccis exprimunt tantum: alii foliis modo : aliqui folio et cortice baccarum : nec non styracem[4] addunt, aliosque odores. Optima[5] laurus ad id 3
latifolia, silvestris, nigra baccis[6]. Simile est e myrto nigra : et hæc latifolia melior. Tunduntur baccæ[7] aspersæ[8] calida aqua, mox decoquuntur. Alii foliorum[9] mollissima decoquunt in oleo, et exprimunt. Alii dejecta ea in oleum prius sole maturant[10]. Eadem ratio et in sativa myrto: sed præfertur silvestris minore semine, quam quidam oxymyrsinen[11] vocant, alii chamæmyrsinen : aliqui aco-

2. *Admixto druparum.* Leg. ex Diosc. *admixto omphacino oleo. Quidam ex drupis baccis expr.* Dal Ed. — *Druparum.* Olivarum scilicet, de quibus cap. 2. Hard.

3. *Quidamque.* In his Dioscor. lib. I, cap. 49, laurinum oleum e drupis, hoc est, e lauri baccis maturitate turgentibus, in aqua decoctis confici præcipit: Τὸ δὲ δάφνινον σκευάζεται διὰ τῶν δαφνίδων, ὅταν ὦσι δρυπεπεῖς, ἑψομένων μεθ' ὕδατος. Hard.

4. *Nec non styracem.* Dioscorid. loc. c. Ἔνιοι δὲ καὶ στύρακα μίσγουσι καὶ μυρσίνην. Ed.

5. *Optima... ad id*, etc. Diosc. ibidem : Ἀρίστη δὲ πρὸς σκευασίαν ἡ ὀρεινὴ καὶ πλατύφυλλος δάφνη, etc. Ed.

6. *Nigra baccis.* Supervacuæ sunt hæ duæ voces. Omnibus enim lauri generibus maturæ baccæ nigræ sunt. Dalec. — *Simile est e myrto nigra, et hæc latifolia melior.* Prava interpunctio sensum alioqui perspicuum, subobscurum et vacillantem reddit. Legendum : « Simile est e myrto. Nigra et hæc latifolia melior : » nam quia præmonuerat oleo laurino faciendo optimam esse laurum nigram et latifoliam, adjicit et myrtum similium accidentium accommodatam esse oleo myrtino faciendo. Consule Dioscoridem libro primo. Pint. — *Simile est.* Hæc totidem verbis Dioscorides, lib. I, cap. 48. Hard.

7. *Tunduntur baccæ*, etc. Dioscorides e foliis tantum parat. Dalec. — *Tunduntur baccæ.* E baccis, grauisve myrti fieri quoque Palladius docet in Januar. tit. 18, p. 49. Hard.

8. *Aspersæ.* Chiffl. *aspersa.* Ed.

9. *Alii foliorum.* Dioscorid. loc. cit. Hard.

10. *Sole maturant.* Soli prius exponunt coquenda. Diosc. Ἰδίως δὲ τὰ φύλλα καθέντα εἰς ἥλιον, ἐν ἐλαίῳ ἀποβρέχειν. Hard.

11. *Oxymyrsinen*, etc. « Quidam oxymyrs. alii chamæmyrs. vocant. Fit et ex cypro. » MS. Leg. « quidam oxym. voc. alii cham. a similitudine, alii acaron, vel acares, etc. » Ed. — *Oxymyrsinen vocant.* Cum silvestri myrto ruscum, qui et oxymyrsine dicitur, inscienter confundit, e quo nusquam oleum parabatur. Dalec. — *Oxymyrsinen.* Minus apposite quidem, sed tamen ita vulgo appellante καταχρηστικῶς.

ron[12] a similitudine : est enim brevis, fruticosa. Fit et e citro[13], cupresso : nucibus juglandibus[14], quod ca-
4 ryinon[15] vocant : malis cedri, quod pisselæon[16]. Ex grano quoque Gnidio purgato semine et tuso[17]. Item lentisco : nam et cyprinum, et e glande[18] Ægyptia ut fieret odorum causa, dictum est. Indi ex castaneis, et sesama, atque oryza facere dicuntur : Ichthyophagi, e piscibus[19]. Inopia cogit aliquando luminum causa et e platani baccis fieri, aqua et sale maceratis. Et œnanthinum fit de ipsa œnan-

uti dicetur opportunius l. XXIII, cap. 83. Hard. — Oxymyrsinen, chamæmyrsinem, myrtum silvestrem Plinii pro Rusco aculeato (*Diæc. syngen.* gen. 2301, Pers. *Asporagin.* Juss.) doct. habet Fée, *Flor. Virgil.* pag. cxlv, tom. VIII edit. nostr. Ed.

12. *Acoron*, etc. Acares pusillum et exiguum, adeo ut præ brevitate tonderi nequeat. Dalec. — *Aliqui acoron.* Sic MSS. Reg. 1, 2, aliique, non *ocoron*. Plinius, lib. XXV, cap. 100 : « Nec non inveniuntur, qui oxymyrsinæ radicem acoron vocant, etc. » Hard.

13. *Fit et e citro.* Sic codex Thuan. recte. De oleo citreo rursum Plin. lib. XXIII, cap. 45. Hard.

14. *Juglandibus.* Chiffl. *juglondis.* Ed.

15. *Coryinon.* Καρύϊνον, de quo Dioscor. lib. I, cap. 41, ἐκ τῶν βασιλικῶν καρύων. De eo rursum lib. XXIII, cap. 45. Hard.

16. *Quod pisselæon.* Gron. et al. « quod cedrelæon. » Ed. — *Malis cedri, quod cedrelæon.* Fallitur. Cedrelæon fit ex accensis cedri Syriacæ ramis, halitu, inquam, cedriæ, dum coquitur, lana excepto, ut et Pisselæon; Cedrelæon *Chitrom* Arabes vocant. Negligenter hæc Plinius. Dalec. — *Quod pisselæon.* Ita Reg. 1, 2, Colbert. Th. Par. etc. tum hoc loco, tum lib. XXIV, cap. 11, ubi de ea voce dicturi sumus. Hic libri editi perperam *cedrelæon*. Hard.

17. *Ex grano quoque Gnidio purgato semine et tuso.* De quo diximus lib. XIII, cap. 35. De oleo quod ex eo fit, Diosc. lib. I, cap. 43. Plinius rursum de eo lib. XXIII, cap. 45, ubi et de lentiscino. H.

18. *Et cyprinum, et e glande.* De cyprino, lib. XII, cap. 51. De balanino, e glande Ægyptia, cap. 46 ejusdem libri : rursum de utroque, lib. XXIII, cap. 45 et 46. H. — *Indi ex castaneis, et sesama, atque oryza*, etc. Inter illas castaneas adnumerat Broterius *Æsculum hippocastanum*, nobis *marronnier d'Inde* (*Heptand. heptogyn.* gen. 906, Pers. *Acerin.* Juss.), e qua fuere nuper qui candelas paraverint. Sed arborem eam Plinio innotuisse vix crediderim. Ed.

19. *E piscibus.* Cetaceis, quorum adipe pro oleo utuntur. Dal.

the, ut dictum est[20] in unguentis[21]. Gleucino[22] mustum incoquitur vapore lento : ab aliis sine igne[23] circumdatis vinaceis diebus XXII bis singulis permixtum : consumiturque mustum oleo. Aliqui non sampsuchum tantum admiscent, sed etiam pretiosiora odoramenta. Nam in gymnasiis quoque conditur odoribus, sed vilissimis. Fit et de aspalatho, calamo[24], balsamo, iri, cardamomo, meliloto, nardo Gallico, panace, sampsucho, helenio, cinnamomi radice, omnium succis in oleo maceratis expressisque. Sic et rhodinum e rosis : juncinum e junco, quod est rosaceo simillimum : item hyoscyamo[25], lupinis, et narcisso. Plurimum autem in Ægypto e raphani semine, aut gramine herba[26], quod chortinon vocant. Item sesama,

20 *Ut dictum est.* Lib. XII, cap. 61. HARD.

21. *In unguentis.* Cap. ult. lib. XII. DAL.

22. *Gleucino. Ut fiat oleum* gleucinum, *simul vini* mustum incoquitur calore lento, etc. Γλεύκινον et Dioscorides vocat, qui qua paretur illud arte edocet, lib. I, cap. 67; uti et Columella, lib. XII, c. 51 : « De oleo gleucino. Vas olearium quam maximum... præparari oportet : deinde per vindemiam musti quam optimi generis, et quam recentissimi, sextarios LX, cum olei pondo LXXX in id confundi : tum aromata adjici, etc. » Latine musteum dixeris, mustumque oleum : est enim γλεῦκος græce mustum. H.

23. *Circumdatis.* Circumdatis vinaceis vasi, quod aromata, vinum, oleumque continet : XXII deinde diebus (XXX, Diosc.) bis singulis hæc omnia permiscenda : post demum exprimi oleum. Dioscorides loc. cit. HARD.

24. *Fit et de aspalatho, calamo.* Dioscorides confectionem tradit ex oleo omphacino, musto, calamo et junco odoratis, nardo celtico, spartha, aspalatho, costo, meliloto. DALEC. — *Fit et de aspalatho.* De his fruticum herbarumque nominibus, viribusque, suis locis agimus. HARD.

25. *Hyoscyamo*, etc. De hyoscyamino oleo, Diosc. lib. I, cap. 42. Plinius ipse de hyoscyamino, thermino (hoc est, quod e lupinis fit), narcissino, raphaninoque egit, lib. XXIII, c. 49. De raphanino rursum lib. XIX, cap. 26. HARD.

26. *Aut gramine herba.* Gramen e quo oleum fit, meo judicio, gramen mannæ est, Germanis *Himmel daw*, id est, manna cælestis : Italiæ vulgo, *Capriola*, et *Sanguinella*, quod æstate pueri spicas ejus convolutas, et naribus inditas, extrahant sanguinis eliciendi causa. Sclavi Carniolæ incolæ et Goricienses id studiose colunt, et serunt, gra-

et urtica[27], quod cnedinum appellant. E lilio et alibi fit
6 sub dio, Sole, Luna, pruina maceratum. Suis herbis componunt inter Cappadociam et Galatiam, quod Selgiticum[28] vocant, nervis admodum utile: sicut in Italia Iguvini[29]. E pice fit, quod pissinum[30] appellant, quum[31] coquitur, velleribus supra halitum ejus expansis, atque ita expressis: probatum maxime e Brutia: est enim pinguissima et resinosissima. Color oleo fulvus. Sponte nascitur in Syriæ maritimis[32], quod elæomeli vocant. Manat ex arboribus

numque oblongum, candidum, cortice deglubunt in pilis, milii, et panici modo, ac cum carnibus coquunt, non minus suavi gustu quam oryzæ. Vide Matthiolum commentario in caput Dioscoridis de coronopo et de gramine. Dal. — *Chortinon.* Est Græcis gramen χόρτος. Hard.

27. *Item sesama et urtica, quod cnecinum appellant.* Lege, « Item sesama et cnico, quod cnicinum appellant », ex Dioscoride, lib. I, cap. 35: nam ex urtica oleum fieri, nec Dioscorides, nec ullus, quod sciam, auctor tradit. Pint. — *Quod cnedinum.* In MSS. Reg. 1, etc. *cnetinum.* In editis male *cnecinum.* Κνήδη Græcis urticam sonat, sive κνίδη. Hujus olei ex urtica mentio rursum lib. XXII, cap. 15. Hard.

28. *Selgiticum.* A Selge, Pisidiæ oppido mediterraneo, cujus Polybius, Ptolemæus, ac Stephanus meminere. In Severi nummis, e Cimelio regio, CΕΛΓΕΩΝ. Hard.

29. *Iguvini.* De his lib. III, c. 9. Prius legebatur, « sicut in Italia e gummi. » In MSS. *Eguvini*, qui scilicet et Iguvini appellati, ut monuimus lib. III, cap. 19. Ita porro scripsisse Plinium, uti emendavimus, ipse fidem facit, lib. XXIII, cap. 49, ubi hæc eadem enumerans olei genera, « Selgiticum, inquit, nervis utile esse diximus; ut herbaceum quoque: quod Iguvini circa Flaminiam viam vendunt. » Ex certo herbarum igitur ac peculiari genere quodam, oleum id, non e gummi, exprimitur. H.

30. *Quod pissinum.* A voce græca πίσσα, quæ picem sonat. Sic MSS. omnes, non *picinum.* Hoc Scribonius Largus *picis florem* vocat, Compos. 40: « Picis flos, inquit, quod πισσέλαιον appellant. » Et mox: « Florem picis autem appello, quod excipitur dum ea coquitur, lana superposita ejus vapori. » Hard.

31. *Quum coquitur.* Pix videlicet. Hard.

32. *In Syriæ maritimis.* Vide quod adnotatum est ad lib. XXIII, cap. 4. Dalec. — *In Syriæ maritimis.* Et in Palmyrenis quoque Syriæ solitudinibus, κατὰ Πάλμυρα τῆς Συρίας, inquit Dioscorides, l. I, cap. 37, ubi Cornarius legendum ex Plinio putat, κατὰ θ' ἁλμυ-

pingue, crassius melle, resina tenuius, sapore dulci, et hoc medicis. Veteri quoque[33] oleo usus est ad quædam genera morborum[34]. Existimatur[35] et ebori vindicando a carie utile esse. Certe simulacrum Saturni Romæ intus oleo repletum est.

VIII. (VIII.) Super omnia[1] vero celebravit amurcam 1
laudibus Cato. Dolia olearia[2] cadosque illa imbui, ne bibant oleum. Amurca subigi[3] areas terendis messibus, ut[4] formicæ

ρὰ τῆς Συρίας. De elæomelite rursum Plinius, lib. XXIII, cap. 50. HARD.

33. *Veteri quoque oleo.* Dalecamp. *veteris quoque olei.* ED.

34. *Morborum.* Ad tormina sedauda, ad pellendos lumbricos, aliaque quæ Dioscorides euumerat, lib. I, cap. 30. HARD.

35. *Existimatur.* Pausanias in Eliac. prior. lib. V, pag. 308, perfusum oleo a Phidia scribit Jovis Olympici simulacrum, quod ex ebore finxerat, ut ab omni vitio vindicaretur, ac defenderetur ab aquosi soli injuria. Refert hoc ipsum Epiph. adv. hær. lib. II, hær. 64, n. 18, pag. 542. Saturnus autem, cujus simulacrum hic commemoratur, is esse videtur, quem Plautus in Cistellaria, act. II, sc. 1, vers. 38, patrem Junonis appellat, quæ Jovis supremi filia. HARD.

VIII. 1. *Super omnia*, etc. Sic ex MSS. em. Hard. cons. MS. et Ch. *super omnia autem* Gron. et vulgg. ED. — *Amurcam*, etc. Vide infra, lib. XXIII, cap. 3, et Caton. a cap. LXIX ad CXXX. DAL. — *Amurcam.* Quæ fæcis instar in oleario vase sidit, *la lie.* HARD. — *De amurca*, vid. Excurs. II ad calcem hujus libri. ED.

2. *Dolia olearia.* Cato de R. R. cap. C, pag. 57 : « Oleum si in metretam novam inditurus eris, amurca ita uti est, cruda prius colluito, agitatoque diu, ut bene combibat : id si feceris, metreta oleum non bibet, et oleum melius fuerit, et ipsa metreta firmior erit. » HARD.

3. *Amurca subigi.* Sæpius conspergi. Cato, cap. XCI, pag. 55 : « Aream sic facito. Locum ubi facies confodito. Postea amurca conspargito bene, sinitoque combibat. Postea comminuito glebas bene. Deinde coæquato, et paviculis verberato. Postea denuo amurca conspargito, sinitoque arescat. Si ita feceris, neque formicæ nocebunt, neque herbæ nascentur. » Idem repetit cap. CXXIX, pag. 68, et Columella, lib. II, cap. 20. Auctor quoque Geopon. lib. II, cap. 24, pag. 64 : Χρὴ δὲ συνεχῶς καταβρέχειν τὴν ἅλω ἀμόργῃ, οὕτω γὰρ οἱ μύρμηκες οὐκ ἀδικήσουσι. HARD.

4. *Ut formicæ rimæque absint.* Et ne curculio noceat, ne mures lædant. Cato. DALEC. — *Ut formicæ rimæque absint.* Videtur legendum

rimæque absint. Quin et lutum[5] parietum ac tectoria, et pavimenta[6] horreorum frumenti, vestiarium[7] etiam contra teredines, ac noxia animalia, amurca aspergi : semina frugum perfundi : morbis quadrupedum[8], arborum quoque illa medendum, efficaci ad hulcera interiora humani
2 quoque oris[9]. Lora[10] etiam ac coria omnia, et calciamina, axesque, decocta ungi, atque æramenta[11] contra æruginem, colorisque gratia elegantioris : et totam supellectilem ligneam, ac vasa fictilia in queis ficum[12] aridam libeat as-

herbæ, non *rimæ*, ex Catone, cap. xci. (Locum vide sup. not. 3.)— *Rimæque.* Ita MSS. quos vidimus, omnes : neque *herbæ* reponi pro *rimæ* placet, etsi visum ita Pintiano. Hard.

5. *Quin et lutum.* Neu scilicet frumento curculio noceat, neve mures tangant, ut ait Cato, cap. xcii, pag. 55, atque ut frumentum inde densius ac solidius fiat, ut auctor Geopon. lib. II, cap. 25, p. 65, καὶ τὸν σῖτον στερεώτερον καὶ πυκνότερον ποιεῖ. Columella, lib. I, c. 6 : « Parietes obliuuntur amurca subacto luto, cui pro paleis admixta sunt arida oleastri, vel si ea non sunt, oleæ folia. Deinde quum prædictum tectorium inaruit, rursus amurca respergitur, qua siccata frumentum infertur. Ea res ab noxis curculionum, et similium animalium videtur conditas fruges defendere, etc. » Hard.

6. *Et pavimenta horr. frumenti..... amurca aspergi.* Ne rimas agant, inquit Columella, lib. I, cap. 6, pag. 26, quæ cava præbent et latebras subterraneis animalibus. H.

7. *Vestiarium.* Arca est, in qua vestes servantur, Cato, cap. xcviii, pag. 57 : « Vestimenta ne tineæ tangant, amurcam decoquito ad dimidium, et ea unguito fundum arcæ, et extrinsecus pedes, et angulos. Ubi ea adaruerit, vestimenta condito. Si ita feceris, tineæ non nocebunt. » Hard.

8. *Morbis quadrup.* Nempe oves ne scabræ sint. Cato, cap. xcvi : « Et boves uti valeant, et curati bene sint, et qui fastidient cibum, uti magis cupide appetant, pabulum quod dabis amurca spargito, etc. » Idem cap. ciii, pag. 58. Adde etiam Colum. lib. VI, cap. 4, pag. 216. Hard.

9. *Humani quoque... oris. Corporis* (sedis, genitalium, vulvæ) Diosc. et Ch. Ed.

10. *Lora*, etc. Cato, cap. xcvii, pag. 57 : « Amurca decocta axem unguito, et lora, et calciamenta, et coria omnia : et meliora facies. » Hard.

11. *Atque æramenta.* Cato, cap. xcviii, p. 57 : « Item ahenea omnia unguito, sed prius extergito bene. Postea quum unxeris, et ea uti voles, iterum extergito, splendidior erit, et ærugo non erit molesta. » H.

12. *In queis ficum.* Cato, cap.

servare : aut si folia baccasque in virgis[13] myrti : aliudve id genus[14] simile. Postremo ligna macerata amurca, nullius fumi tædio ardere[15]. Oleam si lambendo[16] capra lingua contigerit, depaveritque primo germinatu, sterilescere, auctor est M. Varro[17]. Et hactenus de olea, atque oleo.

IX. (IX.) Reliqui arborum fructus vix specie, figurave, 1
non modo saporibus, succisque toties permixtis atque insitis, enumerari queunt. (X.) Grandissimus[1] pineis nucibus, altissimeque suspensus, intus exiles nucleos[2] lacunatis includit toris, vestitos alia ferruginis[3] tunica, mira naturæ cura molliter semina collocandi. Harum genus alterum terentinæ[4], digitis fragili putamine, aviumque

XCIX, pag. 57 : « Fici aridæ si voles ut integræ sint, in vas fictile condito : id amurca decocta unguito, etc. » HARD.

13. *In virgis.* Hoc est, immaturas, quum adhuc in virgis hærent : seu virgas myrteas cum baccis, ut ait Cato, cap. CI, pag. 58. Sic « poma immatura, quum hærent in sua virga », Varro dixit de R. R. lib. I, cap. 59, pag. 71. H.

14. *Aliudve id genus.* MSS. Reg. Colb. Chiffl. *aliudve quod genus.* H.

15. *Nullius fumi tædio ardere.* Acapna fieri. Cato, cap. CXXX. DAL. — *Nullius fumi.* Cato, cap. CXXX, pag. 68 : « Ligna amurca cruda perspargito, et in sole ponito : perbibant bene; ita neque fumosæ erunt, et ardebunt bene. » H.

16. *Oleam si lambendo*, etc. Idem infra lib. XVII, cap. 24. Vide quæ ad eum locum notata sunt, et supra lib. VIII, cap. 50. DAL. — *Oleam.* Vide quæ diximus lib. VIII, cap. 76. HARD.

17. *M. Varro.* De Re Rust. lib. I, cap. 2, monente ib. Fulv. Ursin. pag. 19. DALEC.

IX. 1. *Grandissimus.* Subintellige, fructus, *pomme de pin.* H. — *Pineis nucibus*, nempe *Pini pineæ.* (*Monœc. monadelph.* gen. 2130, Pers. *Conifer.* Juss.). ED.

2. *Exiles nucleos. Des pignons :* qui in squamarum quibusdam torulis in foveam, seu lacunam excavatis, delitescunt, et sunt edules. H.

3. *Ferruginis.* Coloris ferruginei. HARD.

4. *Terentinæ.* Tarentinæ, fragilis et mollis. Avellana et græca nux, sive amygdala, quomodo Tarentina fiat, vide apud Columellam, lib. V, cap. 10. Macrobio *terentinæ*, quoniam Sabinorum lingua *terentum* molle significat, τὸ τέρεν. Turn. lib. XXVII, cap. 17. DALEC. — *Terentinæ.* Subintellige pineæ nucis. Ita MSS. Reg. 1, et Colb. non *tarentinæ.* Et Macrobius quidem Sat. lib. II, cap. 14, pag. 374 : « Nux terentina dicitur, inquit, quæ ita mollis est, ut vix attrectata

furto[5] in arbore. Tertium sappiniæ[6], e picea sativa, nucleorum cute verius quam putamine, adeo molli, ut simul mandatur. Quartum pityida[7] vocant e pinastris, singularis remedii adversus tussim. In melle decoctos nucleos Taurini aquicelos vocant[8]. Pinea corona[9] victores apud Isthmum coronantur.

1 X. (XI.) His proxima amplitudine mala, quæ vocamus cotonea[1], et Græci cydonia, ex Creta insula advecta. Incurvatos trahunt ramos, prohibentque crescere parentem. Plura eorum genera[2]: chrysomela, incisuris distincta,

frangatur : de qua in libro Favorini sic reperitur : itemque quidam Tarentinas nuces dicunt, quæ sunt terentinæ, a tereno, quod est Sabinorum lingua molle : unde Terentios quoque dictos putat Varro, etc. » Videri possit et ea vox a græco derivata fonte : est enim τέρην *tener*. Has avium rostris in arbore pertundi, et ab Allobrogibus Piquarellos vocari ait Dalec. Hist. plant. lib. I, cap. 12, pag. 48. HARD.

5. *Aviumque furto*. Turn. *expositum furto*. ED.

6. *Sappiniæ*. Sic ex MSS. em. Hard. *appiniæ* vet. Turn. et Ch. *sapineæ* Gr. et Al. ED. — *Sappiniæ*. Nempe nucis, e picea sativa, quam Galli *pesse* vocant. Sappium imperiti olim dixere, ipso teste Plinio, lib. XVI, cap. 23. HARD.

7. *Pityda*. Non pinastri modo, sed et pinus piceæque fructus, in conis, seu metis contenti, πιτυΐδες Græcis appellati. Diosc. lib. I, cap. 87 : Πιτυΐδες δὲ καλοῦνται ὁ καρπὸς τῶν πιτύων, καὶ τῆς πεύκης ὁ εὑρισκόμενος ἐν τοῖς κώνοις. Galeno quoque de Fac. simpl. med. lib. VIII, pag. 220. Cæl. Aurel. Chron. lib. III, cap. 1, « Nucleo pineo, quem Græci πιτυΐδα vocaverunt. » H.

8. *Aquicelos vocant*. Monspessulani ; vulgo *des tourons*. DALEC.

9. *Pinea corona*. Plut. Symp. lib. V, qu. 3. Vide quæ superiùs diximus, cap. 5. HARD.

X. 1. *Cotonea*. Ob hujus fructus et formosam speciem, et amplitudinem, in arbore tam parva nascentis, ac tenui, Tryphon medicus apud Plutarchum, V Symposiacon, malum ab Homero dictam fuisse ἀγλαόκαρπον commemorat, tametsi Victorius, lib. XXXII, cap. 5, de mali citriæ fructu id potius explicandum esse putet. DALEC. — *Græci cydonia*. Κυδώνια μῆλα, ab urbe Cretensi sic cognominata. *Des coins*. Q. Ser. Sammonicus, cap. xxv : « Aut quæ poma Cydon Cretæis misit ab oris. » HARD. — *Mala Cydonia. Piri cydoniæ* Linn. fructus. (*Icosandr. pentag.* gen. 1231, Pers. sub *Cydonia. Rosac.* Juss.). ED.

2. *Plura eorum genera*. Columellæ lib. V, cap. 10, Chrysomela, Mustea, Struthia. DAL. — *Chrysomela*. Vera, ἀληθινά, cydonia Dioscoridi

colore ad aurum inclinato. Quæ candidiora, [3] nostratia cognominata, odoris præstantissimi. Est et Neapolitanis suus honos. Minora ex eodem genere [4] struthea, odoratius vibrant, serotino proventu, præcoci vero [5] mustea. Strutheis autem cotonea insita suum genus fecere Mulvianum : quæ sola ex his vel cruda manduntur. Omnia jam et virorum salutatoriis cubilibus inclusa [6], simulacris noctium consciis [7] imposita. Sunt præterea parva silvestria, a strutheis [8] odoratissima, in sepibus nascentia.

XI. Mala appellamus, quanquam diversi generis, Per- 1

1 parva suut, rotunda, odorata, vulgo *pommes-coins* : ex his Genuenses suum delicatissimnm cydoniatum parant. Struthia vero, magna, sed minus utilia, vulgo *poires-coins*. Vide lib. XXIII, çap. 6. Dal. — *Chrysomela*. Χρυσόμηλα, *aurea mala*. Columellæ lib. V, cap. 10, pag. 202, *Chrysomeliana*. Hæc sunt de quibus Virgilius recinit : « Aurea mala decem misi : cras altera mittam. » Hard.

3. *Nostratia*. Hæc Diosc. ἀληθινὰ, *vera* appellat, lib. I, cap. 160. H.

4. *Minora ex eodem genere*. Neapolitano videlicet : alioqui στρουθία, teste Diosc. l. c. et magna, et minus bona censentur, καὶ μεγάλα, καὶ ἧττόν ἐστιν εὔχρηστα. Galenus quoque lib. de Sanit. tuenda, cap. ult. στρουθιόμηλα cydoniorum esse maxima tradit. Στρούθεια sunt Athenæo, lib. III, pag. 81, *poires-coins*. H. — *Majora* emendandum putat Broterius ex Dioscoride, lib. I, cap. 160; ex Galeno item lib. de Sanitate tuenda, cap. ultimo. Ed.

5. *Mustea*. Et id genus a Columella laudatum, l. c. Iis fortasse a mitescendi celeritate nomen. Musteum enim idem quod recens. H.

6. *Salutatoriis cubilibus inclusa*. Sic cubicula vocat, in quibus divitem e dormitorio suo prodeuntem communis amicus, ut inquit Manilius lib. V, salutabat : de quo Martialis, « Et matutinum portat ineptus, Ave. » Turn. lib. XXVIII, cap. 13. Ad horum autem cubiculorum ornatum erectas et comparatas imagines, simulacra noctium conscia appellat. Dalec. — Accuratiorem interpretationem reperies apud Casaubon. super Sueton. pag. 70. Hard.

7. *Noctium consciis*. Fuerunt inter cubiculares imagines et eorum numinum simulacra dedicata, quæ tori genialis curam habere existimabantur. August. de Civ. Dei, lib. VI, cap. 9 : « Parcatur humanæ verecundiæ : peragat cætera concupiscentia carnis et sanguinis, procurato secreto pudoris. Quid impletur cubiculum turba numinum, quando et paranymphi inde discedunt ? » Horum numinum capiti, uti nunc abacis, solita imponi cotonea. Hard.

8. *A strutheis*. Post struthea. H.

sica, et granata, quæ in Punicis arboribus novem generum dicta sunt[1]. His[2] acinus sub cortice intus : illis[3] lignum in corpore. Necnon et quædam e piris libralia[4] appellata, amplitudinem sibi ponderis nomine asserunt. (XII). Sed Persicorum palma duracinis[5]. Nationum habent cognomen Gallica[6] et Asiatica. Post autumnum maturescunt,

XI. 1. *Dicta sunt.* Lib. XIII, cap. 34. HARD.

2. *His.* Granatis malis, quæ referta acinis sub cortice. H.

3. *Illis.* Persicis nimirum, quorum in medio corpore lignum, seu nucleus, *le noyau de la pêche.* H.— *Persica.* Nempe *Amygdali Persicæ* fructus (*Icosand. monog.* gen. 1220, Pers. *Rosac.* Juss.), cujus speciei plures exstant varietates cultura ortæ, carne aquosa suavissimæ. Conf. LAMARCK, *Encycl.* t. I, part. botan. pag. 98-100. ED.

4. *Libralia. Poires de livre.* Græcis ταλαντιαῖον ἄπιον. HARD.

5. *Duracinis.* Rhodacenis. *Cornarius.* Sostratus ἐν τῷ περὶ βλητῶν καὶ δακέτων, Perseam Rhodacenæam vocari ait, translatamque ex Æthiopia in Ægyptum : Nicander in Alexipharmacis, Perseum Mycenis sevisse, a Cepheo Andromedes patre dono acceptam, ejusque nucleos cerussæ veneno auxiliari. Uterque scilicet, quamvis classicus et vetustus scriptor, Perseam cum Persica confundit. Rhodacena Paulo, lib. I, cap. 81, Persicorum genera, ea sunt, quæ nos vocamus *auberges*, *mirecontons*, *presses*, sic dicta vel quod rosam oleant, vel roseo et rubro colore picturata fere conspiciantur. Ea fortassis Duracina Latini vocarunt ob carnis duritiem, quum mollis et tenera sit in Persicis, Præcociis, Armeniis, et Tuberibus, quæ vulgus appellat *pêches-noix.* DAL. — *Duracinis.* Palladius, lib. XII, in Novembr. tit. 7, pag. 164 : « Genera Persicorum sunt hæc: Duracina, præcoqua, Persica, Armenia. » Et pag. 165 : « Duracina servantur condita muria, etc. » Τὰ δωρακινὰ περσικὰ, in Geopon. lib. X, cap. 13, pag. 257, et cap. 15, pag. 258, ubi ex Democrito rosis in proximo plantatis colorem rubrum trahere dicuntur : unde eadem Rhodacena forte dici potuerunt. Gallis vulgo *brugnons* et *presses :* aiunt enim, « manger une bonne presse : c'est une sorte de pêche qui ne se fend point : » cujus corpus adhæret, et a nucleo, sive ligno, divelli nequit, ut ait Plinius cap. 34. H. — *Persica duracina, la presse*, lætissime quidem in nostris regionibus proveniunt, sed fructu duro palmam non obtinent. Quanto meliora Persica Corbeliana, *la pêche de Corbeil*, *de Montreuil*, aliaque id genus! BROT.

6. *Nation. habent cognomen Gallica et Asiatica*, etc. Columella, lib. X, in hortulo, sub finem : « Exiguo properant mitescere Persica malo : Tempestiva manent, quæ maxima Gallia donat : Frigoribus pigro veniunt Asiatica fetu. » H.

æstate præcocia[7], intra xxx annos reperta, et primo denariis[8] singula venumdata. Supernatia e Sabinis[9] veniunt, popularia undique. Pomum innocuum expetitur ægris: pretiumque jam singulis triceni nummi[10] fuere, nullius majore: quod miremur, quia non aliud fugacius[11]. Longissima namque decerpto bidui mora est: cogitque se venumdari.

XII. (XIII.) Ingens postea turba prunorum: versicolor, 1
nigra, candida[1], hordearia appellata: a comitatu frugis ejus[2]. Alia eodem colore seriora majoraque, [3] asinina

7. *Præcocia*. Diosc. lib. I, cap. 165: Τὰ δὲ μικρότερα (Περσικὰ) καλούμενα Ἀρμενιακὰ, ῥωμαϊστὶ δὲ πραικόκια. Eadem Armeniaca, et præcocia latine dicuntur: forte quæ præcoqua Martiali, lib. XIII, ep. 46. Gallice, *des abricots*. Sunt qui malint esse *des avant-pêches*. H.

8. *Denariis*. Denarius Romanorum vetus gallicæ monetæ, ut nunc est argenti pretium, efficit asses æreos octonos, uti dicturi sumus lib. XXXIII, cap. 13. HARD.

9. *Supernatia e Sabinis veniunt*. Præcocium duo genera hic Plinius indicat: alterum supernas, amplum, et magnum, quod e Sabinorum locis avehebatur, vulgo *gros abricots*: alterum vulgare, parvum, et strigosum, etiam Armenium dictum, vulgo *des Armègnes*. DALEC. — *Supernatia*. Quæ ex Sabinis, qui Superum mare accolebant, sive Adriaticum, in Urbem advehebantur. Sic vetus inscriptio apud Reines. pag. 337: NEGOTIANTES. VINI. SVPERNAT. ET. ARIMIN. HARD.

10. *Triceni nummi*. Hoc est, triceni sestertii: monetæ nostræ asses sexaginta. HARD.

11. *Fugacius*. Minus diuturnum.

XII. 1. *Nigra, candida, hordearia*. Sic ex MSS. em. Hard. cons. MS. *nigra, candicans. Hordearia* Gr. et Al. ED. — *Nigra, candicans. Hordearia appellata*. Scrib. sine distinctione, « nigra, candicans hordearia appellata: » nam nisi sic legeris, quod protinus sequitur, « Alia eodem colore, seriora, majora, » quo referas non habebis. In his tamen verbis dictio *alia* desideratur in codice Salmanticensi. PINT.

2. *A comitatu frugis ejus*. Quod quum hordeum metitur, ea maturescant. DAL. — *A comitatu*. Quoniam ea tum matura sunt ad decerpendum, quum hordeum metitur: quod quum solstitio fere fiat, in quod Divo Johanni sacer dies incidit, inde ei prunorum generi nomen apud nos *prunes de S. Jean*. HARD. — *Pruni domesticæ* (*Icosand. monog.* gen. 1222, Pers. *Rosac.* Juss.), ut quæ sequuntur, varietas. ED.

3. *Asinina*. *Prune jaune sans goût*. His sues rura saginant. Pedicularia nonnulli vocant. HARD. — *Asinina*. *Prune cerisette*. BROT.

cognominata a vilitate. Sunt et nigra[4], ac laudatiora cerina[5], atque purpurea[6]. Necnon ab externa gente Armeniaca[7], quæ sola et odore commendantur. Peculiaris impudentia est nucibus insitorum, quæ faciem parentis succumque adoptionis exhibent, appellata ab utroque nucipruna[8]. Et hæc autem[9], et Persica, et cerina, ac silvestria, ut uvæ, cadis condita, usque ad alia nascentia ætatem sibi prorogant : reliquorum velocitas cito mite-
2 scentium transvolat. Nuper in Bætica malina[10] appellari cœperunt malis insita, et alia amygdalina amygdalis. His intus in ligno nucleus amygdalæ est[11] : nec aliud pomum ingeniosius geminatum[12] est. In peregrinis arboribus dicta sunt[13] Damascena, a Syriæ Damasco cognominata, jam pridem in Italia nascentia, grandiore[14] quanquam ligno, et exiliore carne, nec umquam in rugas siccata, quoniam

4. *Sunt et nigra.* Carne dura : Iberica, et Pertigona vocitata : *prunes de Perdigon*, sive *Perdrigon*. H.

5. *Cerina.* Quæ Virgilio, Ecl. II, v. 53, *Cerea pruna.* In Priapeiis : « Magisque cera luteum nova prunum. » Nonius, cap. XVI, n. 6, *Cerinum a ceræ colore.* Unde Græcis κηρινὸν χρῶμα. Nigra, cerinaque, carmine Naso complexus, Metam. lib. XIII, v. 817 : « Prunaque non solum nigro liventia succo, Verum etiam generosa novas imitantia ceras. » HARD.

6. *Atque purpurea.* Eaque sapore jucundo : *myrobolans.* Arborique nomen idem, *prunier myrobolan.* H.

7. *Armeniaca.* Eadem hæc esse quæ Persica præcocia frustra scriptores novitii censuere. HARD. — *Mala Armeniaca*, *les abricots.* (*Armeniaca vulgaris*, *Icosand. monog.* gen. 1222, Pers. *Rosac.* Juss.). ED. — Alia quidem sunt pruna rotunda, flava, dulcia, mali amplitudine. Sed de his non agit hic Plinius. BROT.

8. *Nucipruna. Prunes-noix*, καρυοκοκκύμηλα. HARD.

9. *Et hæc autem.* Nempe nucipruna. HARD.

10. *Malina. Prunes-pommes* : amygdalina, *prunes-amandes.* H.

11. *Nucleus amygdalæ.* Subintellige, similis. Quid nucleus sit, diximus lib. XIII, cap. 18. HARD. — Vulgo *rognons de coq.* BROT.

12. *Geminatum.* Multiplici insitionis genere variatum. Apud Gallos certe innumeræ fere prunorum differentiæ sunt. HARD.

13. *Dicta sunt.* Lib. XIII, cap. 10. *Prunes de Damas.* Syriaca dicta Petronio in Satyr. pag. 102. H.

14. *Grandiore... ligno.* Alii ossiculum, alii nucleum vocant. H.

soles sui[15] desunt. Simul dici possunt populares[16] eorum myxæ, quæ et ipsæ nunc cœperunt Romæ nasci insitæ sorbis.

XIII. In totum quidem Persica[1], peregrina etiam Asiæ 1
Græciæque esse, ex nomine ipso apparet, atque ex Perside advecta. Sed pruna silvestria[2] ubique nasci certum est. Quo magis miror, hujus pomi mentionem a Catone non habitam, præsertim quum condenda demonstraret quædam et silvestria. Nam Persicæ arbores sero, et cum difficultate transiere, ut quæ in Rhodo nihil ferant, quod primum ab Ægypto earum fuerat hospitium. Falsum[3] est, venenata cum cruciatu in Persis gigni[4], et pœnarum causa a regibus translata in Ægyptum, terra mitigata[5]. Id enim 2

15. *Soles sui.* Quoniam alieno cælo soloque nata. HARD.

16. *Populares eorum.* In Syria pariter natæ, ut dictum est lib. XIII, cap. 10. Æginetæ, lib. VII: Μύξα δένδρου καρπός ἐστι μικρότερος μὲν κοκκυμήλων, δυνάμει δὲ παραπλησίως. « Myxa arboris fructus, pruno quidem minor, facultate tamen persimilis. » In officinis *sebestes*. Dictæ nonnullis etiam mixæ. Vide Onomast. Rosweydi, pag. 1042. HARD.

XIII. 1. *Persica.* Harpocrati taciturnitatis Deo Persicam sacram esse tradit Plutarchus lib. de Iside et Osiride, quoniam ejus arboris folium linguæ simile sit, fructus cordi. DALEC. — *Persica per. Les pêches*, de quibus dictum est cap. 11. HARD. — *Persica vulgaris* (*Amygdalus Persica*, gen. 1220, Pers. *Rosac.* Juss.). ED.

2. *Pruna silvestria.* Gallis, *prunelles*, e quibus contusis rustici potionis genus efficiunt. HARD. — *Pruna silvestria*. Plin. (*Prunus spinosa*, gen. 1221, Persoon. *Rosac.* Juss.). ED. — *Persicæ arbores. Les pêchers*, e quibus pendent Persica mox appellata. Vide quæ dicturi sumus lib. XVI, cap. 47. H.

3. *Falsum est.* Columellæ est hoc carmen lib. X, sub finem: « Et pomis quæ barbara Persis Miserat, ut fama est, patriis armata venenis. » Idem tradit et Plato Anthol. lib. I, cap. 20, epigrammate scripto εἰς τινὰ θανόντα ὑπὸ πλησμονῆς Περσικῶν μήλων, in eum qui mortuus erat nimio esu Persicorum malorum: Ἐκ φονίων Περσῶν φόνιον φυτὸν ἤγαγε Περσεὺς, Παιδὶ Θεογνώστου τοῦ θανάτου πρόφασιν. Quod ita reddidit feliciter Grotius: « Nate Theognosti, mortis tibi causa fuere A Persis Perseus, quæ mala mala tulit. H.

4. *Venenata cum cruciatu in Persis gigni.* Id prodiderunt Nicander et Sostratus. Vide annotata supra in proximum caput. DALEC.

5. *Terra mitigata.* Soli Ægyptii

de Persea diligentiores tradunt[6], quæ in totum alia est, myxis rubentibus similis[7], nec extra Orientem nasci voluit. Eam quoque eruditiores negaverunt ex Perside propter supplicia translatam, sed a Perseo Memphi satam. Et ob id Alexandrum illa coronari victores ibi instituisse, in honorem atavi sui[8]. Semper autem[9] folia habet et poma, subnascentibus aliis. Sed pruna quoque omnia post Catonem cœpisse manifestum est.

XIV. (XIV.) Malorum plura sunt genera[1]. De citreis

bonitate facta esse meliora, ac saniora. HARD.

6. *Id enim de Persea diligentiores tradunt.* Theophr. Hist. lib. IV, cap. 2. Vide et supra lib. XIII, cap. 9. DALEC. — *Id enim de Persea.* Sic Diosc. lib. I, cap. 187 : Πέρσεα δένδρον ἐςὶν ἐν Αἰγύπτῳ, καρπὸν φέρον ἐδώδιμον.... Τοῦτο δὲ ἱςόρησάν τινες ἐν Περσίδι ἀναιρετικὸν εἶναι, etc. Galenus de Alim. fac. lib. II, cap. 36, pag. 356, tom. VI, vidisse se Perseam arborem Alexandriæ prodit : cujus fructus, haud aliter ac poma, piraque, esculentus in Ægypto foret : in Perside, ut quidem ferebat tum fama, noxius. Ignotam sibi prorsus arborem fatetur Anguillara, de Simpl. lib. I, pag. 79. HARD. — *Id enim de Persea diligentiores*, etc. Est Persea Barrelieri, ic. 878, lauri folio, sed majore et odoratiore; fructus piri forma; intus nucleus et amygdala sapore castaneæ. Frequens adhuc crescit in Ægypto prope urbem *le Caire*. Ejus folia fructusque occurrunt in multis antiquis Ægyptiorum monumentis. Qua de re plura vide apud Cl. MAHUDEL, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, t. III, pag. 174. BROT.

7. *Myxis rubentibus similis. Cordia Myxa* (*Pentand. monog.* gen. 367, Persoon. *Borragin.* Juss.). ED. — Galenus, lib. II κατὰ τόπους, Perseam a se visam in Alexandria solam, arborem proceram, fructu piri aut mali magnitudine, noxio in Perside, vesco in Ægypto. DAL.

8. *Atavi sui.* Persei. Macedonum reges ab Hercule genus duxere, ut Curtius, lib. IV, c. 7; Hercules a Perseo, ut Diod. Sic. Bibl. lib. IV, pag. 217, prodidere. H.

9. *Semper autem.* De Persea arbore loquitur, quam lib. XIII, cap. 17, Persicam Ægypti peculiarem vocavit. HARD.

XIV. 1. *Malor. plura sunt genera.* Ἀγλαόκαρπον malum, Homerus vocat, ob splendidi fructus atque formosi præstantiam et suavitatem : συκαῖ τε γλυκεραὶ καὶ μηλέαι ἀγλαόκαρποι. Rhodig. lib. XXIX, cap. 23. Mirum vero non memorare hic auctorem μῆλα τὰ τοῦ Διωνύσου, minuta illa, sed quæ tantum in amoribus conciliandis valere crediderunt, ut feminas posse iis pellicere ad concubitum sperarent. Coronæ ex illis Bacchi statuæ imponebantur. Philetas : Μᾶλα φέρων κόλποισι, τά οἵ ποτε Κύπρις ἑλοῦσα Δῶρα Διω-

cum sua[2] arbore diximus. Medica autem Græci vocant patriæ nomine[3]. Æque peregrina sunt zizipha[4], et tuberes[5], quæ et ipsa non pridem venere in Italiam : hæc ex Africa[6], illa ex Syria. Sext. Papinius, quem consulem vidimus[7], primus utraque attulit, Divi Augusti novissimis temporibus, in castris sata[8], baccis similiora, quam malis:

νύσσου δῶκεν ἀπὸ κροτάφων. Theocritus : Μᾶλα μὲν ἐν κόλποισι Διωνύσοιο φυλάσσων. Ejus forte generis fuerunt mala, quæ manibus tenentem Nanam nympham concepisse tradit Arnobius : quo fortassis pertinet hic versus ex Annalibus Attii apud Nonium : « Mala manu retinens gravido concepit in alvo. » Mustea, sive melimela, quæ primum omnium maturescunt, vulgus nostrum vocat nunc Divi Johannis mala, nunc amoris. SCALIG. — *Pirus malus* (*Icosandr. pentagyn.* gen. 1231, Pers. *Rosac.* Juss.). Ut *piri*, sic et *mali*, domesticarum scilicet arborum, etiam nunc plus quam centum et viginti singularum specierum, vel etiam centum et quinquaginta, ut multi volunt, varietates novimus. ED.

2. *De citreis cum sua*, etc. De citreis vide Palladium in Martio. DALEC. — *De citreis*. Lib. XII, cap. 7. HARD.

3. *Patriæ nomine*. Mediæ. H.

4. *Zizipha. Jujubes.* Arbor ziziphus, *le jujubier*. Rutilam, aliamque ziziphum agnoscit Colum. lib. IX, cap. 4, pag. 320. Simeon Sethi, Ζίνζιφα vocat. HARD.

5. *Tuberes.* Nucipersica vulgus appellat, *pêches-noix*. HARD. — Credit Broterius *tuberes* esse *persica* odoro fructu, *le brugnon musqué*. De his apud Martialem, lib. XIII, epigr. XLII et XLIII, pag. 114, 115, tom. III edit. nost. « Non tibi de Libycis tuberes, et apyrina ramis, De Nomentanis sed damus arboribus. » Item : « Lecta suburbanis mittuntur apyrina ramis, Et vernæ tuberes : quid tibi cum Libycis ? » Vid. quoque Sueton. in Domit. cap. XVI, tom. II, pag. 411 edit. nost. ED.

6. *Hæc ex Africa.* Tuberes nimirum : quod Martialis significat gemino epigrammate a nobis allato, lib. XIII, ep. XLII, zizipha ex Syria : unde τὰ Ἐδεσσηνὰ maxime commendat Simeon Sethi, tit. Ζίνζιφα. Philoxenus in Glossis : Σιρικὰ, *Zizipha*, forte pro Συρικά. H.

7. *Consulem vidimus.* Ann. U. 779, collega Q. Plautio, ex Tacit. Ann. VI, p. 147, extremis Tiberii temporibus. Exstat inscriptio apud Gruterum, pag. 447 : SEX. PAPINIO. Q. F. ALLENIO. TRIB. MIL. Q. LEG. TIB. CAESARIS AVG. COS. H.

8. *Divi Augusti novissimis temporibus, in castrorum aggeribus sata.* Lege : « Divi Augusti temporibus novissimis in castris sata..... sed aggeribus præcipue decora, quoniam in tecta jam silvæ scandunt. » Aggeres viæ sunt publicæ stratæ, tam in urbe quam extra urbem : arbores intra urbem in iis aggeribus juxta domos plantabantur, ut in tecta scanderent. SALM. pag.

sed aggeribus præcipue decora, quoniam et in tecta jam silvæ scandunt. Tuberum duo genera : candidum, et a colore syricum [9] dictum. Pæne peregrina sunt in uno Italiæ agro Veronensi nascentia, quæ lanata [10] appellantur. Lanugo ea obducit, strutheis quidem Persicisque plurima : his tamen peculiare nomen dedit, nulla alia commendatione insignibus [11].

1 XV. Reliqua cur pigeat nominatim indicare, quum conditoribus suis æternam propagaverint memoriam, tamquam ob egregium aliquod in vita factum? Nisi fallor, apparebit ex eo ingenium inserendi : nihilque tam parvum esse, quod non gloriam parere possit. Ergo habent [1] originem a Matio [2], Gestioque [3], et Manlio, item [4] Scandio :

609. — *Baccis similiora*. De ziziphis, non tuberibus, id audiendum. Dalec. — Aggeres illi, *les terrasses*, qui juxta domos excitabantur, ut parietes arboribus vestirentur, et silvæ in tecta scanderent. Brot. — *Tuberum*. MSS. R. *Tuburum*. Hard.

9. *Sericum* Gr. et vulgg. Ed. — *A colore syricum dictum*. *Syricum*, vel ut Hermolaus legit, *sericum*, ruber color factus ex scandice et sinopide mixtis, lib. XXXV, cap. 6. Hinc color sericus, ruber vulgo, *pomme suzine*. Dal. — *Et a colore sericum dictum*. Expende an non *sericum*, sed *cerinum* legendum sit, ut præcedente capite : « Sunt et nigra, ac laudatiora cerina atque purpurea. » Pint. — *A colore syricum*. Hoc est, rutilum. De colore syrico dicemus lib. XXXV, cap. 24. Non, ut in libris hactenus editis, *sericum* : neque enim id coloris nomen. Et in vetere Lexico Iatrico, Σίζυφα τὰ συρικὰ legimus. Hard.

10. *Quæ lanata*. De quibus Hesychius : Λασίμαλον, μῆλον τὸ ἔχον χνοῦν. Virgil. Ecl. II, v. 51 : « Ipse ego cana legam tenera lanugine mala. » Hard.

11. *Insignibus*. MS. *insigni*. Ed.

XV. 1. *Ergo habent*. Quæ fuerint hæc poma veteribus, vix nobis hodie exploratum : alia fere in eorum vicem genera venere, et nomina : paucis admodum exceptis. Hard.

2. *A Matio*. Matiana dicta Columellæ, lib. V, cap. 10, pag. 202, et Macrobio, Sat. lib. II, cap. 15, pag. 375. Ματτιανὰ Athenæo, lib. III, pag. 82. De Matio ipso diximus lib. XII, cap. 6. Et genus obsonii Matianum ab eo dictum laudat Apicius lib. IV, cap. 3, pag. 18. Hard.

3. *Gestioque*. Ita libri omnes : forte *Sestioque* : nam Sextiana mala sunt Columellæ l. c. Aut *Cestio* potius, nam Κεστιανὰ καλούμενα μῆλα Romæ laudata fuisse, auctor est

quibus[5] cotoneo insito ab Appio a Claudia gente, Appiana sunt cognominata. Odor est his cotoneorum, magnitudo quæ Scandianis[6], color rubens. Ac ne quis id ambitu valuisse claritatis et familiæ[7] putet, sunt et Sceptiana ab inventore libertino, insignia rotunditate. Cato adjicit Quiriana[8], et quæ tradit in doliis condi, Scantiana[9]. Omnium autem nuperrime adoptata sunt parva, gratissimi saporis, quæ Petisia[10] nominantur. Patrias nobilitavere Amerina[11], 2
et Græcula. Cætera e causis traxere nomen: germanitatis[12], cohærentia et gemella, numquam singula in fetu: coloris[13],

Galenus κατὰ τόπ. lib. II, cap. 1, pag. 364, et lib. VI, cap. 9, pag. 522. HARD. — *Gestioque.* Ita quidem libri scripti et editi. Emendandum tamen videtur *Cestioque. G* pro *C* sæpe occurrit in MSS. et *Cestiana* mala Romæ laudata memorat Galenus. Nobis *les pommes de court-pendu.* BROT. — *Et Manlio.* In MSS. Reg. 1 et 2, et in editione princip. *Mallio.* BROTER.

4. *Item Scandio.* Unde Scandiana mala, apud Varron. lib. I, cap. 59; Colum. l. c. et Celsum, lib. IV, cap. 19. Scandina vocat Scribonius, Comp. 104. In MSS. Reg. Colb. Th. *Scandio.* In editis perperam *Claudio.* HARD.

5. *Quibus.* Nempe Scandianis. H.

6. *Quæ Scandianis.* Proxime appellatis. Ita recte Chiffl. aliique codices: in editis male *Claudianis*: quum Claudiana, si quæ fuere, eadem esse cum Appianis necesse sit.

7. *Et familiæ.* MS. *e familia.* ED.

8. *Quiriana.* Cato, de R. R. cap. VII, pag. 13, Quiriniana vocat: Varro quoque de R. R. lib. I, cap. 59. Quiriana Macrob. l. c. ubi et Scantianorum meminit. H.

9. *Scantiana.* Cato, cap. CXLIII, pag. 75: « Scantiana in doliis, et alia quæ condi solent. » Et Scantianorum meminit Varro, lib. I, cap. 59. HARD.

10. *Quæ Petisia*, etc. Quæ nunc vulgus appellat *pommes d'api*: vel quæ eodem vulgi sermone, *pommes de Paradis* vocitantur. Rectius forte *Peticia*, ab auctore Peticio. Id nomen romanæ gentis apud Gruterum frequens. HARD.

11. *Amerina.* Ab Ameria, de qua lib. III, cap. 19. Amerina mala iterum laudat ipse, cap. 17 et 18; Macrobius quoque et Colum. ll. cc. Prius *Camerina* perperam legebatur. HARD.

12. *Germanitatis.* Germanitatis et cohærentiæ causa seu occasione, gemella nuncupata: Gallis, *pommes jumelles.* HARD. — *Cohærentia et gemella*, etc. In nonnullis speciebus occurrunt gemella illa mala, *les pommes jumelles.* Non nota nobis species, cujus singuli fetus sint gemelli. ED.

13. *Coloris, syrica.* Hoc est, rutila, ut superius indicavimus. Ita MSS. omnes hoc loco, non *Serica.* Et Columellæ, l. c. syrica vocantur. Nobis, *pommes de Calville d'au-*

syrica : cognationis, melapia [14]. Mustea [15], a celeritate mitescendi : quæ nunc melimela dicuntur, a sapore melleo. Orbiculata [16], a figura orbis in rotunditatem circumacti. Hæc in Epiro [17] primum provenisse argumento sunt Græci, qui Epirotica vocant. Mammarum effigie orthomastia [18]. A conditione castrati seminis [19], quæ spadonia appellant Belgæ. Melofoliis folium unum, aliquando et geminum
3 erumpit e laterc medio. Celerrime in rugas marcescunt pan-

tomne, quæ egregie rubent. Hard.

14. *Melapia*. A cognatione, seu affioitate quam cum piris habeot ea mala : est eoim μῆλον Græcis pomum, pirum ἄπιον, Gallis *pommes-poires*. Hard.

15. *Mustea*. Hæc Varro R. R. lib. I, cap. 59. Mustea pariter Macrobio vocitata ; Columellæ, melimela, ll. cc. Μελίμηλα in Geop. lib. X, cap. 65. *Pommes de S. Jean*. Martial. lib. I, ep. xliv : « Dulcibus aut certant quæ melimela favis. » H.

16. *Orbiculata*. Horum pariter Macrobius ac Columella meminere, ll. cc. Sic appellare possis, quæ vernaculo sermone dicimus, *pommes de rombour*. Hard. — *Orbiculata* (*mola*). Fructu orbiculato, odorato. Tournef. *La pomme rosé*. Brot.

17. *In Epiro*. Diosc. lib. I, pag. 162 : Τὰ δὲ Ἠπειρωτικὰ λεγόμενα, ῥωμαϊςὶ δὲ ὀρβικύλατα, etc. Ὀρβικάτα Atheuæo, et Μορδιανὰ, ab Apollonia Epiri civitate, quam iocolæ Μόρδιον vocant, lib. III, pag. 80. H.

18. *Orthomastia*. Sic MSS. Μαςὸς *mammam* Græcis : ὀρθὸς *elegantem* sonat. Hard.

19. *A conditione castrati seminis, quæ spadonia appellant Belgæ. Melofoliis folium unum, aliquando et geminum*. Scribendum reor, « A conditione castrati seminis, quæ spadonia appellant, vel gemella a foliis, etc. » Rectiorem etiam lectiooem duco, *contritione*, quam *conditione*, sunt enim et castrati non præsectis, sed contritis testibus, qui ob id græce thladiæ et thlibiæ vocantur. Pint. — *Quæ spadonia appellant Belgæ*, etc. Mirum videri non debet, si Belgæ *spadonia* vocabant romano, et non gallico vocabolo, ut qui provinciales id temporis esseot, apud quos ipse Plinius aliquando vixit : unde hoc pomum in ejus notitiam venit, urbanis alioqoi non admodum notum. *Melofolium* vero dictio est ex græca ac latina composita, quasi μηλόφυλλον Gelen. — *Spadonia*. Quod nullum semen intus habeaot : quorum non semel nec parva copia potestas nobis experiundi facta est : in toto vehe veterini dossuarii nullo ioveuto, præter unum, quod semen obtineret. Sic palmæ quædam spadonum nomine discernuntur a reliquo genere, quod nullo intus sint pomi ligno, ut dictum est lib. XIII, cap. 8. Hard. — *Melofoliis*. Io villa Jacobi Regii, pagi, quem *Fontaines* vocant, haud procul Lugduno siti, pira nascuntur, e quorum medio corpore folium exoritur. Ea simili

nucea[20]. Stolide tument pulmonea. Est quibusdam sanguineus color[21], origine ex mori insitu tracta. Cunctis vero, quæ fuerunt a sole, partes rubent. Sunt et parva[22] gratia saporis atque etiam acutiora odore, silvestria. Id peculiare[23] improbitatis et acerbitatis convicium, et vis tanta, ut aciem gladii perstringat. Dat et farina vilissimis[24] nomen, quanquam primis adventu, decerpique properantibus.

XVI. (xv.) Eadem causa[1] in piris taxatur superbiæ cognomine. Parva hæc, sed ocyssima. Cunctis autem Crustumia[2]

ratione nominis, *Pirophylla* vocari possent. Dalec. — Vidi *melofolia*, id est, mala ex quibus unum alterumve folium erumperet: sed id e casu contingit, non ex aliqua peculiari specie. Ed.

20. *Pannucea*. Et hæc nota quoque Macrobio, l. c. Quasi in pannos fatiscentia, et rugarum plicas, inquit Turnebus, Advers. lib. XXVIII, cap. 32, pag. 1019. H.

21. *Est quibusdam sanguineus color*. Sic ex MSS. em. Hard. cons. Cb. *sunt quibus sanguineus color est* Gr. et Al. Ed.

22. *Sunt et parva. Pommes de malingre*. Hard.

23. *Id peculiare*. Vet. *iis*. Ed.

24. *Dacis ferme vilissimis nomen* Gr. et vulgg. Ed. — *Dat et farina*. Ut farinacea vocitentur, vel farinaria. MSS. omnes, Reg. Colb. Th. Par. *Datis farina*. Salmant. teste Pintiano, *Dat et farina*. An *ferina* legendum, quod superba mox pira eadem causa appellantur? Libri hactenus editi inepte, *Dacis ferme*. H.

XVI. 1. *Eadem causa*. Quoniam sunt prima adventu, ocyssimaque, idcirco superba cognominata, etiam a Columella, lib. V, cap. 10, pag. 202, quod cætera pirorum genera antevertant. *Poire muscate*, ou *muscadelle*. Hard. — *Superbiæ cognomine* Sunt et nunc quoque variis pirorum generibus sua hæc nostratibus nomina: superba *petite muscadelle*, Crustumina *poire perle*, Falerna *bergamote*, Lactea *blanchette*, Dolabelliana *poire muset*, Pompeiana *bon chrétien*, Favoniana *grosse muscadelle*, Lateriana *poire prévôt*, Tiberiana *poires forés*, Signina *poire chat*, Myrapia *calvau rosat*, Nardinia *poire d'argent*, Hordearia *poire S. Jean*, Ampullacea *poire d'angoisse*, Coriolana *poire de jalousie*, Cucurbitina *poire course*, Venerea *poire acciole*, Regia *poire carmaignole*, Voconia *poire sarteau*, Onychina *poire cuisse-madame*. Dalec.

2. *Crustumia*. Ita MSS. et ipse Virgil. Georg. lib. II, v. 87: « Nec surculus idem Crustumiis, Syriisque piris, gravibusque volemis. » Hæc Crustumina vocat Macrobius, Sat. lib. II, cap. 15, pag. 375, et Colum. l. c. A Crustumio Italiæ oppido nomen habent, ubi præcipua bonitate et copia. « Hæc, inquit Servius, ex parte rubent. » Crustumia pira Celsus fragilia appellat, lib. II, cap. 24. E minorum hæc genere fuere, ut superba, et Falerna. H.

gratissima. Proxime iis Falerna[3], a potu, quoniam tanta vis succi abundat (lacte hoc vocatur[4]); in iisque alia colore nigro donantur[5] Syriæ. Reliquorum nomina aliter in aliis atque aliis locis appellantur. Sed confessis Urbis vocabulis auctores suos nobilitavere Decimiana[6], et ex eo tractum, quod Pseudodecimianum vocant. Dolabelliana[7] longissimi
2 pediculi. Pomponiana[8] cognomine mammosa, Liceriana[9], Seviana; et quæ ex iis nata sunt, Turraniana[10], longitu-

3. *Falerna*. Nunc saccharata vocant, a suavitate succi, *poire sucre*.

4. *Lacte hoc vocatur*. Sic MSS. Reg. Colb. Th. Par. etc. ut lacte sit succi nomen nominandi casu, antiquis familiare. Plautus in Menæch. act. V, sc. 9, v. 30: « Neque aqua aquæ, neque lacte est lacti, crede mihi, usquam similius. » Item in Mil. act. II, sc. 2, v. 85. Vide præterea Nonium, Charisium, Priscianum. HARD.

5. *In iisque alia colore nigro donantur Syriæ*. Legendum puto, « In iis quæ alii a colore nigro vocant Syria. » De Syriis piris præter cæteros Virgilius versu modo citato: « Crustumiis Syriisque piris, gravibusque volemis: » quem locum Servius exponens, *Syriis*, inquit, id est, *nigris*. PINT. — *Donantur Syriæ*. Syria dicuntur, inquit Columella, l. c. Syrii piri præter Virgilium meminit Juvenalis, Sat. XI, v. 73: « Signinum Syriumque pirum; de corbibus isdem, etc. » Martialis, lib. V, ep. LXXVIII, v. 13, commendat in primis, inter secundæ mensæ munera, « Et nomen pira, quæ ferunt Syrorum. » HARD.

6. *Decimiana*. Decimiana Macrobio l. c. A Decimo aliquo nomen habuere. HARD.

7. *Dolabelliana*. Et hæc laudata Columellæ, l. c. HARD.

8. *Pomponiana*. Ita MSS. Reg. Colb. Th. Chiffl. non *Pompeiana*. Eadem a forma, mammosa: nunc *poires de bon chrétien*. HARD.

9. *Liceriana*, *Severiana*. Vetustus uterque codex *Licerniana*. Columella, lib. V, *Lateritana* et *Severiana*; iidem codices *Seviana* appellant. Macrobius, lib. III, et Columella v. *Neviana*, ut puto. PINT. — *Liceriana*. In MSS. *Licerniana*. Mallem a Licinio Liciniana dici. H. — *Severiana*. Scaurianorum mentionem facit Marcellus, cap. XX, ut aut illic legendum sit *Severiana*, aut hic *Scauriana*. DALEC. — *Seviana*. Ita MSS. omnes, non *Severiana*: nempe a Sevio, de quo Gruterus sæpe in Inscriptt. HARD.

10. *Et quæ ex his nata sunt Tyranniana*. Sic quidem præferunt antiqui codices: sed mallem *Turanniana*, quando et a Plinio citetur auctor Turanius Gracula; et ita sane appellantur a Columella et Macrobio, cum duplici tamen *rr*: *Turraniana*. PINT. — *Turraniana*. Sic MSS. Reg. etc. Sic etiam Columella, l. c. nempe a Nigro Turranio, quem ob insigne agricolationis studium Varro laudat in præf. lib. II

dine pediculi distantia. Favoniana rubra [11], paulo superbis majora. Lateriana [12], Aniciana [13] postautumnalia [14] acidulo sapore jucunda. Tiberiana appellantur, quæ maxime Tiberio principi placuere : colorantur magis sole, grandescuntque : alioqui eadem essent, quæ Liceriana. Patriæ nomina habent ; serissima omnium Amerina, Picentina [15], Numantina, Alexandrina, Numidiana, Græca [16], et in his Tarentina : Signina, quæ alii a colore testacea appellant: sicut onychina [17], purpurea. Ab odore, myra- 3

de R. R. Apud Macrobium *Turriniana*, male. Hard.

11. *Favoniana rubra.* Lego cum distinctione, *Favoniana*, *rubra*, ut sit *rubra* genus per se, quod Macrobius videtur appellare *rubile*. Pint. — *Favoniana rubra.* Favoniana dicta putant, quod Favonio flante statim formentur. Dalec. — *Favoniana.* Laudata hæc quoque Columellæ, l. c. A Favonio, quod viri nomen fuit, sic appellata; *grosses poires muscadelles.* Hard.

12. *Lateriana.* Lateritiana Columellæ, lib. XII, cap. 10, pag. 419. Macrobio, l. c. Lateresiana. A Laterano possunt Laterana nuncupari. Hard.

13. *Aniciana.* Macrob. l. c. Colum. lib. V, cap. 10, pag. 202; Cato, cap. VII, pag. 13. H. — *La crassane*, *beurré plat*, fructu brumali. β. Ed.

14. *Postautumnalia.* Aniciana, inquit, post autumnum decerpi solita. Hard.

15. *Picentina.* Pira Picena in primis laudat Juvenalis, satiræ XI versu modo citato, et Signinis confert : « Signinum, Syriumque pirum, etc. » Hard.

16. *Græca.* A Magna Græcia. Græcula, Macrob. l. c. Tarentina, Columellæ, l. c. et Celso, lib. IV, cap. 19. Idem Cels. II, 24 : « Pira quæ reponuntur, Tarentina, atque Signina. » Pomorum genera quælibet quæ reponuntur, Galli vocant *fruits de garde*. Hard.

17. *Onychina. Onychina* Plinius purpurea interpretari videtur, quod onyx tegumentum conchylii sit, ut ait Dioscorides, purpurarum operculo simile. *Pruna onychina* Columellæ, sic purpurea exponunt. Ego vero, quia Alabastrites lapis, onyx dictus est, unde Propertius *onychem myrrheum* pro poculo dixit, « Et Crocino nares murrheus ungat onyx : » quoniam ex alabastro pocula fierent : et Horat. *onychem* pro alabastro, « Nardi parvus onyx : » onychinum hic interpretor pirum, alabastro colore simile, vulgo *poire cuisse-madame* : purpureumque hic genus ab onychino diversum esse reor, non autem onychini vel epitheton, vel interpretationem. Eodem modo apud Columellam *onychinon* exponendum arbitror. Dal. — *Onychina.* Quæ gemmam onychem coloris similitudine referant. De onyche dicemus lib. XXXVII, cap. 24. Pruna similiter onychina

pia [18], laurea, nardina. A tempore [19], hordearia : a [20] collo, ampullacea : a corio laneo [21], bruta. Gentilitatis [22], cucurbitina : acidula, succi. Incerta nominum causa est barbaricis, Venereisque [23], quæ colorata dicuntur : regiis, quæ minimo pediculo sessilia [24] : patriciis, voconiis [25], viridibus oblongisque. Præterea dixit volema [26] Virgilius [27] a

commendat Columella, lib. XII, cap. 12. H. — *Purpurea*. Laudata inprimis a Columella, lib. V, cap. 10, pag. 202. Hard.

18. *Myrapia*. Celso quoque nota hæc l. c. Ab unguenti odore, quod Græci μύρον vocant, nomen traxere, ut a lauro, nardoque, laurea, nardinaque. Myrapia, *poires parfums*. Laurea Macrobio nota, l. c. Hard.

19. *A tempore*. Quoniam eodem tempore decerpuntur, quo demeti hordeum solet. Eadem causa cap. 12, pruna hordearia appellata. Columellæ, l. c. Hordeacea pira vocitantur, *poires S. Jean*. Hard.

20. *A collo*. Quæ oblongiore collo, quale est fere ampullæ vitreæ. Hard.

21. *A corio laneo, bruta*. Quæ corium habent lanuginosum, brutorum animantium more, et pecoris lanati, sive lanuginosi. Sunt sane et in pirorum genere lanuginosa, uti malorum, quæ ob id lanata dicta sunt, cap. 14. — *A corio*. Prius legebatur, « A collo ampullacea, et Coriolana. Brutæ gentilitatis cucurbitina. » A collo Coriolana quemadmodum dici possint, aut quid sit bruta gentilitas, ne Pythia, credo, ipsa dixerit. Tamen in MSS. *et Coriolana bruta :* qua lectione potior multo visa est nobis conjectura nostra. Nam et a corio duro ficus appellatas olim Plinius ipse prodit, libri hujus cap. 19, et a laneo quidem pira bruta cognominari non temere suspicamur, translata ab animalibus videlicet ea nomenclatione, quorum lanata quam stultissima ; ut dictum est lib. VIII, cap. 75. Hard.

22. *Gentilitatis*. Sunt deinde pira, inquit, gentilitatis, seu affinitatis nomine cum cucurbitis insignia : *poires courges :* ab oblonga cucurbitæ figura. Horum Cato meminit cap. VII, pag. 13. Sic poma melapia a cognationis causa sup. capite traxisse nomen dicuntur. H.

23. *Venereisque, quæ colorata dicuntur*. Laudat hæc Columell. l. c. et Regia. Hard.

24. *Sessilia*. Minus oblonga, atque adeo compactilis rotunditatis, sapore præstanti : nunc habent a Bergamo Italiæ oppido nomen, *poires bergamotes*. Hard.

25. *Voconiis*. Colb. 1, 2, Th. Chiffl. *vocimis*. Eadem viridia et oblonga. Hard.

26. *Volema*. Quod volam manus impleant : eadem fortassis, quæ et libraria supra cap. 11 hujus libri dicuntur. Dalec.

27. *Virgilius*. Loco ante allato. Sunt autem volema, quæ libralia superius velut a pondere appellata

Catone[28] sumpta, qui et sementiva[29], et mustea nominat.

XVII. Pars hæc vitæ jampridem pervenit ad columen,[1] expertis cuncta hominibus. Quippe quum Virgilius[2] insitam nucibus arbutum, malis platanum, cerasis[3] ulmum dicat. Nec quidquam amplius excogitari potest. Nullum certe pomum novum diu jam invenitur. Neque omnia insita[4] misceri fas est, sicut nec spinas inseri, quando fulgura expiari[5] non queunt facile: quotque genera in-

sunt: nunc eadem, a mole, quod manus volam implent, volema. H.

28. *A Catone.* Nunc cap. VII, pag. 13. Hard.

29. *Sementina.* Sementina a Sementinis feriis (hoc vocabulo Varro utitur lib. I, cap. 2), quæ inclinante æstate sationis causa celebrabantur. Turneb. Pirorum hoc genus tunc maturum colligebatur. Dal. — *Sementiva.* Ita codd. et edd. recentiores. — *Et mustea.* Quæ perperam murtea Macrobius vocat, loc. cit. Mustea pira sunt novella pira, ut quidem videtur: nam mustum non modo vinum dicitur, sed et quidquid novellum, inquit Nonius. Hard.

XVII. 1. *Ad columen.* Sic MSS. Reg. Colb. Chiffl. Th. non *culmen*, ut editi. Hard.

2. *Quum Virgilius.* Georg. lib. II, v. 69, de insitione loquens: « Inseritur vero ex fetu nucis arbutus horrida, Et steriles platani malos gessere valentes, Castaneæ fagos: ornusque incanuit albo Flore piri: glandemque sues fregere sub ulmis. » Plinius non *glandemque*, sed *cerasumque* potius legisse, mihi in iis versibus videtur. Nec glandis porro, nec cerasi Servius meminit. An Virgilii carmen vitiatum dicemus? An cespitasse Plinium memoriæ lapsu? At minore profecto sunt in honore glandes, quam cerasa: nec repertam insitionem facile crediderim, ut suibus saginandis glandes, quæ sunt ubique obviæ, potius quam ut pascendis hominibus cerasa quærerentur, quæ tum erant rariora. Verum quum sues nominat, glandem dixisse potius vates videri jure possit quam cerasum, quod ea libentius vescantur sues. Quod tamen *fregere* dixit idem, utrique lectioni congruit: nam et glandes, et verius cerasorum franguntur ossicula. Itaque quam lectionem potius in Virgilio agnoscas, arbitrii tui, lector, judiciique esto. H.

3. *Malis platanum, cerasis ulmum. Ilicibus ulmum*, non *cerasis ulmum*, legerem ego cum Virgilio. Sed forte qui *cerasis* scripsit, deceptus est illo poetæ versu: « Pullulat ab radice aliis densissima silva, Ut cerasis ulmisque. » Sed illic res alia agitur, quot videlicet modis arbores proveniant. Pint.

4. *Neque omnia insita.* Rectius *insitu.* Hard.

5. *Fulgura expiari.* Procurari et expiari fulgura dicuntur, quum eorum vis infesta a capitibus nostris, agrisque, vel tectis, precibus qui-

2 sita[6] fuerunt, tot fulgura uno ictu pronuntiantur. Turbinatior piris figura. In iis serotina[7] ad hiemem usque ad matrem[8] pendent gelu maturescentia, Græca, ampullacea, laurea, sicut in malis Amerina, Scandiana. Conduntur vero pira[9], ut uvæ, ac totidem modis; neque aliud in cadis præterquam pruna. Pomis[10] proprietas, pirisque, vini: similiterque in ægris[11] medentes cavent: ac vino et aqua coquuntur, atque pulmentarii vicem implent[12]: quod non alia præter cotonea, et struthia.

1 XVIII. (XVI.) In universum vero de pomis servandis præcipitur: pomaria[1] in loco frigido ac sicco contabulari: septemtrionalibus fenestris sereno die patere[2]: Austros

busdam, ritibusque sacris depellitur. HARD.

6. *Genera insita.* Varro de R. R. lib. I, cap. 40: « Videndum qua ex arbore in quam transferatur.... Hæc sequuntur multi, qui aruspices audiunt multum; a quibus proditum in singulis arboribus quot genera insita sint, uno ictu tot fulmina fieri in illud quod fulmen concepit. » His extricandis nugis piget immorari. HARD.

7. *In iis serotina.* Poires tardives. HARD.

8. *Ad matrem.* Sive in matre, hoc est, in arbore. HARD.

9. *Conduntur vero pira.* Columella, lib. XII, cap. 10. DALEC. — *Conduntur.* Ita nunc Cato, cap. CXLV, pag. 75. H. — *Ut uvæ, ac totidem modis.* Quot modis condantur uvæ, dicetur cap. sq. HARD.

10. *Pomis.* Et e pomis pirisque potionis genus exprimitur, in Normannia inprimis Galliæ provincia, quod vini saporem acidulum refert: *Pommé, le cidre qu'on fait avec des pommes: poiré, cidre de poires.* Istud *piracium* ab Hieronymo dicitur, lib. II advers. Jovin. HARD.

11. *Similiterque in ægris.* Pira præsertim. Plin. lib. XXIII, cap. 62: « Pirorum omnium cibus etiam valentibus onerosus: ægris quoque vini modo negatur. » HARD.

12. *Pulmentarii vicem implent.* Quanquam vel sic cocta pultis quamdam similitudinem obtinent, *une marmelade*: non a pulte tamen pulmentarii petenda originatio est, ut dicemus lib. XVIII, cap. 19. Celso, lib. II, cap. 33: « Contrita pira, vel mala, præcipueque cydonia. » HARD.

XVIII. 1. *Pomaria.* Pomarium locus est in quo poma reponuntur: ut vestiarium diximus, cap. 8, in quo vestes. Contabulari est tabulatis communiri. Sic contabulatæ turres apud Cæsarem Liviumque. HARD.

2. *Septemtrionalibus fenestris sereno die patere.* Scribendum opinor, « Septemtrionibus fenestras sereno die patere; » quod tum verba sequentia monstrant, tum magis M.

specularibus[3] arcere, Aquilonis quoque afflatu poma deturpante rugis. Colligi mala post æquinoctium autumnale, neque ante XVI lunam, neque ante primam horam. Cadiva[4] separari; stramentis, storeis, paleisve[5] substerni. Rara componi[6], ut limites pervii spiritum æqualem accipiant. Amerina[7] maxime durare, melimela minime.

(XVII.) Cotoneis in concluso[1] spiramentum omne adimendum, aut incoqui melle ea, immergive oportere. Punica aqua[2] marina fervente indurari: mox triduo sole 2

Varro, quem sequi hac parte videtur Plinius. Ejus verba lib. I, cap. 59: « Hæc omnia in loco arido et frigido supraposita palea servari recte putant, etc. » Et Plinius lib. XVII, cap. 3: « Quidam cælum terræ parere cogunt, ut quæ in siccis serantur, orientem atque septemtrionem spectent. » Et præsenti volumine, cap. 25: « Inter prima hoc e pomis colono gratiam annuam refert, septemtrione frigidisque gaudet. » PINTIAN.—*Septemtrionalibus*. Varr. l. c. « Ideo oporothecas qui faciunt ad Aquilonem, ut fenestras habeant, atque ut aere perflentur, curant; neque tamen sine foriculis, ne quum humorem amiserint, pertinaci vento vieta fiant. » HARD.

3. *Austros specularibus arcere*. Ceu fenestris vitreis. De specularibus dicetur lib. XXXVI, cap. 45. HARD.

4. *Cadiva*. Quæ per se cecidere, non manu decerpta, aut decussa pertica. Et hæc vox *Cadivus* in Notis quæ vulgo adscribuntur Tironi, reperitur, p. 18. HARD.

5. *Stramentis, storeis, paleisve substerni*. Scribendum autumo, « Ramenta, scobes, paleasve substerni. » Plinius capite sequente: « Sunt qui malunt uvas in scobe, ramentisve abietis, populi, fraxini servare. » Columella libro duodecimo, cap. 45: « Atque ea ipsa nonnulli sic in aliis generibus, ut supra jam diximus populnea, quidam etiam abiegna scobe interposita, mala custodiunt. » PINT.

6. *Rara componi*. Laxe disponi, relicto inter singula intervallo, ut aere æquabiliter cuncta perflentur. HARD.

7. *Amerina*. De his, et de melimelis, cap. 15. HARD.

1. *In concluso*. Loco concluso, quo nullus vento sit aditus. Libri hactenus editi, *Cotoneis interclusis*. MSS R. Colb. Th. Chiffl. Par. *inconclusos spiramentum*, etc. Scripsi, *inconcluso*, loco nimirum: uti prius poma vulgaria in loco frigido siccoque contabulari dixit oportere, et septemtrioni sereno patere: nunc contra concludi cotonea jubet. Locum conclusum dixit Lucretius lib. IV, v. 460. HARD.

2. *Punica aqua*. Sic Geop. auct. lib. X, cap. 38, p. 272. Columella, lib. XII, cap. 44, p. 448:

siccata, ita ne nocturno rore contingantur, suspendi : et quum libeat uti, aqua dulci perlui[3]. M. Varro[4] et in doliis arenæ servari jubet : et immatura[5] obrui terra in ollis fundo effracto, sed spiritu excluso[6], ac surculo pice illito: sic etiam crescere amplitudine majore, quam possint[7] in arbore. Cætera mala[8] foliis ficulnis, præterquam cadivis, singula convolvi, cistisque vitilibus condi, vel creta[9] figlinarum illini.

3 Pira in vasis fictilibus picatis inversis obrui inter scrobes[1]. Tarentina serissime legi. Aniciana[2] servari et in

« Pœnus quidem Mago præcipit aquam marinam vehementer calefieri, et in ea mala granata, lino spartove illigata, paulum demitti, dum decolorentur : et exempta per triduum in sole siccari : postea loco frigido suspendi : et quum res exegerit, una nocte, et postero die, usque in eam horam, qua fuerit utendum, aqua frigida dulci macerari. » Eadem habet Palladius, lib. IV in Martio, tit. 10, p. 93. Hard.

3. *Aqua dulci perlui.* Idem Columel. loco citato. Dal.

4. *M. Varro et in doliis arenæ servari jubet.* Ita nunc legitur in lib. I de R. R. c. 59, p. 71 : « Mala punica demissis suis surculis in dolio arenæ. » Sic etiam auct. Geop. l. c. Hard.

5. *Et immatura.* Varro, l. c. « Etiam immatura quum hærent in sua virga, et demiseris in ollam sine fundo, eamque si conjeceris in terram, et obteres circa ramum, si extrinsecus spiritus afflet, ea non modo integra eximi, sed etiam majora, quam in arbore unquam pependerint. » Hard.

6. *Spiritu excluso.* Ne ventus afflet. Hard.

7. *Quam possint.* Sic ex MSS. em. Hard. cons. Chiffl. *possunt* Gr. et Al. Ed.

8. *Cætera mala.* Columella, lib. XII, cap. 45, p. 450 : « Nonnulli foliis ficulneis illigant, deinde cretam figularem cum amurca subigunt, et ea linunt mala, quæ quum siccata sunt, in tabulato, frigido loco et sicco reponunt. » Habet eadem Palladius, lib. III in Febr. tit. 25, p. 76. Hard.

9. *Vel creta.* Sic Apuleius Romanus in Geoponicis, lib. X, c. 21, p. 262 : Τινὲς δὲ κεραμεικῇ γῇ περιπλάσαντες, καθ' ἓν μῆλον ξηραίνουσι, καὶ ἀποτίθενται. « Quidam terra figulina singula mala oblinunt, siccant, et reponunt. » Hard.

1. *Inter scrobes.* Sic MSS. Reg. Colb. etc. Quare mox etiam sequitur, ex iisdem codd. *Sorbe quoque et scrobibus* : hoc est, perinde ac pira, de quibus dictum est proxime. Hard.

2. *Aniciana.* Varro l. c. « In sapa condita manere pira Aniciana et sementiva. » Hard.

passo. Sorba quoque et scrobibus, gypsato[3] operculo, duum pedum terra superinducta[4], in loco aprico, inversis vasis; et in doliis, ut uvas, cum ramis suspendi.

E proximis[1] auctoribus quidam altius curam petunt : 4
deputarique statim poma ac vites[2] ad hunc usum præcipiunt, decrescente luna, post horam diei tertiam[3], cælo sereno, ac siccis ventis. Similiter deligi et ex locis siccis, et ante perfectam maturitatem, addito ut luna infra terram sit : uvas cum malleolo[4] sarmenti duro, demptis forfice[5] corruptioribus acinis, in dolio picato recenti sus-

3. *Sorba vero et in scrobibus gypsato operculo, duum pedum terra superinducta.* Verba manifeste præpostero ordine scripta, sicque ut sentio restituenda : « Sorba vero et in scrobibus duum pedum gypsato, etc. » Columella libro XII, c. 15, unde hæc fuisse desumpta apparet perspicue : Plinius quoque eam lectionem confirmat paulo post, quum dicit : « Plerique vero in scrobe duum pedum altitudinis arena substrata et fictili operculo, deinde terra operto. » Adstipulatur et Palladius volumine secundo, titulo 15. Pint.—*Sorba vero et in scrobib. gypsato*, etc. Columella lib. XII, cap. 16; Varro lib. I, cap. 68. Dal. — *Sorba quoque.* Colum. lib. XII, cap. 16, pag. 424 : « Sorba, inquit, manu lecta, curiose in urceolos picatos adjicito, et opercula picata imponito, et gypso linito : tum scrobibus bipedaneis sicco loco intra tectum factis urceolos intra collocato, ut oblita ora eorum deorsum spectent : deinde terram congerito, et modice desuper calcato. » Habet eadem Palladius, lib. II, in Januar. tit. 15, pag. 45. Hard.

4. *Superinducta.* Ita Reg. 1. At Reg. 2, Colb. Th. et Ch. *superintecta*, videlicet ut sorba subintelligas. Hard.

1. *E proximis.* E recentioribus ac novitiis scriptoribus. Columellæ hæc verba, lib. XII, cap. 43, pag. 445 : « Omnis autem uva sine noxa servari potest, si luna decrescente, et sereno cælo post horam quartam, quum jam insolata est, nec roris quidquam habet, viti detrahatur. » Idem de pomis præcipit, cap. 45. Hard.

2. *Ac vites ad hunc usum præcipiunt*, etc. Ita MSS. omnes. Aut vites dixisse pro uvis, aut neutro genere arborem videtur pomum appellasse, ex qua demetuntur mala. Deputari vero arborem, vitemve, vindemiari est. Hard.

3. *Diei tertiam.* MSS. omnes, *post horam ceu tertiam.* Columella, *quartam.* Hard.

4. *Cum malleolo.* Malleolus dicitur palmes vitis novus, prioris anni flagello, sive sarmento innatus. Hard.

5. *Demptis forfice.* Colum. l. c. pag. 447 : « Vitiosa grana forficibus amputentur. » Hard.

pendi, exclusa omni aura[6] operculo et gypso; sic et sorba, ac pira: illitis omnium surculis[7] pice. Dolia procul ab aqua esse. Quidam sic[8] cum palmite in gypso condunt, capitibus[9] ejus scillæ infixis utrimque. Alii etiam[10] vina habentibus doliis, dum ne contingant ea uvæ. Aliqui mala[11] in patinis fictilibus fluitantia: quo genere et vino odorem acquiri putant. Aliqui omnia[12] hæc in milio servare malunt. Plerique vero in scrobe duum pedum altitudinis arena substrato, et fictili operculo, dein terra operto. Creta quidam etiam figlina uvas illinunt, siccatasque sole suspendunt; in usu, diluentes cretam. Eamdem pomis vino subigunt[13]. Mala vero generosissima eadem ratione crustant gypso vel cera: quæ nisi maturuerint[14], incremento

6. *Exclusa omni aura.* Ne introire spiritus possit. Colum. p. 451. Hard.

7. *Omnium surculis.* Hoc est, pediculis, sive petiolis. Colum. pag. 445: « Uvas quum desecueris a vite, continuo pediculos eorum impicato dura pice. » Et infra: « pix ferveat, in qua pediculi uvarum statim demittantur. » Hard.

8. *Quidam sic.* Colum. p. 447: « Nonnullis sicco flore gypsi obruunt uvas, quas non nimium maturas vitibus detraxerunt. » Hard.

9. *Capitibus.* Utroque capite *rami* illius, *ex quo uva pendet*, in scillæ *radicem* infixo. Hard.

10. *Alii etiam.* Colum. pag. 445, multo uberius hunc locum explanat, quem consule. Hard.

11. *Aliqui mala.* In ollam fictilem novam immissa, olla deinde in vini dolium immersa, ita ut ei innatet: id enim si fiat, et recentia semper mala erunt, et vinum ipsum odoratum, inquit Apuleius Romanus in Geop. lib. X, cap. 21, p. 263: Εἰς χύτραν καινὴν ἐντιθέμενα, πίθῳ οἰνηρῷ τῆς χύτρας ἐμβληθείσης, ὥστε πλεῖν ταύτην, τοῦ πίθου ἐπιχρισθέντος, ἔσται νέα, ὁ δὲ οἶνος εὐώδης. Quod et Democritus repetit l. c. cap. 28, pag. 267. Hard.

12. *Aliqui omnia.* In milio, Palladius, lib. III in Febr. tit. 25, pag. 76. In hordeo, ne putrescant, Apuleius, l. c. Hard.

13. *Vino subigunt.* Vel aqua. Columella, lib. XII, cap. 44, pag. 448: « Sed et Mago Carthaginiensis auctor est, creta figulari bene subacta recentia mala crasse illinire, et quum argilla exaruit, frigido loco suspendere. Mox quum exegerit usus, in aquam demittere, et cretam resolvere. Hæc ratio tamquam recentissimum pomum custodit. » Hard.

14. *Quæ nisi maturuerint.* Maturissima idcirco legi præcipit Columella, l. c. pag. 450. In MSS. Reg. Colb. 2, Chiffl. Th. *maturaverint.*

calycem rumpunt. Semper autem[15] in pediculos collocant[16] ea. Alii decerpunt cum surculis[17], eosque in medullam sambuci abditos obruunt, ut supra[18] scriptum est. 6
Alii singulis[19] malis pirisque singula vasa fictilia assignant, et opercula eorum picata dolio iterum includunt. Necnon aliqui in floccis[20] capsisque, quas luto paleato illinunt. Alii hoc quidem in patinis fictilibus : aliqui et in scrobe subjecta arena, ita sicca operiunt mox terra. Sunt qui cotonea cera Pontica[21] illita melle demergant. Columella auctor est, in puteos cisternasve in fictilibus[22] vasis pice

15. *Semper autem.* Columella, pag. 451 : « Substrata prædicta poma sic debent componi, ut flosculi sursum, pediculi deorsum spectent : quemadmodum etiam in arbore nata sunt. » HARD.

16. *In pediculos collocant.* Ut pediculi deorsum spectent, oculi sursum, quemadmodum etiam in arbore nata sunt. Columell. lib. XII, cap. 45. DAL.

17. *Alii... cum surculis.* Hoc est, cum pediculis, seu ramulis, e quibus ea pendent. Colum. pag. 449 : « Omne autem pomum quod in vetustate reponitur, cum pediculis suis legendum est : sed, si sine arboris noxa fieri possit, etiam cum ramulis; nam ea res plurimum ad perennitatem confert. » Et pag. 448, fossam fieri loco siccissimo præcipit, eoque infigi sambuci ramulos; deinde sereno cælo granata legi cum suis pediculis et sambuco inseri : « quoniam sambucus, inquit, tam apertam et laxam medullam habet, ut facile malorum pediculos recipiat. » HARD.

18. *Ut supra.* Hoc est, in scrobe duum pedum altitudinis, arena substrato et fictili operculo, dein terra operto. Sic etiam Colum. l. c. « Tum factæ scrobi operculum imponitur, et paleato luto circumlinitur, etc. » HARD.

19. *Alii singulis.* Apuleius, l. c. pag. 262, et Pallad. lib. III, in Febr. tit. 25, pag. 72. HARD.

20. *In floccis.* In lanarum floccis. Dalecampius *fossis* pro *floccis* reponit. Male. Nam ut floccos Plinius, sic tomenta pura ac nitida, quod idem ferme est, Apuleius ad hunc locum requirit, in Geop. lib. X, cap. 21, pag. 263 et 264 : Καὶ εἰς καμπτρία δὲ, inquit, συντίθενται μετὰ γναφάλων καθαρῶν, καὶ φυλάττεται. « Quin et in sinuosas capsas cum floccis, sive tomentis puris componuntur et conservantur. » Et Varro ipse de R. R. lib. I, cap. 59, pag. 71 : « Mala manere putant satis commode, alii substrata palea, vel etiam floccis, etc. » HARD.

21. *Cera Pontica.* Dicetur de eo ceræ genere lib. XXI, cap. 49. H.

22. *Columella auctor in puteos cisternasve in fictilibus vasis pice diligenti aura illitis mergi. Liguria maritima Alpibus proxima uvas sole sicca-*

diligenti cura illitis mergi. Liguria maritima Alpibus proxima uvas sole siccas junci fasciis involvit, cadisque
7 conditas, gypso includit. Hoc idem Græci[23] platani foliis, aut vitis ipsius, aut fici, uno die in umbra siccatis, atque in cado vinaceis[24] interpositis. Quo genere Coa uva, et Berytia servantur, nullius suavitati postferendæ. Quidam, ut has faciant, in cinere lixivio[25] tingunt protinus quam

tas junci fasciis involvit. Si hæc lectio recipiatur, falsum contra Columellam, conterraneum nostrum, scriptorem singulari doctrina et facundia, testimonium perhiberi sinemus; neque enim Columella in puteos cisternasve in fictilibus pice diligenti cura illitis mergi cotonea tradit, sed uvas. Quam ob rem dictio, quæ paulo post sequitur *uvas*, ex loco proprio emota ad superiorem aliquanto locum transferenda est, legendumque hoc pacto: « Columella auctor est in puteos cisternasve in fictilibus vasis pice diligenti cura illitis, mergi uvas. Liguria maritimis Alpibus proxima, sole siccatas junci fasciis involvit. » *Maritimis*, inquam, ipse lego, *non maritima*. Nam maritimarum Alpium frequens est apud hunc auctorem mentio, ut libro octavo, cap. 39, « Et circa maritimas Alpes quondam effossæ. » Colum. autem verba sunt: « M. Columella patruus meus ex ea creta qua fiunt amphoræ, lata vasa in modum patinarum fieri jubebat, eaque intrinsecus et extrinsecus crasse picari: quæ quum præparaverat, tum vero purpureas et bumastos, et numisianas, et duracinas uvas legi præcipiebat, pediculosque earum sine mora in ferventem picem demitti, et in prædictis patinis separatum sui cujusque generis ita componi, ne uvæ inter se contingerent: post hos opercula superponi et oblini crasso gypso, tum pice demum dura quæ igni liquata esset, sic picari, ne quis humor transire possit, tota deinde vasa in aqua fontana, vel cisternina ponderibus impositis mergi, nec ullam partem earum pati exstare: sic optime uva servatur. » Pint. — *Columella.* Id quidem de uvis præcipit lib. XII, cap. 43, quas eadem arte ac poma servari Plinius admonuit. Hard.

23. *Hoc idem Græci.* Columella, lib. XII, cap. 6, pag. 424: « Quidam uvam passam foliis ficulneis involvunt et assiccant: alii foliis vitigineis: nonnulli plataninis, semivietas uvas contegunt, et ita in amphoras recondunt. » Hard.

24. *Vinaceis interpositis.* Quid sint vinacea, diximus lib. XIV, cap. 3. Hard.

25. *In cinere lixivio.* Colum. l. c. « Sunt qui culmos fabæ exurant, et ex eo quod cremaverint, cinere lixiviam faciant, etc. » Ex cinere ficulneo aut vitigineo lixiviam fieri monet auctor Geop. lib. IV, cap. 14, pag. 115, qua tingebantur uvæ, ut Coæ quodammodo ac Berytiæ fierent. Hard.

detraxere vitibus, mox in sole siccant: tum foliis (ut supra dictum est) involutas vinaceis stipant. Sunt qui malunt uvas scobe[26] ramentisve abietis, populi, fraxini servare. Sunt qui suspendi procul malis[27], protinusque in granariis jubeant, quoniam optime sit operimento pulvis pensilibus. Contra vespas[28] remedio est, oleo aspergi ex ore. De palmis[29] diximus.

XIX. (XVIII.) E reliquo[1] genere pomorum ficus amplissima est[2], quædamque et piris magnitudine æmula. De

26. *Sunt qui malunt uvas scobe ramentisve abietis, populi, fraxini servare.* Ex Columella hoc quoque, ut supra visum est libro XII, cap. 43; sed de abiegna populneaque scobe mentio illi tantum, de fraxini nulla omnino. Pint. — *Sunt qui malunt uvas*, etc. Columellæ verba hæc sunt: « Quidam arida populnea, vel abiegna scobe virides uvas custodiunt. » Vide et cap. 44. — *Ramentisve abietis, populi,* etc. Eam materiam Græci vocant ῥινήματα sive ῥινίσματα, πρίσματα, πελεκύσματα, λεπίσματα, τορνεύματα. Hippocr. lib. de ulcer. ἰχθυήματα. D.

27. *Malis.* Vet. *malint.* Ed. — *Procul malis.* Procul a pomorum vicinio. Docet hoc ipsum auctor Geop. lib. IV, cap. 14, pag. 115: Φυλάττονται δὲ αἱ σταφυλαὶ, etc. « Servantur, inquit, uvæ multo tempore, in borreis sive granariis frumenti suspensæ, præsertim si frumentum sæpius moveatur: pulvis enim inde excitatus, uvis quæ pendent insidens, plurimum confert ad diuturnitatem. » Pira similiter commendat Martial. lib. I, ep. XLIV: « Quæ lenta pendent religata genista. » Hard.

28. *Contra vespas.* Ita Geopon. auctor, ex Democrito, lib. IV, cap. 9, pag. 108: Ἔλαιον ῥοφήσας πρόσρανον, ὥσπερ ἐμφυσῶν, ταῖς ἀμπέλοις, καὶ ταῖς σταφυλαῖς, καὶ ταῖς ἄλλαις ὀπώραις. Lemma capitis erat: ὥστε σφῆκας μὴ ἅπτεσθαι ἀμπέλων, etc. quanquam est proprie, ut suo loco monuimus, crabro, non vespa, σφήξ. Hard.

29. *De palmis.* Lib. XIII, cap. 9. Hard.

XXI. 1. *E reliquo.. pomorum.* Pomi appellatione venit etiam ficus, et apud Palladium, lib. IV in Martio, tit. de ficu. Elegantem de ea re disceptationem vide apud Macrob. Saturn. lib. II, cap. 16, pag. 378. At tenuit deinde usus, ut quemadmodum caulium appellatio deflecteret a generis significatione ad brassicam privatim designandam, ita pomum pro malo caperetur. Hard.

2. *Ficus amplissima est.* Græcis proverbium est σῦκον σύκῳ, de rebus valde similibus, ut ovum ovo, lac lacti, aqua aquæ. Priscus Comicus apud Ciceronem: σύκῳ, μὰ τὴν Δήμητρα, σῦκον οὐδὲ ἓν οὕτως ὅμοιον γέγονεν. Victor. cap. 5, 36, 37. Dalecamp. — *Ficus carica.* (*Diœc. triand.* gen. 2193, Pers

Ægyptiæ Cypriæque miraculis retulimus[3] inter externas. Idæa rubet[4] olivæ magnitudine, rotundior tantum, sapore mespili. Alexandrinam hanc ibi vocant, crassitudine cubitali[5]: ramosam, materie[6] validam, lentam, sine lacte, cortice viridi, folio tiliæ[7], sed molli. Onesicritus tradit in Hyrcania multum nostris esse dulciores, fertilioresque, ut
2 quæ modios CCLXX singulæ ferant. Ad nos ex aliis transire

Urticæ, Juss.) De ea jam fuse supra diximus, XIII, 14 et 15. Sunt inter præcipuas, de quibus Noster hoc libro agit, varietates : *alba ac nigra*, *petite figue blanche ou précoce ;* fructu serotino, albido, *figue de Marseille ; nigra*, fructu nigro, intus purpurascente, *figue noire ;* fructu nigro, intus albo, serotino, *figue noire blanche;* ad hanc referenda est *Alexandrina* e nigris, de qua paulo supra dictum est. Ed.

3, *Retulimus.* Lib. XIII, cap. 14 et 15. Hard.

4. *Idæa rubet.* De Idæa Theophrast. Hist. pl. lib. III, cap. 17 : « Idæa, inquit, fruticosa est, minime procera, tam crassa ut cubitalis ambitus sit. Lignum contortum, lentum, inferne minime nodosum, superne in orbem comosum : colore folii, et corticis livido : folio tiliæ, molli, lato, paris magnitudinis : flore mespili, qui simul cum mespilo prodit : fructu rubro, magnitudine olivæ, rotundiore, gustu mespili : crassa radice, ut fici, et lenta. Lignum non putret, et solidum cor habet, non medullam. » Hæc est Theophrasti integra descriptio, a qua Plinius quid dissideat, lector prudens judicare potest. Dalec.—*Idæa.* Ab Ida monte Troadis, Idæa : ab Alexandria ejusdem regionis oppido, Alexandrina nominata. Theophr. Hist. lib. III. cap. 17, de lauro, ficu, et vite Alexandrina : Ἴδια δὲ καὶ τάδε περὶ τὴν Ἴδην ἐςίν. Οἷον ἥτε Ἀλεξανδρεία καλουμένη δάφνη, καὶ συκῆ τις, καὶ ἄμπελος. Sunt qui ab Alexandro Paride malint nomen traxisse, quem ea coronatum ferunt. Hanc porro ficus Idææ descriptionem hausit ex Theophrasto Athenæus, lib. III, pag. 77. Hard. — Paulo post Dalec. legendum hic esse putat : *Alexandrinam et ibi natam laurum vocant. Onesicritus*, etc. Ed.

5. *Crassitudine cubitali.* Sic locum hunc interpunximus, ut cubitali ambitu, non ramos, sed caudicem, intelligeres : ex Theophr. l. c. Ἡ δὲ συκῆ θαμνῶδες μὲν, καὶ οὐχ ὑψηλὸν· πάχος δ' ἔχον, ὥςε καὶ πηχυαῖον εἶναι τὴν περίμετρον. Hard.

6. *Cubitali : ramosa materie : validam.* MS. Lege : *ramosam*, *materia valida*, *lenta.* Ed. — *Materie.* Ligno numquam putrescente. Theophrast. Ἀσαπὲς δέ ἐςι τὸ δένδρον. Hard. — *Lentam.* Ξύλον γλισχρὸν, Theophr. viscosum, lubricam. Hard.

7. *Folio tiliæ.* Hoc est, simili tiliæ foliis, mollique et lato. Theophr. Τὸ δὲ σχῆμα τῶν φύλλων ὅμοιον τῷ τῆς φιλύρας, καὶ μαλακὸν δὲ, καὶ πλατύ. Hard.

gentibus, Chalcide[8], Chio : quarum plura genera[9]. Siquidem et Lydiæ[10], quæ sunt purpureæ, et mamillanæ[11], similitudinem earum habent : et callistruthiæ[12] parum sapore præstantiores, ficorum omnium frigidissimæ. Nam de Africanis[13], quas multi præferunt cunctis, magna quæstio est : quum id genus in Africam nuperrime transierit, patriæ nomen obtinent. Nam Alexandrina[14] e nigris est, candicante[15] rima, cognomine delicatæ. Nigra et Rhodia[16]

8. *Chalcide*, etc. Unde Chiæ ficus, et Chalcidicæ, Herodoto Lycio in opere *De ficubus* appellatæ, apud Athen. lib. III, pag. 77. Lydiæ quoque purpureæ, apud eumdem, pag. 76, Αἱμώνια σῦκα Λύδια, a sanguineo colore. HARD.

9. *Plura genera*. Albæ scilicet et nigræ. Macrobius Sat. lib. II, cap. 16, pag. 377 : « Cloatius, inquit, diversas ficos diligentiæ suæ more dinumerat Africa... Chalcidica alba, nigra : Calpurniana alba, nigra, etc. » Scripsit Passeratius carmen haud iuvenustum de ficu, kal. jan. 1590. HARD.

10. *Lydiæ*. Harum, præter Athenæum l. c. meminit etiam Macrobius modo laudatus. Columella quoque in Hortulo : *Et picto Lydia tergo*. — *Purpureæ*. Ficus nitida purpureo fructu, *figue violette*. BROT.

11. *Mamillanæ*. A mammarum forte similitudine aliqua, ut pira mammosa, de quibus, cap. 19, nomen traxere. HARD.

12. *Callistruthiæ*. Lego : *Callistr. haud parum*, ex Athenæo, apud quem lib. III, Magnus omnibus præfert, quæ ubivis nascantur. Ibidem laudatur multum ficus e Paro, quam αἱμωνίαν a sanguinis colore vocabant. Victor. XXXVI, cap. 4. DALEC. — *Callistruthiæ*. Jul. Capitolinus in Albino, pag. 83 : « Quingentas ficus passarias, quas Græci callistruthias vocant, jejunum comedisse aiunt, etc. » Καλλιστρουθίας Athenæo, lib. III, pag. 75, quarum suavitatem nulli postferendam pronuntiat. Columella in Hortulo : « Et callistruthiis roseo quæ semine ridet. » HARD. — *Callistruthiæ*. Fructu præcoci, intus roseo, *figue cordelière, servantine*. BROT.

13. *Africanis*. De his Martialis, lib. VII, ep. LII : « Et Libycæ fici pondere testa gravis. » Africanas vocat Colum. lib. V. c. 10, p. 201. H.

14. *Nam Alexandrina e nigris est*. In aliis exemplar. tam scriptis quam excusis : « Nam Alexandrina e nigris est candicans, terena cognomine delicata. » Ex quibus verbis postremum, expositionem fuisse credimus dictionis illius *terena*, eumdem intellectum græcæ habentis. PINT. —*Alexandrina*. Ab Ægypti Alexandria : nam alterius fructus rubet, ut dictum est ex Theophr. HARD.

15. *Candicante*. Quum hiat, albet. Hæc, opinor, ea ficus est, quæ Columellæ, lib. X in Hort. pag. 359, *Scissa Libyssa* dicitur. H.

16. *Rhodia*. Meminit hujus Athen. lib. III, pag. 75. HARD.

3 est, et Tiburtina de præcocibus[17]. Sunt[18] et auctorum nomina iis, Liviæ, Pompeiæ: siccandis hæc[19] sole in annuos usus aptissima, cum mariscis[20], et quas arundinum[21] folii macula variat. Est et Herculanea[22], et albicerata[23], et aratia[24] alba, pediculo minimo, latissima. Primo autem provenit porphyritis[25], longissimo pediculo. Comitatur eam e minimis et vilissimis, popularis dicta. Contra novissima sub hieme maturatur chelidonia[26]. Sunt præ-

17. *De præcocibus.* Protericas et Prodromos vocat Macrob. lib. III Saturn. DALEC. — *De præcocibus.* Gallic. *figues hatives.* Sunt in horto Regio. HARD.

18. *Sunt et auctorum.* Dedere iis sua nomina, quibus eæ maxime placuere. Liviis quidem Livia, quæ Augustum maritum ficubus venenatis sustulisse ferebatur, inquit Dio lib. LVI, pag. 589. Hæ Macrobio l. c. Livianæ: istæ Pompeianæ vocantur. De Livia Columella in Hortulo: « At gravis Arcturi sub sidere parturit arbos Livia, Chalcidicis, et Caunis æmula Chiis. » HARD.

19. *Siccandis hæc.* Hæc, inquit, genera apta snnt, quæ sole siccentur, coudanturque in annuos usus. Ita MSS. omnes. HARD.

20. *Cum mariscis.* Pingues mariscas appellat Columella in Hortulo. Italis *Fico lardare*, auctore Joh. Bapt. Porta: sapore injucundo, stolida magnitndine, pinguedine eximia: soles passa ad servandum aptior, qnam viridis ad escam. Fatuas idcirco mariscas appellat Martialis, nec habet in pretio, lib. VII, ep. XXIV. Chias contra commendat: « Infanti melimela dato, fatuasque mariscas: Nam mihi, quæ novit pungere, Chia sapit. » HARD

21. *Arundinum. Grandinum in foliis.* Nisi Laconicam arundinem intelligat, cujus folium versicolor est, Theophr. Histor. lib. IV, c. 12. DALEC. — *Et quas arundinum.* Quæ arundinis Laconicæ in morem diversicolores, maculosæque sunt. De hoc arundinum genere Theophr. item agit in Historia. Genera ficuum ex elementorum serie dinumerans Macrob. loc. cit. « Africa, inquit, albula, arundinea, asinastra, etc. » HARD.

22. *Herculanea.* Macrob. l. c. H.

23. *Albicerata.* Quod ex albo cerino colore est. Colum. in. Hortul. « Albaque, quæ servat flavæ cognomina ceræ. » HARD.

24. *Aratia.* Sic Th. et Colb. *Aritia*, Reg. Athenæus ex Theophr. lib. III, pag. 77, Charitiam, et Arateam vocat, ἡ Χαρίτιος, Ἀράτειος καλουμένη. HARD. — *Aratia alba.* Fructu globoso, albo, *figue grosse blanche*, *ronde*. BROT.

25. *Porphyritis.* Nigricans in modum purpuræ ficus, πορφυρῖτις. HARD.

26. *Chelidonia.* Eam Athenienses vocabant Erythromelænam. DAL. — *Chelidonia.* Purpureæ Chelido-

terea[27] eædem serotinæ et præcoces, biferæ, alba ac nigra,
cum messe vindemiaque maturescentes. Serotinæ et a corio
appellatæ[28] duro : ex Chalcidicis quarumdam trifero[29] pro-
ventu. Tarenti tantum prædulces nascuntur, quas vocant
onas[30]. Cato de ficis ita memorat[31] : « Ficos mariscas in loco 4
cretoso[32] aut aperto serito. In loco autem crassiore aut
stercorato Africanas, et Herculaneas, Saguntinas, hiber-
nas[33], Telanas atras[34] pediculo longo. » Postea tot subiere
nomina atque genera, ut vel hoc solum æstimantibus ap-
pareat, mutatam esse vitam. Sunt et hibernæ quibusdam
provinciis, sicuti Mœsiæ, sed artis, non naturæ. Parvarum
autem genus arborum post autumnum fimo contegunt :

niæ, apud Colum. lib. X in Hortul. pag. 359. Hard. — *Chelidonia.* Fruetu purpureo, tarde matnreaceute, *figue petite bourjassotte*. Brot.

27. *Sunt præterea.* Suut præterea, inquit, biferæ, alba, nigraque, quæ et serotiuum eædem eum vindemia, et præeocem pariter eum messe fruetum ferant. Hard.

28. *Serotinæ et a corio appellatæ duro.* Quid si legas uon *serotinæ*, sed exigua similia litterulæ mutatione, *scrotinæ*, nota siguificatione verbi *scrotum*. Pint. — *Serotinæ et a corio.* Serotiuæ, inquit, duricoriæ sunt : sie enim eas appellat Macr. Sat. lib. II, cap. 16, pag. 377. Hard.

29. *Trifero.* Biferas ae triferas aguoscit Colum. lib. V, cap. 10, pag. 201. Hard.

30. *Vocant onas.* Sie MSS. omnes, uon *omas*. Forte, ὠνίας, *venales, pretiosas*. Hard.

31. *Cato de ficis ita memorat :* « *Ficus mariscas in loco cretoso,* » etc. Diverso ordine in Catone leguntur hæe verba capite octavo : « Ficus, inquit, mariscas in loco cretoso aut aperto serito : Africanas et Herculanas, Saguntiuas, Hibernas, Telanas, atras, pediculo longo, eas in loco erasso aut stercorato serito. » P. — *Cato de ficis.* De R. R. eap. VIII, pag. 14. Hard.

32. *Ficos mariscas in loco cretoso.* Ex hujus fici similitudiue podicis ulcus attritu geuitum, ut in pathicis ex obscena libidine; in iis, qui equo nudo insident, ex uimio natium affrictu, mariscam et ficum olim vocaveruut. Juveu. II, 13 : « Cæduntur tumidæ medico rideute mariscæ. » Mart. « Stragula sueeineti venator sume veredi; Nam solet a uudo surgere ficus equo. » Dalec.

33. *Hibernas.* Quæ videlicet superius Chelidouiæ nomiuatæ : quæque sub hieme novissimæ maturantur. Hard.

34. *Telanas atras.* Sie ista conjunctim legenda, ex Macrobio, l. e. non *Telanas, atras*, vel *Tellianas, atras*. Hard.

deprehensasque[35] in hieme grossos, quæ mitiore[36] cælo refossæ cum arbore, atque in lucem remissæ, novos soles, aliosque, quam quibus vixere, avide, tamquam iterum natæ, accipiunt: et cum venicntium flore maturescunt[37], alieno præcoces anno, in tractu vel gelidissimo.

1 XX. Sed a Catone appellata jam tum Africana, admonet et Africæ, ad ingens documentum uso eo pomo. Namque perniciali odio Carthaginis flagrans, nepotumque securitatis anxius, quum clamaret omni senatu Carthaginem delendam[1], attulit quodam die in curiam præcocem ex ea provincia ficum: ostendensque Patribus; « Interrogo[2] vos, inquit, quando hanc pomum demptam putetis ex arbore[3]? » Quum inter omnes recentem esse constaret:

35. *Deprehensasque*. Et quas in arbore pendentes grossos, hoc est, virides adhuc nec maturas ficus, hiems deprehendit. Hard.

36. *Quæ mitiore*. Vere ineunte. H.

37. *Et eum venientium flore maturescunt*. Lego contra omnia exemplaria non *venientium*, sed *vernantium*. Pint. — *Et cum venientium*. Ex quo tempore alterius anni ficus vix florem ex arbore exserunt, ipsæ maturescunt, alieno anno: sic eæ præcoces vulgo creduntur, quoniam justum maturescentium tempus antevertunt. Hard.

XX. 1. *Quum clamaret omni senatu Carthaginem delendam*. Reclamante Scipione Nasica, ne urbis æmulæ sublato metu, felicitas romana luxuriaretur: qua ratione Lacedæmoniorum oppido diruto ingemuerunt, dicentes, οἴχεσθαι τὸ πάλαισμα τῶν νέων, et captum oppidum everti a rege noluerunt, ne tolleretur ἡ τῶν νέων ἀκόνη. Rhod. lib. XXVII, cap. 1. Dalec. — *Omni senatu*. Hoc est, omni senatus consessu, quoties convenirent Patres, de re aliqua deliberaturi: ad suam sententiam semper id adjiciebat Cato, delendam Carthaginem. Ita Florus, lib. II, cap. 15, p. 84. Plut. in Cat. Maj. pag. 352: « Quacumque de re sententiam rogaretur, respondebat, Hoc censeo, et Carthaginem præterea excidendam. Δοκεῖ δέ μοι, καὶ Καρχηδόνα μὴ εἶναι. Contra P. Scipio Nasica: Δοκεῖ μοι Καρχηδόνα εἶναι. Vide Livium in Epit. lib. XLIX. Hard.

2. *Interrogo*. Hæc iisdem ferme verbis Plutarch. l. c. narrat. Attigit Tertullian. ad Nation. lib. II, cap. 16: « Ficum viridem Romæ nemo noverat.... Ficum Cato Senatui intulit, ut quo jam Provincia hostilis esset, cui sub.... semper instabat, exprimeret. » Hard.

3. *Quando hoc pomum demptum putetis ex arbore*. Utrumque exemplar, « quando hanc pomum demptam putatis ex arbore: » et paulo post *decerptam* in eisdem legitur, non *decerptum*; quod est notatu

« Atqui tertium, inquit, ante diem scitote decerptam[4] Carthagine : tam prope a muris habemus hostem. » Statimque 2
sumptum est Punicum tertium[5] bellum, quo Carthago deleta est ; quanquam Catone anno sequente[6] rapto. Quid primum in eo miremur ? curam ingenii[7], an occasionem fortuitam, celeritatemque cursus, an vehementiam viri? Supra omnia[8] est, quo nihil equidem duco mirabilius, tantam illam urbem, et de terrarum orbe per cxx annos æmulam, unius pomi argumento eversam : quod non Trebia[9], aut Trasymenus, non Cannæ busto insignes romani nominis, perficere potuere : non castra Punica[10] ad tertium

dignum : item *quamdiu* libentius legerim, quam *quando*, *et decerptam putatis*, quàm *demptam*. PINT. — *Hanc pomum.* Sic MSS. omnes Reg. Colb. Th. etc. *hanc pomum demptam.* Et sane mox *recentem* eadem lege sequitur, etiam in iis libris vulgatis, in quibus *hoc pomum demptum* legitur. HARD.

4. *Decerptam.* Sic MSS. omnes. H.

5. *Punicum tertium.* Epitome Livii, lib. XLIX. Obsideri, oppugnarique cœpta est Carthago, L. Marcio, M. Manilio coss. hoc est, ann. U. 605. HARD.

6. *Anno sequente.* Hoc est, anno post hanc concionem sequente, jam exacto. Nam ut Velleius ait, lib. I, p. 5 : « Ante triennium, quam Carthago deleretur, M. Cato, perpetuus diruendæ ejus auctor, L. Censorino, M. Manlio coss. mortem obiit. HARD.

7. *Curam ingenii.* Quæsitane ea ficus fuerit meditatione ingenii, an oblata fortuito. HARD.

8. *Supra omnia.* Bene MSS. Regg. edit. princeps et Cl. Rezzonicus, *super omnia est.* BROT.

9. *Trebia.* De clade Romanorum ad Trebiam, Trasymenum, et Cannas, vide Florum, lib. II, cap. 6, pag. 60, et sqq. HARD.

10. *Non castra Punica ad tertium*, etc. Quum Hannibal ad Romam noctu legiones ducere cœpit, ut ait Ennius, quibusdam nocturnis terriculamentis tantus pavor ejus milites invasit, ut inde pedem retulerint. Quo facto Tutano Deo ibi fanum consecrarunt, ac ideo rediculum appellaverunt. Varro in Satyra, Hercules tuam fidem : « Noctu Hannibalis quum fugavi exercitum, Tutanus hoc, Tutanus Romæ nominor : Hoc propter, omnes, qui laborant invocant. » SCAL. ex Nonio. — *Non castra Punica.* Livius, lib. XXVI, p. 282 : « Inter hæc Hannibal ad Anienem fluvium, tria millia passuum ab Urbe castra admovit. Ibi, stativis positis, ipse cum duobus millibus equitum ad portam Collinam usque ad Herculis templum est progressus : atque unde proxime poterat, mœnia situmque Urbis obequitans contemplabatur. » Nomen habet porta

lapidem vallata, portæque Collinæ adequitans ipse Hannibal. Tanto propius Carthaginem pomo Cato admovit[11].
3 Colitur ficus arbor in foro ipso[12] ac Comitio Romæ nata

Collina a collibus Quirinali et Viminali, æquata ibi planitie conjunctis. HARD.

11. *Admovit.* Sic optime MS. Reg. 2. In MS. Reg. et ed. principe, *admonuit.* Male Rezzonicus, *adiri monuit.* BROT.

12. *Colitur ficus arbor in foro ipso ac comitio Romæ*, etc. Hæc perturbata sunt, et ficus duas Romanis sacras confundunt: alteram Ruminalem, natam jam tum in Curmanico, ut scribit Plutarchus in Romulo, haud procul a Tiberi, quum expositi sunt Romulus et Remus, sub qua rumam infantibus lupa præbuit, ab eo miraculo sic appellatam: alteram Naviam in comitio, satam ab Attio Navio augure; an sumptis ex Ruminali stolonibus, nondum reperi. Clarius hoc ut fiat, adscripsi, quæ hac de re tradit Festus in dictionibus Navia et Ruminalis. Priore quidem loco quæ integra sunt lege usque ad hæc verba, « jussit rex cotem, ac novaculam: » deinde subjunge quæ in codice Romæ edito sequuntur minus lacera, hoc modo... « novaculam proferri; qua prolata, quum interrogatus augur, an cos illa posset præcidi, respondisset posse, novacula subito præcidit, quo facto, Navium, ex eo Tarquinio nihil auso, contra amplius facere, novaculam illam ac cotem sub locum consecratum defodi jussisse, et ficum ab eo satam ibi esse, intra id spatium loci, qui contentus sine sacro sit; eamque, si quando arescere contigisset, subseri, sumique ex ea surculos jussisse: quo facto tantos intra temporis tractus, quum aliæ in eo loco complures ficus enatæ essent, atque eæ evulsæ deinde de sacro illo loco radicibus removerentur, omnes quæ inibi tunc temporis erant, ficum præter unam illam ejectas fuisse, admonitu fatali ac jussu imprimis aruspicum, et divinis etiam responsis promittentibus, quamdiu ea viveret, libertatem populi romani incolumem mansuram, ideoque coli et subseri ex illo tempore cœptam. » Hæc scilicet Navia ficus, ad puteal Libonis in comitio a Navio depacta. Altera, Ruminalis appellata, quod sub ea arbore lupa rumam, id est, mammam, Romulo et Remo dederit, sub veteribus (sub. tabernis) prope curiam fuit, ut auctor est Varro. Hæc est illa altera, quam a Navia panci distinxerunt, eamdem esse utramque arbitrati. Ego sic locum hunc totum lego: « Colitur ficus in foro ipso Romano, in foro judiciario (prope curiam sub veteribus tabernis) ac comitio (ad Libonis puteal), sata ab augure Attio Navio, sacris ibi conditis, (novacula et cote, quam cotem præciderat) et tamquam in comitium sponte transisset (e curia Ruminalique ficu, nec illam sevisset Navius). Illa quum arescit, rursus cura sacerdotum seritur. Magis altera (sub. colitur) ob memoriam ejus (lupæ), quæ nutrix fuit Romuli ac Remi conditoris (*condito-*

sacro[13] fulguribus ibi conditis[14]: magisque ob memoriam

rum), Ruminalis appellata, quoniam sub ea iuventa est lupa, infantibus præbeus rumam, ita vocabaut mammam, miraculo ex ære juxta dicato.» Quamvis fori, id est, amplissimæ et latissimæ plateæ partem fuisse Comitium dicant, curiam tamen a Libonis puteali, prope quod Attius ficum sevit, distare, Veterum scripta ostendunt. Apud Tacit. sub fio. lib. XIII leg. videtur: «Eodem anno ruminalem arborem in foro, quæ super octingentos et quadraginta aute annos, etc.» quod scilicet ruminalem veram significat, quæ Remum ac Romulum ejectos texit: non alteram illam quæ a Navio depacta est. Quoniam libertatis fauum iu Navia viva et virente situm erat. Quum illa exaruisset sub Nerone, qui moribus suis perditissimis exitium publici status moliebatur, mortuis ramalibus diligentisime culta est, donec in novos fœtus revivisceret. SCAL. — *Colitur ficus.* De ea Varro, de R. R. lib. II, cap. 11, p. 93. Cave porro, vel Scaligero eredas, hunc locum ita corrnmpenti: «Colitur ficusarbor iu foro Romina, jam supra fulguribus ibi conditis: magisque ob memoriam ejus.... quam tamquam in comitium sponte transevisset, ab Accio Navio. Illico arescit, etc.» Aut alteri scriptori novitio, sic refingenti: «Colitur ficus arbor in foro ipso Romina, tam sacraquam fnlguribus ibi conditis.» Neuter enim ut eum locum integritati. suæ restitueret, mentemque scriptoris assequeretnr, codices conditivos consuluit: sed ingenii audacis conjecturæ emendandique libidini plus æquo indulsit. HARD.

13. *Ac comitio.... sacra*, etc. Victor, in Regione Urbis octava: «Ficus Ruminalis iu Comitio, ubi et Lupercal.» Et sacrum *idcirco Comitium* est, quod ibi condita sunt fulgura. *Sacro* autem MSS. Reg. Colb. Th. etc. non *sacra*. Subintellige, comitio, foroque. Seneca Natt. Quæst. lib. II, scribit Romanos olim quum crederent nisi fato fulmina non decidere, cæsis hostiis, exstructisque aris, adhibito sacerdote, velut iu procurationem malorum, condere ea solitos, ubi decidissent. Condi enim dicebantur, quum sacerdos dispersos ignes iu uuum redigeret, et quadam tacita prece conderet, et consecraret. Hunc morem Lucanus insinuat, lib. I, v. 606: «Aruns dispersos fulminis ignes Colligit, et terræ mæsto cum murmure condit.» Loco sacro fulguribus ibi conditis, statim imponebatur ab augure sacellum, et ara. Sacer autem ac religiosus fieri statim putabatur locus, qui fulgure ictus esset, quod eum sibi Deus dicasse videretur, inquit Festus, verbo *Fulguritum*. Nisi tamen MSS. exemplaria, quæ proxime laudavimus, et alia quæ Salmasius vidit, ipso prodente in Solin. pag. 1136, *sacro* exhiberent, *sacra* legi hoc loco, vel ex ipsa orationis structura ac serie, præstabilius videretur: quum et ipsa ficus, juxta quam et fulgura condita fuere, et ara imposita, perinde sacra idcirco, ac forum ipsum existimari merito possit. HARD.

14. *Fulguribus ibi conditis.* Nam quum puteus illic effossus de cælo

ejus[15], quæ nutrix fuit Romuli ac Remi conditoris (ruminalis) appellata : quoniam sub ea inventa est lupa infantibus præbens rumen[16] (ita vocabant mammam), miraculo ex[17] ære juxta dicato, tamquam in Comitium sponte transisset[18], Atto

tactus esset, locus is procuratus, operculo imposito, Puteal vocatus est : τὸ τοῦ φρέατος πῶμα. Dal.

15. *Ob memoriam ejus.* Alterius ficus, quæ vere ac proprie Ruminalis fuit, quod rumim, hoc est, mammam Romulo, Remoque præbuit : non in Comitio sata, ut illa prior ; sed ad Tiberis ripam, in Cermolo, sive Germalo, quo aqua hiberna Tiberis infautes detulerat, in alveolo expositos, inquit Varro, lib. IV, de L. L. pag. 16. Et ob hujus memoriam, altera illa, quæ in Comitio fuit, Ruminalis quoque est appellata, quum ab aliis Navia diceretur, quod esset ibi ab Atto Navio augure sata, ut Festus refert. Hanc ficum sacram pro Curia positam vocat Dion. Halic. lib. III, pag. 204. Prioris, quæ vere Ruminalis fuit, meminit Aurel. Victor, in Origg. gentis Rom. pag. 40. Remus porro, perinde ac Romulus Urbis conditor appellatur : quod et Livius facit, mox laudandus. Fuerit hæc sane vulgi opinio : quam Plinius, veritatis sedulus investigator, osorque sincerus fabularum, haud obscure sugillat, quum ait, juxta ficum Naviam miraculum lupæ pueros lactantis ex ære dicatum, tamquam in Comitium, ubi Navia ficus fuit, Rumiualis a Cermalo sponte transisset. Hard.

16. *Rumen.* Ruma, Rumis, Rumen, Rumin, ut germen, germin, Mamma. Inde Rumia dea, apud sacellum, cujus Varr. II, c. 2, scribit, a pastoribus satam ficum, eam nimirum, cujus hic auctor meminit. Inde lactantes agni, subrumi, rumi. Varro de liberis educandis apud Nonium : « Hisce Manibus lacte fit, non vino : Cuninæ propter cunas : Rumiæ propter rumam. » Idem et eodem opere scribit, quum a lacte depulsos pueros primo cibo et potione initiarent, sacrificari solitos, ab edulibus, Edusæ ; et a potione, Potinæ nutrici. Nonius in Edusa et Sacrificari. Dalec. — *Rumen.* Ita Colb. 1. At *rumin* Reg. Th. etc. Festus, verbo *Ruminalis* : « Mamma antem rumis dicitur. » Nonius, cap. II, p. 756 : « Rumam veteres mammam dixerunt. » Hinc jocus Pomponii apud eumdem Noninm : « Ego rumorem parvifacio, dum sit rumen qui impleat. » Plutarchus in Romulo, pag. 19, et in Quæst. Rom. p. 278 : Τὴν θηλὴν Ῥούμαν ὠνόμαζον οἱ παλαιοί. Hard.

17. *Ex ære.* Et cancellis æneis Curiæ circumdatam hanc in foro Comitioque ficum, scribit Dion. Halic. ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς ... τοῦ βουλευτηρίου κιγκλίσι χαλκαῖς περιειργομένη. Livius lib. X, pag. 178 : « Ad ficum Rumiualem simulacra infantium conditorum Urbis sub uberibus Lupæ posuerunt. » Hard.

18. *Sponte transisset.* A Cermalo, ut dictum est, et Tiberina ripa. Cui prodigio aliud plane par narratur a Plinio Neronis principatu

Navio[19] augure. Illic arescit[20]; rursusque cura sacerdotum seritur. Fuit et ante Saturni ædem[21], Urbis anno CCLX 4
sublata, sacro a Vestalibus facto, quum Silvani simulacrum subverteret[22]. Eadem fortuito satu vivit in medio foro, qua sidentia imperii fundamenta ostento fatali Cur-

accidisse; vide lib. XVII, cap. 38: Vectii Marcelli oliveto universo viam publicam transgresso, arvisque inde e contrario in locum oliveti profectis. Id sane Tacitus existimasse videri possit, Annal. lib. XIII, pag. 217, qui Nerone tertium, Valerio Messala Coss. scribit Ruminalem arborem, in Comitio, mortuis ramalibus, et arescente trunco deminutam esse, idque prodigii loco habitum, donec in novos fœtus revivisceret: eamque ipsam esse, « quæ super DCCCXXX annos Remi Romulique infantiam texerat, » quam a Comitio procul positam fuisse vidimus. HARD.

19. *Atto Navio.* De hoc augure vide Festum, verbo *Navia:* « Ficus quoque in Comitio appellatur Navia ab Attio Navio augure. Nam quum Tarquinius Priscus institutas tribus a Romulo mutare vellet, deterreretur que ab Attio per augurium; ut eluderet ejus prudentiam, interrogavit eum, an fieri posset id quod animo proposuisset suo: cui ille permittente augurio quum respondisset effici posse, jussit rex cotem et novaculam, etc. » Et Tullium de Divin. lib. I, pag. 170. Hunc locum prior Turnebus emendavit, Advv. lib. XXVII, cap. 17, pag. 961, quum prius *adacto navigio* legeretur. In Reg. 2 cod. tum hoc loco *Atto Navio*, tum lib. XXXIV, cap. 11, *Atti Navii*, scriptum reperimus. Est qui locum integrum ita concinnet: « Atti Navii augurio. Si quando arescit, rursus cura sacerdotum seritur, etc. » Sed recedere is longius videtur a vestigiis veteris scripturæ. Est ex ære maximæ molis nummus antiquus, Antonino Pio principe cusus, in cimelio Christianissimi Regis, cum isto lemmate in imo margine, NAVIVS. Cave porro ad hunc Navium augurem referas. Stat imperator inter duos montes, qui sunt ad pedes positi, et situm urbis indicant; laureato capite, togatus, brachio sinistro extento pacifici more: dextero autem, digitoque indice præcipientis more extento, ad virum, qui pæne nudo corpore, palliatus tamen, pronus procumbit in genua, læva tenens lituum auguralem, dextra cultellum haruspicum. Sententia est: « Narbonenses AVgures Imperatorem Venerabundi Salutarunt. » HARD.

20. *Illic arescit.* In Comitio sinitur ea arescere, nec ante succiditur. Aruisse Neronis principatu, ex Tacito ante didicimus. HARD.

21. *Saturni ædem.* Fuit in imo clivo Capitolino, ubi nunc ædes est S. Hadriani. HARD.

22. *Silvani simulacrum subverteret.* Radicum rigore et crassitudine, vel ramorum proceritate; vel denique, quod in simulacrum ipsum incumberet. HARD.

tius[23] maximis bonis, hoc est, virtute ac pietate, ac morte præclara expleverat. Æque fortuita eodem loco est vitis atque olea, umbræ gratia, sedulitate plebeia satæ. Ara inde[24] sublata gladiatorio munere[25] Divi Julii, quod novissime[26] pugnavit in foro.

1 XXI. Admirabilis est pomi hujusce festinatio, unius in cunctis, ad maturitatem properantis arte naturæ. (XIX.) Caprificus[1] vocatur e silvestri genere ficus numquam maturescens[2], sed quod ipsa non habet, aliis tribuens, quoniam est naturalis[3] causarum transitus, atque e putrescentibus identidem generatur aliquid. Ergo culices[4] parit : hi fraudati alimento in matre[5], putri ejus tabe[6], ad cognatam[7] volant : morsuque ficorum crebro, hoc est, avidiore pastu aperientes ora earum[8], atque ita penetrantes, intus solem primo secum inducunt, cerealesque auras immittunt foribus adapertis[9]. Mox lacteum humorem, hoc est, in-

23. *Curtius.* Quem se devovisse, concitatoque equo immisisse sese in vastam specum, medio ferme foro, quum ingenti hiatu ibi terra discessisset, narrant Romani scriptores, Livius inprimis, lib. VII, pag. 122. Festus : « Curtius lacus appellatur a Curtio, qui ex eo loco in profundissimum hiatum se ob salutem populi romani projecit. » H.

24. *Ara inde.* Ita Reg. et Colb. In Chiffl. *ira*, male. Sacellum intelligit, de quo supra diximus, pag. 427, not. 13. Hard.

25. *Gladiatorio munere.* Vide infra lib. XIX, cap. 1, sub finem. Dal.

26. *Quod novissime.* Paulo ante necem. De hoc gladiatorio munere Tranquillus in Julio, cap. x. H.

XXI. 1. *Caprificus.* Arbori græce nomen ἐρινὸς, *figuier sauvage* : ἐρινὸν pomo : Athen. lib. III, pag. 76. H.

2. *Ficus numquam maturescens.* Theophrast. Hist. lib. II, cap. 12 ; Palladius, lib. II, cap. 10. Dalec.

3. *Est naturalis.* Sponte sua causæ, « quibus aliquid gignitur, » eo transeunt, quo vocat Natura. H.

4. *Ergo culices.* Rem totam uberrime Theophrastus explanat, de Caus. pl. lib. II, cap. 12, pag. 246 ; Arist. quoque H. A. lib. V, cap. 27, pag. 633. Culices hi græco scriptori ψῆνες. Hard.

5. *In matre.* In caprifico. H.

6. *Putri ejus tabê.* Quoniam tota intus tabe putruerit. Hard.

7. *Ad cognatam.* Ad ficum sativam. Hard.

8. *Ora earum.* Ficuum cacumina morsu vellicant, adaperiuntque : τὰς κορυφὰς, Theophr. Hist. pl. lib. II, cap. 9. Hard.

9. *Cerealesque auras immittunt*

fantiam pomi, absumunt : quod fit et sponte[10]. Ideoque 2 ficetis caprificus[11] præmittitur ad rationem venti, ut[12] flatus evolantes in ficus ferat. Inde repertum, ut illatæ quoque aliunde, et inter se colligatæ injicerentur fico : quod in macro[13] solo et aquilonio non desideratur ; quoniam sponte arescunt loci situ, rimisque eadem, quæ culicum opera, causa perficit (necnon ubi multus pulvis[14] : quod evenit maxime frequenti via apposita[15]; namque et pulveri vis siccandi, succumque lactis absorbendi) : quæ[16] ratio, pulvere et caprificatione hoc quoque præstat, ne decidant, absumpto humore tenero, et cum quadam fragilitate ponderoso. Ficis mollis omnibus tactus : maturis frumenta[17] 3

foribus apertis. Fecundas, fertiles, maturitatem juvantes. Dalec. — *Cerealesque auras immittunt foribus apertis*. Commodior lectio, *foraminibus*, quam *foribus :* quas paulo post *rimas* appellat : et *adapertis* habet codex Toletanus. Pint. — *Cerealesque*. Aditum auria frugiferis ac vitalibus præbent, interiusque inclusus spiritus libere permeat : Τῷ ἔξωθεν ἀέρι δίοδον διδόασι, καὶ τὸ ὅλον εὔπνούςτερα ποιοῦσι. Theophr. de Caus. lib. II, cap. 12. Cereales auræ dicuntur, quæ Cereri ac frugibus sunt admodum salutares. Ita MSS. omnes. Risum movent, qui *aerialesque* reponunt. H.

10. *Quod fit et sponte*. Absumitur, inquit, et sponte hic lacteus humor, sine caprifici ope, solo loci macri situ, ut mox dicetur. H.

11. *Ideoque*. In summo, inquit, ficeti limite conserunt caprificos, in quibus culices gignuntur : unde in ficos proximas deferri vento secundo possint. Theoph. l. c. H.

12. *Ut flatus*. Ut ventus *culices evolantes* in ficus ferat. Hard.

13. *Quod in macro*. In macro solo, inquit, et Aquiloni ostento, caprificatio non desideratur : quia propter alimenti exiguitatem, ipsa loci siccitate sponte arescunt, ac dehiscunt poma : rimarumque eadem opera est, quæ culicum foret. Theophr. iisdem verbis de Caus. pl. lib. II, cap. 12, pag. 246. H.

14. *Multus pulvis*. Quoniam pulvis excitatus a transeuntibus via publica ac frequenti, desiccat maturatque ficos ; neque ibi caprifico opus. Theophr. l. c. H.

15. *Apposita*. Id est, propinqua. Theoph. lib. II, cap. ult. ὅπου δὲ πλεῖστος κονιορτὸς, ἐνταῦθα πλεῖστα καὶ δὲ ἰσχυρότατα γίνεται τὰ ἐρινά. Dalec. — *Apposita*. Subintellige, fico. Hard.

16. *Quæ ratio*. Hæc, inquit, ratio, quæ macro solo, aquilonioque constat, supra eam quæ fit pulvere, seu caprifico admota, habet hanc etiam utilitatem adjunctam, etc. Hard.

17. *Frumenta*. Grana minuta, observa. Dalec. — *Frumenta*. Sic

intus : succus maturescentibus lactis, percoctis mellis. Senescunt in arbore, anusque distillant gummium lacryma [18]. Siccas honos [19] laudatas servat in capsis, Ebuso [20] insula præstantissimas, amplissimasque, mox in Marrucinis. At ubi copia abundat, implentur orcæ [21] in Asia, cadi autem in Ruspina Africæ urbe : panisque [22] simul et obsonii vicem siccatæ implent: utpote quum Cato [23] cibaria ruris operariis justa ceu lege sanciens, minui jubeat per
4 fici [24] maturitatem. Cum recenti fico salitis [25] vice casei vesci, nuper excogitatum est. Ex hoc genere sunt, ut diximus [26], cottana, et caricæ : quæque conscendenti navim adversus Parthos omen fecere M. Crasso [27], venales

interiora, tum hoc loco, tum lib. XVII, cap. 44. Hard.

18. *Gummium lacryma*. Simili gummium lacryma stillant. Ita MSS. Thuanus, Paris. et alii. Veteres *hæc gummis*, *hujus gummis* dixere. Hard.

19. *Siccas honos*. Quæ laudantur e siccis, eæ honoris causa servantur in capsis. ἰσχάδας Græci vocant.

20. *Ebuso*. De ebuso, lib. III, cap. 11. De Marrucinis eodem libro, cap. 17. Canas seu albas ficos ex Ebuso laudat Statius in Saturn. lib. I Silvar. Sic enim legendum, non *cannas*, vel *caunas*. Hard.

21. *Orcæ*. Sic appellabant vas lata alvo, in quo ficus asservarentur. Colum. lib. XII, c. 15 : « In orcas bene picatas meridiano tempore calentem ficum condere, et calcare diligenter oportebit. » H.

22. *Panisque*. Eleganter Seneca ep. LXXXVII, pag. 378 : « De prandio .... nusquam sine caricis... Illæ, si panem habeo, pro pulmentario sunt : si non, pro pane. » H.

23. *Utpote quum Cato*. Ita nunc legitur in lib. de R. R. cap. LVI, pag. 43 : « Familiæ cibaria... Ubi vineam fodere cœperint, panis pondo V, usque adeo dum ficus esse cœperint; deinde ad pondo IV redito. » Hard.

24. *Per fici*. Eo tempore quo ficus sunt maturæ, minui tum rusticis cibaria Cato jubet. H.

25. *Salitis*. Carnibus sale maceratis. Hard.

26. *Ut diximus*. Lib. XIII, c. 10.

27. *M. Crasso*. Proficiscentem Crassum Atteius tribunus plebis gravissimis diris exsecratus est, quibus iram indignationemque deorum maxime concitari creditum est. Alex. ab Alex. lib. III, cap. 11. Dalec. — *M. Crasso*. Refert hoc Cicero de Div. lib. II, pag. 245 : « Quum M. Crassus, inquit, exercitum Brundisii imponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens, Cavneas clamitabat. Dicamus, si placet, monitum ab eo Crassum, caveret, ne iret : non fuisse periturum, si omini parnisset. » Omen ex illis verbis ducit

prædicantis voce, caunææ. Omnia hæc in Albense[28] rus e Syria intulit L. Vitellius, qui postea censor[29] fuit, quum legatus in ea provincia esset, novissimis Tiberii Cæsaris temporibus.

XXII. (xx.) Malorum pirorumque generi adnumerentur 1
jure mespila atque sorba. Mespilis tria genera[1], anthedon, setania: tertium degenerat, anthedoni tamen similius, quod Gallicum vocant. Setaniæ[2] majus pomum, candidiusque, acini molliore[3] ligno: cæteris minus[4] pomum, sed odore præstantius, et quod diutius servetur. Arbor ipsa[5] de amplissimis. Folia[6], antequam decidant, rubescunt: radices multæ atque altæ, et ideo inexstirpabiles. Non fuit hæc arbor in Italia Catonis ævo.

Cave ne eas in *Cauneas* contractis: omen autem non fuisset, nisi penultima producta vocem hanc ille pronuntiasset, *Cavneas*. A Cauno certe ficus advectæ Cauniæ dicebantur, vel Caunææ. Sic enim Stephanus: Καῦνος... τὸ ἐθνικὸν Καύνιος, καὶ Καυναῖος. Sic a Κύρνος Κυρναῖος, ab Ἐχῖνος Ἐχιναῖος, etc. Tamen et *Caunea* scriptum reperias passim. Petron. in Satyr. pag. 160: « Non habemus ædilem trium caunearum: qui sibi mavult assem, quam vitam nostram. » HARD.

28. *Albense*. Lib. III, c. 9. H.

29. *Qui postea censor*. Claudii Cæsaris principatu, cujus collega in censura fuit, ann. U. 801, quo lustrum fecisse 74, in Fastis dicuntur. Fuit is patruus A. Vitellii Imp. Nummus argenteus: A. VITELLIVS GERM. IMP. In aversa nummi area, L. VITELLIVS COS. III. CENSOR. H.

XXII. 1. *Mespilis*. Theophr. Hist. lib. III, cap. 12: Μεσπίλης δ' ἐστὶ τρία γένη· ἀνθηδὼν, σητάνειος, ἀνθηδονοειδὴς, ὡς οἱ περὶ τὴν Ἴδην διαιροῦσι. Arbori μεσπίλη nomen est, *un néflier*, μέσπιλον pomo, *une nèfle*. H.

2. *Setaniæ*. Hæc Theophr. l. c. Galen. tom. II, in Expl. voc. Hipp. pag. 90. Σητάνιον vocat id genus, ex Dioscoride. Setanium Plautus in Truc. act. V, v. 15: « Non enim possunt militares pueri setanio educier. » Nostra ea est mespilus vulgaris. Anthedon Italis est *pomo imperiale*: Gallis, *azarolier*. HARD.— *Cratægum azarolum*, vel *torminalem* primo, deinde *Mespilum Germanicam*, postremo *Pyracantham* designat. (*Icos. digyn.* et *pentag.* gen. 1229 et 1226, Pers. *Rosac.* Juss.). ED.

3. *Acini molliore*. Hoc est, molliore nucleo, πυρῆνας ἔχοντα μαλακωτέρους, Theophr. l. c. HARD.

4. *Minus*. Hæc Theophr. l. c. H.

5. *Arbor ipsa*. Theophr. Μεγέθει μέγα τὸ δένδρον, καὶ περίκομον. De amplissimis dicitur, quoniam est περίκομος, *in orbem ramosa*, late ramis in orbem expansis. HARD.

6. *Folia*. Theophr. l. c. Πρὸ τοῦ φυλλοῤῥοεῖν, ἐρυθραίνεται σφόδρα·

1 XXIII. (XXI.) Sorbis[1] quadruplex differentia. Aliis enim eorum[2] rotunditas mali, aliis turbinatio piri, aliis ovata species, ceu malorum aliquibus : hæc obnoxia[3] acori. Odore[4] et suavitate rotunda præcellunt : cæteris[5] vini sapor : generosissima, quibus circa pediculos tenera folia. Quartum genus torminale[6] appellant, remedio tantum probabile, assiduum proventu, minimumque pomo, arbore dissimile, foliis pæne platani. Non ferunt[7] ante tri-

πολύῤῥιζον δὲ τὸ δένδρον, καὶ βαθύῤῥιζον, διὸ καὶ χρόνιον, καὶ δυσώλεθρον.

XXIII. 1. *Sorbis*. Arboris sorbi pomis. Arborem Græcis οἴην *un cormier* : pomum ὄον dixere, *une corme*. Arboris genus agnoscit duplex Theophrast. Hist. lib. III, cap. 12, pomorum multiplex, fere ut Plinius. H.—*Sorbus domestica* (*Icosand. digyn*. gen. 1227, Pers. *Rosac*. Juss.).

2. *Aliis eorum* Theophr. Histor. lib. III, cap. 20. Dalec.

3. *Hæc obnoxia*. Ovata, inquit, sæpenumero acida, minusque odorata : Τὰ ὠοειδῆ πολλάκις ὀξέα, καὶ ἧττον εὐώδη. Theophr. de potionis genere et succo ex iis expresso. Virgil. Georg. lib. III, v. 379 : « Hic noctem ludo ducunt, et pocula læti Fermento, atque acidis imitantur vitea sorbis. » Hard.

4. *Odore*, etc. Theophr. l. c. H.

5. *Cæteris*. Ovatis ac turbinatis.

6. *Quartum genus torminale*. Plinius sorbi silvestris, quam aucupariam herbarii vocant, Sequani vero lignatores *Tormigne*, et quæ vera torminalis est, nusquam meminit : cratægi vero folia quum forte vidisset, ea strictim et negligenter descripsit, torminalisque sorbi esse credidit, nusquam alibi facta cratægi mentione, præterquam lib. XXVII, cap. 8, ubi cratægum, quem cratægonon, seu cratæogona vocat, inconsiderate aquifoliam (τὴν ἀγρίαν) Italorum esse tradit. Genus id sorborum Andromacho dictum volunt ἱφικτικὸν, quamvis nonnulli legant ἐρεσινὸν, lib. IX, κατὰ τόπους Galeni in curatione dysentericorum. Idque a Plauto significatum volunt in Pœnulo : « Hem mihi jam video propter te victitandum sorbilo. » Nempe torminali a tormenta scilicet multa, et cruciatus esse perferendos. Quo etiamnum significatu vulgo dicimus, *poires d'angoisse*. Dal. — *Torminale*. Hæc silvestris sorbus est, torminalis dicta, quod dysenteriæ, ventrisque inde enatis torminibus medetur. Ad ventris fluxum sedandum sorba torminalia commendat inprimis Celsus lib. IV, cap. 19. Sunt qui velint sorbum torminalem esse cratægum Theophrast. Hist. lib. III, cap. 15; ab Italis olim aquifoliam appellatam, ut dicetur lib. XXVII, cap. 40, quibus haud ægre assentimur. H. — *Pirus torminalis* Wild. (*Icosand. digyn*. gen. 1227, Pers. sub *sorbo*. *Ros*. Juss.). Ed.

7. *Non ferunt*. Theophr. Hist. lib. III, cap. 12. Hard.

matum ex ullo genere. Cato[8] et sorba condi sapa tradit.

XXIV. (XXII.) Ab his locum amplitudine vindicaverunt, quæ cessere auctoritati, nuces[1] juglandes: quanquam et ipsæ nuptialium Fescenninorum comites[2], multum pineis minores universitate[3], eædemque portione ampliores nucleo. Nec non et honor his naturæ peculiaris, gemino protectis operimento, pulvinati[4] primum calycis, mox lignei putaminis. Quæ causa[5] eas nuptiis fecit reli-

8. *Cato.* Ita nunc legitur in lib. de R. R. cap. VII, pag. 13: « Sorba in sapa quum vis condere, belle sicca et arida facias. » Item cap. CXLV, pag. 75: « Sorba in sapa, et pira, et uvas in doliis. » Palladius quoque, lib. II, in Januar. tit. 15, pag. 45: « Alii sorba, inquit, in sapa asserunt diu posse servari. » H.

XXIV. 1. *Nuces juglandes.* Varro lib. IV de Ling. Lat. « Nux, inquit, juglans, quod hæc nux antequam purgetur, similis glandi. Hæc glans optima et maxima, ab Jove et glande juglans est appellata. Eadem nux, quod ut nox aerem, ita hujus succus facit corpus atrum. » Hæc ille: ad quæ postrema Scaliger: « Alii, inquit, a nocendo nucem dictam volunt, » quomodo et græce quoque κάρυον παρὰ τὸ καροῦν. Est autem vox Syriaca *Luz.* Sed *L* in *N* abiit: ut Lympha, Nympha. Vide infra lib. XXIII, cap. 8. Dalec. — *Nuces juglandes.* Arbor, ἡ καρύα, *le noyer:* nux, seu fructus, vel, ut ut Plinius loquitur, pomum, τὸ κάρυον, *la noix.* Hard. — *Juglans regia* (*Monœc. polyand.* gen. 2100, Pers. *terebinthac.* ? Juss.). Habitat sponte in Persia, apud nos vulgo colitur. Decem et quatuor præcipuas nucis illius varietates recenset Duhamel, tom. II, pag. 60, neque omnes complectitur: arboris usus nemo est qui ignoret. Ed.

2. *Nuptialium Fescenninorum comites.* Fescennina carmina a Fescennio urbe Campaniæ, vel Sabinorum dicta, ubi primum reperta sunt, lasciva et procacia inter nuptiales jocos et lusus canebantur cum sacro hymno, sive epithalamio, quo præsides conjugiorum deos quinque, Jovem adulterum, Junonem adulteram, Venerem, Dianam, Suadelam invocabant, rogantes, ut adessent propitii, ac prolem fecundarent. Alex. ab Alex. lib. III, cap. 5. Dalec. — *Fescenninorum.* Carminum id genus fuit, inter nuptiales jocos cantari solitum. Festus: « Fescennini versus, qui canebantur in nuptiis, ex urbe Fescennina (Etruriæ) dicuntur allati: sive ideo dicti, quia fascinum putabantur arcere. » Hard.

3. *Universitate.* Totius corporis mole nux juglans multo minor quam pinea est: nucleo, haud paulo major. Hard.

4. *Pulvinati.* Ad pulvini similitudinem mollis, atque convexi. H.

5. *Quæ causa.* Tot operimentis nucleo, qui intra nucem est, munito, voluere Veteres id argumento

giosas, tot modis fetu munito : quod est verisimilius, quam
2 quia cadendo[6] tripudium sonivium[7] faciant. Et has e Perside a regibus translatas, indicio sunt Græca nomina. Optimum quippe earum Persicon atque Basilicon[8] vocant. Et hæc fuere prima nomina. Caryon a capitis gravedine, propter odoris gravitatem[9], convenit dictum. Tingun-

esse, quanta sit cautio adhibenda, ut illibatus sit conjugum torus. H.

6. *Quam quia cadendo tripudium*, etc. Patresfamilias sponsi quum domesticos pueros meritorios ab officio turpi dimitterent, nuces dabant, quas spargerent nuptialia Fescennina cantantes. Apud Græcos, eodem instituto novus sponsus τὰ καταχύσματα, juglandes, amygdala, et nuces id genus alias spargebat, ut putant grammatici, nuptæ clamor ne audiretur. Scribunt enim τὰ κτύπια εἶναι ἐπιχρεύματα τοῦ θαλάμου, ἃ ἐπικτυποῦσιν ἔξωθεν, ὅταν συγκατακλίνηται τῷ νυμφίῳ ἡ γημαμένη. Scalig. in Catul. Dalec.

7. *Tripudium sonivium.* Habet hanc vocem Festus, pro sono quo terra pavitur, hoc est, pulsatur : unde terripavium, mox terripudium, tripudiumque demum olim dixere. In MSS. R. Colbert. etc. *somnium* pro *sonivium*. In Chifflet. *sonivium*. In editis male *sonumve*. De hoc nucum in cadendo strepitu, vide Servium in illud poetæ, *Sparge, marite, nuces.* Et hanc nucum sparsionem in aliis quoque epulis de more receptam vetus lapis indicat apud Gruter. pag. 461 : SI. PVER. PLEBEIS. SINE. DISTINCTIONE. LIBERTATIS. NVCVM. SPARSION. MOD. XXX. « Nucum sparsioni modios XXX. » Hard.

8. *Persicon atque Basilicon*, etc. *Ocellatas* vocat Tranquillus in Augusto, quod ea parte qua barbatæ suæ cuti adhærent, quum avelluntur, oculi figura delineata conspiciatur, nec id in alia ulla nuce appareat. Alex. ab Alex. lib. III, c. 21. Quo loco plurima ludorum genera Veteribus usitata commemorat, ocellatas nuces dici putat Persicorum nucleos, quod crebris velut ocellorum foraminibus pertusi sint: sed confidenter magis, quam recte : ἄρυα, Hesychio, τὰ Ἡρακλεωτικὰ κάρυα. Dalec. — *Persicon.* Diosc. lib. I, cap. 178 : Κάρυα βασιλικὰ, ἃ ἔνιοι Περσικὰ καλοῦσιν, etc. H.

9. *Caryon a capitis.* Κάρος Græcis soporem, veternumque significat : κάρη caput. Hinc fortassis etiam nux Latinis a nocendo dicta, quod capiti noceat. Diphilus apud Athen. lib. II, pag. 54 : Τὰ κάρυα τὰ βασιλικὰ κεφαλαλγῆ ἐστιν, καὶ ἐπιπολαστικὰ, etc. Hard. — Umbram juglandis noxiam esse plerique affirmant non solum humano capiti, sed et stirpibus omnibus juxta satis. Hinc in hortis et agris, extremis partibus locatur et seritur. Reipsa decubitum sub hac arbore nonnullis capitis dolorem inducere experientia comprobatum est; quod non provenit ab umbra, sed a graveolentibus halitibus, qui, dum ex foliis arboris emanant, nonnullorum cerebro noxii sunt, sed non

tur[10] cortice earum lanæ, et rufatur capillus primum prodeuntibus nuculis: id compertum[11] infectis tractatu manibus. Pinguescunt vetustate. Sola differentia generum in puta- 3
mine duro fragilive[12], e tenui ac crasso, loculoso[13] et simplici. Solum hoc pomum[14] natura compactili[15] operimento clausit: namque sunt bifidæ putaminum carinæ, nucleorumque[16] alia quadripartita distinctio, lignea intercursante membrana. Cæteris[17] quidquid est, solidum est, ut in

omnium; testibus Raio et Evelyno, qui hanc umbram non tantum innocuam, sed et amœnam, et salubrem asserunt, ob odorem jucundum quem folia exspirant. Quum etiam juglans sit admodum ramosa et patula, spissiorem umbram constituit, in qua plantæ quædam satæ minus feliciter quam sub aperto cælo crescunt. Conf. Geoff. Mat. Med. tom. III, pag. 621. Ed.

10. *Tinguntur*, etc. Fructuum corticem exteriorem, *le brou*, etiamnunc ad varios usus quæritant infectores; truncum vero maxime lignarii opifices, ob elegantem suum colorem, venas undulatas et crispas, et soliditatem materiæ, quæ egregie politur, et splendorem nitidum acquirit. Pharmacopœi ad usum medicum partes fere omnes, sed inprimis folia, flores, germina, nuces adhibent. Efficitur item ex cortice, aqua vitæ macerato, additoque saccharo, liquor ad ventriculum roborandum potissimum commendatus. Ed.

11. *Id compertum*. Quod querula nux Ovidii testatur. « Nostra notat fusco digitos injuria succo, Cortice contactas inficiente manus. » H.

12. *Duro fragilive*. Duras apud Festum Titinnius moracias vocat, unde diminutivum moracillum. Dalec. — Nux fragili putamine; Brot. et Duhamel. dicta, *noix mésange*. Ed.

13. *Loculoso*. Loculis intus pleno. Sex nucum juglandium genera carptim attingit: durum, fragile, tenue, crassum, loculosum, simplex. Hard.

14. *Solum hoc pomum*. Et pomum etiam de nuce dici alias monuimus. Nunc quoque suffragatur Ovidius carmine de nuce, quum ait: « Annua cultori poma referre suo. » Nec minus late patet apud Græcos vox μῆλον pro fructu omni accepta, qui sit edulis. Hesychius: Μῆλον, πᾶς καρπός. Hard.

15. *Compactili*. Testa seu putamine gemino coeunte, atque connexo. Sic trabes compactiles, postesque Vitruvius dixit, lib. IV et X. Hard.

16. *Nucleorumque*. Rursum nuclei, inquit, intus inclusi, qui sunt edules, et ipsi quoque lignea intercursante membrana, quatuor veluti in partes dividuntur. Hard.

17. *Cæteris*. In avellanis, inquit, et putamini, et nucleo intus incluso solida rotunditas est: non, uti juglandibus, bifidus cortex, quadripartitusve nucleus. Hard.

avellanis[18], et ipso[19] nucum genere, quas antea Abellinas patrio nomine appellabant[20]. In Asiam Græciamque e
4 Ponto venere, et ideo Ponticæ nuces[21] vocantur. Has quoque mollis protegit barba. Sed putamini nucleisque solida rotunditas inest. Eæ et torrentur. Umbilicus illis intus in ventre medio[22]. Tertia ab his natura[23] amygdalis, tenuiore, sed simili juglandium summo operimento[24]: item secundo[25] putaminis. Nucleus dissimilis latitudine, et acriore callo[26]. Hæc arbor an fuerit in Italia Catonis ætate, dubitatur: quoniam Græcas[27] nominat, quas quidam et in

18. *In avellanis.* MSS. omnes *abellanis*, Gallis, *avelines ou grosses noisettes.* Cave cum corylo avellanam misceas, ut plerique faciunt: est enim avellanæ, quam coryli, specialius nomen: etsi Macrobius, Sat. lib. II, c. 14, p. 371, nucem avellanam ex ea arbore esse ait, quæ dicitur corylus, de qua Virg. dixit, Georg. II, 299: *corylum sere.* Hard. — *Corylus avellana* (*Monœc. polyand.* genus 2102, Pers. *Amentac.* Juss.). Coryli avellanæ mansuetæ, seu in hortis cultæ, plures varietates recensentur. Ed.

19. *Et ipso.* Quod ipsum quoque, ait, nucum genus est aliquod. H.

20. *Abellinas patrio nomine vocabant.* Theoph. Hist. lib. III, cap. 15. Dalec. — *Abellinas patrio.* Servius ad Georgic. II: « Avellanæ, inquit, ab Avellano Campaniæ oppido, ubi abundant, nominatæ sunt. » Malim ego ab Abellino ejusdem Campaniæ oppido, de quo lib. III, c. 9, traxisse nomen abellinas. Hard.

21. *Ponticæ nuces.* Κάρυα Ποντικά, et λεπτοκάρυα, Dioscorid. lib. I, cap. 179. Philoxenus in Glossis: Ποντικὸν, *nux avellana.* Cave tamen cum Heracleotica nuce confundas, quæ castanea est, ut recte Opilius animadvertit, lib. de silv. arboribus, apud Macrobium, loc. citat. pag. 373, quanquam ei ab oppido Ponti Heraclea nomen. Hard.

22. *In ventre medio.* In medio nucleo germen, ceu umbilicus inest. Hard.

23. *Amygdalis.* Columella, lib. V, cap. 10. Dalec. — *Amygdalis. Des amandes.* Hard. — *Amygdalus communis* (*Icosand. monogyn.* gen. 1220, Pers. *Rosac.* Juss.). Plures ex cultura ortæ varietates. Ed.

24. *Summo operimento.* Extimo, pulvinato, ut dictum est antea de juglande, calyce. Hard.

25. *Item secundo.* Interiore ligneo putamine. Hard.

26. *Acriore callo.* De amaris id verum est, non de dulcibus. Dal. — *Acriore callo.* Carne, seu corpore ad morsum duriore. Hard.

27. *Quoniam Græcas.* Incertum ait, an græcas nuces appellando, amygdalas intellexerit. Macrobius affirmat mox a nobis laudandus. Cato de R. R. cap. VIII, pag. 14:

juglandium genere servant. Adjicit præterea avellanas et galbas[28] Prænestinas, quas maxime laudat, et conditas ollis[29], in terra servari virides tradit. Nunc Thasiæ[30], et Albenses celebrantur, et Tarentinarum duo genera: fragili putamine[31], ac duro; quæ sunt et amplissimæ, et minime rotundæ. Præterea molluscæ[32] putamen rumpentes. Sunt qui[33] honoris nomen interpretantur, et Jovis

« Nuces calvas, avellanas, Prænestinas, et Græcas, hæc facito, uti serantur. » HARD.

28. *Et galbas.* Ita MSS. omnes. Cato, *calvas*. De Prænestinis nucibus egregius est hic Festi et Pauli locus : « Nuculas Prænestinas appellabant : quod inclusi a Pœnis Casilini famem nucibus sustentarunt; vel quod in eorum regione plurima nux minuta nascitur. » De Prænestinis, qui cum paucis Romanorum obsessi ab Hannibale in Campania Casilini fuere, famemque sustentavere nucibus, vide Livium, lib. XXIII. HARD.

29. *Et conditas ollis.* Cato, cap. CXLV, pag. 75 : « Et nuces Prænestinas recentes in urceo in terra obrutas habeat. » HARD.

30. *Nunc Thasiæ.* Nempe nuces, quas laudat et Gellius, lib. VII, cap. 16, pag. 435. Et amygdalas quoque Thasias commendat Florentinus in Geop. lib. X, cap. 57, pag. 282 : Θασίας τὰς ἀμυγδαλὰς, etc. Macrob. Sat. lib. II, cap. 14, pag. 373, Thasiam, Græcamque nucem, amygdalam esse censet. « Nunc dicendum est, inquit, quæ sit Græca nux : ac simul hoc dicens, amygdalam de lance tulit, et ostendit : nux Græca hæc est, quæ et amygdale dicitur : sed et Thasia eadem nux vocatur. Testis est Cloatius in ordinatorum Græcorum libro quarto, quum sic ait, nux Græca amygdale. » Genus Albense ab Alba nomen traxit, de qua lib. III, cap. 9. HARD.

31. *Fragili putamine.* De hoc Tarentino genere Palladius, lib. II in Jan. tit. 16, pag. 48. HARD.

32. *Molluscæ.* Quæ sine strepitu franguntur, quia fragile putamen est. Harum maximus in Italia proventus esse dicitur. Molluscam nucem Suevius in Moreto Persicum interpretatus olim est, *une pêche*, teste Macrobio, Sat. lib. II, cap. 14, pag. 373. Verum ut idem recte animadvertit, cap. 15, pag. 375, quum omnes « de agricultura scriptores, nuces et mala sic dividant, ut nuces dicant omne pomum, quod foris duro tegatur, et intus habeat, quod esui est : malum vero quod foris habeat quod esui, et durum intus includat : secundum hanc definitionem, Persicum, quod Suevius poeta superius, inter nuces numerat, est inter mala numerandum. » Verissime id sane. HARD.

33. *Sunt qui*, etc. Sunt qui honoris causa juglandem appellatam velint. Varro de L. L. lib. IV, p. 26 : « Nux juglans, quod hæc nux

glandem esse dicunt. Nuper consularem virum audivi, biferas et juglandes nuces habere se profitentem. De pistaciis[34] et ipsi retulimus. Et hæc autem idem[35] Vitellius in Italiam primus intulit eodem tempore; simulque in Hispaniam Flaccus Pompeius eques romanus, qui cum eo militabat.

1 XXV. (XXIII.) Nuces vocamus et castaneas[1], quanquam accommodatiores[2] glandium generi. Armatum iis echinato[3] calyce vallum, quod inchoatum glandibus: mirumque, vilissima esse quæ tanta occultaverit cura naturæ. Trini quibusdam partus ex uno calyce, cortexque lentus. Proxima vero corpori membrana, et in his, et in nucibus saporem, ni detrahatur, infestat. Torrere has in cibis gratius. Moluntur etiam[4], et præstant jejunio fe-

antequam purgetur, similis glandi. Hæc glans optima et maxima, ab Jove et glande juglans est appellata. » Hæc multo uberius a Macrobio disputantur, Sat. lib. II, cap. 14, pag. 371. Cloatius apud eumdem *juglans*, *di* prætermisso, quasi *dijuglans*, Διὸς βάλανος, dici arbitratur. Hard.

34. *De pistaciis.* Lib. XIII, cap. 10. Hard.

35. *Idem Vitellius.* De quo libri hujus cap. 21. Hard.

XXV. 1. *Nuces vocamus et castaneas.* Castaneæ dictæ a Castano oppido Magnesiæ, aut, si Stephano credimus, Apuliæ, non procul Tarento. Eædem Sardianæ glandes a Sardibus, ut mox et λέπιμοι ἀπὸ τοῦ λέπους, corticoso integumento. Columell. lib. IV, cap. 43. Dalec. — *Nuces vocamus.* Virgilius sane, Ecl. II, v. 52, *Castaneas nuces* appellat. Hard. — *Castanea vesca* (*Monœc. Polyand.* gen. 2104, Pers. *Amentac.* Juss.). Habitat in Europa australiore. Una hujus speciei arbor, ni plures connatæ sint, in Ætna monte, trunci centum et sexaginta pedum ambitu memorabilis. Ed.

2. *Accommodatiores.* Propiores, *similiores*, *magis affines.* Hard.

3. *Echinato.* Echinorum more tegmine spinoso, et aculeato. H.

4. *Moluntur etiam.* Pro his vocibus, *moluntur etiam*, in MS. R. 1, legitur *modolatum.* In R. 2, *modulantum.* In editionibus vetustis, Parm. Ven. Brix. quam Hermolaus accuravit, cæterisque, *modulantum laturas.* Frobenius primum, *molitura etiam* edidit; mox alii, *moluntur etiam.* Pellicerius in Nott. MSS. sic augurabatur legi commode posse, *modo flatum ne ciat*: quod sane nobis haud admodum placet. Magis enim istud arriserit, quod ad veteris scripturæ vestigia accedit quam proxime, « Torrere has in cibis gratius modulantium, et præstant,

minarum[5] quamdam imaginem panis. Sardibus eæ provenere primum. Ideo apud Græcos Sardianos balanos[6] ap- 2
pellant : nam Dios balanum[7] postea imposuere excellentioribus satu factis. Nunc plura earum genera. Tarentinæ faciles, nec operosæ[8] cibo, planæ figura. Rotundior, quæ balanitis[9] vocatur, purgabilis[10] maxime, et sponte prosiliens. Pura et plana[11] est ex eis et Salariana : Tarentina minus tractabilis : laudatior Corelliana; et ex ea[12] facta,

etc. » Ut sit sententia prodesse sic inprimis ad vocem canoram : quod eo similius veri videtur, quod et fabarum naturæ affines castaneæ jure merito existimari possint, quas voci prodesse M. Varro prodidit, Plinio teste, lib. XXII, cap. 69, nec pani sicco esse absimiles, quem vocis studiosis utilissimum esse Plinius ipse asseverat, ejusdem libri c. 68. Hanc tamen conjecturam nostram inserere textui religio est, antequam eruditis viris probari eam intelligamus. Hard.

5. *Jejunio*. Has, inquit, in jejunio feminæ religiosores vice panis adhibent. Ita MSS. omnes. Nugantur qui *ingenio feminarum* legunt. H.

6. *Sardianos balanos*. Sic Diphilus apud Athenæum, lib. II, pag. 54: Τὰ κάστανα Σαρδιανοὺς βαλάνους appellat Dioscorid. lib. I, cap. 145. Σαρδιανὰς βαλάνους, femineo genere et Διὸς βαλάνους. Hard.

7. *Nam Dios balanum*. Διὸς βάλανον. Ejusmodi sativas castaneas *marrons* vulgo vocamus : vulgaribus reliquis castanearum nomen mansit. Sic MSS. Reg. Colbert. Chiffl. Thuan. id quod ante Turnebus in suis vidit, Advers. lib. XXVII, c. 17, pag. 961. In libris vulgatis inepte ab interpolatoribus insertum Tiberii nomen, et vox ipsa *nomen*, nullo suffragante codice, hoc modo : « Nam Divus Tiberius postea balanum nomen imposuit. » Similiter castaneam Theophrastus Διὸς βάλανον appellavit : ex quo Hesychius Διὸς βάλανοι... τὰ καστάνια. H.

8. *Nec operosæ*. Nec difficilis *ad coquendum* cibi. Hard.

9. *Balanitis*. A figura glandis nomen traxit, quæ βάλανος Græcis. Hanc omnium deterrimam, et suum potius, quam hominum escæ natam, scribit Galenus, lib. de Cibis boni et mali succi, cap. 4, pag. 426, ubi προμήκη, oblongam, vocat. Hard.

10. *Purgabilis*. Quæ purgari facile, et exui echino suo, seu calyce potest. Hunc locum præpostere Salmasius interpungit, in Solin. p. 603. Hard.

11. *Pura et plana*. E castanearum genere, inquit, pura, seu maxime purgabilis, est Salariana æque ac Tarentina : quare geminam utrinsque dotem una colligit. An a Salaria porro via, quæ Romæ fuit, id nomen ei generi inditum sit, adhuc obscurum est. Hard.

12. *Et ex ea facta*. Et altera, inquit, Corellianæ insita, ut dicetur lib. XVII, cap. 26, ubi et

quo dicemus in insitis modo, Etereiana, quam [13] rubens cortex præfert triangulis, et popularibus nigris, quæ coctivæ vocantur. Patria laudatissimis Tarentum, et in Campania Neapolis [14]. Cæteræ suum pabulo gignuntur, scrupulosa [15] corticis intra nucleos quoque ruminatione.

1 XXVI. (XXIV.) Haud procul abesse videantur et prædulces siliquæ [1], nisi quod in iis cortex ipse manditur. Digitorum omnis longitudo [2] illis, et interim [3] falcata, pollicari latitudine. Glandes [4] inter poma numerari non possunt : quamobrem in sua [5] natura dicentur.

1 XXVII. Reliqua carnosi sunt generis : eaque [1] baccis

de Etereiana (sic enim legendum, non *Meterana*, ut hactenus), dicturi sumus. Hard.

13. *Quam rubens*. Quæ ob rubentem corticem cæteris anteponitur. Coctivæ a coctura nomen habent. Hard.

14. *Neapolis*. Martialis, lib. V, ep. 79 : « Et quas docta Neapolis creavit, Lento castaneæ vapore tostæ. » Hard.

15. *Scrupulosa*. Scrupuloso, inquit, scabroque cortice, intra nucleos quoque ipsos se insinuante atque intercursante. Ita MSS. omnes, ut plane nugas agere videantur, qui pro *ruminatione*, hoc loco *ferruminatione* scribunt. Ruminatio Plinio replicatio esse videtur, et quasi iteratio. Sic lib. XVII, cap. 35 : « Ruminatio quædam hiemis. » Hard. — *Ruminatione*. Ob illam scrupulosam corticis intra nucleos replicationem, austeriores sunt et mandi difficiles. Brot.

XXVI. 1. *Siliquæ*. Κεράτια, *carobes*, vel *carouges*, ut diximus lib. XIII, cap. 16, ubi de arbore, quæ ficus Ægyptia, egimus. Hesychius, Κερατωνία, συκῆ Αἰγύπτου, id est, κερωνία, vel κερατία. Nam alibi idem, pag. 873 : Συκῆ Αἰγυπτία, ἡ λεγομένη κερατία τὸ δένδρον. Cave enimvero putes leguminum siliquas hic describi (Gallis, *siliqua*, *des gousses*) quales habent pisa, fabæ, lupini, phaseoli : nam hæ leguminum siliquæ non sunt Græcis κερατία, sed λοβοί. Glossæ : *Siliqua*, κεράτιον, et ξυλόγλυκον, a suavitate fructus : Columella, lib. V, c. 10, p. 202 : « Siliquam græcam, quam quidam κεράτιον vocant, etc. » Hæ sunt siliquæ, quibus prodigus adolescens repleri cupiebat, Luc. XV, v. 16 : Ἀπὸ τῶν κερατίων, ὧν ἤσθιον οἱ χοῖροι. Hard. — *Ceratonia siliqua*. De qua jam supra diximus. Ed.

2. *Digitorum omnis longitudo*. Sic ex MSS. em. Hard. cons. M. et Ch. *Digitorum hominis longitudo illis* Gr. et al. Ed.

3. *Interim*. Interdum. Hard.

4. *Glandes*. De his dicetur lib. XVI, cap. 6. Hard.

5. *In sua*. Ubi de natura glandiferarum arborum dicetur. Hard.

XXVII. 1. *Eaque baccis*. Baccæ

atque carnibus distant. Alia acinis[2] caro, alia moris, alia unedonibus[3]: et alia acinis, inter cutem succumque, alia myxis, alia baccis, ut olivis. Moris succus[4], in carne vinosus: trini colores[5], candidus primo, mox rubens, maturis niger. In novissimis[6] florent, inter prima maturescunt, tingunt manus succo matura, eluunt acerba. Minimum in hac arbore ingenia profecerunt, nec nominibus, nec insitis, nec alio modo, quam pomi magnitudine. Differunt mora Ostiensia, et Tusculana Romæ. Nascuntur et in rubis[7], multum differente callo[8].

XXVIII. Aliud corpus est terrestribus fragis[1], aliud 1
congeneri eorum unedoni[2]: quod solum pomum[3] simile

sunt minutiores quivis arborum fructus, ut lauri, olivæ, etc. H.

2. *Alia acinis.* Uvarum granis, ederæ, sambuci, punici mali, aliorumque. Hard.

3. *Unedonibus.* De his cap. seq. De myxis dictum est, cap. 12. H.

4. *Moris succus.* Theophr. Hist. lib. I, cap. 19: Τῶν δὲ χυλῶν, οἱ μὲν εἰσιν οἰνώδεις, ὥσπερ συκαμίνου, etc. *Des mûres:* morus arbos, *le mûrier.* Hard. — *Morus alba* (*Monœc. tetrand.* gener. 2062, Pers. *Urtic.* Juss.). Folia inculta integra, lævia. Variat fructu rubicundo, rubro, nigro. Folia sericeis erucis appetita. Plures species aut varietates descriptas vide apud Rei Rusticæ scriptores. Ed.

5. *Trini colores.* Præter viridem, qui primo advenit: sed is negligitur, quoniam cum aliis omnibus communis est moro. Hard.

6. *In novissimis.* Ob id dicta sapientissima arborum, ut Plinius ait, lib. XVI, cap. 41. Hard.

7. *Nascuntur et in rubis.* Ovid. Met. I, 105: « Cornaque, et in duris nascentia mora rubetis. » Dal. — *Rubus fruticosus* (*Icosand. polygyn.* gen. 1238, Pers. *Rosac.* Juss.). Vulgo *mûres de haie.* Ed.

8. *Differente callo.* Carne, corpore, quæ vox alibi haud semel usurpata. De his rubis, morisque, dicetur lib. XXIV, c. 73. Describit ea eleganter Phanias apud Athen. lib. II, cap. 61. Hard.

XXVIII. 1. *Fragis. Des fraises.* Ad unedonis sive arbuti affinitatem cum fragis allusisse Naso videtur, quum ea copulat, Metam. lib. I, vers. 104: « Arbuteos fetus, montanaque fraga legebant. » Hard.— *Fragaria vesca* (*Icosand. Polyg.* gen. 1240, Pers. *Rosac.* Juss.). Multæ varietates. Ed.

2. *Unedoni. L'arbousier.* Pingitur a Dalecampio, Hist. Plant. lib. II, cap. 36, pag. 195. Hard. — *Arbutus unedo* (*Decand. monogyn.* gen. 1091, Pers. *Ericac.* Juss.). Ed.

3. *Quod solum pomum simile fructui terræ gignitur.* Locus hic resti-

frutici [4], terræque gignitur. Arbor ipsa fruticosa. Fructus anno maturescit [5]; pariterque floret subnascens, et prior coquitur [6]. Mas sit, an femina sterilis, inter auctores non constat. Pomum inhonorum, ut cui nomen [7] ex argumento fit unum tantum edendi. Duobus tamen [8] hoc nominibus

tuitur (ni fallor) si ad hunc modum scribatur : « Quod solum pomum simile fartum aceri gigni » ex Dioscoride, l. I, bis verbis : « Is quum manditur, veluti palearum acus linguæ et dentibus repræsentat. » PINT. — *Quod solum pomum*, etc. Non recordabatur Plin. quum hæc scriberet, Adrachnes fructum, quem similem Memæcylo Theophrastus esse tradit, Hist. lib. III, cap. 16, fructui quoque terræ, nempe frago, similem esse. Apud Pausaniam, l. IX, interpres vertit *Portulacam*. DAL. — *Quod sol. pomum*, etc. Leg. « Quod solum pomum simile frutici terræque gignitur : » fruticum et arborum fructus in alto, non humi gignuntur, ut herbarum, quarum fructus in terra fusi, ideo terræ et frutici simile pomum gigni dicit, fraga et unedones, consimiles igitur fructus fraga et unedo. Vide Salmas. pag. 511. HARD.

4. *Simile frutici*. Ita reposuimus, tum MSS. codicum, quos proxime laudavimus, tum Parmens. cæterarumque vetustiorum admonitu, quas Barbarus neglexit, ut sic reponeret, « Simile fructus terræ gignitur, » fructumque terræ fraga interpretaretur. HARD.—*Terræque*. Humique, ceu fraga, fusum nascitur. HARD.

5. *Fructus anno*. Sic Theophrast. Hist. lib. III, cap. 16. HARD.

6. *Et prior coquitur*. Hoc est, simul et floret fructus subnascens, et prior maturescit. Theophrast. l. c. Ὁ δὲ καρπὸς ἐνιαυτῷ πεπαίνεται· ὥσθ' ἅμα συμβαίνει τοῦτόν τ' ἔχειν, καὶ τὸν ἕτερον ἀνθεῖν. HARD.

7. *Ut cui nomen*. Unedonis inditum ei pomo nomen affirmat, quod quum unum esitaveris, edere præ fastidio plura nolis; et idcirco minime sit in honore mensarum. H.

8. *Duobus tamen hoc nominibus appellant Græci, comaron et memæcylon*. Si lectio hæc errore vacat, quod non puto, mirandum est, tam diversum abiisse Plinium in hac traditione ab aliis auctoribus: nam Theophrastus, lib. III, cap. 16, arborem comarum vocat, fructum memæcylon. « Comaros, inquit, quæ fructum esui habilem memæcylon fert, magnitudine non nimium præstat. » Et Dioscorides, lib. I : « Comaron, ait, Romani arbutum dicunt, Cotoneæ malo similis arbutus est, tenui folio, fructu prunorum magnitudine, sine nucleis, quem memæcylon vocant. » Hesychius glossographos : « Comaros, inquit, planta quædam est quæ memæcylon fert. » Confirmat id quoque Athenæus, lib. II, consentiuntque cæteri omnes. Illud non præterierim, a Theophrasto præallegato loco cum *e* in prima syllaba, et *æ* diphthongo in secunda, *memæcylon* scribi : ab Athenæo autem et Hesychio cum *i*, in prima,

appellant Græci, comaron[9] et memecylon : quo apparet totidem esse genera. Et apud nos alio nomine arbutus vocatur. Juba auctor est, quinquagenum cubitorum altitudine, in Arabia esse eas.

XXIX. Acinorum quoque magna est differentia. Primum inter uvas ipsas callo, teneritate, crassitudine, interiore ligno, aliis parvo, et aliis etiam gemino, qui minime feraces musti. Plurimum vero differunt ederæ sambucique acini[1] : et figura etiam Punici[2], angulosi quippe soli. Nec cutis[3] ulla singulis præter communem, quæ est candida : totisque[4] succus et caro est, iis præcipue[5] quibus parvulum inest ligni. Magna et baccis differentia : aliæ namque sunt olivis, lauris ; et alio modo loto, cornis[6] ; alio myrtis, lentisco. Aquifolio enim ac spinæ sine succo ; medioque etiamnum genere inter buccas acinosque cerasis : pomum his primo candidum, et fere omnibus baccis. Mox aliis virescit, ut olivis, lauris : rubet vero moris, cerasis, cornis. Deinde nigrescit moris, cerasis[7], olivis.

et eadem diphthongo in secunda, *mimæcylon*. Pint.

9. *Comaron*, etc. Scriptores alii a Plinio dissident, Galen. de fac. simpl. Med. lib. VII, pag. 193, arborem κόμαρον, fructum μημαίκυλον vocat. Theophrastus quoque μιμαίκυλον fructum appellat. Hesychius : Μιμαίκυλον, ὁ καρπὸς τοῦ κομάρου. Tamen Glossaria et pro ipso pomo κόμαρον accipiunt. Hard.

XXIX. 1. *Sambucique acini.* Lucilius, lib. XXVII, apud Nonium, Ardum, miserrimum, atque infelix lignum Sambucum vocat. Dal. — *Sambucus nigra* (*Pentand. trigyn.* gen. 729, Pers. *Caprifol.* Juss.). Ed.

2. *Punici.* Punicorum malorum acini, sive grana, ea re a cæteris distant, quod soli omnium plurimos habent angulos. Hard.

3. *Nec cutis.* Sic tenuem vocat, qua vestiuntur grana, membranam. Hard.

4. *Totisque.* Succo, inquit, et carne acini toti constant : in iis præcipue quæ lignum, hoc est, nucleum, aut nullum omnino, aut exiguum, aut tenerum habent ; ut sunt ederæ et uvarum acini. H.

5. *Iis præcipue.* Apyrenis. Dal.

6. *Cornis.* *Cornus* (*Tetrand. monogyn.* gen. 296, Pers. *Caprifol.* Juss.). Ed.

7. *Cerasis.* Silvestribus, quorum fructus maturitate summa eum colorem accipit, et sativarum uni generi. Dalec.

1 XXX. (xxv.) Cerasi ante[1] victoriam Mithridaticam L. Luculli non fuere in Italia. Ad Urbis annum[2] DCLXXX is primum vexit e Ponto: annisque CXX trans Oceanum in Britanniam usque pervenere. Eadem, ut diximus[3], in Ægypto nulla cura potuere gigni. Cerasorum[4] Aproniana maxime rubent[5]: nigerrima[6] sunt Lutatia: Cæciliana vero et rotunda[7]. Junianis[8] gratus sapor, sed pæne tantum sub arbore sua, adeo teneris, ut gestatum non tolerent. Principatus duracinis[9], quæ Pliniana Campania appellat:
2 in Belgica vero Lusitanis[10]. In ripis etiam Rheni, tertius

XXX. 1. *Cerasi ante.* Sic Atheu. lib. II, pag. 61. Tertull. in Apoll. cap. XI, pag. 12: « Cæterum si propterea Liber Deus, quod vitem demonstravit, male cum Lucullo actum est, qui primus cerasa ex Ponto Italiæ promulgavit, quod non est propterea consecratus, ut novæ frugis auctor, quia inventor et ostensor. » HARD.

2. *Annum DCLXXX.* Quo anno Mithridaticum bellum suscepit Lucullus, Mithridatemque anno post tertio fugere in Armeniam et ad Tigranem compulit. Vide Velleium, lib. II, n. 33. HARD.

3. *Eadem, ut diximus.* Lego, « Eadem ut diximus, peregrinas, Ægypto, etc. » Peregrinas quidem ut et Persicas dixit, lib. XII, cap. 3, sed nusquam Ægypti solum dedignatas, præterquam hic. DALEC. — *Eadem ut diximus.* *Eadem* vero quasi *cerasa* ante, non *cerasi* dixisset. *Cerasi* tamen in omnibus MSS. legitur. Quem nunc locum signat, is est e lib. XIII, cap. 21, ubi in Ægypto, seu Delta, saltem ubi Sebennyticus nomus est, nihil nasci omnino ait, præter papyrum. H.

4. *Cerasorum.* Insignis in Gallia horum differentia est, quæ quotidie insitione et cultura augetur. H. — *Prunus Cerasus* (*Icosandr. monog.* gen. 1221, Pers. *Rosae.* Juss.), cujus plures in hortis coluntur varietates. ED.

5. *Aproniana maxime rubent.* Vide Theophr. Histor. lib. III, cap. 21. DALEC. — *Maxime rubent.* Et idcirco cæteris ea antepouit Diphilus Medicus apud Athen. lib. II, pag. 5. E ceraso ea sunt racemosa rubra; pendentque ex uno pediculo plura, *cerisier à trochets.* HARD.

6. *Nigerrima.* E silvestri ac majore ceraso: quæ nigro succo manus et ora inficiunt. Lutatia, cæteraque, ab auctoribus nomen habent. Prius, *ut octia*, male. H. — *Lutatia.* Sunt cerasa nigra, Tabern. *le merisier.* BROT.

7. *Et rotunda.* Quæ proprie cerasa vocamus, *cerises.* HARD.

8. *Junianis.* Cerasa sunt carne tenera et aquosa: *guignes.* HARD.

9. *Duracinis.* Quæ callo præstant, seu pulpula duriore: *bigarreaux.* H. — *Prunus avium*, γ, Pers. ED.

10. *Lusitanis.* Nunc Hispanica herbarii vocant, et ea sunt majora sativis vulgaribus: *griottes.* H.

iis colos e nigro ac rubenti viridique, similis maturescentibus semper. Minus quinquennium est, quod prodiere, quæ vocant laurea[11], non ingratæ amaritudinis, insitæ in lauro. Sunt et Macedonica parvæ arboris, raroque tria cubita excedentis : et minore etiamnum frutice, chamæcerasi[12]. Inter prima hoc e pomis colono gratiam[13] annuam refert. Septemtrione[14] frigidisque gaudet : siccatur etiam sole, conditurque, ut oliva, cadis.

XXXI. (XXVI.) Quæ cura[1] et cornis[2], atque etiam len- 1
tisco adhibetur, ne quid non hominis ventri natum esse videatur. Miscentur sapores, et alio alius placere cogitur. Miscentur vero et terræ cælique tractus. In alio cibi genere India advocatur, in alio Ægyptus, Creta, Cyrene, singulæque terræ. Nec cessat in veneficiis[3] vita, dummodo omnia devoret. Planius hoc fiet in herbarum natura.

XXXII. (XXVII.) Interim quæ sunt communia et pomis 1
omnibusque succis, saporum genera[1] XIII reperiuntur :

11. *Vocant laurea. Amarasia* dici vulgo, quod amarorem non injucundum resipiant, Ruellius est auctor, de natura Stirp. lib. I, pag. 138. Ed.

12. *Chamæcerasi.* Cerasi pumilæ, *cerisiers nains.* Odoratum harum fructum esse instar moschi, εὐώδη λίαν ὥσπερ μόσχος, ait Diosc. lib. I, cap. 154. H. — Etiamnunc *Pruni* (*Cerasi*, Pers.) *Chamæcerasi.* Ed.

13. *Gratiam annuam.* Laborem coloni annuo proventu compensat. Hard.

14. *Septemtrione.* Ita Palladius, lib. XI in Octobr. tit. 12, p. 152. H.

XXXI. 1. *Quæ cura.* Adhibetur, inquit, eadem cura cornis, atque lentisco : ut nempe sole siccentur, et condantur cadis. Hard.

2. *Et cornis.* Arbos ἡ κρανεία cornus, *un cornouiller*; pomum vero cornum dicitur, *une cornouille.* Lentiscus nomen etiam in Gallica lingua tenet : *lentisque.* H. — De cornis lentiscisque jam suo loco diximus. Ed.

3. *In veneficiis.* Nec venenis quoque parcunt, aut abstinent homines, cujusmodi venena fungi sunt, boleti, tubera, aliaque, de quibus inferius. Hard.

XXXII. 1. *Saporum genera XIII reperiuntur.* Theophrastus simplices recenset Histor. lib. I, cap. 19, vinosum, pinguem, dulcem, acrem, amarum, aquosum, acidum. At lib. VI, cap. 4, de Causs. dulcem, pinguem, amarum, austerum, acrem acidum, acerbum, et ex quorumdam sententia vinosum, ac salsum. Dalec.

dulcis, suavis, pinguis, amarus, austerus, acer[1], acutus, acerbus, acidus, salsus. Præter hæc, tria sunt genera mirabili maxime natura. Unum, in quo plures pariter sentiuntur sapores, ut vinis: namque in his et austerus, et acutus, et dulcis, et suavis : omnes alieni[3]. Alterum est genus, in quo sit et alienus quidem, sed et suus quidam
2 ac peculiaris, ut in lacte. Siquidem inest ei, quod tamen jure dici dulce, et pingue, et suave non posset, obtinente[4] lenitate, quæ ipsa succedit in saporis vicem. Nullus hic[5] aquis, ne succus quidem, ut tamen eo ipso fiat aliquis, ac suum[6] genus faciat. Sentiri quidem aquæ saporem ullum succumve, vitium est. Magnum his omnibus in odore momentum, et magna cognatio, qui ipse nullus est aquis : aut si sentitur, omnino vitium est. Mirum, tria naturæ præcipua elementa sine sapore esse, sine odore, sine succo : aquas, aera, ignes[7].

1 XXXIII. (XXVIII.) Ergo succorum vinosi piro[1], moro, myrto : minime (quod miremur[2]) uvis. At pingues[3] olivæ,

2. *Acer.* Acer, linguam urens, ut pyrethri : acutus, linguam pungens, ut cinnamomi. Dal.

3. *Omnes alieni.* Præter proprium accedentes, præter τὸν οἰνώδη; præter uvæ saporem genuinum adventitii, quia in omni vino necessario non insunt. Dal. — *Omnes alieni.* Trahit ad se vinum omnes alienos odores ex rebus vicinis, ut dictum est, lib. sup. cap. 27. H.

4. *Obtinente.* Vincente. H.

5. *Nullus hic.* Nullus sapor. De hoc argumento uberius multo dicetur lib. XXXI, cap. 22. Tertium illud est, quod ante proposuit genus : eorum nempe, quæ per se nullum saporem, aut succum habent : etsi peculiare quoddam aquosi succi in cæteris sæpe deprehendimus, ut in prunis, ex humore sane, ut apparet, ipso aqueo natum. Hard.

6. *Suum.* Fatuum, ὑδατῶδες. D.

7. *Aquas, aera, ignes.* MSS. omnes : *aqua, aer, ignis.* H.

XXXIII. 1. *Ergo succorum vinosus piro*, etc. Scribo, *vinosi* non *vinosus*, tum ex exemplari Salmanticensi, tum ex Theophrasto. Pint. — *Ergo succorum.* Theophr. Hist. lib. I, cap. 19 : Τῶν δὲ χυλῶν, οἱ μέν εἰσιν οἰνώδεις· ὥσπερ ἀμπέλου, συκαμίνου, μύρτου. Hard.

2. *Quod miremur.* Quum ex iis vinum ipsum exprimatur. Habent tamen vinoso succum affinem uvæ, ut Theophrastus vidit l. c. H.

3. *At pingues.* In eodem Salm. apog. *pingues*, non *pinguis* legas et

lauro, nuci juglandi, amygdalis: dulces uvis[4], ficis, palmis : aquosus prunis. Magna differentia et in colore succi. Sanguineus[5] moris, cerasis, cornis, uvis nigris. Idem albis candidus. Lacteus in capite ficis, in corpore non item : spumeus malis : nullus Persicis, quum præsertim duracina succo abundent : sed quis ejus ullum dixerit colorem? Sua
et in odore miracula[6]. Malis acutus[7]; Persicis dilutus, 2
dulcibus nullus. Nam et vinum tale sine odore, tenue odoratius: multoque celerius talia ad[8] usum[9] veniunt, quam pinguia. Quæ odorata, non eadem in gustu tenera : quia non sunt pariter[10] odor et sapor. Quamobrem citreis odor acerrimus, sapor asperrimus : quadamtenus et cotoneis : nullusque odor ficis[11].

XXXIV. Et hactenus sint species ac genera pomorum, 1
naturas arctius colligi par est. Alia siliquis[1] gignuntur, ipsis dulcibus, semenque complexis amarum : quum in

eodem jure statim, *dulcis* et *aquosus* : legendum *dulcis* et *aquosi* : sicque præfert idem exemplar. PINT. — *At pingues*. Ἐλαιώδεις, *oleosi*. Theophr. l. c. Λιπαροὶ, *pingues*, auctori operis de plantis, lib. I, cap. 5 : Τῶν χυλῶν οἱ μέν εἰσι λιπαροὶ, ὡς οἱ τῆς ἐλαίας, τῆς πεύκης, καὶ τῆς καρύας. HARD. — *Pingues*. Gronov. et Al. *pinguis* ; et mox non *dulces*, sed *dulcis* exhibent. ED.

4. *Dulces uvis*. Rectius quam μελιτώδεις, *mellei*, ut Theophrast. dixit. HARD.

5. *Sanguineus*. Unde αἱμόῤῥοα μόρα Athenæus vocat, lib. II, pag. 51. HARD.

6. *Sua et in odore miracula*. Theophr. toto lib. VI Caus. DAL.

7. *Malis acutus*. Suavis tamen; et adeo jucundus, ut vel animo defectos revocet : Plaut. in Amphit. « Enimvero prægnanti oportet et malum dari, Ut quod abrodat sit, animo si male esse cœperit. » DAL.

8. *Ad usum*. Sic ex MSS. em. Hard. cons. MS. et Ch. *ad nasum* Gr. et Al. ED.

9. *Talia ad usum*. Tenuia vina scilicet, in usu frequentiora, quam pinguia. HARD.

10. *Non sunt pariter*. Non sunt pari modo : odor et sapor in eodem fructu non eumdem modum habent. HARD.

11. *Nullusque odor ficis*. Ficis, etiam siccis odor est, sed tenuis. Vide Scalig. in Theophr. Hist. lib. I, cap. 19. DALEC.

XXXIV. 1. *Alia siliquis gignuntur*. Λοβοῖς, *des gousses*. Hæc Plinius multo explanatius, quam Theophrastus, qui in eodem habitat argumento, Hist. Pl. lib. I, cap. 18. I.

pluribus semina placeant, in siliqua[2] damnentur. Alia baccis, quarum intus lignum, et extra caro, ut olivis, cerasis. Aliquorum intus baccæ[3], foris lignum, ut his quæ in Ægypto diximus gigni. Quæ baccis natura, eadem et pomis. Aliorum intus corpus, et foris lignum, ut nucum.
2 Aliis foris corpus, intus lignum, ut Persicis et prunis: vitiumque[4] cinctum fructu, quum fructus alibi muniatur vitio. Putamine clauduntur nuces, corio castaneæ. Detrahitur hoc iis: at in mespilis manditur. Crusta teguntur glandes, cute uvæ, corio et membrana Punica. Carne et succo mora constant[5], cute et succo cerasi. Quædam[6] statim a ligno recedunt, ut nuces, et palmæ. Quædam adhærent, ut olivæ laurique. Quorumdam generi utraque est natura, ut Persicis. Etenim duracinis[7] adhæret corpus, e lignoque avelli nequit: quum in cæteris facile separetur. Quibusdam nec intus, nec extra lignum; ut in palmarum
3 genere[8]. Aliquorum lignum ipsum in usu et pomi vice, ut generi amygdalæ, quam in Ægypto gigni[9] diximus. Quorumdam extra, gemina geminantur vitia[10], ut in castaneis, amygdalis, nucibusque juglandibus. Quorumdam natura trigemina est: corpus, deinde lignum, rur-

2. *In siliqua*. Dal. *ex siliqua*. Ed.

3. *Aliquorum intus baccæ*. Abutitur hac voce ad nucleum significandum, ut in Perseæ fructu, quam et Persicam vocat, lib. XIII, cap. 17. Dalec. — *In Ægypto diximus*. De Persea, sive Persica arbore (*Cordia myxa*), jam suo loco supra dictum est. Ed.

4. *Vitium*. Id quod projici necesse est, quod mandi non potest. Hard.

5. *Carne et succo mora constant*. Confer Theophr. Hist. lib. I, cap. 18, quem hic superavit. Dal.

6. *Quædam statim*, etc. Fructuum nempe genera. Vide lib. XIII, cap. 9. Dal.

7. *Etenim duracinis*. *Les presses*, de quibus dictum est cap. 11. H.

8. *In palmarum genere*. Quas spadones idcirco nuncupavit, lib. XIII, cap. 8. Hard.

9. *Gigni diximus*. Libro XIII, cap. 17. Hard.

10. *Geminantur vitia*. Crustæ, seu cortices, quæ detrahi oportet ac projici, in quibusdam geminæ sunt: quibus nucleus, seu bacca obvolvitur. Hard.

susque semen in ligno, ut Persicis. Quædam inter se densa, ut uvæ, sorba: quæ ramos circumdata ex omni parte uvarum modo degravant. Alia rara, ut in Persicis. 4
Quædam alvo continentur, ut granata. Dependent alia pediculis, ut pira; alia racemis, ut uvæ, palmæ; alia et pediculis et racemis, ut ederæ, sambuci; alia ramo adhærent, ut in lauro. Quædam utroque modo, ut olivæ; nam et breves pediculi et longi. Quædam vasculis[11] constant, ut Punica et mespila, lotosque in Ægypto et Euphrate.
Jam vero diversa gratia et commendatio. Carne palmæ 5
placent, crusta Thebaicæ, succo uvæ, et caryotæ: callo pira ac mala, corpore melimela, mora cartilagine, nuclei grano. Quædam in Ægypto cute, ut caricæ. Detrahitur hæc ficis virentibus, ut putamen: eadem in siccis maxime placet. In papyris et ferulis[12], spinaque alba, caulis ipse pomum est[13]. Sunt et ficulni caules. In fruticoso genere, cum caule capparis: in siliquis vero quod manditur[14], quid nisi lignum est? non omittenda seminis earum proprietate:

11. *Vasculis.* Vel *flosculis*, ut apud Columel. lib. XII, cap. 45, vel, ut quidam legendum apud eumdem censent, *oculis*. Dal. — *Quædam vasculis.* Vasculum hnc loco Plinius vncat, quod in summo fructn cavum, et qnasi umbilicatum est, videlicet ut in mespilis, punicis, loto, aliisque id genus. Floscnlum nominat Columella: « Deinde, inqnit, poma sic componi, ut flosculi sursum, pediculi deorsum spectent. » Hard.

12. *In papyris et ferulis.* Nam Ægyptii papyri caulem crudum coctumque mandunt, succum tantum devnranles, lib. XIII, cap. 11. Hac ratione caulem, sive thyrsum, καρπὸν Æschylus vocat: Βίβλου δὲ καρπὸς οὐ κρατεῖ στάχυν μέγαν. Guilland. — De papyro vide supra lib. XIII, cap. 11; ex Theophr. Hist. lib. VI, cap. 2. De fernla infra lib. XX, cap. 9 et 23; ex Theophr. Hist. lib. VI, cap. 2. Vide quoque Dioscorid. lib. III, cap. 90. Dalec.

13. *Pomum est.* Hoc est, pomi instar manditur, ut dictum est, lib. XIII, cap. 22. Sic et teneri ficuum caules. Hard.

14. *In siliquis vero quod manditur, quid nisi lignum est?* Falluntur doctissimi viri, qui de siliquis leguminum hæc dici putarunt: de siliquis arboris, quæ κεράτια Græcis, omnino sunt accipienda. Salm. pag. 459. — *In siliquis vero quod manditur.* Κερατίαις. De quibus cap. 26 diximus. Hard.

nam neque corpus, nec lignum, nec cartilago dici potest, neque aliud nomen inveniet.

1 XXXV. (XXIX.) Succorum natura præcipuam admirationem in myrto habet, quando ex una omnium olei vinique bina genera fiunt[1]. Item myrtidanum[2], ut diximus. Et alius usus baccæ[3] fuit apud antiquos, antequam piper[4] reperiretur, illius obtinens vicem: quodam etiam generosi obsonii nomine inde tracto, quod etiam nunc myrtatum vocatur[5]. Eademque origine aprorum sapor commendatur, plerumque ad intinctus[6] additis myrtis.

XXXV. 1. *Bina genera fiunt.* Unum genus esse vini myrtei docet Cato cap. CXXV; Palladius in Januario, cap. XIX; Dioscorid. lib. V. At duo hujus vini genera describit, nempe album et nigrum, Columell. lib. XII, cap. 38. Olei genera duo tradit Dioscorid. Pallad. unum in Januario, cap. XVI. DAL. — *Bina genera.* De utroque vini genere, quod e myrto sativa fit: tertioque, quod e silvestris myrti baccis myrtidanum appellarunt, diximus lib. XIV, cap. 19. De oleo utroque, cap. 7 libri hujus. Sed illud iterum in memoriam revocandum, quod ante monuimus, aliam esse apud scriptores Græcos, quos quidem nunc terimus, acceptionem hujus vocis Μυρτίδανον, de qua vide Glossas, et Galen. in Expl. Voce Hipp. t. II, 92 et 97, ex Dioscoride Anazarbeo, et altero cognomine Lexicographo juniore: ipsumque Hippocratem, de Morbis mulierum, lib. II, cap. 84, pag. 608. HARD.

2. *Myrtidanum, ut dix.* Vinum e baccis myrti silvestris; *Rusci*, nempe *aculeati* (*Diœc. gynand.* gen. 3201, Pers. *Asparag.* Juss.). ED.

3. *Usus baccæ.* Pomi, seu fructus myrtei. HARD.

4. *Antequam piper reperiretur, illius obtinens vicem.* Abhorruisse Veteres a pipere in obsoniis adhibendo auctor est Plutarch. Symp. lib. IX, quæst. 9, pag. 733. Dryophoni, seu myrti nemoralis baccæ, hodieque piperis loco condiunt rusticorum cibos, ut dicemus lib. XXVII, cap. 49. HARD.

5. *Myrtatum vocatur.* Varro, lib. IV de L. L. pag. 28: « Myrtatum, inquit, a myrto (vel ut alii legunt, eadem plane sententia, *Murtatum a murta*), quod eo large fartum intestinum crassum. » HARD.

6. *Ad intinctus.* Τὰ ἐμβάμματα, liquores nimirum vel liquamina, quibus aut panem, aut carnem intingimus ad saporis gratiam, et gulæ irritamentum: ἀρτύματα odorata et aromata quæ liquoribus induntur, ut eos condiant. Sæpius alterum pro altero usurpatur. DAL. — *Ad intinctus.* Hic intinctus ἔμβαμμα est, quod vel ex aceto, oleove, aut alio liquore vel liquamine fit. Galli dicunt, *la sauce*. H.—De pipere et ejus usu apud Veteres, vid. lib. XII, cap. 14. ED.

XXXVI. Arbor ipsa in Europæ[1] citeriore cælo, quod a Cerauniis montibus incipit, primum Circeiis in[2] Elpenoris tumulo visa traditur: Græcumque ei nomen remanet, quo peregrinam esse apparet. Fuit ubi nunc Roma est, jam tum quum conderetur: quippe ita traditur, myrtea verbena[3] Romanos Sabinosque, quum propter raptas virgines[4] dimicare voluissent, depositis armis purgatos in eo

XXXVI. 1. *Arbor ipsa in Europæ*, etc. Virgil. in Culice *Parthicam* vocat: « Et rosa purpureo crescit rubicunda colore, Et violæ omne genus: hic est et Parthica myrtus. » Apud Athenæum quoque lib. XV. Apollodorus, lib. IV, τῶν Παρθικῶν scribit in Parthia μυρσίνης εἶναι ποικίλα γένη, σμιλακά τε, καὶ καλουμένην φιλάδελφον. Dalec. — *Arbor ipsa in Europæ citeriore cælo.* Lego: « Arbor ipsa in Europæ tetriliore cælo », ex exemplari Toletano, rectissime. Pint. — *Solo* Dalec. Ed. — *Arbor ipsa.* *Le myrte.* Ceraunios montes dici hoc loco palam est, pro Acrocerauniis, de quibus lib. III, statim initio egimus. H. — *Myrtus communis* (*Icosand. monogyn.* gen. 1209, Pers. *Myrtac.* Juss.). Ed.

2. *In Elpenoris.* Unius ex Ulyssis sociis, quos in porcorum faciem a Circe mutatos finxit Homerus. De Circeiis lib. III, cap. 9. Tradit hæc etiam Theophr. Hist. lib. V, cap. 9. Hard.

3. *Myrtea verbena.* « Verbena proprie (inquit Serv. ad illud Æn. XII, 120, *Verbena tempora vincti*), est herba sacra, ros marinus, ut multi volunt, id est, λιβανωτίς, sumpta de loco sacro Capitolii, qua coronabantur Feciales, et Pater patratus, fœdera facturi, vel bella indicturi. Abusive tamen verbenas jam vocamus omnes frondes sacratas, ut est laurus, oliva, vel myrtus. Terent. Ex ara sume hinc verbenas: Nam myrtum fuisse Menander testatur, de quo Terentius transtulit. » Unde intelligis frustra esse eos, qui *myrto et verbena* hic malunt, invitis omnibus libris. H.

4. *Raptas virgines.* Vide Livium, lib. I. Est in Cimelio Serenissimi Ducis Parmensis nummus Neronis inscriptus: NERO. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. GERM. P. M. TR. P. IMP. P. P. caput laureatum .)(. SABINAE. « Raptus Sabinarum pulcherrimus, apud Albertum Principem, inquit Occo pag. 134: Figuræ pulcherrimæ, in quarum medio tres obelisci. » Depictus etiam hic nummus est ab Oyselio, tab. XCVII, n. 9; sed prius ab Erizzo, pag. 109, ubi negat hunc nummum Romæ cusum fuisse; et recte negat. Cusus est Arelate. Et litteris illis septem hæc subest sententia: « Scenicis Arelate Basilicam Imperator Nero Augustus Exstruxit. » Nam alioquin quid ad Neronem pertinent raptæ quondam Sabinæ virgines? Scenicas mulieres a militibus coactas esse, non in civitate vagari per diversas ædes, sed intra unam se basilicam, a Nerone eo fine ædi-

loco, qui nunc signa Veneris Cluacinæ[5] habet. Cluere enim[6] antiqui purgare dicebant. Et in ea quoque arbore
2 suffimenti[7] genus habetur. Ideo tum electa, quoniam conjunctioni[8], et huic arbori Venus præest. Haud scio, an prima omnium[9] in locis publicis Romæ sata, fatidico quidem et memorabili augurio. Inter antiquissima[10] namque

ficatam, continere, pictura cum titulo eo declarat. Est et alius in Gaza Medicea nummus ex ære maximo : D. N. CONSTANTIVS. P. F. AVG. nempe qui Flavii Julii Constantis frater. Caput cinctum gemmis.)(. Infra SABINAE, ut in nummo Neronis : et raptum Sabinarum similiter pingi hic aiunt, cum obelisco uno tantum. Sed quid, amabo, ad Principem Christianum raptus pertinet Sabinarum? Nihil cum imagine talis ac tanti Principis jungi posset ineptius. Contraria sub his litteris subest sententia, quam in priore numismate; hæc nimirum, « Scenicas Arelate Bono Imperii Natus Augustus Ejecit : » id quod pictura quoque loquitur. Ita litteris iisdem geminum facinus, alterum Nerone, alterum Christiano Principe dignum exprimitur. H.

5. *Veneris Cluacinæ*. Luere, purgare : Lua mater, dea quæ purgabat : ei nonnunquam ad lustrandam hostium cædem arma et spolia incendebantur. Cluacina Venus, quasi luacina, a purgatione est dicta, quamvis Tertullian. a cloaca, Cloacinam dictam contendat. DALEC. — *Cluacinæ*. In nummis legitur Mussidiæ gentis apud Patin. pag. 182, et in Museo nostro CLOACIN. Sed cave huc referas. Sententia enim est primis singularum vocum litteris expressa, quæ nihil huc attinet. « Cymbam Lubentes Obtulerunt Augusto Cæsari Imperatori Narbonenses. » In altera nummi parte caput est Solis juvenis radiatum, symbolum Orientis ab Augusto pacati sine inscriptione. Lactantius, lib. I, cap. 20, a cloaca maxima, ubi id simulacrum repertum est, appellatum putat. Plinio, Cluacina Venus, quasi purgatrix dicta, et expiatrix. *Cluacinæ sacrum* Romæ fuisse Plautus commemorat, in Curculione, act. IV, sc. 1, v. 10. De purgationibus veterum, suffitibusque, lib. XXV, cap. 59. HARD.

6. *Cluere enim*. Quasi contractum ex verbo *colluere*. Sed et alios præterea significatus habet; de quibus Lexica consule. HARD.

7. *Suffimenti*. In suffitus ipsa quoque assumitur. HARD.

8. *Conjunctioni*. Fœderi et conjugiis. Supra lib. XII, cap. 2, Veneri dicata myrtus. Et Nasoni Fastor. lib. IV, v. 15, *Cytherea myrtus*. HARD.

9. *An prima etiam omnium*. MSS. omnes, *an primæva omnium*. H.

10. *Inter antiquissima namque*, etc. Semper id clausum fuit, nec aperire licebat, quasi arcanum haberi vellent, an humo tectus, an inter Deos Romulus relatus fuisset, tametsi Varro post rostra Romuli sepulcrum fuisse scribat. Alex.

delubra habetur Quirini, hoc est, ipsius Romuli: in eo sacræ fuere myrti duæ ante ædem ipsam per longum tempus, altera patricia appellata, altera plebeia. Patricia multis annis prævaluit, exuberans ac læta, quamdiu senatus quoque floruit, illa ingens[11]: plebeia retorrida ac squalida. Quæ posteaquam evaluit, flavescente patricia[12], Marsico[13] bello, languida auctoritas patrum facta est, ac paulatim in sterilitatem emarcuit majestas. Quin et ara vetus fuit Veneri Myrteæ, quam nunc Murtiam vocant[14].

XXXVII. Cato[1] tria genera myrti prodidit, nigram, candidam, conjugulam, fortassis[2] a conjugiis, et illo

ab Alexandro, lib. II, cap. 14. Dalec.

11. *Illa ingens.* Sic. MSS. Reg. In editis, *vigens*. Hard.

12. *Flavescente.* Sic MSS. non *flaccescente*. Sic lib. XVI, cap. 7, de fagi foliis, et aliarum glandiferarum, *celerrime flavescentibus*. Et lib. XIX, c. 47, de menta: « Æstate viret, hieme flavescit. » Et ejusdem libri, cap. 47, de morbis hortensium: « Omnia accessu mulieris menstrualis flavescunt. » Supraque lib. XIII, cap. 16: « Et ideo superficie flavescens, etc. » Hard.

13. *Marsico.* Sive sociali, de quo diximus, lib. II, cap. 85. Hard.

14. *Murtiam vocant.* Idem Plutarchus in causis Rom. Alia fuit Murtia desidiæ ignaviæque Dea, de qua vide Gyraldum. De Venere Murtia, quæ ædem habuit ad metas primas Circi, prope Consi aram defossam, Tertull. lib. de Spectacul. Vide *Murcia* apud Festum. Porro ut Veneri myrtus sacra est, sic Jovi æsculus, Apollini laurus, Minervæ olea, Herculi populus, Baccho edera, Pani pinus, Diti cupressus. Itaque quum iis divis sacrum fieret, sua fronde templum araque ornabatur. Alex. ab Alex. lib. IV, c. 17. Dalec. — *Murtiam.* In MSS. *Murciam* et *Murtiam* legas. Plutarch. in Quæst. Rom. p. 268: Καὶ γὰρ ἣν νῦν Μουρκίαν Ἀφροδίτην καλοῦσιν, Μυρτίαν τὸ παλαιὸν, ὡς ἔοικεν, ὠνόμαζον. Varro, lib. IV de L. L. « Intimus Circus ad Murtium vocatus, ut Procilius aiebat, ab urceis, quod is locus esset inter figulos. Alii esse dicunt a Murteto declinatum, quod ibi id fuerit: cujus vestigium manet, quod ibi sacellum etiam nunc Murtiæ Veneris. » Fuit ædes Murtiæ, teste P. Victore, in undecima regione Urbis: Romuli, in octava. Hard.

XXXVII. 1. *Cato tria.* Cato, de R. R. cap. viii, pag. 14: « Sub urbe hortum omne genus... Myrtum conjugulum, et album et nigrum, etc. » Idem repetit, cap. cxxxiii, pag. 69: « Myrtum conjugulum, et myrtum album, et nigrum, etc. » Hard.

2. *Fortassis.* Haud sane videtur generis id nomen esse, sed consilii

Cluacinæ genere. Nunc et alia distinctio, sativæ, aut silvestris : et in utraque latifoliæ[3]. In silvestri[4], propria oxymyrsine. Sativarum genera topiarii[5] faciunt : Tarentinam[6] folio minuto : nostratem[7], patulo : hexasticham densissimo[8], senis foliorum versibus. Hæc non est in usu : ramosa utraque alia. Conjugulam[9] existimo, nunc nostratem dici. Myrtus odoratissima[10] in Ægypto[11]. Cato[12] do-

institutique hominum, nempe a conjugiis, quibus Venus præest, et expiationibus, purgationibusve, quibus olim myrtus adhibita in eo loco, qui deinde factus ex ea re Veneri Cluacinæ sacer. Sunt tamen qui conjugulum dictum malint, quod opere topiario cum pergulis parietibusque hortorum eleganti spectaculo apte conjugatur. Hard.

3. *Et in utraque latifoliæ.* In utroque, inquit, genere latifolia myrtus est, in silvestri scilicet et sativo. Sic quadruplex jam myrti genus, sativum angustifolium, latifoliumque, silvestre item geminum. H.

4. *In silvestri.* In silvestri genere peculiaris differentia ac rario est oxymyrsines, inquit. Nos de ea dicemus lib. XXIII, cap. 83. H.

5. *Topiarii.* Qui topiaria faciunt : sicut coronarii, qui coronas. Vetus inscriptio apud Gruter. pag. 602 : LVCRIO. AVG. TOPIARIO. EX. HORTIS. « Lucrio Augusti Topiario, ex hortis. » Hard.

6. *Tarentinam.* Quæ myrtus minor vulgaris. A Clusio pingitur, Hist. lib. I, pag. 67. Hard.

7. *Nostratem.* Hæc myrtus Romana, cujus iconem Matthiolus exhibet in Diosc. lib. I, p. 228. H. — *Myrtus communis*, variet. α. Mill. tab. 124, fig. 1. Ed.

8. *Exoticam densissimo.* Plurimum hoc loco debemus archetypo Salmanticensi, cujus beneficio restituitur locus pulcherrimus : legendum est enim ex eo non *exoticam*, sed *hexasticham*, hoc est, sex ordinum : unde statim sequitur, « senis foliorum versibus. » Meminit et Columella, lib. II, cujusdam generis hordei, quod vocetur hexastichon, ei alterius quod distichon. Pint. — *Hexasticham.* Sic MSS. Reg. Colbert. Th. et ii quos Turnebus et Pintianus videre, non *exoticam*. Omnino est myrtus latifolia Bætica, quam et exoticam Clusius vocat, Hist. Plant. lib. I, cap. 43, pag. 65, nos in horto regio vidimus. Vulgaris in hortis est alvia, quæ tetrasticha est : eadem Tarentina superius nominata. H. — *Myrti communis* varietas 6, *Bætica* Blackw. tab. 114. Ed.

9. *Conjugulam.* Ch. *conjugalem.* Ed. — *Conjugulam existimo.* Et nos assentimur. Hard.

10. *Myrtus odoratissima.* Theoph. Caus. lib. VI, cap. 27. Dalec.

11. *In Ægypto.* Ubi cæteri flores sine odore. Causam hujus rei Theophrastus aperit, de Caus. Pl. VI, 27, pag. 385. Hard.

12. *Cato docuit.* De R. R. cap. CXXV, pag. 66. Hard.

cuit vinum fieri e nigra, siccatæ usque in ariditatem in
umbra, atque ita musto indita[13]. Si non siccentur baccæ,
oleum gigni. Postea compertum[14], et ex alba vinum fieri
album, duobus sextariis myrti tusæ, in vini tribus he-
minis[15] maceratæ, expressæque. Folia et per se[16] siccantur 2
in farinam, ad hulcerum remedia in corpore humano,
leniter mordaci pulvere, ac refrigerandis sudoribus. Quin
immo oleo quoque (mirum dictu) inest quidam vini sapor,
simulque pinguis liquor, præcipua vi ad corrigenda vina,
saccis ante[17] perfusis. Retinet quippe fæcem, nec præter
purum liquorem transire patitur, datque se comitem præ-
cipua commendatione liquato[18]. Virgæ quoque ejus ge-
statæ[19] manu viatori prosunt in longo itinere pediti. Quin
et virgei annuli[20] expertes ferri inguinum tumori medentur.

13. *Atque ita in mulso indita.* *Musto* non *mulso* agnoscit codex Toletanus, quam lectionem confirmant verba Catonis, cap. CXXIV. Pint. — *Atque ista musto.* Prius *mulso* legebatur. Nos *musto* rescripsimus, tum ex fide codicum Reg. 1, 2, Colb. et Tolet. teste Pintiano: tum, quod multo est certius, ex Catone, cap. CXXV, pag. 66: « Vinum murteum, inquit, sic facito: Murtam nigram arefacito in umbra: ubi jam passa erit, servato ad vindemiam: in urnam musti contundito murtæ semodium: id oblinito: ubi desiverit fervere mustum, murtam eximito. » Adde Columellam ea multo uberius explanantem, lib. XII, cap. 38. Hard.

14. *Postea compertum, et ex alba vinum*, etc. Hæc fuse tractata a Columella, de R. Rust. lib. XII, cap. 38. Hard.

15. *Tribus heminis.* Hemina quid sit dicemus lib. XXI, cap. ultim. De sextario jam diximus lib. XIV, cap. 6. Hard.

16. *Folia et per se siccantur.* Vide supra lib. XIV, cap. 22. Dalec.

17. *Saccis ante.* Myrteo oleo ante perfusis. Quid saccus sit, et quis sacci usus, diximus lib. XIV, cap. 28. Hard. — Antequam liquarentur vina, sacci, *la toile*, myrteo oleo perfundebantur. Ed.

18. *Commendatione liquato.* Vino percolato. Hard.

19. *Virgæ quoque ejus gestatæ*, etc. Ad myrtum Græci olim canebant ejusque ramo tradito, illum, qui postea cantaturus esset, invitabant. Alex. ab Alex. lib. II, cap. 25. Dalec. — *Gestatæ manu.* MSS. omnes, *gestatæ modo.* Hard.

20. *Quin et virgei annuli*, etc. In antiquis sanctuariis Turn. reperit, « quin et virgæ jaculi: » fortasse quod e myrto jacula nonnumquam fierent, quorum hastile nondum ferro spiculatum virgam vocant.

1 XXXVIII. Bellicis quoque se rebus inseruit: triumphansque de Sabinis Postumius Tubertus in[1] consulatu (qui primus omnium ovans[2] ingressus Urbem est), quoniam rem[3] leviter sine cruore gesserat, myrto Veneris Victricis coronatus incessit[4], optabilemque[5] arborem etiam

Virgilius: « Crebris hastilibus horrida myrtus. » Iterum: « Et pastoralem præfixa cuspide myrtum. » Itaque *virgæ jaculi* dici possunt, tam grandes, ut pro jaculo muniri ferro possint. Dal. — *Virgæ annuli.* Virgæ, seu ramuli, in annuli modum circa inguina ligati. Sic Parm. editio, cæteræque omnes, et Reg. 2, cod. Par. aliique: etsi in Reg. 1 legatur, *virgæ jaculi*: quæ scriptura Turnebo scrupulum injecit, num de hastilibus, jaculisque e myrto hic sermo foret: hæretque plurimum in sua conjectura. Verum ea quæ vulgatis libris continetur lectio, non ope tantum MSS. codicum, sed indubitato Plinii alterius medici, quem Valerianum vulgo dicunt, testimonio constabilitur. Is enim opus suum de Re Medica, ex ipsis Plinii nostri verbis concinnans, locum hunc sic expressit, lib II, c. 43: « Myrtea virga, quæ ferro tacta non fuit, in dolore inguini circumligatur. » H.

XXXVIII. 1. *In consulatu.* Unico fuisse functum consulatu Postumium, videtur hic Plinius affirmare: tametsi aliter Livius, lib. II, pag. 27, et Dion. Halicarn. A. R. lib. IV, pag. 314. Hard.

2. *Ovans.* Ovatio, minor triumphus. Qua re a triumpho distet, mox dicemus, n. 6, ex Gellio. H. — Anno Urb. cond. 251. Ed.

3. *Quoniam rem.* Aliam causam affert Dionysius, loc. citat. quod cladem ante probrosam acceperat: etsi in hac expeditione adversus Sabinos, præclaram navarit operam, cum Agrippa collega, cui decretus a senatu eam ob rem triumphus. Hard.

4. *Myrto Veneris Victricis coronatus incessit.* Dionysius Halicarnasseus non myrto, sed laurea coronatum tradit, volumine quinto. Pint. — *Myrto Veneris Victricis*, etc. Myrto, quod Plinius tacet, mortuorum busta etiam Græci ornarunt, quum inferias solverent. Euripides in Electra: Ἀγαμέμνονος δὲ τύμβος ἠτιμασμένος, Οὔ πω χοάς ποτ', οὐδὲ κλῶνα μυρσίνης Ἔλαβε· πυρὰ δὲ χέρσος ἀγλαϊσμάτων. Cui respondet Agamemnonis ultor: Ἦλθον γὰρ αὐτοῦ πρὸς τάφον πάρεργ' ὁδοῦ, Καὶ προσπεσὼν ἔκλαυσ' ἐρημίας τυχών, Σπονδάς τε, λύσας ἀσκὸν ὃν φέρω ξένοις, Ἔσπεισα, τύμβῳ δ' ἀμφέθηκα μυρσίνας. Victorius, lib. XVI, cap. 2. Præterea qui olim in conviviis carmina cantabant, myrtum laurumve manu tenebant: laurum, qui versus Homericos recitarent: myrtum, qui Æschyli, Simonidis, Stesichori. Apud Plutarchum Dicæarchus, lib. de Certaminibus musicis. Dalec.

5. *Optabilemque arborem etiam hostibus fecit.* Sic enim agi de se triumphum potius, quam alio quovis modo, hostis quilibet velit. Hard.

hostibus fecit. Hæc postea ovantium[6] fuit corona, excepto M. Crasso[7], qui de fugitivis et Spartaco laurea coronatus incessit. Masurius auctor est, curru quoque triumphantes myrtea corona usos. L. Piso tradit, Papirium Masonem[8], qui primus in monte Albano triumphavit de Corsis, myrto coronatum ludos Circenses[9] spectare solitum. Avus maternus Africani sequentis[10] hic fuit. Marcus Valerius[11] duabus coronis utebatur, laurea, et myrtea, qui et hoc voverat.

XXXIX. (xxx.) Laurus[1] triumphis proprie dicatur, 1

6. *Hæc postea ovantium.* Gellius, lib. V, cap. 6, pag. 327 : « Ovalis corona myrtea est : ea utebantur imperatores qui ovantes introibant Urbem. Ovandi autem, ac non triumphandi causa est, quum aut bella non rite indicta, neque cum justo hoste gesta sunt : aut hostium nomen humile, aut non idoneum est, ut servorum piratarumque : aut deditione repente facta, impulveres, ut dici solet, incruentaque victoria obvenit : cui facilitati aptam esse Veneris frondem crediderunt : quod non martius, sed quasi venerius quidam triumphus foret. » Et olea tamen etiam coronatos esse ovantes Plinius noster admonet libri hujus cap. 6. Myrto et milites redimitos scripsit Claud. Saturninus, lib. de Coronis, apud Tertullianum, lib. de Corona, c. 12. H.

7. *M. Crasso.* Gellius, loc. citat. « Myrteam coronam M. Crassus quum bello fugitivorum confecto ovans rediret, insolenter aspernatus est, senatusque consultum faciendum per gratiam curavit, ut lauro, non myrto coronaretur. » H.

8. *Masonem.* Recitat hæc totidem verbis Val. Max. lib. III, n. 5, p. 173. Unde vero Festus, Paulusve id hauserit quod refert, « Myrtea corona Papirius usus est, quod Sardos in campis myrteis superasset, » quive illi campi sint myrtei, non liquet. Hard. — *Triumphavit de Corsis.* Anno Urb. cond. 523. Ed.

9. *Ludos Circenses.* De Circensibus vide quod notatum est ad lib. XXXVI, c. 22 hujus operis. Dal.

10. *Africani sequentis.* Hoc est, Africani posterioris, ejus qui Carthaginem, Numantiamque delevit. Hard.

11. *M. Valerius.* Publicolæ frater, ejus qui post exactos reges primum consul fuit. Hard.

XXXIX, 1. *Laurus.* Lauri fere dotes universas, quas oratione prosa Plinius expressit, carmine haud invenusto reddidit Joh. Passeratius, kalendis januar. 1594. Et Græcos solitos esse pro foribus laurum statuere auctor est Hesychius, in voce Κώμυθα. Κώμυθα, δάφνη, ἣν ἱστῶσι πρὸ τῶν πυλῶν. Hard. — *Laurus nobilis* (*Enneand. Monogyn.* gen. 994, Pers. *Laurin.* Juss.). Habitat in Italia, Hispania et Oriente. Ed.

vel gratissima domibus, janitrix Cæsarum[2] Pontificumque[3]: sola et domos exornat, et ante limina excubat. Duo ejus genera[4] tradit Cato: Delphicam et Cypriam. Pompeius Lenæus[5] adjecit quam mustacem appellavit, quoniam mustaceis subjiceretur[6]. Hanc esse folio maximo, flaccidoque et albicante: Delphicam æquali colore, viri-

2. *Janitrix Cæsarum.* Ovid. Metam. lib. I, v. 562: « Postibus Augustis laurus fidissima custos, Ante fores stabis, mediamque tuebere quercum. » Et Trist. lib. III, eleg. 1, vers. 39, de Augusti Palatio: « Cur tandem apposita velatur janua lauro, Cingit et Augustas arbor opaca fores? Num quia perpetuos meruit domus ista triumphos, etc. » Hard.

3. *Pontificumque.* Pontificum majorum et minorum gradus, ordinem, dignitatem, jus, auctoritatem, immunitatem, cultum, munus et officium, collegia, prolixe describit Alex. ab Alex. lib. II, cap. 8. Pontifices a ponte dictos volunt: quod iis solis liceret pontem sublicium ligneum, nullo ære, vel ferro compactum, si collaberetur, cæsa victima, et sacrificio peracto, reficere. Pontificum galerus insigne fuit, ut augurum lituus. Dalec.

4. *Duo ejus genera. Delphicam et Cypriam.* Cato, cap. cxxxiii, pag. 69. Idem tamen, cap. viii, pag. 14, tertium genus addit, silvaticum. Hard.

5. *Pompeius Lenæus.* Pompeii libertus, grammaticus doctissimus, de quo lib. XXV, cap. 2. Olim gentilitium nomen patronorum liberti assumebant. Auctor Lactant. lib. III, Instit. Tertull. de Resurrect. carnis. Sic Carvilius, Carvilii libertus nominatus est Plutarcho, Laurea Tull. Ciceronis, XXXI, c. 1. Cornelius Alexander, Cornelii Lentuli, Suidæ. Brissonius, lib. II, cap. 14. Persius: « Verterit hunc dominus, momento turbinis exit Marcus Dama. » Dalec.

6. *Quam mustacem appellavit, quoniam mustaceis subjiceretur.* Mustacei Catoni, *mustacea* Juvenali, fiunt e farina siliginis musto conspersa, aniso, cymino, adipe, caseo, ramentis virgæ lauri subditis, dum coquuntur lauri foliis. Juvenalis: « ... nec est quare cœnam et mustacea perdas Labente officio, crudis donanda. » Dalec. — *Quoniam mustaceis.* Mustacea sunt levia cibaria, iis præberi solita, qui stomachi imbecillioris forent. De his Cato, cap. cxxi, pag. 65: « Mustaceos sic facito: farinæ siligineæ modium unum musto conspargito: Anisum, cuminum, adipis P. II, casei libram, et de virga lauri deradito, eodem addito. Et ubi definxeris, lauri folia subtus addito quum coques. » Liba universa, bellariaque lauri foliis veteres involvebant, teste Athen. lib. IV, pag. 140. In Notis, quæ Tironi falso adscribuntur, apud Gruterum, pag. 176, *Mustacium* exhibetur. *Crustulum. Edulium*, pro *Edulium*. Et paulo ante legitur item, *Placenta. Scerbilita*, pro *Scribilita*. Hard.

diorem, maximis baccis atque e viridi rubentibus. Hac victores Delphis coronari, et triumphantes Romæ. Cypriam esse folio brevi, nigro, per margines imbricato, crispam. Postea accessere genera. Tinus[7]: hanc silvestrem laurum aliqui intelligunt, nonnulli sui generis arborem.
Differt color[8]: est enim ei cærulea bacca. Accessit et re- 2
gia[9], quæ cœpit Augusta appellari, amplissima et arbore et folio, baccis gustatu quoque non asperis. Aliqui negant eamdem[10] esse, et suum genus regiæ faciunt, longioribus foliis latioribusque. Iidem in alio genere baccaliam appellant hanc quæ vulgatissima[11] est, baccarumque fertilissima. Sterilem vero earum (quod maxime[12] miror) triumphalem, eaque dicunt triumphantes uti: nisi id a Divo Augusto cœpit[13], ut docebimus[14], ex ea lauru, quæ ei missa e cælo est, minima altitudine, folio crispo ac brevi, inventu rara. Accedit in topiario opere taxa[15], excrescente in medio folio parvulo, veluti lacinia folii. Et sine ea[16] spadonia, mira opacitatis patientia[17]: itaque quantalibet sub umbra solum implet. Est et chamæ- 3

7. *Tinus. Laurier-tin. Viburnum Tinus* (*Pentand. trigyn.* gen. 727, Pers. *Caprifol.* Juss.). Ed.

8. *Differt color.* Nempe a cæteris lauri generibus. Hard.

9. *Et regia. Laurier royal*, cujus iconem Lobelius exhibet in Advv. pag. 424. Hard.

10. *Aliqui negant eamdem.* Negant regiam eamdem cum Augusta esse. Hard.

11. *Quæ vulgatissima.* Laurus vulgaris baccifera, *laurier.* Baccalis dicitur lib. XVII, cap. 11. Sed nimirum eadem est baccalis ac baccalia, ut hortensis et hortensia. H.

12. *Quod maxime miror.* Miratur triumphis eam esse destinatam, quæ sit sterilis. Hard.

13. *Cœpit.* Sic ex MSS. emend. Hard. *cœperit* Gron. et al. Ed.

14. *Ut docebimus.* Cap. 40. H.

15. *Taxa.* Sive laurotaxa. — *Ruscus angustifolia* Tourn. Et mox chamædaphne est *Ruscus racemosus* (*Danae* Pers.); Alexandrina autem *R. hypophyllum* (*Diœc. gynand.* gen. 3201, Pers. *Asparag.* Juss.). Ed.

16. *Et sine ea.* Sine ea lacinia, hoc est, sine eo folio parvo exeunte de foliis, spadonia est: quæ lacinia spadoniam laurum a taxa secernit, alioqui plane pares. Hard.

17. *Mira... patientia.* Cui nihil officit opacitas loci: quæ nihilo minus est in opaco, quam in aprico loco, exuberans ac læta, ac solum semper implens. Hard.

daphne[18] silvestris frutex. Est et Alexandrina[19], quam aliqui Idæam, alii hypoglottion, alii Danaen[20], alii carpophyllon[21], alii hypelaten vocant. Ramos spargit a radice dodrantales, coronarii[22] operis, folio acutiore[23] quam myrti, molliore et candidiore, et majore[24]: semine inter folia rubro. Plurima in Ida, et circa Heracleam Ponti, nec nisi in montuosis[25]. Id quoque, quod Daphnoides vocatur[26], genus, in nominum ambitu est. Alii enim

18. *Chamædaphne.* Non lauri proprie sunt eæ, quæ deinceps appellantur, sed ob foliorum quamdam cum lauro similitudinem, id nomen ipsæ quoque sortiuntur. De hoc triplici genere, hoc est, de chamædaphne, Alexandrina daphne, et de ea quæ δαφνοειδὲς vocatur, Galenus egit, de fac. simpl. Med. lib. VI, p. 169. De chamædaphne dicemus lib. XXIV, cap. 81. H.

19. *Alexandrina.* Ab Alexandria Troadis, in qua et Ida mons. Theophrast. Hist. lib. III, cap. 17, et Dioscorid. lib. IV, c. 147: Δάφνη Ἀλεξάνδρεια, οἱ δὲ Ἰδαίαν· οἱ δὲ Δανάην· οἱ δὲ ὑπόγλωττον, etc. Et in Nothis, p. 473: Οἱ δὲ δάφνος· οἱ δὲ ὑπογλώττιον, etc. nempe a similitudine quadam foliorum cum altera hypoglosso, de qua l. XXVII, cap. 67. Hæc a Dalecampio recte delineatur, Hist. lib. II, cap. 46, pag. 208. Hard.

20. *Alii Danaen.* Sic MSS. Reg. 1, 2, Colb. etc. non *daphnitin.* Sic etiam Dioscorides mox citatus, et Stephanus, ut dicemus statim. H.

21. *Carpophyllon.* Quod folii dorso fructus insidet, vel dorsi, ut ita dicam, spinæ. Stephanus: Ἔστι δὲ Ἀλεξάνδρεια. .... τινὲς δὲ Δανάην αὐτὴν καλοῦσι, οἱ δὲ χαμαιδάφνην· οἱ δὲ ἐπιφυλλόκαρπον, ἢ φυλλόκαρπον. Diosc. loc. cit. καρπὸν δὲ ἐν μέσοις, fructum fert in mediis foliis: hoc est, in medio folii dorso. Eadem ὑπελάτη, a similitudine quadam cum abiete, quæ Græcis ἐλάτη. H.

22. *Coronarii.* Coronis apta nectendis. Hard.

23. *Folio acutiore.* Diosc. l. IV, cap. 147, hæc totidem fere verbis eadem certe sententia. Hard.

24. *Et majore*, etc. Prius legebatur: « Molliore et candidiore: majore semine inter folia rubro. » Emendandi auctor Dioscorides fuit, cujus hæc verba e lib. IV, c. 147: Δάφνη Ἀλεξάνδρεια... φύλλα ὀξυμυρσίνῃ ὅμοια ἔχει, μείζονα δὲ, καὶ μαλακώτερα, καὶ λευκότερα, καρπὸν δὲ ἐν μέσοις ἐρυθρὸν, ἐρεβίνθου τὸ μέγεθος. Et Oribasii quoque interpres, lib. XI, pag. 195: « Daphne, hoc est, laurus Alexandrina; folia rusco similia, sed majora, et molliora, et candidiora habet: fructum in mediis fere rubrum, ciceris magnitudine, etc. » Hard.

25. *Montuosis.* Sic ex MSS. em. Hard. cons. Chifflet. *nisi montosis* Gronov. Ed.

26. *Id quoque, quod Daphnoides vocatur, genus, in nominum ambitu est: alii Pelasgum, alii eupetalon,*

Pelasgum[27], alii eupetalon, alii stephanon Alexandri vocant. Et hic frutex est ramosus, crassiore[28] ac molliore, quam laurus, folio : cujus gustatu accenditur os atque guttur, baccis e nigro rufis[29]. Notatum antiquis, nullum genus laurus in Corsica fuisse : quod nunc satum et ibi provenit.

XL. Ipsa pacifera, ut quam prætendi etiam inter ar- 1
matos hostes quietis sit indicium. Romanis præcipue lætitiæ victoriarumque nuntia additur litteris[1], et militum

alii stephanon Alexandri. Hic vides *stephanon Alexandri* vocari τὸ δαφνοειδὲς, quod cognomentum proprie convenit Alexandreæ lauro, quod ea coronari solitus esset Alexander Paris in agonalib. certaminibus. Vide Salm. p. 403, *id quod*, etc. Vide quæ de chamædaphne sunt adnotata infra, lib. XXIII, cap. 8, et lib. XXIV, c. 15. Dal. — *Daphnoides*. Dioscorid. lib. IV, c. 148 : Δαφνοειδὲς, οἱ δὲ εὐπέταλον. De eo genere magna lis inter herbarios. Hard. — Thymelæa lauri folio, semper virens, Tourn. (*Daphne Laureola*, *Octand. monog.* gen. 967, Pers. *Thymel.* Juss.). Ed.

27. *Pelasgum*. Πέλασγον, quod ea Græci coronarentur, quum ad Trojam essent. Εὐπέταλον, quod foliis sit eximiis. Hard.

28. *Crassiore ac molliore*. Diosc. loc. cit. Φύλλα δάφνῃ ἐοικότα, μαλακώτερα δὲ καὶ ἰσχνότερα, quæ Oribasii interpres recte *graciliora*, *mollioraque* reddit, l. c. At ἰσχυρότερα legisse Plinius in iis auctoribus videtur, quos secutus est. Serapion quoque in ipso Dioscoride, quum ejus interpres *tenaciora* verterit. H.

29. *E nigro rufis*. Nigris vel rufis. Diosc. bacca nigra est Daphnoides. Theophrast. lib. IX, cap. 15. In Arcadia nascitur Daphnoides croceum, i. e. croceis baccis. Utrumque Plinius hic significat. Dal. — *Baccis e nigro*. Oribasius Dioscoridem secutus, « bacca nigra, ubi matura est, » l. c. Hard.

XL. 1. *Additur litteris*. Romani imperatores reportata de hostibus victoria, litteras Romam ad senatum mittebant, lauri ramo involutas. Ita libri omnes tum editi, tum manu exarati; quorum fide neglecta *lituis* Hermolaus rescripsit. At morem veterem a nobis laudatum, litteras laureo ramulo obvolvendi, plane edocent testimonia haud obscura scriptorum utriusque sermonis. Appianus in Mithrid. p. 223 : Καὶ Λεύκουλλος περὶ τῶνδε Ῥωμαίοις ἐπέστειλε τὰ γράμματα δάφνῃ περιβαλὼν, ὡς ἔθος ἐστὶν ἐπὶ νίκαις. « Quibus de rebus Lucullus litteras Romam misit, lauro involutas, ut mos est in victoriis. » Livius lib. V, pag. 97 : « Litteræ a Postumio laureatæ sequuntur : victoriam populi rom. esse : Æquorum exercitum deletum. » Ad eum morem allusere poetæ : Naso, Amor. I, xi, vs. 25 : « Non ego victrices lauro redimire tabellas, etc. » Et

lanceis[1], pilisque. Fasces Imperatorum decorat. Ex his in gremio Jovis[3] Optimi Maximique deponitur, quoties lætitiam nova victoria attulit. Idque non quia perpetuo viret, nec quia pacifera est, præferenda ei utroque[4] olea, sed quia spectatissima in monte Parnasso: ideoque etiam grata Apollini[5], assuetis eo dona mittere jam et regibus
2 Romanis, teste L. Bruto[6]. Fortassis etiam in argumentum, quoniam ibi libertatem publicam is meruisset, lauriferam tellurem illam osculatus ex responso[7]. Et quia

Martial. lib. IX, epigram. xxxvi, vs. 6 : « Victricem laurum, quam venit ante, vides. » Ammianus quoque, lib. XVI de Juliano imperatore : « Etsi, verbi gratia, eo agente tunc in Italia, dux quidam egisset fortiter contra Persas..... laureatas litteras ad provinciarum damna mittebat, etc. » Atque idcirco sane laurus a Plinio, « lætitiæ victoriarumque nuntia » appellatur, quod adderetur litteris, quibus felices de victoria nuntii continerentur. H.

2. *Militum lanceis.* Quum lætæ res essent ac prosperæ : quod factitatum a Pompeii militibus refert Plutarch. in Pomp. p. 640. Mart. de utroque more, lib. VII, epigr. vi, vs. 5 : « Publica victrices testantur gaudia chartæ, Martia laurigera cuspide pila virent. » H.

3. *In gremio Jovis.* Quem ad morem respexit Silius Ital. lib. XV : « Sed dabo qui vestrum sævo nunc Marte fatigat Imperium superare manu, laurumque superbam In gremio Jovis excisis deponere Pœnis. » Item Jul. Obsequens de Prodigiis, cap. cxxiii; Plinius in Paneg. c. 8. Statius Silv. lib. IV : « Restat Bactra novis, restat Babylona tributis Frenari : nondum gremio Jovis indita laurus. » H.

4. *Utroque.* Quum gemina ea dote lauro olea antecellat. Hard.

5. *Ideoque etiam grata Apollini.* Nam, ut ait Hesiodi interpres, ἐνεργεῖ πρὸς ἐνθουσιασμούς. Ideo μαντικὸν φυτὸν nominatur. Sophocl. in Cassandra : Δάφνην φαγὼν ὀδόντι πρίετο στόμα. Lycophron : Δαφνηφάγων φοίβαζεν ἐκ λαιμῶν ὄπα. Vates certe lauro semper coronati futura præcinebant. Vide Rhodig. lib. V, cap. 7. Dalec.

6. *L. Bruto.* Nota ex Livio historia, lib. I, ubi de Tarq. Superbo : « Domestico exterritus visu, Delphos ad maxime inclytum in terris oraculum mittere statuit. Neque responsa sortium ulli alii committere ausus, duos filios per ignotas ea tempestate terras, ignotiora maria, in Græciam misit. Titus et Aruns profecti. Comes his additus L. Jun. Brutus, Tarquinia sorore regis natus, juvenis longe alius ingenio, quam cujus simulationem induerat, etc. » Hard.

7. *Lauriferam tellurem illam osculatus ex responso.* Titus Livius, Ovidius et alii auctores, non expli-

manu satarum receptarumque in domos, fulmine sola non icitur[8]. Ob has causas equidem crediderim, honorem ei habitum[9] in triumphis potius, quam quia suffimentum sit cædis hostium et purgatio, ut tradit Masurius. Adeoque in profanis usibus, pollui laurum et oleam fas non est[10], ut ne propitiandis quidem numinibus accendi ex his altaria[11] aræve debeant. Laurus 3

cant, utra fuerit terra, quam exosculatus sit Brutus, Delphica an Italica. Plinius Delphicam intelligit: Dionysius Halicarnasseus quarto volumine, Italicam. « Brutus, inquit, intelligens quid vellet declarare deus, ubi quam celerrime Italicam terram ascendit, procidens, osculatus est terram, hanc esse putans omnium hominum matrem. » Pint. — *Laur.* Atqui non Delphicam, sed Italam tellurem osculatum esse refert Dion. Halic. A. R. lib. IV, pag. 265. Atque id forsan oraculo congruentius fuit, imperium portendenti ei viro, qui matrem prior oscularetur. Sed Plinio Livius suffragatur, lib. I, pag. 20. Hard.

8. *Sola non icitur.* Id Veteribus quidem creditum : negat Recentiorum experientia. H. — Id falsum esse experientia demonstravit. At certum est resinosas arbores fulmini esse minus obnoxias, illud etiam repellere. Contra aquosæ arbores sæpe fulminibus iciuntur. Quod ad *electricæ* vis leges merito refert Cl. Toaldo. Brot.

9. *Honorem ei habitum*, etc. Et, si quando imperatores de hostium exercitu deleto, aut expugnata urbe ad senatum scriberent, litteris exornandis, quas nunc victrices, nunc laureatas appellabant. Quin et iidem insigni victoria parta, laureatis fascibus incedebant, nuntios cum laureatis jaculis mittebant, navesque laureatas, aut vittatas. Dal.

10. *Pollui oleam fas non est.* Castitas etiam requiritur in oleæ cultura. Constantinus lib. IX Γεωπονικῶν · Pallad. lib. I, cap. 9. Dal.

11. *Accendi ex his altaria.* Gemino lapsum esse errore hoc loco Plinium nonnemo arbitratus est : et sermonis vitio, qui *accendi altaria* dixerit : et ταυτολογία pariter reprehendenda, qui *altaria* et *aras* copularit, quum ejusdem significatus esse vox utraque videatur. Sed falsa utroque eo nomine hæc criminatio est. Nam et Maro ipse sic loquutus, Æn. lib. VIII, vs. 285 : « Incensa altaria circum. » Et valet hic potissimum Servii animadversio in illud ejusdem vatis, Ecl. VIII : « Corripuit tremulis altaria flammis : Altaria dicuntur, et quæ continent, et quæ continentur ab eis : nunc vero ipsa quæ ponuntur. » Ad alterum vero criminationis caput, quod de ταυτολογίᾳ est, adeo non eo nomine culpandus auctor videtur, ut insignis potius eruditionis specimen eo ipso dederit. Nam ut apposite idem Maronis interpres in illud poetæ, Ecl. V :

quidem [12] manifesto abdicat ignes crepitu, et quadam detestatione: interaneorum [13] etiam vitia et nervorum ligno torquente. Tiberium principem [14] tonante cælo coronari ea
4 solitum ferunt contra fulminum metus. Sunt et circa Divum Augustum [15] eventa ejus digna memoratu. Namque Liviæ Drusillæ, quæ postea Augusta [16] matrimonii nomen

« en quatuor aras Ecce duas tibi, Daphni, duoque altaria Phœbo. » Feci, inquit, aras quatuor, tibi o Daphni, duas: et duas aras Apollini, quæ sint altaria. Novimus enim aras diis esse superis et inferis consecratas: altaria vero esse superorum tantum deorum, quæ ab altitudine constat esse nominata, quæ nunc dat Apollini quasi deo, Daphnidi vero aras ponit: nam licet eum dixerit deum, tamen mortalem fuisse manifestum est. » Hard.

12. *Laurus quidem*, etc. Inde Græcis δάφνη quasi δαφωνὴ dicitur. Crepitum eum sonorum portendere felicia existimatum a Theocrito, Lucretio, Porphyrio: contra vero, laurum injectam igni et tacitam, tristia: « Laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni. » Propert. « Et tacet exstincto laurus adusta foco. » Rhodig. lib. V, cap. 7. Dalec.

13. *Interaneorum*. Ligno, ceu cortice, si devoretur, interaneis nervisque utili; nam calculos rumpit, aliaque præstat, quæ dicentur lib. XXIII, cap. 80. Hard.

14. *Tiberium*. Sueton. in Tiber. cap. lxvi. Vide quæ diximus lib. II, cap. 56. Hard.

15. *Circa Divum Augustum*. Idem in Augusto, et Dion. lib. XLVIII. Dalec.

16. *Augusta*. Jure matrimonii cum Augusto in Augustæ nomen assumpta est. H. — *Quæ*, etc. Id Augustæ nomen, Liviæ passim Plinius noster attribuit: nunc etiam a viva usurpatum testatur. Unde Tranquilli locum vitiatum obiter emendamus, in Claudio, cap. xi: « Aviæ Liviæ... divinos honores... matri Carpentum, et cognomen Augustæ ab avia recusatum. » Lege *ab viva*, ne ab avia, quæ Livia Augusti fuit, recusatum id cognomen putes; aut Tranquillum bis hallucinatum confitere: primum quod Augustæ nomen Liviam habuisse negat, dum viveret: nam id nomen ei adhuc viventi nummi antiqui tribuunt, tum Græci, tum Latini: deinde quum a Claudio imp. datum matri Augustæ nomen comminiscitur: nam illud antonia avgvsta Claudii mater, natalium jure gesserat: *Antonia* a M. Antonio patre dicta; *Augusta* a matre, Augusti sorore. Feminæ deinceps cæteræ ab Augustis, seu viris, seu feminis, vel a Cæsaribus natæ, siquidem nummi earum honori cuderentur, Augustæ appellabantur. Hunc vero ipsum Plinii locum forte rectius ita legas, « quæ postea Augustæ matrimonio nomen accepit. » Utut est, sententia est, matrimonii quasi dotem fuisse Augustæ cognomen: quod et Marcelli

accepit, quum pacta esset illa Cæsari, gallinam [17] conspicui candoris sedenti aquila ex alto abjecit in gremium illæsam; intrepideque miranti accessit miraculum, quoniam teneret rostro laureum ramum onustum suis baccis. Conservari alitem et sobolem jussere aruspices, ramumque eum seri, ac rite custodiri. Quod factum est in villa Cæsarum, fluvio Tiberi imposita juxta nonum [18] lapidem Flaminia via, quæ ob id vocatur Ad gallinas [19] : mireque silva provenit. Ex ea triumphans postea Cæsar, laurum in manu tenuit, coronamque capite gessit: ac deinde imperatores Cæsares cuncti. Traditusque mos est ramos, quos tenuerunt, serendi, et durant silvæ nominibus suis discretæ, fortassis ideo mutatis triumphalibus [20]. Unius arborum latina lingua nomen imponitur [21] viris. Unius [22] folia

Empirici locus haud obscure innuit, in quo et matrimonii vocem accipi pro uxore dignum notatu est: « Augustam, inquit cap. XIII, constat hoc usam Messalinam, deinde aliorum Cæsarum matrimonia hoc dentifricio usa sunt. » Uti nempe servitia pro servis, pro ministris ministeria Latini dixere. HARD.

17. *Gallinam.* Hoc prodigium verbis totidem fere narrat Dio lib. XLVIII, pag. 389. Etiam paulo dilucidius Tranquillus in Galba, cap. I. HARD.

18. *Nonum lapidem.* Nonum milliare, Plutarcho. Tiberius Gracchus vias milliaribus dimensus est omnes, quod spatium parum abest ab octo stadiis, ejusque mensuræ notam lapideam columellam statuit: ac præterea ex utraque parte viæ lapides parum ab invicem distantes disposuit, e quibus facilius salire in equum liceret, nec τῷ ἀναβολεῖ opus esset: quo in loco ἀναβολέα quidam stapham nostram exponunt, alii servum corpus domini prehensis natibus attollentem. Inde usus obtinuit, ut milliare lapis vocetur. Brissonius, lib. IV, cap. 9. DALEC.

19. *Ad gallinas.* Sueton. loc. cit. « Tanta pullorum soboles provenit, ut hodie quoque ea villa ad Gallinas vocetur: tale vero lauretum, ut triumphaturi Cæsares inde laureas decerperent, etc. » HARD.

20. *Mutatis triumphalibus.* Abjecto eo genere lauru sterili, quo dictum est olim triumphantes uti cap. 39, laureisque ex hac potius silva petitis. HARD.

21. *Nomen imponitur.* Ut Tullio Ciceronis liberto, Laureæ cognominato, de quo lib. XXXI, cap. 3. HARD.

22. *Unius folia.* In hoc uno genere, aliud arbori, aliud folio nomen. HARD.

distinguuntur appellatione: lauream enim vocamus. Durat et in Urbe impositum loco, quando Loretum[23] in Aventino vocatur, ubi silva lauri fuit. Eadem[24] purificationibus adhibetur: testatumque sit obiter et ramo[25] eam seri, quoniam dubitavere Democritus atque Theophrastus[26]. Nunc dicemus silvestrium naturas.

23. *Quando Loretum*. In regione Urbis XIII, teste P. Victore, et Aventinus mons fuit, et vici duo Loreti majoris ac minoris. Vide et Tabulam regionum ac vicorum urbis Romæ, apud Gruterum pag. 250. HARD.

24. *Eadem*. De purificationibus Veterum dicemus lib. XXV, cap. 59. HARD.

25. *Et ramo*. Uti dicemus lib. XVII, cap. 11. HARD.

26. *Theophrastus*. Lib. II, cap. 1. DALEC.

EXCURSUS I

DE OLEA.

CARMEN A JOH. PASSERATIO CONDITUM ANN. 1588.

Ad Plinii lib. XV, cap. 1-8.

Joh. Passeratii carmen ab Hard. jure laudatum, not. 1 cap. 1 hujusce libri, exceptis tantum locis qui minus ad rem nostram pertinere videbantur, ex doctissimi viri judicio, partim transcribere nulli dubitavimus. Quippe non supervacaneum duximus aliquid ex ποιηματίῳ decerpere, si, quo in pretio fuerit olim una ex nostris celebratissimis arboribus, melius cuivis innotesceret; præsertim quum totius fere opusculi summa ex allegatis ipsius Secundi capitibus pæne ad verbum expressa fuerit.

Almam oleæ stirpem canimus, quam Pallas in arce
Actæa statuit, victi monumenta tridentis.
Nam gemino nuper positis a Cecrope muris,
Cum patruo certasse ferunt de nomine terræ.
Ille prior, vasti qui nactus regna profundi,
Vertendis acrem glebis, belloque frementem,
Cuspide fudit equum, percussi e vulnere saxi.
At dea, cui torva munitum Gorgone pectus,
Ut primum emissa tellurem diffidit hasta,
Exsiluit baccis onerata nitentibus arbos;
Addictamque tulit bisseno a judice palmam.
....
Pacifera auctori pacis debetur oliva.
Hac caput evinctus genitor, qui fulmina torquet,
Auratum ingreditur limen stellantis Olympi.
Gestat et hanc dextra Jovis internuncius Arcas.

30[2]

Vatibus illa piis intonsos nectere crines,
Lustrantique novis cum frugibus arva colono,
Romuleique solet cui credita cura triumphi.
Cepit Erechtheis hæc præmia victor Athenis,
Dux et ovans dominæ quum se pedes intulit Urbi.
Vos quoque quintiles invicti Cæsaris idus,
Felici turmas equitum cinxistis oliva.
Contenta est cultu modico, nec plura referre
Ulla potest arbor tutandæ commoda vitæ.
Utque sator fructus carpat serique nepotes,
Bis decies denos ætatem extendit in annos.
Glaucus honor foliis, cognato et ab æthere ductus:
Frigidus hiberno nec flamine decutit Auster.
Frondibus et stirpi tanta est reverentia sacræ,
Numina nulla suis uri ut patiantur in aris:
Exigat et pœnas usu polluta profano.
Medorum facibus quondam succensa nefandis,
Uno eodemque die (voluit Tritonia virgo)
Mensuram in cubitum recrevit adulta duorum.
Relligione viget; castæque accepta Minervæ,
Plantanda est puris manibus, purisque legenda.
Rore levi et terua fontanæ aspergine lymphæ,
Purgat ab exsequiis redeuntem et funera turbam.
Trux licet iusanis erret Gradivus in armis,
Perque acies rapiat rorantes sanguine currus,
Supplicis ille tamen si forte adspexit olivæ
Velamenta procul, rabies de pectore cedit;
Tela minæque cadunt: belli obliviscitur hostis.
. . . .
Multiplices oleæ fœtus, adeoque salubres,
Maxima Socraticæ fuerint ut fercula cœnæ:
Innocuo pastu cessantem hortantur orexin,
Languidaque infirmi stomachi fastidia pellunt.
Talibus olim epulis minimoque assueta juventus,
Tradebat longæ viridantia membra senectæ.
Inde liquor manat, duris dum bacca trapetis
Frangitur, humanos valide qui roborat artus;
Quo sine pulvereæ certamina nulla palæstræ;
Sidus ut Œbalium, pelagi qui temperat iram;
Qui rigidum ferrum emollit; cæcisque sub undis
Dat lucem atque animam, quum spargitur ore natantum.

Laniferæ pensis dextræ, studiisqne severis
Invigilat, servatque æternæ lumina Vestæ.
Naturæ arcauas et iu hoc mirabere vires:.
Quod lapidem Lycium, vel calcem, ubi frigida lympha
Accendit, calidum contra restinguit olivum.
Quis divûm aut hominum tam clari muneris auctor?
Nempe is uectareo qui nobis æmula succo
Mella dedit vimque austeri domitura Lyæi,
Pastor Aristæus: Libycis quem mater arenis
Ediderat cupido compressa ab Apolliue nympba.
Est etiam nigræ non pessimus usus amurcæ:
Hortorum hæc cæcas pestes, ac noxia tollit
Gramina, et agricolæ metuit quæ muuda snpellex.
Hac silvæ Alcinoi, frugesque, et læta nitescunt
Deterso vitio scabræ rubiginis æra.
Arboreis eadem morbis, morbisque medetur
Quadrupedum, sterilesque jubet pinguescere campos.
Quin et materies oleæ putrescere uescit
Coudita sub terra, Pylium sub fluctibus ævum
Durat, et augustis lignum venerabile templis,
Sanctorum gerit effigiem vultusqne deorum.
....

EXCURSUS II

DE OLEÆ CULTURA,

Ad ea Plinii verba, lib. XV, cap. 1 :

§ I. *Hesiodus quoque inprimis cultum agrorum docendam arbitratus vitam, negavit oleæ satorem fructum ex ea percepisse quemquam : tam tarda tunc res erat. At nunc etiam in plantariis serunt, translatarumque altero anno decerpuntur baccæ.*

« L'olivier ne se sème point, parce qu'il lève difficilement de graine, que son accroissement est fort lent, et que ce procédé soumettrait le plan qui leverait à une greffe, parce qu'une olive franche ne produit qu'un sauvageon; au lieu qu'en plantant des rejetons ou des cateux qu'on élève quelque temps dans des pépinières, et qu'on transplante ensuite, ceux-ci peuvent donner du fruit au bout de deux ans.

« Les Romains ne semaient pas certainement des olives; ils n'avaient pas recours à un tel procédé pour se procurer des plants, qu'ils pouvaient obtenir d'une façon bien plus avantageuse. Il n'est pas moins vrai aussi que Pline ait entendu qu'on les sema, puisqu'il dit ailleurs : *Si quis quærat quod tempus oleæ serendæ sit, agro sicco per sementem.* Lib. XVII, cap. 30.

« S'il avait été question de semer la graine (quod falso credidisse quoque videtur nostras Poinsinet de Sivry, qui locum hunc sic interpretatur : *présentement on le sème dans les pépinières*), Pline se serait exprimé autrement ; au lieu d'*oleæ*, il aurait dit *olivæ :* il aurait désigné le fruit, non le plan. Vainement objecterait-on qu'on devait conserver l'olivier dans les pépinières assez de temps pour qu'il fût en état de produire la seconde année de sa transplantation ; on s'écarterait alors du sens de Pline, suivant lequel l'olivier n'est plus aussi tardif qu'autrefois : car ce serait plutôt en le semant, qu'en voulant le multiplier par d'autres procédés, que se vérifierait le mot d'Hésiode, « qu'on ne cueille jamais d'olive sur un olivier qu'on a planté. »

§ II. *Verumtamen et tondentur (oleæ), quum et vites ; atque etiam interradi gaudent.* Cap. 2.

« Faute de comprendre le sens du mot *interradere*, on fait dire à Pline

que l'olivier doit être taillé et quelquefois élagué; mais le mot *élaguer*, qui est une dépendance de celui de *tailler*, doit être sous-entendu et compris dans celui de *tondentur*. Ces deux opérations qu'on fait subir à l'arbre ne diffèrent pas assez pour qu'on doive supposer que les Latins se soient servi du verbe *interradere*, afin d'exprimer une opération dont la signification eût été de donner du jour à un arbre, en coupant ses branches intérieures ou superflues. L'expression littérale d'*interradere* ne peut se rendre que par celle de *racler*, de *ratisser* la partie du cep, à l'endroit où elle commence à être à découvert. Elle répond à une pratique usitée à l'égard de l'olivier. Cet arbre pousse du haut de sa souche de petites racines filamenteuses qui paraissent à découvert quand il est déchaussé, et qui sont recouvertes de terre quand on a l'attention de le chausser. On croit que ce chevelu le dessèche : pour prévenir cet inconvénient, on en dégage la souche, on la ratisse, *interraditur*. C'est ce qui fait dire ensuite à Pline que les oliviers prospèrent davantage quand on les débarrasse de ce chevelu.

« Si ces filaments n'avaient été qu'extérieurs, les Latins ne se seraient sans doute servi que du verbe *radere*. En employant celui d'*interradere*, ils ont voulu dire qu'il fallait ratisser intérieurement. Que peut-on donc ratisser de la sorte, si ce n'est les fibres chevelues de la partie supérieure, qui sont le plus souvent intérieures, surtout quand l'olivier reçoit les labours convenables? »

Non prætereundam judicavimus novam prorsus et ad hoc tempus ineditam Gerardi opinionem, quanquam in interpretatione a vulgari sensu discedat, et ipse Columella quem laudat ad hunc locum Harduinus, refragari videatur. Peritissimi viri his in rebus auctoritatem negligere nobis religio fuit; litem dirimendam arboris colendæ artem edoctus quivis suscipiat.

§ III. *Olivæ constant nucleo, oleo, carne, amurca. Sanies est hæc ejus amara; fit ex aquis, ideo siccitatibus minima, riguis copiosa.* Cap. 3.

« Les mots *amurca* et *sanies*, qui expriment deux produits différents, sont également rendus dans toutes les traductions par celui de *lie:* il s'en faut cependant de beaucoup que ces deux termes expriment la même chose, ni que Pline ait prétendu que la lie dût provenir d'une surabondance aqueuse, ce qui est vrai à l'égard du *sanies*, et faux quant à l'*amurca*.

« Le *sanies* de Pline est cette eau noirâtre que les olives déposent lorsqu'on les entasse, et surtout lorsqu'on les foule, afin de pouvoir les

conserver et d'en prévenir l'échauffement. A la faveur de cette compression, les olives se déchargent d'une eau teinte d'une couleur noirâtre, et d'un extrait gommeux amer et acerbe qu'elle dissout: elle sort ainsi sans aucun mélange de partie huileuse: ce qui n'est pas surprenant, vu l'immiscibilité de ces deux substances. Quand les olives sont charnues, et qu'elles ont essuyé des pluies fréquentes, cette eau noirâtre est plus abondante, parce qu'elles sont d'autant plus imbibées. A ce caractère on doit reconnaître le *sanies amara*, son origine, son produit plus ou moins considérable : *fit ex aquis ; ideo siccitatibus minima, riguis copiosa.*

« Ce *sanies* se rapporte à l'olive; mais dans le sens de Pline il n'est pas partie constituante de ce fruit comme l'*amurca*. Pline se sert ici au figuré d'un terme reçu en médecine. La sanie est une humeur dégénérée, un écoulement purulent qui n'entre point naturellement dans la composition de nos humeurs. En comparant le goût amer et acerbe de cette eau noirâtre qui découle des olives, avec la saveur de l'huile et les autres parties constituantes de l'olive, Pline n'a dû regarder le *sanies* que comme un produit vicieux opposé à l'huile, et comme une matière étrangère plus ou moins abondante, selon que les olives en étaient plus ou moins chargées.

« L'eau bouillante qu'on répand sur les olives écrasées entraîne avec les parties huileuses de l'olive une seconde sanie qui diffère de la première, en ce que cette seconde se trouve mêlée avec une eau étrangère, dont la chaleur a détaché tout ce qui n'a pas résisté à son action; mais ce n'est pas de cette sanie qu'il est question dans Pline: ce qui est prouvé par son observation, qu'elle est plus abondante quand la saison est pluvieuse que par un temps sec. La différence des saisons n'en mettrait aucune dans le produit de la seconde sanie, qu'on n'obtient que par l'eau bouillante et par artifice.

« Si ce que nous venons de dire ne suffisait pas pour lever tous les doutes, nous pourrions ajouter que l'eau contenue dans les olives n'en saurait augmenter la lie. « *Sanies fit ex aquis*, » dit Pline. En voulant que la lie provienne d'une surabondance aqueuse, on ne songe pas qu'une plus grande quantité d'eau, qui est immiscible avec l'huile, n'est pas capable d'en augmenter la partie limoneuse. »

Hactenus Gerardi notas transcripsimus : nunc filium Doct. patre non indignum de *amurca* fusius disserentem audiamus:

« Pour compléter l'explication de ce passage, on aurait dû donner la version du mot *amurca*, sur lequel le commentateur ne fait pas connaître

son opinion. Pline signale par cette expression le sédiment que l'huile dépose dans les vases qui la renferment, lorsqu'elle y a séjourné durant quelque temps. Ce sédiment est formé par des matières crasses, hétérogènes, qui enveloppent et entraînent avec elles des parties huileuses que les procédés de la fabrication n'ont pas pu réussir à séparer complètement. Ces matières spécifiquement plus pesantes que l'huile, descendent au fond des vases; et celle-ci étant débarrassée prend une couleur et devient claire et limpide. On a soin de transvaser l'huile dans les premiers jours du mois de juin; on réunit ensuite tous les dépôts qu'elle a laissés, et soit en les exposant aux ardeurs d'un soleil d'été, soit par l'action du feu, on dégage toute la partie huileuse de ce sédiment, qui s'en sépare par l'effet de sa légèreté spécifique. Il ne reste plus après cette opération qu'un *caput mortuum*, composé de terres, d'ordures, et des parties ligneuses, qui par leur petit volume s'échappent des *cabas* de spart ou de jonc dans lesquels on presse la pâte.

« Il est à remarquer à l'appui du sens que le commentateur (M. Gérard père) attribue au mot *sanies*, que les années pluvieuses n'augmentent en aucune manière le volume de l'*amurca*, tandis qu'elles accroissent considérablement celui de l'eau noirâtre qui se dégage des olives par l'effet de la légère pression qu'on exerce sur ce fruit avant d'en extraire l'huile. Le sédiment déposé par ce liquide au fond des vases qui le renferment, est plus abondant lorsque les olives ont été attaquées par les vers. Ces chenilles, après s'être saturées de la chair, triturent et pulvérisent une partie du noyau, et les corps de ces insectes avec les parcelles les plus déliées du noyau contribuent à augmenter le volume de l'*amurca*.

« Les olives ne rendent le *sanies* que par leur entassement et par l'effet de la pression légère qu'on exerce sur elles en les foulant. Sans cette opération, l'eau noirâtre dont on les dégage resterait mêlée et confondue avec l'eau bouillante dont on échauffe la pâte; et comme cette méthode n'est pas généralement répandue, il s'ensuit que dans les lieux où on ne la met pas en pratique, on n'obtient pas de *sanies*. C'est un fait propre à exciter notre curiosité, d'apprendre par quelques mots de Pline que de son temps on pratiquait une opération préparatoire sur les olives avant d'en extraire l'huile, et que l'usage s'en est maintenu dans certaines localités.

« Les dictionnaires, toujours habiles à se copier, ont répété les uns des autres que Virgile s'était servi du mot *amurca* *. Cependant le père La Rue,

* Bis hoc vocabulum occurrit in Georgicis, et cum Plinio consentit Virgilius. Ille enim, cap. 8, supra pag. 394, dicit amurca *semina frugum perfundi*, et *morbis quadrupedum illa medendum* esse. Hic autem lib. I, 198 :

qui a si péniblement compulsé tons ceux que ce poète a employés dans ses onvrages, n'a pas fait mention de celui-ci. S'il en a fait usage, ce doit être dans les Géorgiques : on peut facilement en faire la recherche dans l'auteur lui-même.

« Il serait cnrieux de savoir quelle est la distinction que les tradncteurs italiens et espagnols ont établie entre les mots *amurca* et *sanies*. Je parle seulement de ceux de ces denx nations, parce qne l'olivier est cultivé dans ces contrées, et qu'on y connaît la fabrication des huiles. On voit par tout ce qui a été dit précédemment, que sans cette connaissance il n'est pas possible de saisir la pensée de l'auteur original. »

Excerptæ ex *Emendationibus* adhuc ineditis Clariss. nostratis Gerardi notæ.

« Semina vidi equidem mnltos medicare serentes, Et nitro prius et nigra perfundere *amurca*. » Et lib. III, de ovium morbis, v. 448 : « Ant tonsum tristi contingunt corpus *amurca*. » Qnæ loca in nostro Indice Virgiliano comparent. Ed.

C. PLINII SECUNDI

NATURALIS HISTORIÆ

LIBER XVI.

I. POMIFERÆ arbores, quæque mitioribus succis volu- 1
ptatem primæ cibis attulerunt, et necessario alimento
delicias miscere[1] docuerunt, sive illæ ultro, sive ab ho-
mine didicere blandos sapores adoptione[2] et connubio,
idque munus[3] etiam feris volucribusque dedimus, intra
prædictas constant. Proximum erat narrare glandiferas 2
quoque, quæ primæ victum mortalium aluerunt[4], nutrices
inopis ac feræ sortis, ni præverti cogeret admiratio usu
comperta, quænam qualisque esset vita, sine arbore ulla,
sine frutice viventium. (1.) Diximus et in Oriente[5] quidem
juxta Oceanum complures ea in necessitate gentes. Sunt
vero in septemtrione visæ nobis Chaucorum[6], qui majores

I. 1. *Miscere*. Sic ex MSS. em. Hard. cons. MS. et Ch. *immiscere* Gr. et Al. ED.

2. *Adoptione*. Insitione. HARD.

3. *Idque munus*. Ut jucundioribus nempe jam fructibus, mitioribusque, opera nostra, vescantur. H.

4. *Quæ primo victum mortalium aluerunt*. *Primæ*, non *primo*, archetypum Toletanum. Cæterum commonere hic lectores libuit, deseri nos in præsenti volumine reliquisque insequentibus, a semiveteri illo exemplari bibliothecæ florentissimæ hujus Salmanticensis Academiæ, cujus testimonio in superioribus usi sumus : neque enim plures quindecim libros illud complectitur : reliquum præsidii nobis superesse in uno tantum Toletano còdice, tantæ tamen integritatis, ac in locis numerosissimis tam indubitatæ fidei, ut quod de Platone dixit Antimachus, solus sit instar omnium. PINT.

5. *Diximus et in Oriente*. Lib. XIII, cap. 50 : « At in Oriente mirum est, statim a Copto per solitudines nihil gigni præter spinam, quæ sitiens vocatur, et hanc raram admodum. » HARD.

6. *Chaucorum*. De his dictum est lib. IV, cap. 29. H. — Nunc *la Frise*. BROT.

3 minoresque appellantur. Vasto ibi meatu[7], bis dierum no-
ctiumque singularum intervallis, effusus in immensum
agitur Oceanus, æternam[8] operiens rerum naturæ con-
troversiam : dubiumque terræ sit, an parte in maris. Illic
misera gens tumulos[9] obtinet altos, aut tribunalia[10] structa
manibus ad experimenta altissimi æstus, casis ita impo-
sitis : navigantibus similes, quum integant[11] aquæ circum-
data : naufragis[12] vero, quum recesserint : fugientesque
4 cum mari pisces circa tuguria venantur. Non pecudem
his habere, non lacte ali, ut finitimis, ne cum feris qui-
dem dimicare contigit, omni procul abacto frutice. Ulva
et palustri junco funes nectunt ad prætexenda piscibus
retia : captumque manibus[13] lutum ventis[14] magis, quam
sole şiccantes : terra cibos, et rigentia septemtrione
viscera sua urunt. Potus non nisi ex imbre servato scro-

7. *Vasto ibi meatu.* Cursu, fluctuque late discurrentis aquæ : diei unius noctisque spatio bis ibi maris æstu ex alto sese incitante ad ingentem altitudinem, eodemque impetu, quo effusum est, relabente. HARD.

8. *Æternam.* Tractum ingentem obtegit Oceanus, de quo lis esse æterna possit, terrane, an maris pars sit appellanda. H.— *An parte.* Bene editio princeps, *an pars maris.* BROT.

9. *Tumulos.* Terrenæ molis aggeres. HARD.

10. *Aut tribunalia.* Tuguriola et casas, quæ aggerum parti imponuntur, quo altissimum maris æstum minime pertingere sæpe experti sunt, sive εἰρωνικῶς, sive μεταφορικῶς, quod sint in loco sublimi posita, tribunalia vocant. H.

11. *Quum integant.* Quum integant aquæ circumjectam *planitiem.*

12. *Naufragis.* In vado hærentibus. HARD.

13. *Captumque manibus.* Scribendum reor *capiuntve manibus*, ut intelligas piscem. PINT.

14. *Lutum ventis.* Bituminosas nigrasque glebas intelligit, cespitesque ustiles, quos Belgæ *Turfas* vocant, nostri *des tourbes.* Hæ in segmenta quadrata sectæ, sic apte disponuntur, ut vento perflante magis, quam sole siccentur. Harum usus in Belgio et Picardia frequens : nec iis aliter in culina usuque domestico, quam ligno, aut carbone utuntur. Singularem de iis diatribam Lud. Guicciardinus subjunxit Hollandiæ delineationi Geographicæ a se institutæ. Scripsere de hoc argumento et alii, quos laudat V. Cl. Du Cangius in Glossario, verbo *Turba.* HARD.

bibus in vestibulo domus. Et hæ gentes, si vincantur hodie a populo romano servire se dicunt! Ita est profecto: multis fortuna[15] parcit in pœnam[16].

II. Aliud e silvis miraculum: totam reliquam Germa- 1
niam replent, adduntque frigori umbras: altissimæ tamen haud procul supra dictis Chaucis, circa duos præcipue lacus[1]. Littora ipsa obtinent quercus, maxima aviditate nascendi: suffossæque fluctibus, aut propulsæ flatibus, vastas complexu radicum insulas secum auferunt: atque ita libratæ stantes navigant ingentium ramorum armamentis[2], sæpe territis classibus nostris, quum velut industria fluctibus agerentur in proras[3] stantium noctu, inopesque remedii illæ, prælium navale adversus arbores
inirent. (II.) In eadem septemtrionali plaga Hercyniæ 2
silvæ[4] roborum vastitas intacta ævis, et congenita mundo, prope immortali sorte miracula excedit. Ut alia omittantur fide caritura: constat attolli colles[5] occursantium inter se radicum repercussu: aut ubi sequuta tellus non sit, arcus[6] ad ramos usque, et ipsos inter se rixantes[7], curvari por-

15. *Multis fortuna*, etc. Publius Laberius: «Fortuna multis parcere in pœnam solet.» Dalec.

16. *Parcit in p.* MSS. *parcior*. H.

II. 1. *Circa duos lacus*. Locorum faciem mutavit maris violentia; eaque loca nunc mare, quod appellant *Zuidersée*, ut diximus lib. IV, cap. 29. Hard.

2. *Armamentis*. Ut ingentibus armis, ceu velis navium, et armamentis, classes, quæ his occurrerent, terrerentur. Hard.

3. *In proras*. In proras navium, quæ noctu stabant immotæ. H.

4. *Hercyniæ silvæ*. Melæ Hercyniæ silvæ magnitudo sexaginta dierum itineris est ab Istro usque ad Neccarum. Ea *Schwartzwaldt* dicitur: a Neccaro ad Mœnum, *Ottenwaldt*: a Mœno usque ad fluvium Lonam, quem et *Mosul* vocant prope Confluentiam, *Westerwaldt*. Inde Franconiam ab Hassia et Thuringia dividens, in Bohemiam, Moraviam, Sarmatiam, Pannoniam, Getas porrigitur, variis appellata nominibus. Dalec.

5. *Attolli colles*. Ob radicum molem et occursum, in colles solum intumescere. Hard.

6. *Arcus*. Ubi terra fuerit levior, erumpentibusque radicibus cesserit, ibi arrigere sese radices in arcum, seu fornicem, ad ramos usque. Hard.

7. *Rixantes*. Collisu veluti dimicantes. Hard.

tarum patentium modo, ut turmas equitum transmittant : (III.) glandiferi maxime generis omnes, quibus honos apud Romanos perpetuus.

1 III. (IV.) Hinc civicæ coronæ[1], militum[2] virtutis insigne clarissimum : jam pridem vero et clementiæ[3] imperatorum, postquam, civilium bellorum profano[4], meritum[5] cœpit videri, civem non occidere. Cedunt his murales, vallaresque, et aureæ[6], quanquam pretio antecedentes. Cedunt

III. 1. *Civicæ coronæ.* Corona querna, et draconum voluminibus olim Triviæ Dianæ, τῆς ἐνοδίας, sive τριοδίτιδος, quam eamdem esse cum Hecate putabant, imaginem coronare mos fuit. Sophocles in Rhizotomis apud interpretem Apollonii : Ἥλιε δέσποτα, καὶ πῦρ ἱερὸν Τῆς εἰνοδίας Ἑκάτης φέγγος Τὸ δι' Ὀλύμπου πολλὸν προφέρει. Καὶ γῆς ναίουσ' ἱερὰς τριόδους, Στεφανωσαμένη δρυσὶ, καὶ πλεξαις ὠμῶν σπείραισι δρακόντων. Hanc coronam ut inferis diis, sic etiam Parcis imponebant. Catullus : « His corpus tremulum complectens undique quercus, Candida purpureis ramis induxerat ora. » Purpureis, τοῖς ἀγλαοῖς. Scaliger. — *Hinc civicæ coronæ.* Nempe e glandifero genere arborum. Huic coronæ duplex e re nomen inditum : ut a cive servato, et servatore civica diceretur : a materia, unde plectebatur, quercea, vel querna. Hard.

2. *Militum.* Illi uni seposita hæc olim corona fuit, qui e manibus hostium civem romanum eripuisset. Sic olim Coriolano data, quoniam sic lege cautum erat, inquit Plutarch. in ejus vita, pag. 214 : Τοῦτον γὰρ ὁ νόμος τῷ πολίτην ὑπερασπίσαντι τῆς δρυὸς στέφανον ἀποδέδωκεν. Hard.

3. *Clementiæ imperatorum.* Hac ratione Palatinæ ædes, et Augustæ quercu coronabantur, ut regis sacrorum, flaminis, Pontificis maximi, lauro. Alex. ab Alexandro. lib. III, cap. 27. Dalec. — *Et clementiæ.* Cæsari Dictatori post bella civilia decretam esse coronam civicam, tamquam patriæ servatori, auctor est Appianus Bell. Civ. lib. II, pag. 494 : Καὶ στέφανος ἐκ δρυὸς .... ὡς σωτῆρι τῆς πατρίδος. Ex eo deinde postes Augustæ domus sempiterna gloria quercu triumpharunt, ut verbis utar Valerii Max. lib. II, cap. 3. Fuit nempe in vestibulo quercea corona. Hard.

4. *Profano.* Scelere et calamitate. Ita MSS. omnes. Hard.

5. *Meritum.* Nam imperatorum clementiam oblique perstringit, ad id mihi visus alludere, quod Tullius dixit Philipp. II : « Quod est aliud, P. C. beneficium latronum, nisi ut commemorare possint, iis se dedisse vitam, quibus non ademerint. » Hard.

6. *Et aureæ.* Tergeminum hic coronæ genus intellige : murale, vallare, aureum. Sic in vetustis inscriptionibus, apud Gruterum distinguendæ, pag. 375 : CORONA. MVRALI. VALLARI. AVREA. quod

et rostratæ[7], quamvis in duobus maxime ad hoc ævi celebres: M. Varrone[8] e piraticis bellis, dante Magno Pompeio: itemque M. Agrippa[9], tribuente Cæsare e Siculis, quæ et ipsa piratica fuere. Antea rostra navium[10] tribu- 2

Scaligero latuit, qui Gruterianum Indicem concinnavit: constatque liquido ex altera inscriptione, pag. 430: CORONIS. MVRALIBVS. II. VALLARIBVS. II. CLASSICIS. II. AVRATIS. II. Aureas a Plinio intelligi arbitror *triumphales*, quas ex auro fieri solitas Gellius testatur lib. V, cap. 6, quanquam et murales idem, castrensesque seu vallares, et classicas ex auro perinde factitatas esse ait: quod et Plinius ipse videtur innuere, cap. 5. Neque tamen semper fuere, ut ex Tranquillo liquet, in Augusto, cap. XXV: « Dona militaria aliquanto facilius, phaleras et torques, quidquid auro argentoque constaret, quam vallares ac murales coronas, quæ honore præcellerent, dabat: has quam parcissime, et sine ambitione, ac sæpe etiam caligatis tribuit. » Prælatam autem auro civicam præterea declarat hic Augusti jocus apud Fabium, lib. VI, cap. 3: « Quum ei Galli torquem aureum centum pondo dedissent, et Dolabella per jocum, tentans tamen joci sui eventum, dixisset: Imperator, torque me dona: Malo te, inquit, civica donare. » Muralis porro corona est, inquit Gellius, lib. V, cap. 6, qua donatur ab Imperatore, qui primus murum subiit, inque oppidum hostium per vim adscendit: idcirco quasi muri pinnis decorata est. Castrensis (eademque vallaris), est corona, qua donat cum Imperator, qui primus hostium castra pugnans introivit. Ea corona insigne valli habet. HARD.

7. *Et rostratæ.* Sive navales, eædemque classicæ: quibus donabatur is, qui primus in hostium navem armatus vi transiliret: ea quasi navium rostris insignita est. Ita Gellius, l. c. HARD.

8. *M. Varrone.* De eo diximus lib. VII, cap. 31. HARD.

9. *Itemque M. Agrippa.* In denario antiquo gentis Vipsaniæ, Marci Vipsanii Agrippæ altera parte signatum caput est, cum rostrata corona, altera Neptunus delphinum manu dextra gestans: in alius denarii parte altera, caput Agrippæ cum civica et rostrata corona, altera Augusti caput. DALEC. — *M. Agrippa* Epitome Livii, lib. CXXIX: « M. Agrippa navali corona a Cæsare (Augusto) donatus est: qui honos nemini ante eum habitus est, » nempe a Cæsare. Virgilius, Æn. lib. VIII, v. 682: « Parte alia, ventis et Diis Agrippa secundis, Arduus, agmen agens: cui belli insigne superbum, Tempora navali fulgent rostrata corona. » Sicula bella sunt, quæ adversus Lepidum et Sextum Pompeium gessit Augustus. HARD.

10. *Rostra navium.* Ex ære illa fuerunt, unde æratæ naves, rostratæ, Græci χαλκήρεις, et χαλκέμβολοι. Virgil. lib. IX: « Quot prius æratæ steterant ad littora puppes. » Brod. lib. IV, cap. 13. Vid. Navalis apud Festum. DALEC.

nali præfixa fori decus erant, veluti populo romano ipsi corona imposita. Postquam vero tribunitiis seditionibus calcari ac pollui cœpere, postquam vires ex publico in privatum magis, singulisque civium quæri, et sacrosancta omnia profana fecere, tum a pedibus eorum subiere in capita civium rostra. Dedit hanc Augustus coronam Agrippæ : sed civicam[11] a genere humano accepit ipse.

1 IV. Antiquitus quidem nulla, nisi Deo, dabatur : ob id Homerus[1] cælo tantum eas, et prælio universo tribuit : viritim vero ne in certamine quidem ulli. Feruntque primum omnium Liberum Patrem[2] imposuisse capiti suo ex edera. Postea Deorum honori sacrificantes[3] sumpsere, victimis[4] simul coronatis. Novissime et in sacris certaminibus usurpatæ[5] : in quibus hodieque non victori datur,
2 sed patriam[6] ab eo coronari pronunciatur. Inde natum,

11. *Sed civicam*. Et quidem adspicientibus Augusti domum hæc corona primum sese offerebat, ut quæ esset in ejus fastigio collocata. Vide Suetonium in Augusto; Val. Max. lib. II, cap. 3, aliosque. Verum non civica modo, sed et obsidionali donavit Augustum senatus, ut dicitur lib. XXII, cap. 6. H.

IV. 1. *Ob id Homerus*. Quo loco Homerus cælo coronam dederit, nunc quidem non occurrit. *Prælio universo* tribuit, Iliad. N, v. 736 : Πάντη γάρ σε πέρι ςέφανος πολέμοιο δέδηε. « Undique enim te circum corona prælii flagrat. » Hard.

2. *Liberum Patrem*. Quem idcirco Acharnenses Κισσὸν, poeta vetus, κισσοςέφανον, Homerus κισσοκόμην agnominavit. Hard.

3. *Sacrificantes*. Lauro, olea, auro. Vide Paschal. lib. IV, cap. 13, pag. 244. Hard.

4. *Victimis*. Cupressu, pinu, floribus, denique fronde illius numinis propria, cui immolarentur. Paschal. lib. IV, cap. 17, pag. 256. Hard.

5. *In sacris certaminibus usurpatæ*. Olympiis, Nemeæis, Pythiis, Isthmiis. Vide supra lib. septimi cap. 26. Dalec.

6. *Sed patriam*. Non soli victori, sed ejusdem patriæ decus hoc parari dicebatur. Quod de Pompeio ante dixit, lib. VII, cap. 27 : « Hos retulit patriæ titulos, more sacris certaminibus vincentium. » Præconium quo Nero renuntiatus est victor, fuit ejuscemodi : « Nero Cæsar certamen vincit, et populum romanum coronat, et proprium imperium. » Τὸ δὲ κήρυγμα ἦν· Νέρων Καῖσαρ νικᾷ τόνδε τὸν ἀγῶνα, καὶ ςεφανοῖ, τόν τε τῶν Ῥωμαίων δῆμον, καὶ τὴν ἰδίαν οἰκουμένην. Xiphilin. in Nerone, pag. 721. Vide quæ diximus lib. VII, cap. 27. H.

ut etiam triumphaturis conferrentur in templis dicandæ : mox ut et ludis darentur. Longum est, nec instituti operis, disserere quisnam Romanorum primus acceperit : neque enim alias noverant, quam bellicas. Quod certum est, uni gentium huic plura sunt genera, quam cunctis.

V. Romulus frondea coronavit Hostum[1] Hostilium, 1
quod Fidenam primus irrupisset. Avus hic Tulli Hostilii regis fuit. P. Decium[2] Patrem, tribunum militum, frondea donavit exercitus ab eo servatus, imperatore Cornelio Cosso[3] cos. Samnitium bello. Civica iligna[4] primo fuit, postea magis placuit ex esculo Jovi sacra[5]. Variatumque et cum quercu est, ac data ubique[6], quæ fuerat, custodito tamen honore glandis. Additæ leges arctæ[7], et ideo su- 2

— *Ut etiam triumphaturis.* MSS. Regg. bene, « ut et triumphaturis. » Brot.

V. 1. *Hostum Hostilium.* Meminit hujus Hostilii Plutarchus in Romulo, pag. 29, eumque Hostilii, qui post Numam regnavit, pariter avum facit. Hunc eodem, quo nepotem, nomine, Tullum Hostilium appellat Dion. Hal. A. R. lib. III, statim initio, pag. 136. Hostium Hostilium Livius, lib. I, pag. 6. Ex lapide Capitolino *Hostum* legi debere Sigonius in notis ad Livium asseverat. Hard. — *Tulli Hostilii regis.* Ita codd. Regg. et editio princeps. Brot.

2. *P. Decium.* Hæc Livius lib. VII, pag. 133. Hard.

3. *Cornelio Cosso.* Ann. U. 411, M. Valerio Corvino tertium, collega Cornelio, decretum bellum Samniticum est. Livius lib. VII, pag. 130 et 131. Hard.

4. *Civica iligna.* De ilice hæc Gellius, lib. V, cap. 6, pag. 326 : « Quod genus superiori (nempe quercui) proximum est, sicuti scriptum est in quadam comœdia Cæcilii : Advehuntur, inquit, cum ilignea corona et chlamyde. » H.

5. *Jovi sacra.* Urbium præsidi, ac civium : maxime vero rei romanæ, et Capitolii ; unde ipse Capitolinus dictus est : quamobrem ex arbore ei sacra dari coronam cive servato justum esse Veteres fortassis censuerunt, inquit Plutarch. in Coriolano, pag. 214 : Διὸς Πολιέως ἱερὸν ὄντα τὸν τῆς δρυὸς στέφανον οἰόμενοι ἐπὶ σωτηρίᾳ πολίτου δίδοσθαι πρεπόντως. Hæc « sacra Jovi quercus, de semine Dodonæo, » ut canit Ovid. Metam. lib. VII. H.

6. *Ac data ubique.* Plutarchus in Quæst. Roman. 92. Dalec. — *Ac data ubique.* Mos, inquit, demum invaluit, dandi civicam e qualibet quercu : hoc tantum e prisca institutione religiose servato, ut glans in ea eligeretur optima, et grandissima. Hard.

7. *Leges arctæ.* Arduæ, ac difficiles. Hard.

perbæ[8], quasque conferre libeat cum illa Græcorum summa[9], quæ sub ipso Jove datur[10], cuique muros[11] patria gaudens rumpit. Civem servare, hostem occidere : utque eum locum[12], in quo sit actum, obtineret hostis eo die.

8. *Superbæ*. Coronæ. Dal.

9. *Summa*. Clarissima ex oleastro in Olympicis, ut diximus. Dalec. — *Græcorum summa*. Præcipua, atque adeo unica lege. Hard.

10. *Quæ sub ipso Jove datur, cuique*, etc. Confert leges romanas de civica, cum illa Græcorum de Hieronicis, hoc est, sacrorum certaminum victoribus, in quorum honorem patria cuique sua redeunti murorum partem diruebat, qua oppidum intraret : tamquam nihil opus esset mœnibus civitati, quæ tales viros gigneret. Mox subjiciuntur capita legum : « Civem servare : Hostem occidere, etc. » Gelen. — *Sub ipso Jove*. Jove ipso Olympico teste advocato, cujus ante statuam a Phidia elaboratam, ea lex recitabatur. Nugantur, qui *sub Jove*, hoc loco, sub dio, vel in arena media interpretantur. H.

11. *Cuique muros patria*, etc. Nero e Græcia reversus Neapolim, quod in ea primus artem canendi protulerat, albis equis introiit, disjecta parte muri, ut mos est hieronicarum. Dal. — *Cuique muros*. Disjicere mœnia certo quodam loco Veteres solebant, qua transvectio Olympionicæ, et triumphalis in urbem currus super mœnia disjecta ingressus foret : quod Plutarchus aperte docet, Symp. lib. II, quæst. 5, causamque subdit eam fuisse, quod significare eo ritu voluerint, non magnam in ea civitate utilitatem murorum esse, in qua viri essent, qui pugnare possent, et vincere. Xiphilinus, de reditu Neronis in urbem : « Quiddam, inquit, murorum disjectum est, ac portarum : quibusdam asseverantibus ita sancitum esse, ut ita fieret iis qui e certaminibus coronati revertuntur. » Νενομίσθαι τινῶν λεγόντων ἑκάτερον τοῖς ἐκ τῶν ἀγώνων στεφανηφόροις γίνεσθαι. In Nerone, pag. 723. In patriam suam quadrigis sic invehi solemni pompa, Græci εἰσελαύνειν dicebant. Hinc in nummis antiquis, CERT. ISEL. hoc est, *Certamina Iselastica*. Et Plinius alter ad Trajanum εἰσελαστικὸν, *Iselasticum*. Hard.

12. *Utque eum locum, in quo sit actum, obtineret eo die*. Has leges luculenter Gell. his verbis exponit, lib. V, cap. 6 : « Masurius Sabinus, inquit, civicam coronam tum dari solitam dicit, quum is qui civem servaverat, eodem tempore etiam hostem occiderat, neque locum in ea pugna reliquerat : aliter jus civicæ coronæ negat concessum. Tiberium tamen Cæsarem consultum, an civicam coronam capere posset, qui civem in prælio servasset, et hostes ibidem duos interfecisset, sed locum, in quo pugnabat, non retinuisset, eoque loco hostes potiti essent : rescripsisse dicit, eum quoque civica dignum videri ; quod appareret tam iniquo loco civem ab eo servatum, ut etiam a fortiter

Ut servatus fateatur: alias testes nil prosunt. Ut civis fuerit[13]: auxilia[14], quamvis rege servato, decus id non dant. Nec crescit honos idem imperatore conservato, quoniam conditores[15] in quocumque cive summum esse voluere. Accepta licet uti perpetuo. Ludos ineunti semper 3 assurgi, etiam ab senatu, in more est. Sedendi jus in proximo senatui. Vacatio munerum omnium ipsi, patrique, et avo paterno. Quatuordecim eas accepit Siccius Dentatus, ut retulimus[16] suo loco: sex Capitolinus[17]. Is quidem et de duce Servilio. Africanus[18] de patre accipere noluit apud Trebiam[19]. O mores æternos, qui tanta opera honore solo donaverint: et quum reliquas coronas auro commendarent, salutem civis in pretio esse noluerint: clare professi[20], ne servari quidem hominem fas esse lucri causa.

VI. (v.) Glandes opes[1] esse nunc quoque multarum 1

pugnantibus retineri non quiverit. » Hard.

13. *Ut civis fuerit*. Qui servatus fuerit, qui coronam dederit. Gellius l. c. « Civica corona appellatur, quam civis civi, a quo servatus est, in prælio testem vitæ, salutisque perceptæ dat. » Hard.

14. *Auxilia*. Parm. *auxiliis*. Ed. — *Auxilia*. Prærogativa hæc est civitatis romanæ. Miles auxiliaris, aut mercenarius, nullam partem habet hujusce laudis, et gloriæ. H.

15. *Conditores*. Legis auctores de corona civica danda. Hard.

16. *Ut retulimus*. Lib. VII, cap. 29. Hard.

17. *Capitolinus*. M. Manlius, servati Capitolii decore inclytus, et ob id Capitolini cognomen sortitus: ex illo ipso, quod tutatus erat, Tarpeio saxo dejectus, ann. U. C. 370. Livius, lib. VI, pag. 112, civicas octo hunc retulisse ait, servatos ex hostibus cives produxisse, inter quos Servilium magistrum equitum absentem nominatum. Vide quæ diximus lib. VII, cap. 29. Hard.

18. *Africanus*. Scipio Africanus minor, qui Carthaginem postea Numantiamque delevit. Vide Florum, lib. II, cap. 6, pag. 60. H.

19. *Apud Trebiam*. Id facinus ad Trebiam quoque contigisse Polyb. refert lib. XV. Florus, « inter Padum et Ticinum. » Item Val. Max. lib. V, cap. 4, et Seneca de Benef. lib. III, cap. 33. Hard.

20. *Clare professi*, etc. Sic ex MSS. em. Hard. cons. Turn. et Ch. *clara professione servari quidem hominem nefas esse l. c.* Gr. et Al. Ed.

VI. 1. *Glandes, opes*, etc. Theophrastus, Hist. lib. III, cap. 9 et 20. Dalec.

gentium, etiam pace gaudentium constat. Necnon et inopia frugum arefactis molitur farina, spissaturque in panis usum. Quin et hodieque per Hispanias[2], secundis mensis glans inseritur. Dulcior eadem in cinere tosta. Cautum est præterea, lege XII tabularum[3], ut glandem in alienum fundum procidentem liceret colligere. Genera earum multa. Distant fructu, situ, sexu, sapore[4]. Namque alia fageæ glandi figura, alia quernæ, et alia ilignæ : atque
2 inter se quoque generum singulorum differentiæ. Præterea sunt aliquæ silvestres, aliæ placidiores, quæ culta obtinent. Jam etiam in montuosis, planisque distant : sicut et sexu mares ac feminæ : item sapore. Dulcissima omnium fagi, ut qua obsessos etiam homines durasse in oppido Chio tradat Cornelius Alexander. Genera distinguere[5] non datur nominibus, quæ sunt alia alibi. Quippe quum robur quercumque vulgo nasci videamus, esculum non ubique. Quartam vero generis ejusdem, quæ cerrus vocatur, ne Italiæ quidem majore ex parte notam esse. Distinguemus ergo proprietate, naturaque : et ubi res coget, etiam græcis nominibus.

2. *Per Hispanias, secundis mensis*, etc. In Bætica, *l'Andalousie*, maxime nascitur glans illa dulcis, quæ per totam Hispaniam magnatibus dono mittitur. Hodieque venales Salmanticæ et alibi Octobri mense proponuntur, teste Car. Clusio. Ed.

3. *Lege XII tabularum*. Rævardus in lege XII tabularum, cap. 26.

4. *Dist. fructu*. Fructu : silvestres enim aliæ sunt, aliæ placidæ, et mitiores : et omnium inter se figura dispar. Situ : nam aliæ montuosis locis, aliæ planis gaudent. Sexu : mares et feminæ. H.

5. *Genera distinguere*. Hodieque disceptant inter se eruditi, de variis quercuum generibus, nominibusque. Nos, quid sentiamus, breviter interim aperimus. Robur Theophrasto δρῦς ἀγρία est, nec habet in gallica lingua nomen : nec receptum usu est, quod quidam inculcant, *le roure*. Quercus, ἡ φηγὸς Theophrasto, *le grand chêne*. Fagus Latinorum, Theophrasto αἰγίλωψ, *le hêtre*, ou *le fouteau*. Esculus, Theophrasto, ἡμερὶς, *le petit chêne*, ut dicemus cap. 8. Cerrus, ὀξύη : nec ortum in Gallia, nec nomen habet. Ilex, Theophrasto πρῖνος, *l'yeuse*, ou *chêne verd*. Hæc iis nomina idoneis argumentis suo quæque loco vindicabimus. H. — Vide

VII. (VI.) Fagi glans nucleis similis[1], triangula cute 1
includitur. Folium tenue, atque e levissimis, populo simile, celerrime flavescens[2] : et media parte plerumque gignens superne parvulam baccam[3] viridem, cacumine aculeatam. Fagi glans muribus gratissima est, et ideo animalis ejus una proventus : glires quoque[4] saginat : expetitur et turdis. Arborum fertilitas omnium fere alternat[5], sed maxime fagi.

VIII. Glandem, quæ proprie intelligitur, ferunt robur, 1
quercus, esculus, cerrus, ilex, suber[1]. Continetur hispido calyce, per genera[2] plus minus cutem complectente. Folia, præter ilicem, gravia, carnosa, procera, sinuosa lateribus, nec quum cadunt, flavescentia, ut fagi : pro differentia generum breviora, vel longiora. Ilicis duo genera[3]. Ex iis in Italia folio non multum[4] ab oleis distant,

Excurs. I ad calc. hujus libri. Ed.

VII. 1. *Fagi glans nucleis similis.* Castaneæ, Theophr. Hist. lib. III, cap. 10, qui et fagum ὀξύαν vocat: Gaza vertit inepte *Scissimam*. Dal. — *Fagi glans.* Galli has nuces faginas *faines* vocant. Arboris et glandis iconem accuratam exhibet Dodonæus lib. IV, Pemptad. 6, cap. 11. Hard. — *Fagus silvatica* (*Monœc. polyand.* gen. 2103, Pers. *Amentac.* Juss.). Semina expressione oleum fundunt. Ed.

2. *Flavescens.* De hac voce diximus superiore libro, cap. 36. H.

3. *Baccam.* Tuberculum duriusculum baccæ simile, quod in medio fere folio superne enascitur. H.

4. *Glires quoque.* Refert Matthiolus, in lib. I Diosc. pag. 206, quum fagi maturitas appetit, innumeros capi glires in Carniola, Carinthia, Stiriaque : mures ea esca illectos e longinquo silvas petere gregatim : sciuris, turdis, merulis, esse pariter in cibatu gratam. H.

5. *Alternat.* Alternis tantum annis maximo ferunt proventu glandem. Hard.

VIII. 1. *Suber.* Omittit Haliphlœon, quam postea memorat. Dalec. — *Suber.* Φελλὸς, *du liège.* — *Quercus suber* (*Monœc. polyand.* gen. 2101, Pers. *Ament.* Juss.). Ed.

2. *Per genera.* Pro differentia generum : qua loquendi forma mox ipse abutitur. Itaque pro arborum diversitate major minorve calycis amplitudo est, majorem calyx, vel minorem cutis glandisve partem amplectitur. Hard.

3. *Ilicis duo genera.* Theophrast. Hist. lib. III, cap. 16. Dalec.

4. *Folio non multum.* Non igitur aculeato : et hoc primum ilicis genus est, quod in Italia provenit.

smilaces a quibusdam[5] Græcis dictæ. In provinciis sunt aquifoliæ[6]. Ilicis glans utriusque[7] brevior et gracilior, quam Homerus acylon appellat[8], eoque nomine a[9] glande
2 distinguit. Masculas ilices negant ferre[10]. Glans optima in

Alterius generis in provinciis reperiuntur, quæ proprie ilices, πρῖνοι, eædemque aquifoliæ, aculeatis nimirum foliis, appellantur. In Provincia frequentes : *Yeuses*, ut diximus, et *Eouses*. Hard.

5. *Smilaces a quibusdam*, etc. Legend. « smilaces a quibusdam Græcis dictæ, in provinciis aquifoliæ sunt ilices. Glans utriusque brevior, etc. » duo genera ilicis facit, et utrumque describit, ex iis esse in Italia, folio non multum ab oleis diverso : ergo nec aculeato : in provinciis vero aquifolias ilices, genus, ab aculeatis nimirum foliis sic dictas. Multum itaque distant apud Plinium, *aquifolia ilex*, et *aquifolium : aquifolia ilex* genus est omnes ilices comprehendens, quæ aculeato sunt folio : aquifolium spinæ genus. Salm. p. 271. — *Smilaces a quibusdam*. Nempe ab Arcadibus, auctore Theophr. Hist. lib. III, cap. 16 : Οἱ δὲ περὶ Ἀρκαδίαν δένδρον τι σμίλακα καλοῦσιν, ὅ ἐστιν ὅμοιον τῷ πρίνῳ, « Smilacem Arcades vocant arborem ilici similem, folio tamen non aculeato, » τὰ δὲ φύλλα οὐκ ἀκανθώδη ἔχει. Vox est σμίλαξ πολύσημος, multa significans. Hesychius : Σμῖλος, δένδρον, οἱ δὲ πρῖνον· ἄλλοι σμίλακα, ᾗ στεφανοῦνται. Hard. — *Quercus faginea* (*Monœc. polyand.* gen. 2101, Pers. *Amentac.* Juss.). Ed.

6. *Sunt aquifoliæ*. Alterum scilicet ilicis genus. Locum nos ita interpunximus, voculamque *sunt* adjecimus, ex fide MSS. Reg. Colb. Paris. additamque consulto ab auctore palam est, ne quis censeret idem esse ilicis genus, cui smilacis, et cui aquifoliæ nomen esset attributum : maxime quum statim sequatur ex iisdem exemplaribus, librisque editis, « Ilicis glans utriusque, etc. » Hard.

7. *Ilicis glans utriusque*. Tam smilacis, quam aquifoliæ. Theophr. l. c. Hard.

8. *Acylon appellat*. Acylon hodie Græci, præsertim in Lemno insula, *Acylaca* vocant. Bellonius Smilacem. Plinius glandiferam a Phellodryi nescit distinguere. Smilacis folium in ambitu minime pungit : Phellodryi vero aculeatum est et margine, et cacumine, Agriæ modo : quamobrem Dores Agriam, quæ Latinis Aquifolia est, vocaverunt. Theophr. Hist. lib. III, c. 16. Smilaces etiamnum Græci vocant *Milaci*. Dalec. — *Homerus acylon*. Odyss. K, v. 223. Theocritus quoque, Idyll. E. Et Galen. lib. de alim. boni et mali succi, tom. VI, pag. 427 : Τὰς δὲ τῶν πρίνων βαλάνους, ἃς ἀκύλους ὀνομάζουσιν Ἕλληνες. H.

9. *A glande*. Quæ proprie glans appellatur, βάλανος. Homericum versum Plinius recte sic distinxit : Πὰρ δ' ἄκυλον, βάλανόν τ' ἔβαλε. Etsi in editis aliter. Hard.

10. *Masculas ilices negant ferre*. Theophrast. Hist. lib. III, cap. 16,

quercu[11], atque grandissima: mox esculo: nam roboris parva: cerro tristis[12], horrida, echinato calyce, ceu castaneæ. Sed et in querna, alia dulcior, molliorque feminæ: mari spissior. Maxime autem probantur latifoliæ[13] ex argumento dictæ. Distant inter se[14] magnitudine, et cutis tenuitate. Item quod aliis subest tunica rubigine scabra, aliis protinus candidum corpus. Probatur et ea[15], cujus 3
in balano utrimque ex longitudine[16], extrema lapidescit duritia[17]: melior, cui in cortice, quam cui in corpore: utrumque non nisi mari. Præterea aliis ovata, aliis rotunda[18], aliis acutior figura. Sicut et colos nigrior, candidiorve, qui præfertur. Amaritudo in extremitatibus, mediæ dulces. Quin et pediculi[19] brevitas proceritasque differentiam habet. In ipsis vero arboribus, quæ maximam 4
fert, hemeris vocatur[20], brevior, et in orbem comosa,

quo loco tractat de Ilice, Smilace, Phellodryi, nusquam id scribit. Vide vocem παραλιθάζουσι in diction. Constautini. DALEC.

11. *Glans optima in quercu*, etc. Dulcissima in Fago atque grandissima, mox Hemeridi; nam latifoliæ parva, Cerro amarissima. DAL.

12. *Cerro tristis*. Quercus est procera, glande majore, calyce echinato. A Dodonæo recte depingitur, pag. 819, qualem in Horto regio vidimus: sed is ægilopem perperam vocat. HARD.—*Quercus Cerris* (gen. 2101, Pers.). ED.

13. *Latifoliæ*. Fagi Theophrast. DALEC. — *Latifoliæ*. Πλατυφύλλου Theophrasto appellatæ, Hist. lib. III, cap. 9, e quercuum genere. In Andegavorum agro perpetuo viret. H. — *Quercus Tournefortii* (gen. 2101, Pers.). ED.

14. *Distant inter se*. Nempe glandes generatim et universe. H.

15. *Probatur et ea*, etc. Id accidere glandi maris Fagi, et Haliphlœi, tradit Theophrastus, sed glandem non commendare. DAL.

16. *Ex longitudine*. Ima summaque parte glans durescit in lapidem: Παραλιθάζουσιν ἐν τοῖς ἄῤῥεσιν καλουμένοις, ἐξ ἄκρων τῶν βαλάνων ἑκατέρωθεν, αἱ μὲν πρὸς τῷ κελύφει, αἱ δὲ πρὸς αὐτῇ τῇ σαρκί. Theophr. l. c. HARD.

17. *Lapidescit duritia*. Nunc in cute, nunc in carne. Theophrast.

18. *Aliis rotunda*. Ut quercui: φηγὸς τὰς στρογγύλας. Theophr. Hist. lib. III, cap. 10. HARD.

19. *Quin et pediculi*. Quo glans arbori adhærescit. HARD.

20. *Hemeris vocatur*. Ἡμερὶς, latine esculus appellata, a suavitate glandis, ut diximus cap. 6; quam breviorem quercu quum Plinius

alasque[21] ramorum crebro cavata. Fortius lignum quercus habet et incorruptius : ramosa et ipsa[22] : procerior tamen[23], et crassior caudice. Excelsissima[24] autem ægilops, incultis amica. Ab hac proxima latifoliæ proceritas[25], sed

asseverat, omnino docet hemerim esse quam nos dicimus *petit chêne.* 811. H. — *Quercus ballota* Desfont. (gen. 2101, Pers.). Ed.

21. *Alasque.* Alis ramorum cavatis, κοιλομασχάλων. De his dicemus lib. XXV, cap. 18. Hard.

22. *Fortius lignum quercus habet, et incorruptius, ramoso et ipso, procerior tamen et crassior caudice.* Legendum non *quercus*, sed *fagus* : et non *procerior*, sed *brevior*. Utrumque evidentissime ex Theophrasto, libro III, cap. 9 : comparat enim hemerida, quam Theodorus *placidam* vertit, cum fago. « Namque placida, inquit, non erecta, nec levis, nec excelsa est : quippe quæ corpore in orbem comoso, contorto sinuosoque stet, ut nodosa alataque assurgat. Materies robusta, verum infirmior quam fago : hæc enim robustissima, putredinique nulli obnoxia est. Sed nec ipsa erecta, quanquam minus torta quam quercus, caudice vero crassissimo constat, ut tota quæque brevis species reddatur : nam ejus etiam corpus in orbem comosum minimeque erectum est. » Pint. — *Fortius.... quercus habet.* Et Theophr. de sua φηγῷ, Hist. lib. III, cap. 9 : Τοῦτο γὰρ ἰσχυρότατον, καὶ ἀσαπέστατον. Nec Glossis credo, quæ esculum φηγὸν vocant. Hard.

23. *Procerior tamen.* Quam hemeris, sed ægilope minor, inquit Theophr. *Le grand chêne.* H.

24. *Excelsissimo.* Theophr. l. c. Ἡ δὲ αἰγίλωψ ὀρθοφυέστατον, καὶ ὑψηλότατον ... φύεται δὲ ἐν τοῖς ἐργασίμοις σπανίως. Est autem ægilops, ut diximus cap. 6, Latinorum fagus. Eadem ramosa, ut Plinius notat : unde Virgilius cecinit, « patulæ sub tegmine fagi. » Hard. — Plinianas, ad eas quæ sequuntur, Casp. Bauh. memoratas species refert Broter. in suis notis : *Robur* est Q. foliis molli lanugine pubescentibus ; *Quercus* est Q. latifolia, mas, brevi pediculo ; *Esculus* est Q. parva, seu *phagus* Græcorum ; *Cerrus* est Q. calyce echinato, glande majore ; *Ilex*, Q. ilex ; *Suber*, Q. suber ; *Hemeris*, Q. cum longo pediculo ; *Ægilops*, Q. calyce hispido, glande minore ; *Haliphlœos*, Q. Burgundiaca est, calyce hispido ; *Aquifolio*, ilex folio aquifolii, etc. Conf. de Quercuum generibus ap. Veteres Excurs. I ad calcem hujusce libri. Ed.

25. *Ab hoc proxima latifoliæ proceritas, sed minus utilis ædificiis : atque carbone dototo vitiis obnoxio est. Quam ob rem solida utuntur, carboni ærariorum tantum offieinis compendio : quoniam,* etc. Scribo, « Aspris dolata, vitiis obnoxia. Quam ob rem solida utuntur. Carboni utilis, ærariorum tantum officinis compendio, etc. » Theophr. lib. III, de aspri arbore loquens : « Materies, inquit, improba, et laborata quidem inutilis : rumpitur

minus utilis ædificiis, atque carboni[26] : dolata vitiis obnoxia est[27] : quamobrem solida utuntur : carbo in ærariorum tantum officinis compendio : quoniam desinente flatu protinus emoriens, sæpius recoquitur : cætero plurimis scintillis. Idem e novellis[28] melior. Acervi[29] confertis ta-

enim et cadit: rudis autem melior: ob id sicca utuntur. Improba etiam ad cremandum et ad carbonem faciendum : quippe quum carbo ejus omnino inutilis, quod transiliat scintilletque, præterquam ærariorum officinis : his enim utilior cæteris hic habetur, quod enim flatu desinente protinus extinguitur, parum absumi potest. » Pint. — Legend. « Ab hac proxima latifoliæ proceritas, sed minus utilis ædificiis atque carboni, dolata vitiis obnoxia est : quamobrem solida utuntur. Carbo in ærariorum tantum officinis compendio, quoniam desinente flatu emoriens protinus recoquitur. » Paulo post lege : « querus diffusam : gravissima et ipsa glandium atque dulcissima. » Sequitur : « proximam huic cerream tradit Nigidius, nec ex alia solidiorem carnem, sed duram. » *Cerrum* Latini vocarunt, quam Græci ὀξύην. Salm.

26. *Atque carboni.* Sic et Dal. *atque carbone dotata, vitiis obnoxia est* Gr. et Al. Ed. — *Atque carboni.* Ad carbonem faciendum. Prius legebatur, nulla plane sententia, « Atque carbone dotata. » Et mox, « carboni ærariorum. » Emendandi auctor, præter MSS. Reg. Colb. et Th. Theophrastus fuit, Hist. lib. III, cap. 10, a quo eadem traduntur plane totidem verbis. Μοχθηρὰ δὲ, inquit, τῆς πλατυφύλλου τὰ ξύλα· πελεκηθέντα μὲν, ὅλως ἀχρεῖα, καταῤῥήγνυται γὰρ καὶ διαπίπτει· ἀπελέκητα δὲ βελτίω, διὸ καὶ οὕτω χρῶνται· μοχθηρὰ δὲ καὶ εἰς καῦσιν, καὶ εἰς ἀνθρακίαν· ἀχρεῖος γὰρ ὅλως ὁ ἄνθραξ, διὰ τὸ πηδᾷν, καὶ σπινθηρίζειν, πλὴν τοῖς χαλκεῦσι· τούτοις δὲ χρησιμώτερος τῶν ἄλλων, διὰ τὸ ἀποσβέννυσθαι εὐθὺς, ὅταν παύσηται φυσώμενος, διὸ ὀλίγος ἀναλίσκεται. Vocem τῆς πλατυφύλλου quæ in vulgatis Theophrasti libris nunc desideratur, confidenter adjecimus : tum quod addendam esse ex Plinio, hujus loci fidissimo interprete, liquido apparet : tum ex Theophrasto ipso, qui eadem fere superiore ejusdem libri capite de πλατυφύλλῳ refert. Hard.

27. *Vitiis obnoxia est.* De Cerro, sive Aspri Macedonum, hæc Theophrast. Histor. lib. III, cap. 10. Dalec.

28. *Idem e novellis.* Nempe carbo. Ita MSS. Reg. etc. non *item*. Theophrast. Hist. lib. V, cap. 10 : Χείρους δὲ καὶ οἱ τῶν πρεσβυτέρων τῶν νέων, καὶ μάλιστα οἱ τῶν γεράνδρύων, etc. « Vetustioris arboris, et potissimum annosæ, deterior est, quam novellæ, carbo : summa enim siccitate constat, ideoque quum ardet, dissilit, etc. » Hard.

29. *Acervi .... luto caminantur.* In camini formam oblinuntur. « Cædunt componuntque, inquit Theophr. l. c. ad carbonem confi-

leis[30] recentibus luto caminantur: accensaque strue contis pungitur durescens calyx[31], atque ita sudorem emittit[32].

5 Pessima et carboni[33] et materiæ haliphlœos[34] dicta, cui crassissimus cortex atque caudex, et plerumque cavus fungosusque. Nec alia putrescit ex hoc genere, etiam quum vivit. Quin et fulmine[35] sæpissime icitur, quamvis altitudine non excellat: ideo ligno ejus nec ad sacrificia uti fas habetur. Eidem raro[36] glans, et quum tulit, amara, quam præter sues[37] nullum attingat[38] animal: ac ne hæ quidem, si aliud pabulum habeant. Hoc quoque[39] inter reliqua

ciendum taleas recentes et rectas: has autem quam densissime componi ad coocremstiooem oportet. Qnom vero fornacem luto obliinierint, acceodunt, et contis pongunt a latere. » Τέμνουσι δὲ καὶ ἐκζητοῦσιν εἰς τὰς ἀνθρακίας τὰ εὐθέα, καὶ τὰ νέα. Δεῖ γὰρ ὡς πυκνότατα θεῖναι πρὸς τὴν κατάπρησιν. Οταν δὲ περιαλείψωσι τὴν κάμινον, ἐξάπτουσι, παρακεντοῦντες ὀβελίσκοις. Hard.

30. *Taleis.* Frusteis ligni ex utraque parte præcisis. Hard.

31. *Durescens calyx.* Lutosa crusta, quæ carbonis struem iotegit. H.

32. *Atque ita sudorem emittit.* Hoc fieri Theophrastns vult, ut excitata flamma omnia corripiat. Dalec.

33. *Et carboni.* Tom ad *faciendum* carbonem parum apta, tuio ad materiam *ædificiorum*. H.

34. *Haliphleos.* Scribe, *haliphlœos* cum *æ* diphthongo, in tertia. Pint. — *Haliphlœos.* Ἁλίφλοιος Theophr. Hist. III, 9; hoc est, crassicortex, ἡ γὰρ ἁλίφλοιος παχὺ μὲν ἔχει τὸ στέλεχος, χαῦνον δὲ καὶ κοῖλον, etc. H. — *Quercus Pseudosuber* Santi (*Monæc. polyand.* gen. 2101, Pers. *Amentac.* Juss.). Ed.

35. *Quin et fulmine.* Theophrast. l. c. qui Æoles negat eam ob causam ad sacrificia lignum id adhibere. Hard.

36. *Eidem raro glans, et quum tulit, amara, quam præter sues nullum attingat animal, ac ne eæ quidem si aliud pabulum habeant.* Hæc verba falso hic ioserta sunt, falsoque haliphlœo tribuuntur, ad hemeridem enim pertinent, et cum his quæ de illa paulo ante dicta soot continuari debent: ex Theophrasto, lib. IV, cap. 10. « Hemerida, inquit, quam alii sterilem dicunt, alii fructum adeo vitiatum ferre, ut eum animal nullum maodere possit prætcrquam soes, et hos quom alium nullom habeot. » Pint. — *Eidem raro.* MSS. omoes, *rare.* Hard.

37. *Præter sues.* Hoc pariter Theophr. Hist. lib. III, cap. 10, de ea arbore narrat, qoam ἄσπριν Macedones vocant. Hard.

38. *Nullum attingat animal.* De Cerri glaode id Theoph. Dalec.

39. *Hoc quoque.* Hanc etiam ob causam, ioquit, præter cæteras causas, in religiooibus non adhibetur, qood facile carbo emoriatur, dum res sacra peragitur. H.

neglectæ religionis est, quod emortuo carbone sacrificatur. Glans fagea suem hilarem facit, carnem coquibilem, ac 6
levem et utilem stomacho : iligna[40], suem angustam[41], nitidam, strigosam, ponderosam : querna, diffusam[42] : gravissima et ipsa glandium, atque dulcissima[43]. Proximam huic cerream tradit Nigidius[44] : nec ex alia solidiorem[45] carnem, sed duram. Iligna tentari sues, nisi paulatim detur. Hanc novissimam cadere[46]. Fungosam carnem fieri esculo[47], robore, subere.

IX. Quæ glandem ferunt, omnes et gallam[1], alter- 1

40. *Iligna.* Horatius, « Umber et iligna nutritus glande rotundas Curvet aper lances carnem vitantis inertem. » DALEC.

41. *Suem angustam.* Macilentam : et ut subditur, strigosam. Laudat tamen « aprum iligna glande nutritum » Horat. Sat. lib. II, v. 40. HARD.

42. *Querna, diffusom.* Pinguem, ac probe saginatam. HARD.

43. *Atque dulcissima*, etc. Sic ex MSS. em. Hard. *et ipsarum glandium quæ et dulcissima* Dal. *nempe fagi Græcorum. Diffusom et gravissimam, et ipsa glandium æque dulcissima* Gr. et Al. ED. — *Atque dulcissimo.* Querna, inquit, glandium dulcissima est : quod de sua φηγῷ tradit Theophr. Hist. lib. III, c. 9 : γλυκύτατα δὲ τὰ τῆς φηγοῦ. H.

44. *Tradit Nigidias.* Contra judicium Theophrasti. DAL.

45. *Solidiorem.* Ita MSS. Reg. Colb. Th. Chiffl. etc. non, ut in editis hactenus legitur, *sordidiorem.* HARD.

46. *Hanc novissimam cadere.* Quoniam sero maturescit, novaque veterem occupat. Theophrast. Hist. l. III, cap. 15. DALEC.

47. *Esculo.* Glande esculi, roboris, etc. HARD.

IX. 1. *Quæ glandem ferunt omnes et gallam.* Videtur hoc falsum esse : nam ilex glandem fert teste Plinio hoc ipso libro et capite, et Theophrasto libro tertio de Hist. Plant. cap. 16, et tamen gallam non fert, ut eodem loco refert Theophrast. Videtur autem deceptus Plinius, dum Theophrastum sequitur male intellectum. Nam quod Theophrastus eodem libro, cap. 9, tradit de generibus roboris, ferre videlicet omnia genera glandem et gallam, id Plinius ad omnes glandiferas arbores transtulit. Annotavit hoc ante me Genesius Sepulveda doctor theologus, ac Cæsareæ majestatis historiographus, vir multarum disciplinarum scientia clarus, græcaque ac latina facundia eminentissimus. PINT. — *Quæ glondem.* Sic Theophrast. loc. citat. Κηκῖδας δὲ πάντα φέρει τὰ γένη. Verum ex eo numero eximenda ilex, quippe quæ nec glandem proprie appellatam, sed ἄκυλον, quam recte Homerus, ut dictum est super. cap. a glande distinxit, nec proinde gallam ferat. Hic Plinium immerito coarguunt

nisque annis glandem. Sed gallam[2] hemeris optimam, et coriis perficiendis aptissimam. Similem huic latifolia[3], sed leviorem, multoque minus probatam. Fert et nigram. Duo enim genera sunt. Hæc tingendis[4] utilior. (VII.) Nascitur autem[5] sole de Geminis exeunte[6], erumpens noctu semper universa. Crescit[7] uno die candidior. Et si æstu[8] excepta est, arescit protinus, neque ad justum incrementum pervenit: hoc est, ut nucleum fabæ magnitudine[9] habeat. Nigra diutius viret: crescitque, ut interdum mali compleat magnitudinem. Optima Commagena, deterrima ex robore. Signum ejus[10], quod cavernæ translucent.

1 X. Robur, præter fructum[1], plurima et alia gignit.

Pintianus, et Sepulveda, Epist. III, 45, ad Pintian. pag. 180. Galla, *noix de galle*. Hard.

2. *Sed gallam*. Hæc pariter apud Theophr. l. c. Hard.

3. *Similem huic latifolia, sed leviorem*. Scribo diphthongo *ac læviorem*, ut intelligas lævorem, non levitatem, ex Theophrasto. Pint.— *Sed læviorem*. Theophr. πλὴν λειοτέρα. Hard.

4. *Hæc tingendis*. MSS. *tinguendis*, nempe lanis, vel coriis. Theophrast. Φέρει δὲ καὶ τὴν ἑτέραν τὴν μέλαιναν, ᾗ τὰ ἔρια βάπτουσιν. Hard. — De galla, vernaculo sermone, *la noix de galle*, Noster fusius iterum disserit inf. lib. XXIV. Ed.

5. *Nascitur autem*. Hæc totidem fere verbis Theophrast. Histor. lib. III, cap. 6. Hard.

6. *Sole de Geminis exeunte*. Theophrast. loc. citat. tempore secundæ germinationis, quæ fit circa desinentem martium, quum in Ariete sol adhuc vertitur. Dalec. — *Sole de Geminis*, etc. Theophrast. lib. III, cap. 6, *Scirrhophorione mense*. Theodorus *Martio* transtulit. Pint. — Scilicet circa desinentem junium mensem, περὶ Σκιῤῥοφοριῶνα λήγοντα. Hard.

7. *Crescit*. Quæ candida est, crescit die uno. Hard.

8. *Et si æstu*. Theophrast. iterum loco citato. Hard.

9. *Hoc est ut nucleum fabæ magnitudine habeat*. Scribendum puto, « hoc est cur nonnullæ fabæ magnitudinem habeant, » ex Theophrast. lib. III, cap. 6 : « Si ab æstu, inquit, occupetur, arescit, augerique amplius nequit : qua de caussa earum aliquæ non majores fabis evadunt. » Pint. — *Ut nucleum*. Nuclei voce abutitur, ut gallam significet : quod iterum facit, lib. XXIV, c. 5. Hard.

10. *Signum ejus*. Deterrima, inquit, ex eo se signo prodit, quod sit multis foraminibus pervia, τετρυπημένη, inquit Dioscorides, lib. I, cap. 146. Hard.

X. 1. *Robur, præter fructum*, etc. Theophrasto, præter fructum, quercus hæc omnia fert : Κηκίδα,

Namque fert et gallæ utrumque genus[2], et quædam veluti mora[3], ni distarent arida duritie: plerumque tauri[4] caput imitantia, quibus fructus inest nucleis olivæ similis. Nascuntur in eo et pilulæ, nucibus non absimiles[5], intus habentes floccos molles lucernarum[6] luminibus aptos. Nam et sine oleo[7] flagrant, sicuti galla nigra. Fert et aliam inutilem pilulam cum capillo, verno tamen tempore melligeni succi[8]. Gignunt et alæ ramorum ejus pilulas, cor- 2
pore[9], non pediculo, adhærentes: candicantes umbilicis:

συκαμινῶδες, αἰδιῶδες, ταυροκέφαλον, πῖλον, σφαίριον, μελιτήριον, σφαιρίον μασχαλαγενές, λιθάριον, σφαίριον φυλλικὸν, σφαίριον ὑδατῶδες. Dalec. — *Robur*. Theophrast. Hist. l. III, cap. 8: Πλεῖστα δὲ πάντων ἡ δρῦς φέρει παρὰ τὸν καρπὸν, etc. Et Græcorum δρῦν Maro quoque robur interpretatur, quum ad hunc Homeri versum alludens, Οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐστι παλαιφάτου, οὐδ' ἀπὸ πέτρης, ita in Æneide cecinit: « Gensque virum truncis, et duro robore nata. » Hard.

2. *Utrumque genus*. Album ac nigrum. Theophrast. loc. citat. H.

3. *Veluti mora*. Quiddam quod speciem mori refert, συκαμινῶδες ἄλλο, sed durum illud oppido, fractuque difficile. Hard.

4. *Plerumque tauri*. « Ab hac aliud quoque gignit, quod quum plane crevit, tauri caput quodammodo imitatur. » Καὶ ἕτερον... προσεμφερὲς τρόπον τινὰ τοῦτ' ἐστι καὶ ταύρου κεφαλῇ, περικαταγνύμενον δὲ ἔνδοθεν ἔχει πυρῆνα ἐλαίᾳ ὁμοφυῆ. Theophr. loc. cit. Hard.

5. *Nascuntur in eo pilulæ nucibus non absimiles intus habentes flocculos*, etc. *Nucleis* hic legendum, non *nucibus*, idem Theophrastus docet, l. III, c. 8: « Fert, inquit, et quod quidam pilum appellant: id pilula est, comam gerens lanaceam, mollem, nucleo durior, qua in lucernarum luminibus utuntur. » Pint.

6. *Lucernarum*. Vicem ellychnii in lucernis præbentes. Hard.

7. *Et sine oleo*. Theophr. Καίεται γὰρ καλῶς ὥσπερ καὶ ἡ μέλαινα κηκίς. Hard.

8. *Melligeni succi*. Quæ melleum succum tactu gustatuque referat. Theophrast. Φύει καὶ ἕτερον σφαιρίον κόμην ἔχον, τὰ μὲν ἄλλα ἀχρεῖον, κατὰ δὲ τὴν ἐαρινὴν ὥραν ἐπιβάπτον χυλῷ μελιτηρίῳ, καὶ κατὰ τὴν ἁφὴν, καὶ κατὰ τὴν γεῦσιν. Hard.

9. *Corpore*. In ramorum alis, inquit, pilulas gignit alias, quæ per se ipsæ, suo corpore, ac sine pediculo, ramis adhærescant: quæ umbilicos candicantes habeant, reliquum corpus variegatum e nigro. Ita Theophrast. loc. citat. Φύει δ' ἐνδοτέρω, τῆς τῶν ῥάβδων μασχαλίδος ἕτερον σφαιρίον ἄμισχον.... τοὺς μὲν γὰρ ἐπανεστηκότας ὀμφαλοὺς ἐπιλεύκους, ἢ ἐπιστιγμένους ἔχει μέλανας. Sic enim admonitus a Plinio medicus Constantinus, vitiato huic alioqui græci scriptoris loco medicinam fecit. Hard. — *Adhærentes*.

cætera nigra varietate dispersa. Media[10] cocci colorem habent. Apertis amara inanitas est[11]. Aliquando et pumices[12] gignit: necnon et e foliis[13] convolutas pilulas: et in folio rubente[14] aquosos[15] nucleos, candicantes ac translucidos, quamdiu molles sint, in quibus et culices[16] nascuntur: maturescunt in modum gallæ.

1 XI. (VIII.) Ferunt robora[1] et cachryn[2] (ita voca-

Adhærentes, intus sculptas, varii coloris. Nam eminentes umbilicos aut candicantes, aut punctis maculosos, aut nigros: media splendida et coccinea. Apertæ vero et nigræ sunt, et putres. Theophr. Dalec.

10. *Media*. Theophrast. Τὸ δὲ ἀναμέσον κοκκοβαφὲς καὶ λαμπρόν. Cocci colorem, minialum intellige: uti de psittaci torque in cervice Plinius ait, lib. X, cap. 58. H.— *Cocci colorem*. *L'écarlate*. Brot.

11. *Apertis amara inanitas est*. Legendum forte *atra* potius quam *amara*. Theophrast. lib. III, cap. 8: « Aperta nigra et fruticans cernitur. » Pint. — Apertam pilulam nigram videri et subputridam dixit Theophrast. loc. cit. Ἀνοιγόμενον δέ ἐστι μέλαν καὶ ὑπίσαπρον. Fungosam raramque lanuginem, quæ intus est, *inanitatem* vocat. Hard.

12. *Et pumices*. Pumiceum lapillum, σπάνιον δὲ παραφύει καὶ λιθάριον κισσηρῶδες ἐπὶ πλεῖον. Theophrast. Hard.

13. *Et e foliis*. Sic Theophrast. φυλλικὸν σφαιρίον συμπεπιλημένον. H.

14. *Et in folio rubente*, etc. A tergo vero folii, mediæ costæ insidentes, pilulas albas (σφαιρία λευκὰ) pellucidas, aquosas, quamdiu molles sint, in quibus et muscæ interdum nascuntur: durescunt in modum gallæ parvæ et levis. Theophrast. Dalec. — *Et in folio*. In ipsa folii spina, quæ per medium tergum recta discurrit, ἐπὶ τοῦ φύλλου κατὰ τὴν ῥάχιν, inquit Theoph. H.

15. *Aquosos*. Pilulas aquosas, albas, pellucidas, quamdiu molles sunt, σφαιρίον λευκὸν, διαυγὲς, ὑδατῶδες, ὅταν ἁπαλὸν ᾖ. Theophrast. Vulgo pilulas asininas vocant. H.

16. *Et culices*. Μύας Theophrast. dixit, hoc est, *muscas*. Hard.

XI. 1. *Ferunt robora*. Theophr. Hist. lib. III, cap. 7. Dalec.

2. *Cachryn*. Cachrys foliorum conceptu, e medio germinis globo prominens, tamquam parturiente folium natura, qui in folia post explicatur: convoluta e foliis pilula iulus, in juglande et avellana racematim compactus callus, floris vicarius. Cyttarus in coniferis gradatum, squamosumque nucamentum, rudimentum fructus: Bryon in quercu, racemosi villi, qui loco floris sunt. Hæc diligenter distinguenda. Κάγχρυν pro Libanotidis semine quidam scribunt. Dalec.— *Cachryn*. Habet hæc vox Κάχρυς ap. Hesychium aliosque multos significatus. Est autem hæc Pliniana κάχρυς ab ea quam Theophrastus affert, et forma, et nascendi modo dispar. Huic pilulæ instar est, cui nihil

tur[3] pilula in medicina urendi vim habens[4]). Gignitur
et in abiete[5], larice, picea, tilia, nuce, platano[6]: postquam
folia cecidere, hieme durans. Continet nucleum[7] pineis
similem : is crescit hieme, aperitur vere pilula tota : cadit,
quum folia cœpere crescere. Tam multifera sunt, tot res
præter glandem pariunt robora. Sed et boletos[8], suillosque, 2
gulæ novissima irritamenta, quæ circa radices gignuntur :
quercus probatissimos ; robur autem[9], et cupressus, et

simile Theophrastea habet : hæc, postquam folia cecidere, hieme durat, autumno nata : illa primo vere gignitur. Adjicit tamen statim idem Theophrastus, Hist. lib. III, cap. 7, quiddam in robore peculiare autumno nasci, quod per hiemem duret : eamque facile adducor ut credam κάχρυν Plinianam esse. Sed nihil est eo Theophrasti loco corruptius. Τῇ δὲ ἰδιότητι τοῦ μετοπώρου μετὰ τὴν φυλλοβολίαν, etc. H.

3. *Ita vocatur*. Eo quoque nomine, inquit, appellatur, pilula quædam in medicinæ usu : quam scilicet κάχρυν, vel potius κάγχρυν vocat Dioscorides, lib. III, cap. 88, qui proprie fecundi rosmarini fructus : nec pilula, sed semen est : pariter urendi vim habens, καυστικῆς δυνάμεως. Hard.

4. *Urendi vim habens*. Roboris et arborum sequentium cachryn inepte confundit cum rosmarini pilula acri et urente, quæ etiam cachrys dicitur : ut et medulla seminis crethmi, l. XXVI, c. 8, non procul a fine. Dalec.

5. *Gignitur et in abiete*. Dissimile est, quod in iisdem fere arboribus gigni Theophrastus prodit, Hist. Plant. lib. III, cap. 7. Hard.

6. *Tilia, nuce, platano*. Theophr. castanea, non platano, Histor. lib. III, cap. 7. Pint.

7. *Continet nucleum*, etc. Hoc de iulis avellanarum Theophrast. esse nuci pineæ similes, crescere hieme, aperiri vere totos, etc. Dormitavit hic Plinius. Dalec. — *Continet nucleum*. Iisdem plane verbis nucis avellanæ (*coryli avellanæ*, de qua jam supra dictum est. Ed.) iulum Theoph. describit, loco citato. H.

8. *Sed et boletos*. Theophr. Hist. lib. III, cap. 9 : Οἱ γὰρ μύκητες πρὸ τῶν ῥιζῶν, καὶ παρὰ τὰς ῥίζας φυόμενοι, etc. Hard. — *Suillosque*. Id fungorum tertium genus nomen habet : venenis accommodatissimum, ut dicetur infra, lib. XXII, cap. 47. Hard.

9. *Robur autem*. Δρῦς Græcis, ut diximus. Subscribit in Georgicis Nicander his versibus, apud Athen. lib. II, pag. 60 : ... Ἐχθρὰ δ' ἐλαίης, Ῥοιῆς τε, πρίνου τε, δρυός τ' ἀπὸ πήματα κεῖται, Οἰδαλέα, σύγκολλα, βάρη πνιγόεντα μυκήτων. Hoc est : « Noxia oleæ, Punicæ, ilicis, roborisque purgamenta jacent, tumidi, glutinosi, malefici, strangulantes fungi. » De his dicetur opportunius, lib. XXII, cap. 47. Hard.

pinus[10], noxios. Robora[11] ferunt et viscum, et mella, ut auctor est Hesiodus. Constatque rores melleos, e cælo, ut diximus[12], cadentes, non aliis magis insidere frondibus. Cremati[13] quoque roboris cinerem nitrosum esse certum est.

XII. Omnes tamen has ejus dotes ilex solo provocat cocco[1]. Granum hoc, primoque[2] ceu scabies[3] fruticis,

10. *Et pinus*. Athenæus, lib. II, pag. 61, ex Diphilo, pineos inter edules accenset, et ulmeos; οἱ ἐπὶ πτελέαις καὶ πεύκαις γιγνόμενοι. H.

11. *Robora*. Theophrast. loc. cit. Ὡσαύτως καὶ ἡ ἰξία, εἰ δέ γε δὴ καθ' Ἡσίοδον φέρει μέλι καὶ μελίττας, etc. Hesiodi versus hi sunt in Ἔργοις, v. 230: ... Οὔρεσι δὲ δρῦς Ἄκρη μέν τε φέρει βαλάνους, μέσση δὲ μελίσσας. H.

12. *Ut diximus*. Lib. XI, c, 12. Huc pertinet, quod Maro cecinit Ecl. IV: « Et duræ quercus sudabunt roscida mella. » Et quod Naso Metam. lib. I, v. 112: « Flavaque de viridi stillabant ilice mella. » H.

13. *Cremati*. Theophr. l. c. Φασὶ δὲ καὶ ὅταν κατακαυθῇ, γίνεσθαι νίτρον ἐξ αὐτῆς. Hard.

XII. 1. *Provocat cocco*. Æquat, vel etiam superat. Theophrast. Histor. lib. III, cap. 16: Ὁ δὲ πρῖνος.... Φέρει καὶ παρὰ τὴν βάλανον κόκκον τινὰ φοινικοῦν. « Ilex fert præter glandem, granum quoddam puniceum. » In Gallia Narbonensi, nunc *vermillon* vocant, vel *graine d'écarlate*. Quoniam ea grana vermiculis scatent, quorum saniescoccino tingendo idonea est, efficitque eum colorem, quem et nos miramur, et Veteres impense laudarunt. Hinc *emblemate vermiculatum*, dixere, coccineo colore tinctum. Hard.

2. *Granum hoc primoque*, etc. Non granum, sed insectum in *Quercu coccifera* Wild. (*Monœc. Polyand.* gen. 2101, Pers. *Amentac.* Juss.). Quum suum incrementum accepit, crassum ac rotundum est, ut cicer, bombycina quadam lanugine tectum, intus plenum liquoris rubicundi. Medio mense maio in hoc grano, sub insecti ventre, reperiuntur 18 aut 20,000 grana minima rotunda, quæ totidem sunt ova. Tum colligitur coccus mane; antequam sol rorem abstulerit. Qui nascitur in quercubus prope mare crescentibus, rubicundior est quam qui procul. Ed.

3. *Ceu scabies*. Dalecamp. male emendat, *seu scapo fruticis*. Turneb. Advers. IV, 16, *scabies*. Gron. *ceu scapus frutic*. Ed. — *Ceu scabies*. Ac veluti arboris excrementum, seu purgamentum quoddam. In libris hactenus editis, *ceu scapus*. At in Reg. 1, Colb. et Th. *ceu scaptes*. In Reg. 2 planissime, *ceu scabies*, quæ sincerissima lectio est, dudum a Turnebo e suis quoque libris eruta. Fulcitur egregie hæcce emendatio vel re ipsa, fruticisque et cocci natura, quam Petri Quiqnerani verbis, de laudibus Prov. lib. II, fol. 48, operæ pretium duximus hoc loco repræsentare. « Vermiculum, inquit, Hispani olim large collegere, testimonio C. Plinii: nec

parvæ aquifoliæ[4] ilicis: cusculium vocant[5]: pensionem

scio an hodie quoque. . . . . Certe provincia nostra uberrimum ejus feturæ beneficium sentit, ut inde in ipsam quoque Hispaniam asportari a mercatoribus sciam. Maxima omnium copia atque præstantia ex Campis Lapideis, Arelatensium agro. Igitur quæ mihi super hoc nota sunt atque comperta, dicam. Coccum granum, seu coccus ilicis, nostris popularibus *vermilionum* appellatur. An sit κόκκος βαφική Græcis non dico: quod de eo Dioscorides omnino somnolenter tractarit. Itaque non placet digladiantes super hoc medicos in gratiam revocare, ea tanti otii penuria: qua nec abs Arabibus vacat exquirere, sitne illud suum kermes. Purgent ipsi sentinam suam. . . Ilicis nobis duæ sunt species: earum una nulla dote, in arborem adolescit. Altera, frutex exiguus, sesquipedali proceritate, lætissime viret; foliis lævore præfulgidis, spinarum vallo ambitis, numeroso stolone assurgit in morem rosarii. A nostris fagi appellationem sortitur, quamquam nullam fagi imaginem repræsentet... Vere medio rorati imbribus frutices, coccum hoc modo ordiuntur. Ac primum omnium, ut fere fit in fruticibus, qui non arborum modo, trunco in altum evehuntur, sed pullulant densa propagine: ubi imus scirpus se in duo brachia partitur, in horum medio instar focanei palmitis increscit rotundum quiddam, magnitudine et colore pisi. Hoc matrem vocant, quod ex eo cætera grana producuntur. Matres porro habet ut plurimum quinque quælibet cespitum familia: quæ ineunte æstate, æstuque, minutissimorum vermiculorum, ut tantum visum non effugiant, catervam profundunt, fatiscuntque in summitate. In animalia prorepit nova soboles colore candida, pro se quisque in sublime... Hi incrementis aucti, milii magnitudine fiunt. Inde liberius adolescentibus albus color in cinericium transit, jamque non animal, sed pisum rursus apparent. Tuncque ea grana maturitatem adepta colliguntur, jam coloratis vermiculis feta. Dumque asportantur, ambiens pellicula præ teneritate rumpitur... Torpent interim vermiculi, ac immobiles jacent. Cæterum quum primum tempestivitas adest, in lintea præcipitati, soli exponuntur. Tum libato calore statim prorepunt, atque aufugere nituntur: sed a custode, qui continuus assidet, concussu lintei in medium eo usque rejiciuntur... Si quæ vero grana legentis effugerint sedulitatem, ea mox paulo alatorum animalium numerosum exercitum in auras effundunt. Observatum est hoc anno (1550) ex Campo Lapideo Arelatensi agro, hunc proventum undecim aureorum millibus æstimatum. » Ita Quiqueranus, cujus elegantissimam orationem, librarii vitio fœdissime deformatam, suo nitori restituimus. Habet his plane similia G. de Catel, Hist. lib. I, pag. 50. Hard.

4. *Parvæ aquifoliæ*. Et parvam ilicem, et fruticem vocat, ut ab eo utroque genere ilicis, de quo dictum est cap. 8, diversum istud esse intelligas. Et est ex illo sane id genere, quod aquifolium ipse alibi,

alteram [6] tributi pauperibus Hispaniæ donat. Usum ejus gratiorem in conchylii mentione tradidimus [7]. Gigni-

aliique dixere, alii agrifolium : Galli, *le petit houx* : minime, nt priora duo, glandiferum. Dioscorides, lib. IV, cap. 48 : Κόκκος βαφικὴ, θάμνος ἐστὶ μικρὸς, φρυγανώδης, ᾧ πρόσκεινται οἱ κόκκοι ὡς φακοὶ, etc. « Frutex est parvus, surculosus, cui grana, ceu lentis, adhærent. » Tamen et in ilice πρίνῳ gigni Theophrastus paulo ante censuit. Hæc aquifolia eidem ἀγρία dicitur, Hist. lib. III, cap. 4, unde et Latinis *agrifolium*. In notis quæ falso Tironi adscribuntur, apud Gruterum, p. 170, ubi arborum genera recensentur : « Fraxinns, acrifolium, ilex. » H.

5. *Cusculium vocant.* Fortassis *quisquilium* : nam *quisquiliæ* Festo, quidquid surculorum foliorumve cadit ex minutis arboribus, ac inde res quævis nihili. Cæcilius : « Quisquilias volantes, venti spolia memorasti modo. » Nævius in Tognlaria : « Abi, deturba te saxo, homo non quisquiliæ. » Id est, non nauci. Coccum scapis derasum cadere notum est : inde *quisquilium* appellarunt. Dal. — Immo *cusculium* : est enim hispanum vocabnlum, non romanum : et *cusculiatum* videtur olim dictum quod nunc depravate *scarlatum*. Gelen. — *Cuscullum.* Κοσκύλια, quoniam e cortlce eraduntur. Græcis κοσκύλλειν est excrescentes minutias præsecare. H.

6. *Pensionem alteram.* Alterum ex horto, ex agro alterum pauperes tributum pendebant. Nam et hortensia in macello distrahebant, coccum iidem passim nascentibus fruticibus decerpebant : atque ex gemina ea merce corradebant, unde tributum penderent. E cocco igitur pensio altera tributi peti solita a Plinio nunc dicitur : altera ex horto, lib. XIX, cap. 19, his verbis : « quum credatur pensio ea panperum. » Accepit hunc locum aliter longe Salmasius in Solinum, pag. 175. Tributi collationem ait duplicem fuisse : aliam in capite, aliam in censu. Posteriori tributo pendendo non fuisse obnoxios eos, qui agrum aut prædia non haberent : quum pensione capitis omnes tenerentur, qua divites, qua pauperes. Sed neque hoc loco capitationis vim, quidve vox ea valeat, intellexisse Salmasinm, non optimum sane jurisconsultum, disces ex iis quæ de capitationibus disputat Gothofredus in cod. Theodos. lib. XI, tit. 1 de Annona et Tributis, pag. 27 et 43 ; iterum lib. XIII, tit. 10 de Censu, pag. 116. Capitatio enim et genus illud tributi dicebatur, quod pro possessionum quoque numero, si quæ essent, imponeretur. Salvianus, de Gubern. Dei, lib. V : « Quum possessio ab his recesserit, capitatio non recedit : proprietatibus carent, et vectigalibus obruuntur. » Vide et Glossarium Du-Cangii, verbo *Capitatio* et *Caput*. Neque vero de tributo gemino nunc sermonem esse Plinius ipse haud obscure indicat, quum *pensionem tributi alteram* hunc cocci proventum, non *tributi alterius pensionem* vocat : hoc est, in cocco alterum esse solvendo tributo subsidium, non tributo alteri. Hard.

7. *Tradidimus.* Lib. IX, cap. 65.

tur[8] et in Galatia, Africa, Pisidia, Cilicia : pessimum in Sardinia.

XIII. Galliarum glandiferæ[1] maximè arbores agaricum[2] ferunt. Est autem fungus candidus, odoratus[3], antidotis efficax, in summis arboribus nascens, nocte relucens[4]. Signum hoc ejus, quo in tenebris decerpitur. E glandiferis sola quæ vocatur ægilops[5], fert pannos arentes, muscoso villo canos[6], non in cortice modo, verum et e ramis dependentes cubitali magnitudine, odoratos, ut diximus[7] inter unguenta. Suberi minima arbor[8], glans pessima, rara : cortex tantum in fructu[9], præcrassus[10] ac renascens[11], atque etiam in denos pedes undique ex-

8. *Gignitur.* Dioscor. IV, 48. H.

XIII, 1. *Glandiferæ.* Præcipue larices, oculato teste Nic. CHORIER, Hist. Delph. lib. I, pag. 58. Sunt enim in ea regione plurimæ. H.

2. *Agaricum.* Ἀγαρικὸν, et apud Gallos retinet nomen, *agaric*, fungi genus. A Dodonæo pingitur, Pempt. 3, lib. V, c. 24, p. 477. De eo rursum Plin. XXV, 57, quem locum vide. H. — Agaricum, *l'agaric de chêne*, quo tam feliciter nunc utimur in sistendo sanguine. BROT. — *Agaricum.* Agaricus officin. sive *Boletus laricinus* L. Mat. Med. 654. Qui truncis quercuum adnascitur, species est a genuino offic. agarico plane diversa. GEOFF. Mat. Med. II, pag 772. ED.

3. *Odoratus.* Immo potius odoris expers. DALEC.

4. *Relucens.* Fabulosum hoc.

5. *Vocatur ægilops.* Fagus hæc est Latinorum, ut diximus cap. 6. Hæc porro Theophrast. lib. III, cap. 9 : Ὃ δὲ καλοῦσί τινες φάσκον, ὁμοίως τοῖς ῥακίοις, ἡ αἰγίλωψ μόνη φέρει, πολιὸν καὶ βρύϊνον, καὶ γὰρ πηχυαῖον καταχρεμάννυται, καθάπερ τρύχος ἐθονίου μακρόν. Φύεται δὲ τοῦτο ἐκ τοῦ φλοιοῦ, καὶ οὐκ ἐκ τῆς κορώνης ὅθεν ἡ βάλανος, etc. « Quod autem φάσκον quidam vocant, pannis simile, ægilops sola fert, canum et muscosum, cubitali longitudine pendens, ut vestis lacerus longusque pannus : nascitur e cortice, non e surculorum cacumine : unde glans : neque ex gemma, sed ex latere ramorum anni exacti, etc. » H. — Cum talibus pannis *Querc. latifoliam*, *le rouvre*, exhibet DU HAMEL, t. II, p. 210, BROT.

6. *Pannos arentes, muscoso villo canos.* An *Parmelia jubata?* (*Crypt.* Linn. *Musci* Juss.). Conf. lib. XII, cap. 50. ED.

7. *Ut diximus.* Lib. XII, cap. 50.

8. *M. arbor.* Nempe e glandiferis.

9. *Cortex tantum in fructu.* In usu : quod ex ea arbore nihil ad vitam utile colligas, præter corticem. H.

10. *Præcrassus.* Theophr. III, 16, φλοιὸν ἔχει παχὺν σφόδρα. H.

11. *Renascens.* Intra annos tres : ἐν τρισὶν ἔτεσιν. Theophr. l. c. H.

planatus. Usus ejus ancoralibus [12] maxime navium, piscantiumque tragulis [13], et cadorum [14] obturamentis : præterea in hiberno feminarum calceatu [15]. Quamobrem non infacete Græci [16] corticis arborem appellant. Sunt et qui [17] feminam ilicem vocent : atque ubi non nascitur ilex, pro ea subere utantur, in carpentariis præcipue fabricis, ut circa Elin et Lacedæmonem. Nec in Italia tota nascitur [18], aut in Gallia [19] omnino.

12. *Usus ejus ancoralibus.* Theophr. Hist. lib. III, cap. 16. Dal.

13. *Tragulis.* Piscatorum verricula tragulas vocat, sine controversia a trahendo nomen adeptas, ut vidit jam dudum Turnebus, Advv. lib. XXII, cap. 14, pag. 721. Et Glossæ Isidori : *tragum*, *genus piscatoriæ.* Glossar. Latin. Gallic. *tragum*, *rets à pecher*, Catholicon Armoricum, *traimaill ; c'est un rets à pêcher.* Latine, *hoc tragum*, *verriculum*, Gallis, *tremail*, Italis, *tramaglio* ; quod tribus maculis, vel triplici macularum ordine constat, quas *mailles* nostri appellitant. Hard.

14. *Et cadorum.* Nunc quoque subere lagenis amphorisque obturandis utimur : et a calceariis suberem expeti ad conficiendas crepidas, nemo nescit. Hæc obturamenta Galli vocant, *bondons* : obturare cadum, *bondonner un muid.* H.

15. *In hiberno feminarum calceatu.* Non solum valetudinis causa id feminæ hieme fecerunt, sed ut grandiores viderentur. Clemens Alexandrinus lib. III Pædagogi, ex Alexi Comico : Τυγχάνει μικρά τις οὖσα, φελλὸς ἐν ταῖς βλαυτίσιν ἐγκαττύεται. Xenophon lib. de tuenda re famil. de uxore Ischomachi : Ὑποδήματα δ' ἔχουσαν ὑψηλὰ, ὅπως μείζων δοκοίη εἶναι ἢ ἐπεφύκει. Victorius, lib. XV, cap. 25. Dalec.

16. *Non infacete Græci.* Videtur φελλὸν, quasi φλοιὸν dici a Græcis velle. Φελλὸς certe Hesychio φλοιὸς δένδρου, καὶ ξύλον ἐλαφρὸν, « arboris cortex, et lignum leve. » Suberem etiam simpliciter corticem Latini dixere. Horat. lib. III, Od. 9, v. 22 : « Tu levior cortice. » Et lib. I, sat. 4, v. 119 : « Simul ac duraverit ætas Membra, animumque tuum, nabis sine cortice. » Hard.

17. *Sunt et qui.* Hæc Theophrast. iisdem plane verbis, Hist. lib. III, cap. 16, de arbore quam φελλόδρυν Arcades vocabant : eamdem esse cum φελλῷ, seu subere, ex aliis auctoribus Plinium didicisse credimus. Hard.

18. *Nec in Italia tota nascitur*, etc. Falsum id. Nam quod et Theophr. ait, Tyrrheniæ, id est, Hetruriæ familiarissima est, et pæne propria. Dal.

19. *Aut in Gallia.* Galliæ nomine Narbonensis provincia hoc loco minime comprehenditur. Nam, ut ait lib. IV, cap. 31 : « Gallia omnis comata uno nomine appellata, in tria populorum genera dividitur, » Belgas nimirum, Celtas et Aquita-

XIV. (IX.) Cortex et fagis, tiliæ, abieti, piceæ, in 1
magno usu agrestium. Vasa, corbesque, ac patentiora quædam[1] messibus convehendis vindemiisque faciunt, atque prætexta tuguriorum[2]. Scribit in recenti ad duces explorator, incidens litteras[3] a succo. Nec non in quodam usu sacrorum religiosus est fagi cortex. Sed non durat arbor ipsa[4].

XV. (X.) Scandulæ[1] e robore aptissimæ, mox e glan- 1
diferis aliis, fagoque: facillimæ ex omnibus quæ resinam ferunt: sed minime durant, præterquam e pino. Scandula[2] contectam fuisse Romam, ad Pyrrhi usque bel-

nos. In Provincia certe, quæ pars est provinciæ Narbonensis, indigenam esse suberem, nec adscititiam aliunde, argumento est, quod dumosis et squalentibus locis ibi luxuriose prosilit, ut prodidere Petr. Quiqueranus, L. II fol. 50; Honor. Bouche, lib. I, cap. 8, pag. 49, ipsaque experientia comprobat. H. — *Aut in Gallia omnino.* Suber nunc frequens nascitur in Gallia Narbonensi, et maxime in Aquitania, ubi *Condom*, *Nerac*, *les Landes de Bajas*, etc. Brot.

XIV. 1. *Vasa corbesque ac patentiora quædam.* Immo e contrario lego, *corbesque ac patentiora quædam vasa.* Pint.

2. *Prætexta tuguriorum.* Tecti tuguriorum marginem, seu oram extimam, quæ eo corticis genere prætexitur. Ducta metaphora videtur a prætexta nobilium, quæ purpura circumtexta erat. Forte *projecta* rectius, quod in MSS. *protecta* legitur. *Prominentiæ* tectorum, Vitruvio, libro IV, capite 2, et libro II, cap. 8, *projecturæ: saillies, égouts.* Vide quæ mox dicturi sumus infra, libro XVII. Hard.

3. *Incidens litteras.* Succi madidi beneficio litteras incidit, Inscribitque cortice, minime conspicuas: easdem, siccato cortice, apparentes. Hard.

4. *Non durat arbor ipsa.* Cortice spoliata. Dalec.

XV. 1. *Scandulæ.* Asseres, seu tabellæ parvæ, hoc est, in exiguas laminas fissæ. Columella, lib. VIII, cap. 3, fenestellis scandulas jungi præcipit, quibus ab corte irrepant aves ad requiem nocturnam. *Scandulas*, non *scindulas* habent MSS. omnes. Adde his ea quæ V. Cl. Du-Cangius habet in Gloss. verbo *scindula.* Hard.

2. *Scandula.* Ligneis assulis, sectilibusque asserculis. Mirum est *ardesias* nostras incognitas Veteribus fuisse, quæ hodie passim habentur. « Nostri, inquit Philander ad Vitruv. lib. I, cap. 1, utuntur cærulei in nigro sectilibus laminis crustisve. Is lapis serra dentata, ut lignum secatur, assulatimque frangitur. Ardesiam (*ardoise*) vocamus, credo ab ardendo, quod e tectis

lum[3], annis CCCCLXX, Cornelius Nepos auctor est. Silvarum[4] certe distinguebatur insignibus. Fagutali Jovi[5] etiam nunc, ubi lucus fageus fuit: porta Querquetulana[6], colle in quem vimina petebantur, totque lucis, quibusdam et geminis. Q. Hortensius Dictator, quum plebs[7] secessisset in Janiculum, legem in Esculeto[8] tulit, ut quod ea jussisset, omnes Quirites teneret[9].

ad solis radios velnti flammas jaculetur. » Hard.

3. *Ad Pyrrhi*... *bellum*. Quod cœptum esse ann. U. 472, diximus lib. VIII, cap. 6. Hard.

4. *Silvarum*. Erant in urbe silvæ insignes, quibus regiones quam plurimæ distingui solerent. Nam vel in una regione Urbis quinta, lucus Fagutalis fuit, de quo Festus: « Fagutal, sacellum Jovis, in quo fuit fagus arbor, quæ Jovi sacra habebatur. » Fuit et collis campusque Viminalis, a viminum silva cognominatus, et Ara Viminei Jovis. Fuit et lucus Petelinus. Hard.

5. *Fagutali Jovi*. Varroni lib. IV de Ling. Lat. in Esquiliis fuit lucus Fagutalis et Virarum querquetulanum sacellum, et lucus Mesitis. *Viras* Festus dictas vult nymphas, quæ præsident querceto virescenti, χλωρίδας καὶ ἁμαδρυάδας. Dal.

6. *Querquetulana*. Ubi et Querquetulanum sacellum, de quo Varro de L. L. lib. IV, pag. 15. Festus: « Querquetulana porta Romæ dicta, quod querquetum (quercetum) intra muros Urbis juxta se habuerit. » Hard.

7. *Quum plebs*. Tres plebis secessiones factæ memorantur. Prima, in montem sacrum, trans Anienem amnem, tria ab Urbe millis passuum, æris alieni causa, ann. U. 261, de qua Livius, lib. II, pag. 32. Secunda secessio facta est ann. 305, ob Decemvirorum insolentiam, et Appii Claudii Decemviri scelus, auctore L. Virginio. De ea Livius, lib. III, pag. 60. Tertia, de qua nunc sermo, rursus æris alieni causa, facta in Janiculum, ann. 367. De hac Epitome Livii, lib. XI: « Plebs propter æs alienum, et longas seditiones, ad ultimum secessit in Janiculum: unde a Q. Hortensio Dictatore deducta est, isque in ipso magistratu decessit. » Hard.

8. *In Esculeto*. Locus fuit esculis consitus. Hard.

9. *Quirites teneret*. Hoc est, Romanos ex Urbe et in Urbe tantum. Hæ ferebantur leges a Tribuno plebis. Huic vero Dictatoris Hortensii legi similem primum L. Valerio, M. Horatio Coss. latam legimus apud Livium, lib. III, pag. 60, secessione secunda: « Quum veluti in controverso jure esset, tenerenturne Patres plebiscitis: legem centuriatis Comitiis tulere, ut quod tributim plebes jussisset, populum teneret. » Repetita igitur ab Hortensio est. Gellius, lib. XV, cap. 27, pag. 848: « Q. Hortensius

XVI. Peregrinæ tum videbantur, quoniam non erant suburbanæ, pinus[1] atque abies, omnesque quæ picem gignunt, de quibus nunc dicemus, simul ut tota condiendi vina origo cognoscatur. Quædam ferunt in Asia, aut Oriente, e prædictis picem. In Europa sex genera cognatarum arborum ferunt. Ex iis pinus atque pinaster folium habent capillamenti modo prætenue, longumque, et mucrone aculeatum. Pinus fert minimum resinæ, interdum et nucibus[2] ipsis, de quibus dictum est, vixque ut adscribatur generi. 1

XVII. Pinaster[1] nihil aliud est, quam pinus silvestris, mira altitudine, et a medio ramosa, sicut pinus in vertice. Copiosiorem dat hæc[2] resinam, quo dicemus[3] modo. Gignitur et in planis. Easdem arbores alio nomine esse per oram Italiæ, quos tibulos[4] vocant, plerique arbitrantur, sed graciles succinctioresque; et enodes, liburnicarum[5] ad usus, pæne sine resina. 1

XVIII. Picea[1] montes amat, atque frigora: feralis 1

Dictator eam legem tulit, ut eo jure, quod plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur. » Hard.

XVI. 1. *Pinus.* Quæ Græcis fere πίτυς, nostris *un pin.* Archiæ epigramma a nobis relatum lib. XV, cap. 5, ubi inter Olympionicarum coronas πίτυς numeratur, Ausonius ita reddidit in Eclogario: « Quatuor antiquos celebravit Achaia ludos: Serta quibus pinus, malus, oliva, apium. » H. — *Pinus pinea* (*Monœc. monand.* gen. 2130, Pers. *Conifer.* Juss.). Ed.

2. *Et nucibus.* Interdum, inquit, fert resinam in ipsis nucibus pineis, de quibus dictum est lib. XV, cap. 9; sed eam quidem adeo exiguam, ut resiniferarum arborum generi vix pinus adscribatur. H.

XVII. 1. *Pinaster.* Πίτυς ἀγρία, *pin sauvage.* Pingitur a Dodonæo. — Servat nomen *P. pinaster.* Ed.

2. *Copiosiorem dat hæc.* Nempe pinus silvestris. Hard.

3. *Quo dicemus modo.* Cap. 23. H.

4. *Tibulos.* MS. *stubulos.* Hermol. *strubulos.* Ed. — *Quos tibulos.* Harum iconem Dalecampius exhibet, lib. I, pag. 47. Mox *succinctiores*, magis compactas interpretor. H.

5. *Liburnicarum.* Genus est bellicæ navis velocissimæ, a Liburnis Illyrici populis conditoribus nuncupata. His struendis pinaster arbos idonea. Hard.

XVIII. 1. *Picea.* Hæc Theophr. πίτυς, aliis πεύκη, *pesse* Gallis. Pityocampas (erucæ genus est), in picea Plinius, lib. XXIX, cap.

arbor[2], et funebri indicio ad fores posita, ac rogis virens: jam tamen et in domos[3] recepta, tonsili facilitate. Hæc plurimam resinam fundit, interveniente[4] candida gemma, tam simili thuris, ut mixta visu discerni non
2 queat: unde fraus Seplasiæ[5]. Omnibus his generibus folia brevi seta[6], et crassiore, duraque, ceu cupressis. Piceæ rami pæne statim ab radice modici, velut brachia, lateribus inhærent. Similiter abieti[7], expetitæ navigiis[8]. Situs in excelso[9] montium, ceu maria fugeret: nec forma[10] alia. Materies verò præcipua trabibus, et plurimis vitæ operibus. Resina ei[11] vitium, unde fructus unus piceæ: exiguumque sudat aliquando contactu solis. E diverso ma-

30, in pinu alii nasci produnt. Pingitur a Matthiolo in Diosc. lib. I, p. 97. H. — *Pinus picea* (Persoonio militat sub *Abiete*). Ed.

2. *Feralis arbor.* Quæ funeribus adhibetur. Unde illud Maronis, Æn. lib. VI, Miseni funus describentis, v. 180: « Procumbunt piceæ, etc. » Hard.

3. *In domos.* Etiam, si Virgilio credimus, Ecl. VII, v. 65: « Pulcherrima pinus in hortis. » H.

4. *Interveniente.* Quæ sponte manat resina, inquit, e picea, in gemmam interdum candidam coit, quæ est micæ thuris simillima. H.

5. *Fraus Seplasiæ.* Hoc est, Seplasiariorum. Festus: « Seplasia, forum Capuæ, in quo plurimi unguentarii erant. » Ascon. Ped. in or. Cic. contra Pisonem: « Dictum est in dissuasione legis Agrariæ apud populum, plateam esse Capuæ, quæ Seplasia appellatur, in quo unguentarii negotiari sunt soliti. » Hard.

6. *Brevi seta.* Instar setæ brevia, exiliaque, et gracilia. Hard.

7. *Similiter abieti.* *Le sapin.* Theophrast. Hist. lib. III, cap. 10, Ἐλάτη θήλεια, abies femina. A Clusio recte pingitur, Hist. plant. lib. I, pag. 34, et a Matthiolo in Diosc. lib. I, pag. 107. Hard.

8. *Navigiis.* Virg. Georg. lib. II, v. 68: « Casus abies visura marinos. » Hard.

9. *Situs in excelso.* Idem Ecl. VII, v. 66: « Abies in montibus altis. » Hard.

10. *Nec forma alia.* Nam camerato ramorum et foliorum veluti fornice imbrem prorsus respuit. Theophr. Dalec. — *Nec forma alia.* Quam picea. Adeo sane inter se affines ambæ, ut observat Matthiolus, pag. 106, ut fabros lignarios hac similitudine sæpe fallant etiam peritos, inquit Plinius cap. sq. Hard.

11. *Resina ei*, etc. Ch. *Resinæ vitium unde fructus piceæ.* Ed. — *Resina ei.* Resinæ fluxus ex abiete, arbori exitiosus est: e picea ad vitæ usum perutilis, nec matri noxius. Hard.

teries, quæ abieti pulcherrima, piceæ ad [12] fissiles scandulas, cupasque, et pauca alia secamenta.

XIX. Quinto generi situs idem, eadem facies : larix 1
vocatur[1]. Materies præstantior longe, incorrupta vis[2], mori contumax : rubens præterea, et odore acrior. Plusculum huic erumpit liquoris[3], melleo colore, atque lentiore[4], numquam durescentis. Sextum genus est teda pro- 2
prie dicta[5], abundantior succo quam reliqua, parciore liquidioreque[6] quam in picea, flammis ac lumini[7] sacrorum

12. *Piceæ ad.* Piceæ materies, inquit, idonea tantum parandis scandulis fissilibus, cupisque, hoc est, vasis vinariis, aliisque sectilibus operibus paucis. Hard.

XIX. 1. *Larix vocatur.* Iisdem fere verbis a Vitruvio describitur, lib. II, cap. 9, pag. 35. Theophrasto πεύκη. Sed nondum hæc arbor in certi alicujus nominis gallici possessionem venit : etsi eruditi viri eam esse existimant, quam *melèze* vulgus appellat : res nihilominus habet dubitationem, ut pluribus argumentis inferius demonstrabimus. Melesia ea porro in Delphinatu et Alpibus frequens. Vide Nic. Chorier, Hist. lib. I, pag. 57. A Dodonæo pingitur, pag. 856. H.—*Pinus* sine dubio est *Larix*, quam nos dicimus *le mélèze*. Ed.

2. *Vis.* MS. *usu.* Ed.

3. *Plusculum*, ... *liquoris.* Resinæ. Eam quæ ex *melesiis* manat, officinæ pro terebinthina venditant : interdum etiam pro benjuino. H.

4. *Lentiore.* MS. *recentiore.* Dal. *lentioris.* Ed.

5. *Sextum genus est teda proprie dicta.* Male hæc. Vide Theophr. Hist. lib. III, cap. 12. Tedæ nomen πολύσημον est. Nunc enim pini resinosum et pingue lignum significat, τὴν δᾷδα, quod lucernæ candelæve loco uritur : nunc arborem sui generis, ignotam Theophrasto, quam *Cambro* vocant Tridentini, Allobroges *Auvia.* Dal.— Vide Salm. pag. 505. — *Pinus silvestris*, *Cembro* (quod nomen ab Italis accepit, et etiamnunc servat) a Matthiolo appellatur, qui eam et ipse accurate delineat in Diosc. lib. I, pag. 106. H. — *Pinus cembra.* Habitat in Alpibus. Ed.

6. *Parciore liquidioreque.* Sic ex MSS. em. Hard. cons. Ch. *parcior liquidiorque* Gr. et Al. Ed.

7. *Lumini sacrorum etiam grata.* Inde lustrales faces, quas Claudianus VI Cons. Honorii describit luculenter, v. 234 : « Lustralem sic triste facem, cui lumen odorum Sulphure cæruleo, nigroque bitumine fumat, Circum membra rotat, doctus purganda sacerdos, Rore pio spargens, et dira fugantibus herbis Numina, terrificumque Jovem, Triviamque precatus, Trans caput aversis manibus jaculatur in Austrum, Secum rapturas cantata piacula tedas. » Ovidius : « Uror ut inductæ cerato sulphure tedæ. » Vide quæ notata sunt lib.

etiam grata. Hæ, mares[8] dumtaxat, ferunt et eam, quam Græci sycen vocant, odoris gravissimi. Laricis morbus
3 est, ut teda fiat[9]. Omnia autem hæc genera accensa, fuligine immodica, carbonem repente exspuunt cum eruptionis crepitu, ejaculanturque longe; excepta[10] larice, quæ nec ardet, nec carbonem facit, nec alio modo ignis

XXXV, cap. 25. Juvenal. « ... si qua darentur Sulphura cum tedis. » Ab agitatione quæ in orbem fiebat, ductum est verbum *Circumferre* et *Circumferri*. Virgilius : « ... ter socios pura circumtulit unda. » Plaut. in Amphit. « So. Quæso quin tu istam jubes Pro cerita circumferri, etc. » Lustrari, περιμάττεσθαι, περιαγνίζεσθαι, καθαίρεσθαι. Quod fieri ovis solitum, teda, scilla, sulphure, carmine ad aurem insusurrato. Turneb. Adnot. lib. IV, cap. 15, et lib. IX, cap. 10; sed manibus prius rore pio, sive expiatorio ablutis : quod Aristophanes, ἐν Εἰρήνῃ, χερνίπτεσθαι dixit. Apuleius, lib. XI Asini aurei, de expiata nave : « Summus sacerdos, inquit, teda lucida, et ovo, et sulphure, solemnissimas preces de casto præfatus ore, quam purissime purificatam deæ nuncupavit. » Dalec. — *Lumini sacrorum*. Ad faces, quæ in sacris ritibus accenduntur. Unde et tedas faces ipsas vocamus. Apuleius Asin. aur. lib. XI, ubi de expiata nave : *Sacerdos*, etc. vide supra. H.

8. *Hæ, mares*. E tedarum genere, mares dumtaxat. Sed et ταῖς πεύκαις id quoque subnascitur, quod συκῆν Græci, hoc est, ficum vocant, si Theophrasto credimus, Hist. lib. III, cap. 10. Hard.

9. *Ut teda fiat*. Ut, instar tedæ, abundantiorem succum, resinamque fundat : est enim ea copia exitiosa arbori. Hæc de larice, quam πεύκην vocat, etiam prodidit Theophr. Hist. lib. III, cap. 10. H.

10. *Excepta larice*. Theophrastus id de fico adnascente pinis maribus : de larice idem Vitruv. Dal. — *Excepta larice*. Vitruvius eadem tradit conceptis verbis. « Larix vero, inquit ille, lib. II, cap. 9, pag. 35, qui non est notus, nisi his municipibus, qui sunt circa ripam fluminis Padi, et littora maris Adriatici, non solum ab carie aut a tinea non nocetur : sed etiam flammam ex igni non recipit, nec ipse potest per se ardere, nisi uti saxum in fornace ad calcem coquendam, aliis lignis uratur : nec tamen tum flammam recipit, sed longo spatio tarde comburitur. » Eadem de larice Palladius lib. XII, in Novemb. tit. 13. Quæ tamen valde vereor, ut vere dicta, nec temere credita sint a summis viris : nihil enim resiniferis arboribus, cujusmodi in primis larix est, quæ liquida resina turget, concipiendo igni aptius videtur. Abest ea sane dos a melesiis arboribus, quas Veterum larices esse eruditi volunt. Harum enimvero carbo, præsertim in ærariorum officinis, mire expetitur. Hard.

vi consumitur, quam lapides. Omnia ea perpetuo[11] virent, nec facile discernuntur in fronde, etiam a peritis : tanta natalium mixtura est! Sed picea minus alta quam larix. Illa crassior[12], leviorque cortice, folio villosior, pinguior, et densior, molliorque flexu. At piceæ[13] rariora siccioraque folia, et tenuiora, ac magis algentia[14]; totaque horridior est, et perfusa resina. Lignum abieti[15] similius. Larix ustis[16] radicibus non repullulat; picea repullulat[17], ut in
Lesbo accidit, incenso nemore Pyrrhæo. Alia etiamnum 4
generibus ipsis[18] in sexu differentia. Mas brevior[19] et durior...

11. *Omnia .... virent.* At larici nostræ, siquidem melesia ea sit, folia hieme decidunt : etsi coniferæ arbores cæteræ perpetuo virent. H.

12. *Illa crassior.* Nempe larix, quæ Theophrasto πεύκη, ut diximus. Nam quæ de larice Plinius, ea de πεύκη totidem verbis Theophr. lib. III, cap. 10 : Καὶ τὰ φύλλα τὴν μὲν πεύκην ἔχειν πολλὰ, καὶ λιπαρὰ, καὶ δασέα, καὶ κεκλιμένα, *inflexa*. H. — *Illa* pro *hæc* usurpatur ; id enim intelligendum de larice. Brot.

13. *At piceæ.* Quæ Theophr. l. c. πίτυς. Τὴν δὲ πίτυν, inquit, ὀλίγα τε, καὶ αὐχμωδέστερα, καὶ περρικότα μᾶλλον, « pauciora, squalidiora, horridiora. » Hard.

14. *Et tenuiora ac magis algentia.* Legendum videtur *rigentia*, non *algentia* : quum, ut opponatur illis, *mollior flexu*, tum quod sequitur paulo post, « pinguioribus foliis et simplicibus atque non rigentibus. » Appellat autem *folia rigentia*, subrecta, non proclivia in terram, ex Theophrasto, libro tertio, capite 10, κεκλιμένα μᾶλλον, id est, inclinata magis; *simplicibus* intelligo *mollibus* ex eodem. Pint.

15. *Lignum abieti.* Piceæ lignum similius; nec totius arboris formam fere aliam esse dixit cap. sup. Theophr. l. c. Καὶ πίτυος τὰ ξύλα λευκότερα, καὶ ὁμοιότερα τῇ ἐλάτῃ. H.

16. *Larix ustis.* Laricem iterum vocat, quæ Theophrasto πεύκη est : quæ πίτυς, iterum piceam. Sic enim ille l. c. Πεύκην μὲν γὰρ ἐπικαυθεισῶν τῶν ῥιζῶν οὐκ ἀναβλαστάνειν· τὴν πίτυν δέ φασί τινες ἀναβλαστάνειν· ὥσπερ καὶ εἰς Λέσβον ἐμπρησθέντος τοῦ Πυῤῥαίων ὄρους πιτυώδους. Eam ob causam lib. XXIV, cap. 86, chamæpeucen sic appellatam tradit a similitudine foliorum cum larice. Hard.

17. *Picea repullulat.* Sic in omnibus libb. vett. legitur : duas voces omittunt Harduinus Broteriusque, ut quidem videtur, operarum incuria. Ed.

18. *Generibus ipsis.* In sex commemoratis resiniferarum arborum generibus, sexus quædam differentia est. Hard.

19. *Mas brevior et durior.* Addi debet, ut opinor, verbum *foliis*, ex Theophrasto, libro III, cap.

rior : femina procerior, pinguioribus foliis et simplicibus [20], atque non rigentibus [21]. Lignum maribus [22] durum, et in fabrili opere contortum : feminæ mollius, publico discrimine in securibus. Hæ in [23] quocumque genere deprehendunt marem ; quippe respuuntur, et fragosius [24] sidunt, ægrius revelluntur. Ipsa materies retorrida [25], et nigrior maribus radix [26]. Circa Idam [27] in Troade et alia differentia est, montanæ, maritimæque. Nam in Macedonia et Arcadia [28], circaque Elin, permutant nomina, nec constat auctoribus, quod cuique generi attribuant: nos ista romano discernimus judicio. Abies e cunctis amplissima est, et femina etiam prolixior : materie mollior utiliorque [29], arbore rotundior, folio pinnato densa [30], ut

10 : « Et marem, inquit, breviorem folioque duriorem; feminam proceriorem, foliis pinguem, mollem procliviioremque. » Pint.

20. *Simplicibus.* Apud Theophr. l. c. ἁπαλὰ mollia : ἁπλῆ simplicia legisse Plinius videtur. Hard.

21. *Non rigentibus.* Non subrectis, sed languidis. Hard.

22. *Lignum maribus.* Hæc iisdem verbis Theophr. l. c. Ἐςι δὲ τὰ ξύλα τοῦ μὲν ἄῤῥενος περιμήτρια, καὶ σκληρὰ, ἐν ταῖς ἐργασίαις ςρεφόμενα· τῆς δὲ θηλείας εὐεργὰ, καὶ εὐςραβῆ, καὶ μαλακώτερα. Σχεδὸν δὲ κοινή τις ἡ διαφορὰ πάντων τῶν ἀῤῥένων καὶ θηλειῶν, ὧν οἱ ὑλοτόμοι φασίν· ἅπαν γὰρ τὸ ἄῤῥεν τῇ πελεκήσει τραχύτερον καὶ ἐπεςραμμένον μᾶλλον, καὶ δυσεργότερον, καὶ τῷ χρώματι μελάντερον, etc. Hard.

23. *Hæ in.* Secures in omni arborum genere deprehendunt quæ arbos mascula, quæ femina sit. H.

24. *Fragosius.* Major, quum finditur, fit fragor, et in ictu hæret securis. Hard.

25. *Ipsa materies retorrida et nigrior maribus radix.* Dictio *radix* videtur superfluere ex eodem Theophrasto, citato loco : « Omnis mas securi brevior et contortior, operique difficilior est : femina procerior atque facilior. » Pint.

26. *Nigrior . . . radix.* Tota materies, non radicis modo, sed corporis ac ligni, nigrior in maribus esse a Theophrasto dicitur : καὶ τῷ χρώματι μελάντερον. Hard.

27. *Circa Idam.* Theophr. l. c. Πεύκη Ἰδαία, quæ *P. maritima.* Ed.

28. *Nam in Macedonia et Arcadia.* Macedones pinum dividunt in marem, feminam, sterilem ; Arcades nec sterilem agnoscunt, nec sativam, sed silvestrem tantum, quam suis notis a picea distinguunt. In Arcadia picea panca nascitur, in Eleo agro multa. Theophrast. Plinius negligenter hoc reddit. Dal.

29. *Materies mollior utiliorque.* Operibus facilior, εὐεργεςέρα. Theophrast. Dal.

30. *Folio pinnato densa.* Frons

imbres non transmittat, atque hilarior in totum. E ramis 6
generum horum panicularum[31] modo nucamenta[32] squamatim compacta dependent, præterquam larici[33]. Hæc abietis[34] masculæ, primori parte nucleos habent : non item feminæ. Piceæ vero totis paniculis, minoribus gracilioribusque, minimos ac nigros[35]. Propter quod Græci phthirophoron eam appellant. In eadem nucamenta compressiora maribus sunt, ac minus resina roscida.

XX. Similis his[1] etiamnum aspectu est, ne quid præ- 1
tereatur, taxus, minime virens[2], gracilisque et tristis, ac

pinnas habet, superne minores, tota specie camerata, Bœotorum galeis simili, tam densa, etc. Theophrasi. qui *pinnas* vocat ramos exporrectos alarum distentarum modo. DALEC. — *Folio pinnato.* Folia pinnas avium referunt, tam densa, ut neque nivem, neque imbrem transmittant, inquit Theophr. l. c. Ἔχει δὲ ὥσπερ πτέρυγας τὸ φύλλον... πυκνὸν δὲ οὕτως, ὥςε μήτε χιόνα διϊέναι, μήθ' ὑετόν. Hic vero recte Constantinus observat, φύλλον vocari, non singula folia abietis, veluti capillamenta : sed eorum in singulis ramulis, surculisque, totam seriem pectinatim dispositam. Itaque hic φύλλον collective dicitur. HARD.

31. *Panicularum.* Panicula in arundinibus, milio, juglandibus, aliisque, ea coma dicitur, in qua pendent semina. *L'épi du millet*, *les chatons des noyers*, etc. HARD.

32. *Nucamenta.* Coni, nnces, κύτταροι. Nucamenta pinea dicimus, *pommes de pin.* HARD.

33. *Præterquam larici.* Fallitur Plinius. Sui enim sunt et larici coni, veluti pino, sed minores et cupressinis similes. DALEC. — *Præterquam larici.* Unde intelligas haud certam satis conjecturam esse eorum qui laricem esse melesiam arbitrantur. HARD.

34. *Hæc abietis.* Hæc nucamenta, inquit, in mascula abiete nucleos anteriore parte gerunt, qua sunt acuminata : in picea toto nucamenti corpore nuclei sparguntur, sed minimi, quos Græci φθεῖρας vocant : unde arbori nomen φθειροφόρος : neque enim, ut visum est Dalecampio, ea vox φθεὶρ tantum pediculum sonat, sed et piceæ nucleum : Hesychins : φθεὶρ, ὁ τῆς πίτυος καρπός. Eustath. in Iliad. B, φθεῖρες, τὰ μικρὰ ςρόβιλα. H.

35. *Minimos ac nigros.* Pediculis similes, aut pulicibus. DALEC.

XX. 1. *Similis his.* Nempe resiniferis arboribus, maxime vero abieti : sed adspectu tantum similis, non resina, nec squamato fructu. Taxus, *l'if.* H. — *Taxus baccata* (*Diœc. monad.* gen. 2287, Pers. *Conifer.* Juss.). Habitat in Enropa, Sibiria, in montosis calcareis. ED.

2. *Minime virens.* At nostra taxus perpetuo viret in gallico cælo. H.

dira, nullo succo, ex omnibus [3] sola baccifera. Mas [4] noxio fructu. Letale quippe baccis, in Hispania [5] præcipue, venenum inest. Vasa etiam viatoria ex ea vinis in Gallia facta, mortifera fuisse compertum est. Hanc Sextius smilacem [6] a Græcis vocari dixit: et esse in Arcadia [7] tam præsentis veneni, ut qui obdormiant sub ea [8], cibumve capiant, moriantur. Sunt qui et taxica hinc appellata dicant venena [9], quæ nunc toxica dicimus, quibus sagittæ tingantur. Repertum, innoxiam fieri, si in ipsam arborem clavus æreus adigatur.

3. *Ex omnibus.* Nempe ex resiniferis proxime memoratis. H.

4. *Mas noxio.* Manifestum est hæc Plinium a Theophrasto non hausisse: is enim, Hist. lib. III, cap. 10, taxi baccas edules esse et innoxias homini scribit: et sane sunt ejuscemodi in Anglia, teste Pena in Advr. p. 450. H. — Sæpe tamen, ut multis compertum est exemplis, taxi baccæ venena fuere præsentissima. Distinguendæ ergo sunt taxi species. Brot.

5. *In Hispania.* Etiam in Italia baccas venenatas esse Diosc. prodidit: sed falso. Hon. Bouche, Hist. lib. I, cap. 8, pag. 49, experimento se comprobasse ait; largiorem taxi esum equis esse letalem: bubus certe esse, rustici nobis liquido affirmarunt. Hard.

6. *Smilacem.* Diosc. lib. IV, pag. 80: Σμίλαξ ... Ῥωμαῖοι δὲ τάξον καλοῦσιν. A Sextio forte Dioscorid. ut Plin. hausit. Et smilacem de ilice dici superius vidimus, c. 8. H.

7. *In Arcadia.* Etiam in Narbonensi Gallia, si Dioscoridi fides, l. c. ἐν τῇ Ναρβωνίᾳ. Apud nos umbra taxi minus aliquanto exitiosa est: dolorem modo capitis facit iis, qui diutius sub ea hærent. Hard.

8. *Ut qui obdormiant sub ea.* Plutarch. in Sympos. Ἱστοροῦσι γὰρ ὅτι καὶ σκιὰ σμίλακος ἀποκτείνει τοὺς ἐγκαταδαρθόντας, ὅταν ὀργᾷ μάλιστα πρὸς τὴν ἄνθησιν. Lucretius: « Est etiam magnis Heliconis montibus arbos, Floris odore hominem tetro consueta necare. » Victorius, lib. XVIII, cap. 22. Dal.

9. *Taxica hinc appellata dicant venena.* Plaut. in Merc. « Certum est: ibo ad medicum, atque me ibi toxico morti dabo: Quando mihi adimitur, qua causa vitam cupio vivere. » Dalec. — *Sunt qui et taxica.* Quod ex arbore taxo sagittæ fierent, quæ venenis tingebantur, quibus inde toxicorum, sive taxicarum est appellatio indita. Liber mirac. S. Martini, laudatus a Du-Cangio in Gloss. verbo *Ivus*: « Est autem id genus arboris aptum spiculis et arcubalistis: vulgo enim dicitur Ivus. » Alii ἀπὸ τῶν τόξων toxica credunt appellata, quod iis venenis sagittas barbari tingebant. Diosc. in Alex. cap. 20: Τὸ δὲ τοξικὸν δοκεῖ μὲν ὠνομάσθαι ἐκ τοῦ τὰ τόξα τῶν βαρβάρων ὑπ' αὐτοῦ χρίεσθαι. Hard.

XXI. (XI*.) Pix liquida in Europa e teda coquitur[1], navalibus[2] muniendis, multosque alios ad usus[3]. Lignum[4] ejus concisum, furnis undique igni extra circumdato, fervet. Primus sudor aquæ modo fluit canali: hoc in Syria cedrium vocatur[5]: cui tanta vis est, ut in Ægypto corpora hominum[6] defunctorum eo perfusa serventur. 1

XXI. * *Quibus modis fiant genera picis*, etc. Theophrast. Histor. l. IX, cap. 2 et 3. De resina et pice vide lib. XIV, cap. 20; lib. XXIII, cap. 1; lib. XXIV, c. 6. Dal.

1. *Pix liquida in Europa e teda coquitur.* In libris legitur: « Pix liquida in Europa teda cogitur: » quod rectum est, id est, colligitur. Sequitur paulo post: « e teda omnia illa fiunt, e picea, etc. » hæc inepta sunt et falsa. Salm. — *E teda.* Sexto illo resiniferarum arborum genere de quo cap. 19. Ex eo ignis vi pix elicitur. Hard.

2. *Navalibus.* Ita MSS. hoc est, omni navigiorum generi et instrumento picando. Hard.

3. *Multosque alios ad usus.* Pice liquata et in corpus affusa, flagitiosos homines olim cruciari solitos indicat hic Plauti versus ex Captivis: « .... at pol te hic si sapiet senex, Atra pix agitet apud carnificem, tuoque capiti illuceat. » Dal. — *Alios ad usus.* Quos ipse proferet, lib. XXIV, cap. 23. Hard.

4. *Lignum ejus.* Hunc picis conficiendæ modum Theophr. quoque prodit, Hist. lib. IX, cap. 3, ubi multo prolixius tractatur. H.

5. *Hoc in Syria cedrium vocatur.* Sensus, qui potest ex his verbis colligi, est, primum illum sudorem aquæ modo fluentem e canali in Syria vocari cedrium, sive ex teda, seu ex quovis ligno. At hoc falsum est, si Dioscoridi fidem habemus, libro I, capite de cedro. Ex cedro namque tantum *cedrium*, aut *cedrinus liquor* dicitur. Aut igitur legendum: « Hoc e cedro cedrium vocatur: » aut additis aliquot verbis: « hoc in Syria e cedro cedrium vocatur. » Nam in Syria præstantissimas esse cedros Theoph. auctor est lib. XI, cap. 5. Pint. — *Hoc in Syria.* Nempe hic primus sudor, *poix vierge*: quod enim primum in omni liquore manat, id præstantissimum. Sic in oleo prima unda preli cæteris anteponitur, lib. XV, cap. 2. Hard. — *Cedrium.* Quoniam Syri ex cedro tantum et terebintho picem urunt: pino, picea, cæterisque resiniferis arboribus carent: teste Theophr. Hist. lib. IX, cap. 3. Hard.

6. *In Ægypto corpora hominum*, etc. Vide lib. XXIV, cap. 5. Varius modus curandi funera apud diversas gentes fuit. Græci, statim ac exspirasset qui obierat, calentis adhuc corporis membra dirigebant. Vide infra lib. XXI, cap. 3, et lib. XXIV, cap. 5; Victorium l. X, c. 20; Muret. Var. l. III, c. 10; Alex. ab Alex. l. III, c. 7, qui copiosissime omnes omnium gentium mores in curandis funeribus tradidit. Dal. — *Ut in Ægypto*, etc. Hæc Plinius ex Herodoto, Euterpe, lib. II, n.

1 XXII. Sequens liquor, crassior jam, picem[1] fundit. Hæc rursus in cortinas æreas conjecta[2], aceto[3] spissatur: et coagulata[4] Brutiæ cognomen[5] accepit: doliis dumtaxat[6], vasisque cæteris utilis, lentore ab alia pice differens[7]: item colore rutilante[8], et quod pinguior est reliqua. Omnia illa[9] fiunt e picea, resina ferventi-

87, pag. 121, adhiberi ad hoa usus prodente, τὸ ἐκ τοῦ κέδρου ἄλειφαρ, quam τὴν κέδριν vocal. Vide et Diod. Sic. Bibl. lib. I, pag. 74, et ante cæteros Galeoum, de Fac. simpl. medic. lib. VII, pag. 187. Mortoorum ita coodita cadavera, *Mumias*, et *Gabbaras* vocaot. Et prior illa qoidem appellatio vulgaris est, de qua alii satis multa. Posterioris memioit Augustinus, Serm. 120 de Diversis, cap. 12: « Ægyptii soli creduot resurreetionem, quia diligenler curaol cadavera mortuorum: morem eoim habeol siccare corpora, el quasi ænea reddere: Gabbaras ea vocaot. » Hard.

XXII. 1. *Picem fundit.* Quæ proprie pix appelletur. Nam primus sudor id nomeo vix obtinet, liquidior. Hæc pix sicca, quæ e liquida pice decoquitur: Ξηρὰ πίσσα Græcis, *poix sèche*. Noonullis παλίμπισσα, quasi pix iterum eocta, teste Diosc. lib. I, cap. 97. In Indice libri hojus locus iste ita signatur: « Quibns modis spissa pix fiat. » Hard.

2. *Rursus in cortinas æreas conjecta.* Palimpissa vocatur Dioscoridi, a πάλιν et πίσσα. Dalec.

3. *Aceto spissatur, et coagulata Brutiæ cognomen accepit.* Archetypum sic Toletanom, « aceto spissatur ol coagolo, et Brotiæ cognomen, etc. » Pint.

4. *Coagulata.* Talis Brutia et Lycia est Dioscor. Dalec.

5. *Brutiæ cognomen.* In Brutiis, Strabooi, oppidum Mamertiom, et silva, quæ optimam picem fert. Dalec.

6. *Doliis dumtaxat*, etc. Pugnat secum Plinios, qoi lib. XXIV, cap. 7, scribil Brutiam medicioæ otilissimam esse. Dal. — *Doliis dumtaxat.* Non item navalibus, ut liquida. Nam alioqui multos babel in medieina usus, uti dicetor lib. XXIV, cap. 23. Hard.

7. *Lentore ab alia pice differens.* Scrib. « Leotore ab alia pice differens: ilem colore rotilante et quod pinguior est reliqua illa omoi. Fil e picea resioa. » Vult e leda picem cogi, quæ pieeæ species est, e picea aotem resioam fieri quod est falsissimom. Salm. — *Lentore.* Hæc enim visci modo lentescit: qua dote alia pix carel, quæ sicca omnino est. Nam Brutia picis ae resioæ dotes in se colligit. Dioscorid. l. c. Hard.

8. *Rutilante.* Dioscorid. ὑπόκιῤῥος καὶ ῥητινώδης, sobrutila et resioosa. Hard.

9. *Omnia illa.* Nempe pix liquida, et gemiuum sieeæ genus. — *Quod pinguior.* Sie restituimus ex

bus[10] cocta lapidibus, in alveis validi roboris : aut si alvei non sint, struis congerie[11], velut in carbonis usu. Hæc in vinum[12] additur, farinæ modo tusa, nigrior colore. Eadem resina si cum aqua[13] levius decoquatur cole- 2
turque, rufo colore lentescit, ac stillatitia vocatur. Seponuntur autem[14] ad id fere vitia resinæ cortexque. Alia

certissima conjectura, et vetustiorum codicum admonitu. Nam in Reg. 1, Colbert. Par. etc. sic totidem plane apicibus syllabisque legitur. Quæ dum Salmas. in Solin. pag. 504, sic emendat, « quod pinguior est reliqua illa omni. Fit e picea resina, » et Plinianum textum interpolat, et alienam a scriptoris mente sententiam, eamque falsissimam, ut ipse confitetur, eidem affingit : a qua quantum is abhorruerit, et ipsa per se oratio, et nostra, ut reor, interpretatio palam facit. Est enim sententia hujus loci picem liquidam, et eam quæ crassior est, spissaque dicitur, et eam quæ Brutia nuncupatur, non e teda modo coqui, quod ante monuerat : sed et ex picea, quanquam diversa ratione, fieri : nempe resina cocta. Quod ipse mox egregie constabilit, cap. seq. dum *aperiri piceam* tradit *e parte solari*, atque *item in teda* fieri. In libris hactenus editis legebatur, « quod pinguior est. E teda omnia illa fiunt. E picea resina. » HARD.

10. *Ferventibus.* Unde hæc frixa resina vocatur φρυκτὴ ῥητίνη, quam esse eamdem cum colophonia quidam putant. HARD.

11. *Struis congerie.* Confertis congestisque lignis, iisdemque luto caminatis quo plane modo fieri carbonem ante dictum est c. 8. Multo hæc fusius Theophr. Hist. lib. IX, cap. 3. HARD.

12. *Hæc in vinum.* Hac resina frixa, vina condiuntur. Plinius, l. XIV, cap. 24 : « Resina condire musta vulgare est Italiæ, provinciisque finitimis. » HARD.

13. *Eadem... si cum aqua levius*, etc. Negligentius, breviori tempore, minore cura. Hunc coctura modum Diosc. non descripsit. DALEC.

14. *Seponuntur autem*, etc. Antequam resina coquatur, liquatam eam prius colare oportet, ut spurcities eximatur ac separetur. Diosc. Lego, « seponuntur ante id fere vitia, etc. » Vide supra lib. XIV, cap. 20. DALEC. — *Seponuntur.* Ad picandum, inquit, condiendumque vinum eligitur vetustior, ac minus laudata, quæ instar corticis et crustæ dura est. Sic MSS. omnes Reg. Colb. Th. Chiffl. etc. Editi, *in id.* Sed et libentius fortassis agnoverit quispiam, *vetus resina.* Nam Columella in hoc ipso argumento versatus, lib. XII, c. 23, cui titulus : De pice qua utuntur Allobroges ad condituram vini picati : « Pix corticata appellatur, inquit, qua utuntur ad condituras Allobroges. Ea sic conficitur, ut dura sit; et quanto facta est vetustior, eo melior in usu est. Nam omni lentore misso facilius in pulverem resolvitur, atque cribratur. Hanc ergo conteri

temperies ad crapulam[15]. Namque flos crudus resinæ, cum multa assula tenui brevique avulsus, conciditur ad cribri minuta[16]; deinde ferventi aqua, donec coquatur,
3 perfunditur. Hujus expressum[17] pingue, præcipua resina fit, atque rara, nec nisi paucis in locis Subalpinæ Italiæ, conveniens medicis. Resinæ albæ congium[18] in duobus aquæ pluviæ coquunt. Alii utilius putant sine aqua coquere lento igne tota die[19], utique vase æris albi. Item terebinthinam in sartagine referventi, hanc cæteris præferentes[20]. Proxima ex lentisco.

ac cribrari oportet, etc. » Hard.

15. *Ad crapulam*. Crapula vini condimentum ex pice, resina, resinæ flore, sic dictum, quod vertigines et capitis dolorem facit, lib. XXIII, c. 1. Florem autem vocat tenuissimam, purissimam, et nitidissimam ejus partem quæ in superficie exstat vulnerati ligni. Dal. — *Ad crapulam*. Ad id faciendum quod crapulam vocant ii qui vina condiunt. Est porro flos crudus resinæ, ut diximus lib. XIV, c. 25, resina ipsa, nuper avulsa arbori, necdum passa cocturam : eadem percocta, quo nunc dicitur modo, crapula nuncupatur. Hæc porro totidem verbis refert Dioscorides, l. I, cap. 93. Pro assuls, de qua lib. XIII, cap. 49, MSS. *astula* legunt; qua de voce dicemus cap. seq. H. — *Assula*. Brot. *astula*. Ed.

16. *Conciditur ad cribri minuta*. Quæ ita minutatim conciditur, ut cribro excerni possit. Flos resinæ crudus cum astula excisus, δᾷς est, quod Plinius non intellexit. Salm. — *Ad cribri minuta*. Ut cribro excerni, sive, ut passim loquitur Theod. Priscianus, *cribellari* possit.

17. *Hujus expressum*. Nempe quum coquitur, ut Plinius ait, lib. XV, c. 7, velleribus super halitum ejus expansis, atque ita expressis. In pice quod est ita expressum, florem picis Scribonius Largus appellat, Compos. xl. Hard.

18. *Resinæ albæ congium*. Resinæ liquidæ Dioscor. qui hoc coctionis genere eximie fieri albam tradit, ὑγρὰν ἐκ κεραμίων. Liquidam Galen. vocat, lib. VI Methodi, et lib. IV de tuenda Valetud. Dal. — *Resinæ albæ*. Quæ ad crapulam parandam imprimis expetitur. Quid congius sit, vide lib. XIV, cap. 19. Quid æs album, lib. XXXIV, c. 20. H.

19. *Tota die*. Triduo et sine intermissione si liquida est: sin arida, unius diei spatio. Dioscor. Dal.

20. *Hanc cæteris præferentes*. Hanc terebinthinam sub. sed non frictam. Cui bonitate secunda lentiscina. Dioscor. Suspicor Plinium φρυκτὴν ῥητίνην Græcorum, id est, igne, non aqua coctam, existimasse in sartagine frigi. Dalec. — *Hanc cæteris præferentes*. Plinius supr. lib. XIV, cap. 25, de pice ac resina : « In Oriente optimam tenuissimamque

XXIII. (XII.) Non omittendum[1] apud eosdem zopis- 1
sam[2] vocari derasam navibus maritimis[3] picem cum[4] cera,
nihil non experiente vita, multo efficaciorem ad omnia,
quibus pices resinæque prosunt, videlicet adjecto salis
callo[5]. Aperitur[6] picea e parte solari[7], non plaga, sed vul- 2
nere[8] ablati corticis, quum plurimum bipedali hiatu, ut a
terra cubito quũm minimum absit[9]. Nec corpori[10] ipsi par-

terebinthi fundunt: deinde lentisci. » Vide et lib. XXIV, c. 22. H.

XXIII. 1. *Non omittendum.* Hæc ex Theoph. Hist. lib. IX, cap. 2 et 3. DALEC.

2. *Zopissam.* Dioscorides, lib. I, cap. 98, iisdem verbis: Ζώπισσαν δὲ οἱ μὲν εἶπον τὴν ἐκ τῶν πλοίων ξυομένην ῥητίνην μετὰ τοῦ κηροῦ, etc. Hanc in linendis navibus cum cera miscebant, unde *ceratæ puppes*, ap. Ovidium aliosque. HARD.

3. *Derasam navibus maritimis.* Vide infra lib. XXIV, cap. 7. DAL.

4. *Cum cera.* Inde ceratæ naves, Ovid. Metamorph. XI: « Jamque labant cunei spoliataque tegmine ceræ Rima patet. » Item de Remed. amoris, 447: « Non satis una tenet ceratas anchora puppes. » Lucianus in dialogo Mercurii et Charontis: Καὶ κηρὸν ὡς ἐπιπλάσαι τοῦ σκαφιδίου τὰ ἀνεῳγότα. Brod. lib. IV, cap. 13. DALEC.

5. *Salis callo.* Duritie quadam a sale sive marina aqua accepta, et adstringendi, siccandique vi. H.

6. *Aperitur*, etc. Ad resinam eliciendam id fit. Theophrast. id ἀφελκοῦν, ulcerare et scalpere dicit, non vulnerare. DALEC. — *Aperitur picea.* Ad eliciendam resinam. Hoc fere caput integrum apud Theophrastum exstat, Hist. Plant. lib. IX, cap. 2. HARD.

7. *E parte solari.* Qua solem aspicit. HARD.

8. *Non plaga, sed vulnere*, etc. Aliud enim plaga, aliud vulnus est. Plaga ἐντομή, ubi cutis laxatur, et scinditur. Vulnus τὸ ἕλκος, quando avellitur, distrahiturque a corpore: est enim ἕλκος ab ἕλκω, *traho.* Hic ergo vulnus est, quum cortex detrahitur, nec tantum incisione dividitur. HARD.

9. *Absit.* Subintellige vulnus, et hiatus. Theophrast. Hist. lib. IX, cap. 2: Λεπίζουσι δὲ τὸ πρὸς ἥλιον μέρος ἐπὶ δύο ἢ τρεῖς πήχεις ἀπὸ τῆς γῆς. HARD.

10. *Nec corpori ipsi parcitur.* Plinius apud Theophrastum, Histor. lib. II, cap. 2, legit, et recte: Ἐν μὲν τῇ πεύκῃ ἀφελκωθείσῃ, ὅταν ἡ δορὰ ἐξαιρεθῇ, etc. In pino quidem quum detracto cortice corpus vulneraverint: in picea et abiete quum lignum delibatum tantum scalpserint. DALEC. — *Nec corpori.* Nec corticem, inquit, solum vellunt, sed in corpus ipsum, seu caudicem arboris securim impingunt: quoniam quæ inde assula effringitur, eximiturque cum cortice, habet magnos usus. HARD.

citur, ut in cæteris[11], quoniam astula[12] in fructu est[13]. Verum hæc terræ proxima laudatur[14]: altior amaritudinem
3 affert[15]. Postea humor[16] omnis e tota confluit in hulcus[17]: item in teda[18]. Quum id manare desiit[19], simili modo ex

11. *Ut in cæteris.* In abiete, pinu, larice, quarum corpori parcitur, ne securis ictu violetur. Theophr. ἐν τῇ ἐλάτῃ, καὶ τῇ πίτυϊ, ubi sui oblitus πίτυος καὶ πεύκης vices dotesque permutat. HARD.

12. *Astula.* Ita MSS. omnes, pro *assula.* Astulas quoque dixit Plinius Valer. l. I, c. 36: « Tedas pingues, inquit, in astulas concides. » Hastulam filicis Celsus pariter dixit, lib. V, c. 26, tit. *Curatio gangrænæ.* Σχίδακας, Dioscorid. lib. II, cap. 83. Festus, *assulas.* « Fomites, inquit, sunt assulæ ex arboribus, dum cæduntur, excussæ. » Nostris, *éclat.* Hinc *assulatim* Plautus in Captivis, act. IV, sc. 2, vers. 51: « Aperite hasce ambas fores, Priusquam pultando vel assulatim foribus exitium affero. » In Mercat. act. I, scen. 2, v. 20: « At etiam adsto? at etiam cesso foribus facere hisce assulas? Aperite aliquis. » HARD.

13. *In fructu est.* Utilitatem habet. HARD.

14. *Verum hæc terræ proxima laudatur.* Theophrast. lib. VIII, c. 2: Οἱ δὲ περὶ τὴν Ἴδην φασὶν, ὅταν λεπίσωσι τὸ στέλεχος... ἐνταῦθα τὴν ἐπιῤῥοὴν γινομένην ἔνδᾳδον ἐνιαυτῷ μάλιστα· τοῦτο δ' ὅταν ἐκπελεκήσωσιν, ἐν ἑτέρῳ πάλιν ἐνδᾳδοῦσθαι· καὶ τὸ τρίτον ὡσαύτως. Τὰ δὲ τοιαῦτα διὰ τὴν ὑποτομὴν ἐκπίπτειν δένδρα ὑπὸ τῶν πνευμάτων, σαπέντα· τοὺς δ' ἐξαίρειν αὐτοῦ τὴν καρδίαν· τουτὸ γὰρ μάλιστα δᾳδῶδες· ἐξαίρειν δὲ ἐκ τῶν ῥιζῶν· καὶ γὰρ ταύτας, ὥσπερ εἴπομεν, ἐνδᾳδεῖς πασῶν μάλιστα, κ. τ. λ. « Idæi ubi arboris caudicem cortice spoliarint, quod parte solari fit, binis aut ternis supra terram cubitis, anno post confluxum succi pinguis et resinosi abundantissimum in plagam fieri arbitrantur (μάλιστα ἔνδᾳδον συῤῥεῖν). Eum vero quum securi detraxerint, secundo rursum anno resinoso succo vulnus expleri, ac tertio pariter. Postea ob eas paulatim factas incisuras arborem extenuatam et putrefactam a ventis humi prosterni, ac ejus medullam extrahi, quæ maxime pinguis tedæ faciendæ idonea est, etc. ». Hunc locum Plinius corrumpit. DAL. — — *Verum hæc.* Astula scilicet, sive assula. HARD.

15. *Amaritudinem affert.* Resinam amariorem facit. HARD.

16. *Postea humor.* Resina quæ ex tota manat arbore, vulnus explet. HARD.

17. *Hulcus.* Hulcus resinosum, ἔνδᾳδον, ut Idæi loquebantur. Theophrast. DALEC.

18. *Item in teda.* Ut e picea, inquit, sic etiam e teda, sexto nempe illo resiniferarum arborum genere, de quo cap. 19, resina exprimitur: ac simili ratione vulnus coit. H.

19. *Quum id manare desiit.* Quum id ascia securive abstulerint, simili modo anno proximo resina iterum manat, ac deinde rursum alio. Posthac ob vulnera succisa arbore ven-

alia parte aperitur, ac deinde alia. Postea tota arbor succiditur, et medulla ejus uritur[20]. Sic et in Syria terebintho[21] detrahunt cortices, ibi quidem et e ramis, ac radicibus, quum resina[22] damnetur ex his partibus. In Macedonia[23] laricem masculam urunt[24], feminæ radices tantum. Theopompus scripsit, in Apolloniatarum agro picem fossilem[25], non deteriorem Macedonica, inveniri. Pix optima[26] ubique ex apricis, Aquilonis situ. Ex opacis 4

tis facile, putrefacta, dejicitur, ac tum medulla et trunci, et radicum, quæ maxime resinosa est, eximitur ad tedam. Theophrast. Dalec. — *Quum id.* Ita libri omnes: subintellige, vulnus, seu hulcus. Hard.

20. *Medulla ejus uritur.* Teda ex ea facta candelarum vice. Dalec.— *Medulla ejus.* Quam arboris cor vocant. Hæc pars faciendis tedis ob pinguedinem aptissima: ideoque tum uritur. Theophrastus, loco citato. Hard.

21. *In Syria terebintho*, etc. Theophrastus ait Syrios vulnerare terebinthorum ramos et caudicem, ad eliciendam resinam, meliorem tamen et largiorem confluere in caudicem, quam iu ramos, ἀεὶ δὲ πλείων καὶ βελτίων ἡ εἰς τὸ στέλεχος συῤῥέουσα, τῆς εἰς τοὺς ἀκρέμονας.

22. *Quum resina.* Quum in Europæ tractu, inquit, resina omnis damnetur, quæ ex piceæ, laricis, abietisque ramis ac radicibus elicitur: in Syria contra laudatur, quæ ex iisdem terebinthi partibus manat. Hic Dalecamp. ut sæpe alias, cespitavit. Hard.

23. *In Macedonia.* Macedones, inquit, ad exprimendam picem e larice, masculam quidem urunt totam; feminæ radices tantum: hac enim maxime parte resinosa est: Οἵ γε περὶ Μακεδονίαν, οὐδὲ τὴν πεύκην πιττοκαυτοῦσιν, πλὴν ἀλλὰ ἢ τὴν ἄῤῥενα· τῆς δὲ θηλείας, ἐάν τινας τῶν ῥιζῶν λάβωσιν· ἅπασα γὰρ ἔνδαδος πεύκη ταῖς ῥίζαις, e Theophr. H.

24. *Laricem masculam urunt.* Ad picem conficiendam Theophrast. Id quomodo fiat, intelligi non posse, tamquam oblitus sui Plinius tradit lib. XXIII, cap. 7. Dalec.

25. *Picem fossilem.* Ea Pissasphaltum est, ita appellavit Theopomp. nomine e vulgo sumpto. Nasci id in Apolloniatarum agro circa Epidaurium, ait Dioscorides. Dalec. — *Picem.* Πισσάσφαλτον intellexit, cui nomen ex cognatione picis ac bituminis, ut dicemus lib. XXXV, cap. 51, de eo prolixius ibi disputaturi. Picis fodinæ *picariæ* appellatæ, de quibus Cicero in Bruto, num. 85: « Liberi societatis ejus, quæ picarias de P. Cornelio et L. Mummio Censoribus redemisset. » Et Ulpianus, Digest. lib. L, tit. de verborum Signif. « Inter publica: Vectigal salinarum, metallorum, et picariarum. » Hard.

26. *Pix optima.* Optima, inquit, quam aprica loca, et Aquiloni ostenta præbent. Hæc iisdem verbis Theophr. l. c. Hard.

horridior, virusque præferens. Frigida hieme[27], deterior, ac minus copiosa, et decolor. Quidam arbitrantur[28] in montuosis copia præstantiorem ac colore, et dulciorem fieri, odorem quoque gratiorem[29], dum resina sit[30]: decoctam[31] autem minus picis reddere, quoniam in serum[32] abeat: tenuioresque esse ipsas arbores[33], quam in planis: sed has et illas serenitate steriliores. Fructum[34] quædam proximo anno ab incisu largiuntur, aliæ secundo, quædam tertio. Expletur autem plaga resina, non cortice, nec cicatrice,
5 quæ in hac arbore non coit. Inter hæc genera proprium quidam fecere sappium[35], quoniam ex cognatione[36] earum seritur, qualis dicta est in nucleis[37]; ejusque arboris imas partes tedas vocant: quum sit illa arbor nil aliud, quam

27. *Frigida hieme.* Ὅταν ἰσχυρὸς χειμὼν, Theophrast. Hard.

28. *Quidam arbitrantur.* Theophrastus, Hist. lib. IX, cap. 2, et lib. III, cap. 12. Dalec.

29. *Odorem quoque gratiarem.* Sinceriorem, εἰλικρινεστέραν, Theophrast. Plinius legit, εὐωδεστέραν. Dalec.

30. *Dum resina sit.* De pice cruda id Theophr. non de resina. Dal. — *Dum resina sit.* Ante nimirum, quam in picem coquatur, eo quo dictum est modo, cap. 22, his verbis: «Omnia illa fiunt e picea, resina cocta.» Hunc locum Dalec. ut intelligeret, corrupit. Hard.

31. *Decoctum.* Seu frixam, ut diximus cap. 22. Hæc Theophrast. totidem verbis, tum Hist. lib. III, cap. 10, tum lib. IX, cap. 2. H.

32. *In serum abeat.* Ut lac, serescit. Hard.

33. *Tenuioresque esse ipsas arbores.* Tenuiorem esse resinam ex Idæa pino Theophrast. ait, crassiorem ex maritima, non autem tenuiores esse arbores. Præterea ex pari teda pluvio cælo largiorem, et serosiorem picem fieri, quam sicco: et ex gelidis ac opacis locis, quam ex tepentibus et apricis. Dalec. — *Tenuiaresque.* Aliunde certe hæc Plinius, quam ex Theophrasto, qui tenuiorem resinam fore, non arborem, dixit. Nec tamen abludit a veritate, quod de ipsis nunc arboribus proditur. Hard.

34. *Fructum.* Resinosum et pinguem confluxum. Theophrast. Hist. lib. IX, cap. 2. Ed.

35. *Sappium.* Ita MSS. R. Colb. Thuan. Glossæ: *Sappinus* : πεύκη. Et *Sapinus*, πίτυς. Hard.

36. *Ex cognatione.* Ex cognatarum arborum semine, ut piceæ, pinus laricisque. Hard.

37. *In nucleis.* Lib. XV, cap. 9, ubi de nucibus pineis, nucleisque dictum est: ubi sappiniæ nucis mentio, nempe e sappio arbore, et e sativa picea. Hard.

picea, feritatis paulum mitigatæ satu : sapinus[38] autem materies cæsarum e genere sit, sicuti docebimus.

XXIV. (XIII.) Materiæ enim causa reliquas arbores natura genuit, copiosissimamque fraxinum. Procera hæc ac teres : pinnata et ipsa folio[1] : multumque Homeri præconio, et Achillis hasta[2] nobilitata. Materies est ad plurima[3] utilis. Ea quidem, quæ fit in Ida Troadis, in tantum cedro similis[4], ut ementes fallat, cortice[5] ablato.

38. *Sapinus autem.* Sapinus, inquit, non arboris nomen est ; sed materiei, e parte nimirum inferiore cæsæ jam abietis, et decorticatæ : sicuti docebimus, c. 76 libri hujus. Quem Plinius nunc signat locum, is nimirum est e c. 76 libri hujus : « Abietis, inquit, quæ pars a terra fuit, enodis est : hæc fluviata decorticatur ; atque ita sapinus vocatur. » Quo quum respexisse Plinium minime ambiguum sit, miror id fugisse Salmasium : tantumque deinde indulsisse eum conjecturæ suæ, ut legendum hoc loco pronunciarit, « Sapinus autem materies cæsa regenerefiat, » in Solin. pag. 903, quæ nec latina sunt, et a scriptoris mente abhorrent. H.

XXIV. 1. *Pinnata et ipsa folio.* Taxum similem esse τῇ ἐλάτῃ Theophrastus ait, Hist. lib. III, c. 10, atque idem eodem capite tradit abietis folium πτέρυγας ἔχειν, pinnatum esse : quod movit Plinium, ut fraxini folium, quam milum esse putavit, pinnatum esse traderet. Legit nimirum loco τῆς μίλου apud Theophrastum τῆς μελίας. Dalec. — *Pinnata et ipsa.* Sicuti de abiete diximus cap. 19. Fraxinus, *le frêne.* H. — *Fraxinus excelsior* (*Diæc. triand.* gen. 2181, Pers. *Jasmin.* Juss.). Multæ recensentur varietates. Ed.

2. *Achillis hasta.* Apud Homer. Iliad. Υ, v. 277, Πηλίας ἧιξεν μελίη. Hinc apud Ovidium, Metamorph. lib. X, v. 93 : « Et fraxinus utilis hastis. » Hodieque oblongiores hastæ, *les piques*, ex majore fraxino, βουμελίᾳ, et ex corno fiunt. H.

3. *Ad plurima.* Vitruv. II, 9. Ed.

4. *Cedro similis.* Gronov. et al. *citro.* Ed. — *Citro similis.* Materiæ e qua fiunt citreæ mensæ pretiosissimæ et pulcherrimæ. Dal. — *Cedro similis.* Id vero Theophrast. non de fraxino, seu μελία, sed de taxo, quæ μῖλος, refert. — *Ea quidem.* *Cedro* pro *citro* rescripsimus, tum vetustiorum codicum Reg. 1, 2, Colbert. Thuan. etc. tum ipsius Theophrasti admonitu : etsi ea de fraxino, quæ μελία Græcis, nunc commemorat, nominum similitudine forte delusus, quæ ille de taxo, seu μίλῳ. Sunt enim hæc græci scriptoris verba, Histor. lib. III, cap. 10 : Ἡ δὲ μῖλος ἐκ τῆς Ἴδης, ξανθὸν σφόδρα (ξύλον ἔχει) καὶ ὅμοιον τῇ κέδρῳ · διὸ καὶ τοὺς πωλοῦντάς φασιν ἐξαπατᾷν, ὡς κέδρον πωλοῦντας· πᾶν γὰρ εἶναι καρδίαν, ὅταν ὁ φλοιὸς περιαιρεθῇ. Sed habet etiam fortassis hanc cum cedro cognationem Idæa fraxinus, quam ab aliis auctoribus acceptam nunc prodit. Hard.

5. *Cortice ablato.* De taxo id

Græci duo genera ejus fecere[6]: longam, enodem: alteram brevem, duriorem, fuscioremque[7], laureis foliis. Bumeliam[8] vocant in Macedonia amplissimam, lentissimamque[9]. Alii situ divisere. Campestrem enim esse crispam[10], montanam spissam. Folia earum jumentis mortifera[11], cæteris
2 ruminantium innocua, Græci prodidere[12]. In Italia[13], nec jumentis nocent. Contra serpentes[14] vero succo expresso ad potum, et imposita hulceribus, opifera, ac nihil æque, reperiuntur. Tantaque est vis[15], ut ne matutinas quidem, occidentesve umbras quamvis sint longissimæ, serpens

Theophr. quæ nobis *Tax. baccata.*

6. *Græci duo genera ejus fecere.* Theophr. totidem verbis, Hist. lib. III, cap. 11. Hard.

7. *Fuscioremque.* Ita libri omnes: at Theophrast. *flaviorem*, ξανθοτέρα. Forte Itali cæli solive natura mutatus colos. Hard.

8. *Bumeliam.* Βουμελίαν, quam *fraxinum bubulam* vertit Gaza. Forte, quod fraxini folia ad boum pabulum reponuntur, ita prodente Columella, lib. VI, cap. 3. Ego vero *fraxinum magnam* libentius dixerim: quod in compositionibus præfixa nomini ea vocula βου, significatum ejus vocis auget, ut in βουσέλινον. H.

9. *Lentissimamque.* Teneram ac flexibilem. Ut *lenta salix* Virgilio dicitur. Hard.

10. *Campestrem enim esse crispam.* Theoph. Histor. lib. III, cap. 17.

11. *Jumentis mortifera.* Id quoque de taxo Theophrastus. Dalec.

12. *Græci prodidere.* Quorum in libris vereor ne μελίαν iterum pro μίλῳ, hoc est, pro taxo fraxinum legerit. De vi taxi venenata diximus, cap. 20. Hard.

13. *In Italia.* Etiam boum pabulo, ut diximus, fraxineæ frondes, cum ulmeis, populeisque autumno reponuntur. Hard.

14. *Contra serpentes.* Dioscorid. lib. I, cap. 108, περὶ μελίας, *de fraxino:* Τῶν φύλλων ὁ χυλὸς, καὶ αὐτὰ σὺν οἴνῳ πινόμενα, καὶ καταπλασσόμενα, ἐχιοδήκτοις βοηθεῖ. « Foliorum succus, et folia ipsa e vino pota, atque etiam imposita, viperarum morsibus opitulantur. » Th. Priscianus, lib. I, c. 22, de apum percussibus, vel scorpionum, cæterorumque serpentum: « Et fraxini folia cum vino trita, bibenti dantur. » Hard.

15. *Tantaque est vis, ut ne matutinas quidem occidentesve umbras quam sunt longissimæ, serpens arboris ejus attingat.* Verba temere et inordinate posita: videntur enim hoc modo esse legenda, « Tantaque est vis, ut ne matutinas quidem occidentesve umbras arboris ejus, quum sunt longissimæ, serpens attingat. » Pint. — *Tantaque.* Simile est quod de σμίλῳ Callimachus affert apud Ælianum, Hist. Anim. lib. IX, cap. 27, ut μίλον rursum pro μελίᾳ accepisse Plinius videri possit, hoc est, taxum cum fraxino confudisse. Hard.

arboris ejus attingat, adeo ipsam procul fugiat. Experti prodimus[16]: si fronde ea gyroque claudatur ignis et serpens, in ignes potius, quam in fraxinum fugere serpentem. Mira naturæ benignitas, prius quam hæ prodeant, florere fraxinum, nec ante conditas folia dimittere.

XXV. (xiv.) In tilia[1] mas et femina differunt omni modo[2]. Namque et materies mari dura, rufiorque[3] ac nodosa, et odoratior; cortex[4] quoque crassior, ac detractus inflexibilis. Nec semen fert, aut florem, ut femina[5], quæ crassior arbore, materie candida præcellensque est. Mirum[6] in hac arbore, fructum a nullo animalium attingi; foliorum[7] corticisque succum esse dulcem. Inter corticem ac lignum tenues tunicæ multiplici[8] membrana, e quibus vincula, tiliæ vocantur: tenuissimæ earum philyræ[9], coronarum lemniscis[10] celebres, antiquorum honore.

16. *Experti prodimus*. Plane aliter se rem habere, experiundo sibi compertum Charasius contestatur, lib. de Viperis, pag. 115, viperam a se nimirum fronde fraxinea circumclusam, staintamque in medio, statim ad eam frondium struem insiluisse, ac sub eas abdidisse se. Alia forte vis est fraxineæ frondi ingenita in Italo solo, cæloque, quam sit in nostro. De Vettonica Plinius idem tradit, lib. XXV, c. 55. Hard.

XXV. 1. *In tilia*. Theophr. Hist. lib. III, cap. 10. Nostris *tilleul*, et *tillau*. Græcis φίλυρα. H. — *Tilia Europæa* (*Polyand. monogyn.* gen. 1270, Pers. *Tiliac.* Juss.). Variat foliis parvis aut magnis. Ed.

2. *Differunt omni modo*. Tota figura, ligni specie, fecunditate, Theophrast. Histor. lib. III, cap. 16. Dalec.

3. *Rufiorque*. Theophrast. ξανθὴ, quæ vox interdum rubrum ex flavo sonat. Et mox: Ἔτι δὲ εὐωδέστερον τοῦ τῆς θηλείας τὸ ξύλον τοῦ ἄῤῥενος.

4. *Cortex*. Theophrastus, loco citato. Hard.

5. *Ut femina*. Quæ florem et fructum edit. Theophr. loc. cit. H.

6. *Mirum*. Theophrast. Histor. Plant. lib. I, cap. 20: Ὁ δὲ καρπὸς οὐδενὶ βρωτός. Hard.

7. *Foliorum*, etc. Theoph. Hist. lib. III, cap. 10: Τὸ δὲ φύλλον, καὶ ὁ φλοιὸς, ἡδέα, καὶ γλυκέα. Hard.

8. *Multiplici membrana*. Idem, Hist. lib. III, cap. 21. Dal.

9. *Philyræ*. Vide Politianum, Miscell. cap. 27. Dalec. — *Philyræ*. Vetus Horatii interpres, in Oden ult. lib. I, *Philyra est cortex*, nempe tenuissimus, *tiliæ arboris*. Hard.

10. *Lemniscis*. Vide Turn. Adv. lib. XVIII, cap. 3, pag. 536, et quæ dicturi sumus inf. lib. XXI, cap. 4. Hard.

Materies teredinem non sentit, proceritate perquam modica, verum utilis.

1 XXVI. (xv.) Acer[1] ejusdem fere amplitudinis, operum elegantia ac subtilitate citro secundum[2]. Plura ejus genera. Album[3] quod præcipui candoris, vocatur Gallicum in Transpadana Italia, transque Alpes nascens. Alterum genus[4] crispo macularum discursu: qui quum excellentior

XXVI. 1. *Acer.* Apud Theophr. Stagiritis, Sphendamnos: acer est nervosum, et album, vulgo *bois blanc*, vel *plane*. Zygias, acer flavum et crispum: Clinotrochos flavum et non crispum: Olympicia vero Zygias montanum est, Sphendamnos et montanum, et campestre: ac montanum quidem flavum, pulchrum, solidum, crispum: campestre, quod et glinon vocant, laxum, candidum, minus crispum. In hoc quoque genere marem a femina distinguunt, quod mas in planis potius nascatur, germinet citius, ligno sit crispiore et contorto. Campestria, e quibus Rnmpotinum fit, Opulos Colnmella vocat, Insubres nunc *Opuli*, quod alibi monnimus. Dalec. — *Acer.* In Indice, *aceris genera decem* spondet auctor: nunc fidem datam præstat. Primum enim est Album, sen Gallicnm; secundum, Pavonaceum; tertium, Crassivenium. Deinde genera bina, ex Græcorum campestri ac montano. Quæ genera quinque, si in marem ac feminam singula dividas, decem omnino efficient. De acere mare Plinius cap. seq. De campestri sexus utriusque, Theophrast. Hist. lib. III, cap. 11. De montano item duplice, Plinius ipse plane modo. Græcis σφένδαμνος dicitur, nostris *érable*. H. — *Acer pseudo-platanus* (*Octand. monog.* gen. 951, Pers. *Acer.* Juss.). Ed.

2. *Citro secundum.* Atlanticæ arbori, de qua diximus lib. XXIII, c. 29. *Citro*, non *cedro*, ut in libris hactenus editis legebatur, præter Parm. edit. quæ vetustiorum codicum fidem sequuta, *citro* habet: quemadmodum et Reg. Colb. Th. Chifflet. etc. Martialis certe, lib. XIV, ep. xc, cui lemma præfigitur: « Mensa acerna, » acerem cum citro confert: « Non sum crispa quidem, nec silvæ filia Mauræ: Sed norunt lautas et mea ligna dapes. » Et Plinius ipse, cap. seq. de acere: « Si magnitudinem mensarum caperet: haud dubie præferretur citro. » Sic enim exemplaria omnia, R. Colb. Chifflet. Th. tum edita typis, tum manu exarata præferunt: etsi Turnebus Adv. lib. IV, cap. 16, pag. 118, *cedro* reponit. Hard.

3. *Album.* Est acer majus Valerii Cordi, de Hist. Plant. lib. III, c. 5. Nostris *sycomore*, et quibusdam *plane*, a similitudine platani: et *bois blanc*. Hard.

4. *Alterum genus.* Perperam corrigunt, « quod quum excellentius fuit: » nec enim ad aceris genus id referri debet, sed ad venarum discursum, qui quum excellentior in illo aceris genere reperitur, pavonum caudæ oculos imitatur, et

fuit, a similitudine caudæ pavonum[5] nomen accepit, in Istria, Rhætiaque præcipuum. E viliore genere, crassivenium[6] vocatur. Græci situ discernunt. Campestre[7] enim candidum esse, nec crispum, quod glinon[8] vocant : montanum[9] vero crispius, duriusque : etiamnum e[10] mascula crispius ad lautiora opera. Tertium genus zygiam[11], rubentem[12], fissili ligno, cortice livido, et scabro. Hoc alii generis proprii esse malunt, et latine carpinum appellant.

XXVII. (xvi.) Pulcherrimum vero est bruscum, mul- 1
toque excellentius etiamnum molluscum[1]. Tuber utrumque

inde nomen habet. Salmas. — *Alterum. Érable madré.* Dalecampio, Hist. Plant. lib. I, cap. 28, opulus montana dicitur. Ovid. Metam. X, vers. 95 ; « Acerque coloribus impar. » Hard.

5. *Pavonum.* Ut acer pavonaceum nuncuparetur. Sic et de citri maculis, lib. XIII, cap. 19 : « Sunt, inquit, et undatim crispæ : majore gratia, si pavonum caudæ oculos imitentur. » Hard.

6. *Crassivenium.* Ob crassiorem ac rudiorem venarum macularumque discursum. Idem a Theophr. loc. cit. κλινότροχον vocatur, seu quod lecti ex eo fierent torno currente, seu quod rotulæ ex eo tornarentur, subjectæ pedibus lectorum. Hard.

7. *Campestre enim*, etc. Sphendamni genus. Dalec.

8. *Quod glinon.* Γλῖνον Theophr. Hist. lib. III, c. 11 ; γλεῖνον eidem, cap. 4. Forte vilius acer vox ea sonat : nam Suidæ γλίνη, ῥύπος, *sordes.* Hard.

9. *Montanum.* Sphendamni genus alterum. Dal. — *Acer campestre, opalus, Creticumve* h. l. designat. Ed.

10. *E mascula.* Hodie quoque lignatores Sequani, inquit Dalec. loco citato, acer montanum mare feminaque distinguunt : colore magis flavo in mare, pallidiore in femina : ligno in mare duriore, venosiore, magisque crispo : in femina laxiore, molliore, solutioreque, ac minus crispo. Et mas quidem prius floret, quod Plinius quoque agnovit, cap. seq. femina tardius. Hard.

11. *Zygiam.* Ζυγία Theophrast. Hist. lib. III, cap. 11. Carpinum recte Gaza vertit. Vitruvius, l. II, cap. 9, pag. 34 : « Item Carpinus... habet utilissimam tractabilitatem. Itaque Græci quod ex ea materia juga jumentis comparant, quod apud eos juga ζυγὰ vocitentur, item et eam ζυγίαν appellant. » Gallis, *charme.* Gallia igni potius quam lautis operibus dicat. H. — *Carpinus Betulus* (*Monæc. Polyand.* gen. 2106, Pers. *Amentac.* Juss.). Ed.

12. *Rubentem.* Flavum, fissili ligno, platani modo, cortice paulo asperiore quam tiliæ, sublivido, crasso, Theophrast. Dalec.

XXVII. 1. *Molluscum.* Lignarii montis Juræ abietum et picearum candidissimos truncos, recto vena-

arboris ejus[2] : bruscum intortius crispum : molluscum simplicius[3] sparsum. Et si[4] magnitudinem mensarum caperet, haud dubie præferretur citro. Nunc intra pugillares, lectorumque silicios[5], aut laminas, raro usu spectatur. E brusco fiunt et mensæ nigrescentes. Reperitur et in alno tuber[6] : tanto deterius, quanto ab acere alnus ipsa distat. Aceris mares prius florent. Etiamnum in siccis natæ præferuntur aquaticis, sicut et fraxini. Est et trans Alpes arbor, simillima aceri albo materia, quæ vocatur staphylodendron[7]. Fert siliquas, et in iis nucleos, sapore nucis avellanæ.

rum discursu nec nodis interruptos ad opera faciles, adhuc vocant hodie *louchon* et *ouchon*, Theophrast. vero λευσσὸν, servata vetusta dictione. Dalec.

2. *Arboris ejus.* Nempe aceris. H.

3. *Simplicius.* Recto ac simplice, non crispo aut contorto, venarum macularumque discursu, nec nodis interrupto. Hard.

4. *Et si.* Si mensarum ex eo tubere tanti orbes, quanti ex citro forent; haud dubie citro præferretur id aceris tuber. De magnitudine mensarum citrearum dictum est lib. XIII, c. 29. De acerna mensa Martial. lib. XIV, ep. xc. Utræque ex arboris suæ tubere factæ. H.

5. *Lectorumque silicios.* Porrectos inter eminentes sculpturas tabellarum velut abacos. Sed locus citra controversiam corruptus. Lego, « Lectorumque silaceas laminas : » scilicet luteas, flavas, qualis est aceris color : qua voce usus est Vitruvius, l. VII, c. 5. Alii legunt, « Lectorumque scilicia aut laminas : » id est, secamenta, a *siciliendo*, id est, secando, quamvis rei rusticæ scriptores peculiari significatione *sicilire* dicant secare, quæ fœniseces prætermiserunt. Apud Catonem *sicilimentum* pro fœno secto legitur. Dal. — *Lectorumque silicios.* Lege : *Lectorumque solidos.* Loquitur de brusco et mollusco quæ et sunt aceris tubera. Salm. — *Silicios.* Ita libri omnes, etiam scripti, et quos terimus, et quos Salmasius vidit, ipso prodente, in Solinum. Sed latet adhuc ejus vocis significatus, nisi forte pro operimento laminæ lectis mensisve addito, accipi quis velit. Quod indicare Plinius videtur, quum subjicit statim, *aut laminas.* Sunt qui *silaceas laminas* hic legant, hoc est, silis colore tinctas, qua voce Plinius iterum abutitur, lib. XXXV, cap. 32. H.

6. *Reperitur et in alno tuber.* Colore rubro, et macularum varietate, linearumque procursu excellens. Reperitur et in populo, et in ulmo. Dalec. — *Alnus glutinosa* (*Monœc. tetrand.* gen. 2046, Pers. *Ament. Juss.*). Ed.

7. *Staphylodendron.* Pistaciam silvestrem alii vocant : Galli, *nez*

XXVIII. In primis vero materies honorata buxo est, raro crispanti, nec nisi radice[1]: cætero lenis quies[2] materiæ, silentio quodam, et duritie, ac pallore commendabilis: in ipsa vero[3] arbore topiario opere. Tria ejus genera: Gallicum, quod in metas[4] emittitur, amplitudinemque proceriorem. Oleastrum[5] in omni usu damnatum, gravem præfert odorem. Tertium genus nostrates vocant silvestre, ut credo, mitigatum satu: diffusius, et densitate parietum; virens semper, ac tonsile[6]. Buxus Pyrenæis[7], ac 1 2

coupés. Vidimus in horto Regio. H. — *Staphylea pinnata* (*Pentand. trig.* gen. 731, Pers. *Rhamn.* Juss.). Ed.

XXVIII. 1. *Nec nisi radice*. Germani ex Gallia Narbonensi, locis Hispaniæ finitimis, et præcipue montibus Pyrenæis, circa oppidum dictum *Limons* haud procul Carcassona, radicum buxi magnam copiam emunt, ob maculas varias, variosque et fluxosos linearum discursus ad opera lautiora expetitarum, quas servato prisco vocabulo adhuc vocant *brouchin* et *brouchon*. Ex iis cochlearia pretiosa et cultellorum manubria faciunt, qui in monte Jura oppidum incolunt Divi Claudii nomine celebre. Dalec.

2. *Lenis quies*. Materiei perpetuus lævor, qui et sit enodis, et crispo venarum discursu careat. Et quietem et silentium dici μεταφορικῶς hoc loco palam est. Hard. — *Buxus sempervirens* (*Monœc. tetrand.* gen. 2053, Pers. *Euph.* Juss.). Ed.

3. *In ipsa vero*. In arbore, inquit, ipsa, commendabilis maxime quies et patientia topiarii operis exhibendi, natura buxi tonsili. H.

4. *In metas*. In conum, et acuminatum arborem crescens. Herbarii buxum arborescentem vocant.

5. *Oleastrum*. Oleastrum, nisi mendosus locus sit, id buxi genus vocant, quod oleastri modo semper humile sit, ac vix umquam in arbusculæ magnitudinem assurgat: et quod reliquis generibus folium minus habet, quemadmodum oleastri folia, si cum olea conferas, breviora et angustiora sunt. Ego equidem prorsus deceptum fuisse Plinium, aut libertum ejus scribam puto, et quum apud græcum auctorem legisset secundum buxi genus ἄγριον ὅλον εἶναι, omnino silvestre et agreste esse, nec utile materia, ut primum genus, nec vestiendis parietibus idoneum ut tertium, immo etiam abominandum fœtore et gravitate odoris, incaute legisse ἀγριέλαιον εἶναι oleastrum esse. Dalec.

6. *Ac tonsile*. Et *tonsile buxetum* Martiali est, l. III, ep. lviii. Tam densum illud, ut in hortis parietum vicem obtineat. Hard.

7. *Buxus Pyrenæis*. Et Cyrene quoque, ἐν Κυρήνῃ, inquit Theophr. Hist. lib. III, cap. 15, quam vocem cum Πυρήνῃ permutasse incaute Plinium, quidam falso putant. De Cytoro Virgil. Georg. lib. II, v. 437: « Et juvat undantem

Cytoriis montibus plurima, et Berecyntio tractu : crassissima in Corsica, flore non spernendo[8] : quæ causa[9] amaritudinis mellis. Semen illius[10] cunctis animantibus invisum. Hæc in Olympo[11] Macedoniæ gracilior, sed brevis. Amat[12] frigida, aprica. In igne quoque duritia, quæ ferro ; nec flamma, nec carbone utilis.

1 XXIX. (XVII.) Inter has[1] atque frugiferas, materie vitiumque amicitia, accipitur ulmus. Græci duo[2] ejus genera novere : montuosam[3], quæ sit amplior : campestrem, quæ fruticosa[4]. Italia Atinias vocat excelsissimas[5], et ex iis siccanas præfert, quæ non sint riguæ. Alterum[6] genus Gallicas. Tertium nostrates, densiore folio, et ab eodem pediculo numerosiore. Quartum silvestre. Atiniæ[7] non fe-

buxo spectare Cytorum. » Nos de Berecynthio tractu, l.V, c. 29. H.

8. *Non spernendo*. Ob elegantem speciem, et jucundum colorem, ab apibus adeo non spernitur, ut ultro etiam appetatur. Hard.

9. *Quæ causa*. Theophr. Hist. lib. III, cap. 15 : Διὸ καὶ τὸ μέλι οὐχ ἡδὺ, ὄζον τῆς πύξου. Hard.

10. *Semen illius*. Carthegon vocat lib. hujus cap. 30. Dalec.

11. *Hæc in Olympo*. Theophrast. l. c. Hard.

12. *Amat*. Theophr. l. c. Φύεται δ' ἐν τοῖς ψυχροῖς τόποις καὶ τραχέσι. « Nascitur locis frigidis, asperisque. » Hard.

XXIX. 1. *Inter has*. Inter silvestres ac frugiferas. Inter silvestres quidem, bonitate materiæ : inter frugiferas, affinitate vitium : hæ enim maritantur ulmis, quæ uvas, racemos, palmitesque sustinent, ac veluti partus suos ostentant. Ulmus, *l'orme*. H. — *Ulmus campestris* (*Pentand. digyn.* gen. 652, Pers. *Amentac.* Juss.). Ed.

2. *Græci duo*. Theophr. Hist. lib. III, cap. 14. Hard.

3. *Montuosam*. Theophr. Ὀρειπτελέα εὐαυξέστερος. Pingitur a Dodonæo, Pemptad. 6, lib. IV, cap. 15, pag. 825. Hard.

4. *Fruticosa*. Ramis pluribus opaca, sed exiguis et brevibus. Dalec. — *Fruticosa*. Frutici similis, θαμνωδέστερος. Iconem habet Lobelius in Obss. pag. 607. H.

5. *Italia . . . excelsissimas*. Nempe montuosas, quæ sunt, uti dictum est, ampliores. Siccanæ sunt, in siccis natæ. Sic Columellæ, lib. II, cap. 17. « Prati duo genera : alterum siccaneum, alterum riguum. » Hard.

6. *Alterum*. Gallicum genus ab Atinia, Columella non secernit : « Ulmorum, inquit, duo esse genera convenit : Gallicum, et vernaculum. Illud Atinia, hoc nostras dicitur. » Lib. V, cap. 6, pag. 183. Hard.

7. *Atiniæ non ferunt*. Columellæ ferunt quidem, sed rariorem. Dal.

runt samaram[8] : ita vocatur ulmi semen : omnesque radicum plantis[9] proveniunt : reliquæ semine[10].

XXX. (XVIII.) Nunc celeberrimis arborum dictis, quædam in universum de cunctis indicanda sunt. Montes amant cedrus[1], larix, teda, et cæteræ, e quibus resina gignitur. Item aquifolia[2], buxus, ilex, juniperus, terebinthus, populus[3], ornus[4], cornus, carpinus. Est et in Apennino frutex, qui vocatur cotinus[5], ad lina- 1

8. *Samaram.* Columella, l. c. pag. 184. « Atiniam ulmum, inquit, Tremellius Scrofa non ferre sameram, quod est semen ejus arboris, falso est opinatus : nam rariorem sine dubio creat, et idcirco plerisque sterilis videtur, seminibus inter frondem, quam prima germinatione edit, latentibus. » At enimvero samaram Plinius vocat, non minutum illud semen quod sub foliis latitat, sed majores baccas, quales in ulmo campestri Lobelii delineatæ apparent : quod hæ solæ in satione utiles. Hard.

9. *Radicum plantis.* Hoc est, plantis cum radice ex ulmario vulsis: ut dicemus lib. XVII, c. 9 et 15. Columella, l. c. « Nemo jam serit ex samera, sed ex sobolibus. » H.

10. *Reliquæ semine.* Sive samara, quam reliqua, præter Atiniam, genera creant. De his enim Plinius, lib. XVII, cap. 15 : « Ulmorum, priusquam folio vestiantur, samara colligenda est circa martias kalendas, quum flavescere incipit. » H.

XXX. 1. *Montes amant cedrus.* Theophrast. Hist. lib. II, cap. 7; lib. III, cap. 4; lib. IV, cap. 1. Dal.

2. *Item aquifolia.* Ἀγρία h. l. Theophrasto nuncupatur. H. — *Ilex aquifolium* (*Tetrand. tetrag.* gen. 339, Pers. *Rhamn.* Juss.) Ed.

3. *Populus.* In planis hæc magis nascitur. Dalec. — At Theophr. Hist. lib. III, cap. 1, populum utramque, albam et nigram, lucos et aquas desiderare ait. Notum quoque Virgilii carmen, Ecl. VII, v. 65 : « Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis, Populus in fluviis, abies in montibus altis. » H.

4. *Ornus.* Virgil. Georg. lib. II, v. 111 : « Steriles saxosis montibus orni. » Ornus ea esse arbos existimatur, quæ silvestris fraxinus Columellæ, *frêne sauvage.* Sed a βουμελίᾳ Macedonica discrepat. H. — *Fraxinus ornus L.* (*Ornus Europæa.* Pers. *Diand. monog.* gen. 38; *Jasmin.* Juss.) Ed.

5. *Cotinus.* Coccygiam supra vocavit, lib. XIII, cap. 22. Hanc esse putant, quod Scytharion, tamquam Scythicum lignum, Græci vocaverunt : « alii Thapsum, alii Chrysoxylon, flavo melinove colore, et lanas tingens, et capillum. Rhod. lib. XVIII, cap. 24. Apud Cratinum Hipponicus σκυθικὸς, id est, πυῤῥὸς vocatur. Interpres Theocriti ait eo ligno ἔρια βαπτόμενα, μῆλια ποιεῖσθαι, τρίχας ξανθίζεσθαι, Asclepiademque id vocare, φυτὸν χλωρὸν, καὶ βάπτεσθαι ἐκ τούτου τὰ κροκοειδῆ. Paulus Æginet. lib. III, cap. 2, θάψον rubiam exponit,

menta[6] modo conchylii colore insignis. Montes et valles
2 diligit abies[7], robur, castaneæ, tilia, ilex, cornus. Aquosis montibus gaudent acer, fraxinus, sorbus, tilia, cerasus[8]. Non temere in montibus visæ sunt prunus, Punicæ, oleastri, juglans, morus, sambuci. Descendunt[9] et in plana, cornus, corylus, quercus, ornus, acer, fraxinus, fagus, carpinus. Subeunt et in montuosa, ulmus, malus, pirus, laurus, myrtus[10], sanguinei frutices[11], ilex, tin-
3 gendisque[12] vestibus nascentes genistæ. Gaudet frigidis

perperam, ut sentio. Nam Rubiæ tinctura subrubra est, non crocea. Quidam Glycyrrhizam vulgarem esse putant, cujus fructus aculeatus non est : quod in historia sua Dioscorides requirit ad ejus coloris infecturam commodam, quam et *Scythicem* auctor vocat infra lib. XXV, cap. 8. Aristophanes in Vespis : Γυναιχὶ κλητεύειν ἐοιχὼς θαψινῇ. Plutarchus in Phocione : Αἱ ταινίαι μὲν αἷς περιελίττουσι τὰς μυστικὰς κοίτας, βαπτόμεναι θαψινὸν ἀντὶ φοινικοῦ χρῶμα καὶ νεκρῶδες ἀνήνεγκαν. Hoc loco θαψινὸν sepulcralem, ἀπὸ τοῦ θάπτειν intelligo, et atrum, non croceum, ἀπὸ τοῦ θάψου. Dal. — *Cotinus*. Est ea coriaria cotinus, quam Dodonæus describit ac delineat, Pempt. 6, lib. II, cap. 19, pag. 767 et 768, atque in Galliæ plerisque Italiæque montibus reperiri ait. Sabaudi vocant, *du fustet*. Anguillara, part. IV, pag. 85, *Scotano* ab Italis appellari, radicem tingendis lanis pannisque purpureo colore utilem tradit. Est et κότινος Græcis, nempe olea silvestris, quæ ab hoc frutice multum discrepat. Hard. — *Rhus Cotinus* (*Pentand. trigyn.* gen. 726, Pers. *Terebint.* Juss.). Ed.

6. *Linamenta*. Ad fila tantum vestesque lineas conchylii colore tingendas, idoneus. In editis hactenus libris perperam legebatur *lineamenta*. In MSS. *lignamenta*. H.

7. *Diligit abies*. Sic Theophr. Hist. lib. IV, cap. 1. Hard.

8. *Cerasus*. Sic Palladius, lib. XI, in Octobr. tit. 11, pag. 152. H.

9. *Descendunt*. Theophr. Hist. lib. III, cap. 4. Hard.

10. *Myrtus*. Myrtum montanam Diosc. lib. I, pag. 133, reliquis generibus anteponit : etsi Virgilius canit Georg. lib. IV, v. 124, « amantes littora myrtos. » Et lib. II, v. 112 : « Littora myrtetis lætissima. » Hard.

11. *Sanguinei frutices*. A colore corticis sanguineo nomen ei frutici inditum : hodieque vulgus *sanguin* vocat. Job. de Janua, in Cathol. « Sanguinus, quædam parva arbor, quod cortex et fructus ejus sit sanguinei coloris : unde sanguinetum, locus ubi abundant sanguini. » Virgam sanguineam Plinius appellat, XXIV, 43. Hæc Theophrast. l. c. θηλυκρανεία est, cornus femina. — *Cornus sanguinea* (*Tetrand. monog.* gen. 296, Pers. *Caprifol.* Juss.). Ed.

12. *Tingendisque*. Non genista

sorbus[13], et magis etiam betulla[14]. Gallica hæc arbor mirabili candore atque tenuitate, terribilis magistratuum virgis[15]. Eadem circulis flexibilis, item corbium[16] costis. Bitumen[17] ex ea Galliæ excoquunt. In eosdem situs comitatur et spina[18], nuptiarum facibus auspicatissima, quoniam inde fecerint pastores qui rapuerunt Sabinas, ut

quælibet, sed quæ a re ipsa *genista tinctoria* nominatur. Describit eam, delineatque Dodonæus, pag. 751. Galli vocant, *fleur à teindre*, vel *herbe à jaunir*. Hard. — *Genista tinctoria* (*Diadelph. decand.* gen. 1691, Pers. *Leguminos.* Juss.) ut *Genista ovata*, ad colorem flavum vestimentis conciliandum adhibetur. Ed.

13. *Gaudet... sorbus*. Palladius, lib. II in Januar. tit. 15, pag. 44: « Amat locat humida, montana, et frigidis proxima, et solum pinguissimum. » Hard.

14. *Betulla. Du bouleau.* H.

15. *Terribilis magistratuum virgis.* Vide Brissonium, lib. IV, cap. 14. Dal. — *Magistratuum*. Nunc quoque pueros virgis e betulla pædagogi terrent. His consulares olim fasces plerumque constabant. Consulares, inquam: nam, ut recte Plinius, libro sup. cap. 40, fasces imperatorum laurus decorabat. Nunc betulla baculis præterea scopisque nascitur. Hard.

16. *Corbium costis.* Sic et MS. Turn. et Ch. *sportis* Gronov. aliique; et paulo ante *flexilis*, non *flexibilis*. Ed. — *Corbium costis*. Sic MSS. omnes, et quos habemus præ manibus, et quos Turnebus laudat, Advv. IV, 16, non *sportis*. Corbium costæ veluti statumina sunt, crassioraque et firmiora vimina, quibus reliqua quæ tenuiora subtilioraque firmantur, atque nectuntur. Vide inferius, cap. 68. Sic *navium costas* Plinius ipse superius dixit, lib. XIII, cap. 19. H.

17. *Bitumen.* Sane bitumine scatet: et in facibus resinosum quoddam emittit, picis instar nigræ. Matthiolus in Diosc. lib. I, cap. 93. Hard.

18. *Et spina.* Vet. *et pinus.* Ed. — *Spina*, *nuptiarum facibus*, etc. Quum ad maritum virgo prodiret, ingenuus patrimus, matrimusque puer ex alba spina facem accensam ferebat, eaque prælucente ad domum sponsi deducebat, more a priscis sæculis tradito: quibus non nisi noctu et in tenebris uxorem advenientem maritus excipiebat. Eam facem sub viri lecto posuisse, aut in sepulcro combussisse, tristissimum et inauspicatissimum credebatur. Alex. ab Alex. lib. II, c. 5. Plautus in Casina: « Primum omnium huic lucebis novæ nuptæ facem. » Usi sunt et ad nuptiales faces pinu. Virg. Cir. 438: « Non mihi jam pingui sudabunt tempora myrrha, Pronuba nec castos accendet pinus odores. » Neque recte Parthenius, hoc loco impulsus, apud Catullum in Epithalamio pro *pineam quate tedam*, legit *spineam*.

auctor est Masurius. Nunc facibus carpinus et corylus[19] familiarissimæ.

1 XXXI. Aquas odere cupressi, juglandes, castaneæ, laburnum[1]. Alpina et hæc arbor, nec vulgo nota, dura ac candida materie, cujus florem cubitalem longitudine apes non attingunt. Odit et quæ appellatur Jovis barba[2], in opere topiario tonsilis, et in rotunditatem spissa, argenteo folio. Non nisi in aquosis proveniunt salices[3], alni, populi, siler[4], ligustra tesseris utilissima[5]. Item

Ritum uxoris domum ducendæ vide apud Brissonium, lib. I, cap. 18. Vide et lib. III, cap. 14, et alium ritum nubentium apud Nonium. Dal. — *Et spina.* Non quælibet, sed ea modo, ex qua fieri in nuptiis solitæ faces, hoc est, spina alba: ut Varro testatur de vita populi Rom. apud Nonium, lib. II, cap. 2, n. 340. Et Festus, verbo *Patrimi*: « Patrimi et matrimi pueri prætextati tres nubentem deducunt: unus, qui facem præfert ex spina alba, quia noctu nubebant: duo qui tenent nubentem. » Ideo autem spina alba adhibita, quod pollere ea plurimum in avertendis malis noxis crederetur, teste Nasone, Fast. lib. VI: « Sic fatus, spinam qua tristes pellere posset A foribus noxas, hæc erat alba, dedit. » Et mox: « Virgaque Janalis de spina sumitur alba, etc. » Varro denique in Ætiis, apud Charisium, lib. I, pag. 117: « Fax ex spina alba præfertur, quod purgationis causa adhibetur. » H.— *Spina*, etc. Nempe *Cratægus oxyacantha*, de qua jam sup. dictum est. Ed.

19. *Corylus.* De corylo diximus, lib. XV, cap. 24.

XXXI. 1. *Laburnum.* — *Cytisus Laburnum* (*Diadelph. decand.* gen. 1721, Pers. *Legumin.* Juss.). Ed. De eo plura dicemus lib. XVII, cap. 35. Hard.

2. *Jovis barba*, etc. Nondum in certi nominis gallica lingua possessionem venit. In Bæterrensi Galliæ agro frequens, Dalec. teste: et in Italia juxta Livornam, ita prodente Anguillara. H. — *Anthyllis barba Jovis* (*Diadelph. decand.* gen. 1695, Pers. *Legum.* Juss.). Ed.

3. *Salices. Les saules.* Cato de R. R. cap. IX, pag. 14: « Salicta locis aquosis, humectis, umbrosis propter amnes ibi seri oportet. » Virg. Georg. lib. II, v. 110: « Fluminibus salices, crassisque paludibus alni Nascuntur. » Hard.

4. *Siler.* Fruticem vocat lib. XXIV, cap. 44, ex quo baculos rustici conficiunt, ad serpentes fugandos. Anguillara latifoliam esse salicem putat, cujus e cinere, sulfure et aphronitro mixtis, pulvis efficitur excutiendis tormentis bellicis. Sed verius fruticem ignotum remur. Hard. — *Salix capræa*, Sprengelio teste. Ed.

5. *Ligustra tesseris utilissima.* Alexander ab Alexandro, lib. III, cap. 21, tesseras his lusorias inter-

vaccinia[6], Italiæ mancupiis[7] sata : Galliæ vero etiam purpuræ tingendæ[8] causa ad servitiorum vestes. Quæcumque[9] communia sunt montibus planisque, majora fiunt, aspe-

pretstur : ego vero lignea signa, vinum, frumentum, oleum, aut aliud quippiam ejusmodi significantia et promittentia, quibus in congiariis et publicis largitionibus imperatorum utebantur. De tessera militari vide apud eumdem scriptorem, cap. 24. Dalec. — *Tesseris.* Nempe vel militaribus, vel iis quss imperatores in publicis largitionibus viritim dabant. His enim frustis ligni quadratis, certa insignitis notatisque forma, qui a principe donati erant, jus eis deinde fuit petendi frumenti publici. Hard. — *Ligustrum vulgare*, Gallia, *troëne* (*Diand. monog.* gen. 35, Pers. *Jasmin.* Juss.). Ed.

6. *Item vaccinia*, etc. Lege : « Item vaccinia Italiæ mancupiis sata, Galliæ vero etiam purpuræ tingendæ causa ad servitiorum vestes. » Ideo *satam mancupiis* dicit, quod mancupiorum pubertatem tardaret, idque utile erat mangonibus, ut quam diutissime venales suos impubes conservarent. Vaccinium, id est, byacinthum, in Gallia seri dicit tingendæ purpuræ causa ad servorum vestes. Dixerat supra in Gallia byacintho hysginum tingi, hic purpuram vaccinio infici scribit; atqui byacinthus et vaccinium idem : ergo purpureus et hysginus color idem, qui et byacinthinus. Salm. — *Item vaccinia.* Constantinus e Turnebo legit : « Italia mancipiis sata » : quia mangonio vaccinii tardatur corporis pubertas, quod erat venalitiis utile. Ego vero si eam lectionem probarem, rationem potius ex sequentibus verbis afferrem, quia vaccinii succo tingantur servitiorum vestes in purpuræ colorem. Præterea tardior pubertas iis utilis non erat, sed dominis, et mangonibus, quod pluris eos nondum barbatos venderent. Constantinus putat vaccinium fuisse byacinthum : ego vero arbusculam in sepibus frequentem, quam *Magaleb* quidam vocant. Vide lib. XXI, cap. 26. Plinius certe vaccinium arbusculam perperam loco citato hyacinthum reddit, eamque inepte cum byacintho bulbosa herba confundit. Dal. — *Vaccinia. Prunus Mahaleb* (*Icosand. monog.* gen. 1221, Pers. *Rosac.* Juss.) Ed.

7. *Italiæ mancupiis.* MSS. editique libri, *in aucupiis*, præferunt, manifesto errore, quem Turnebus ante nos vidit, Advv. lib. IV, cap. 6, pag. 118. Emendationis causam repetit ex Plinii verbis, lib. XXI, cap. 97, quam et nos probamus. Geminum itaque distingui vaccinium a Plinio scito : Italicum alterum, quod mancupiis seratur : alterum Gallicum, sive byacinthum, qui et gladiolus vocetur, de quo dicemus lib. XXI, cap. 97. H.

8. *Purpuræ tingendæ.* Sic MSS. omnes. Vitruvius lib. VII, cap. ult. pag. 148 : « Vaccinium temperantes, et lac miscentes, purpuram faciunt elegantem. » Hard.

9. *Quæcumque.* Theophr. Hist. lib. III, cap. 4 : Ἅπαντα δὲ ὅσα

ctuque pulcriora in campestribus; meliora materie, crispioraque in montibus : exceptis malis, pirisque.

1 XXXII. (XIX.) Præterea arborum[1] aliis decidunt folia: aliæ sempiterna coma virent. Quam differentiam antecedat necesse est prior. Sunt enim arbores quædam urbaniores, quas his placet nominibus distinguere. Hæ mites, quæ fructu, aut aliqua dote, umbrarumve officio humanius juvant, non improbe dicantur urbanæ.

1 XXXIII. (XX.) Harum generi[1] non decidunt : oleæ, lauro, palmæ, myrto, cupresso, pinis, ederæ, rhododendro, et (quamvis herba[2] dicatur) sabinæ. Rhododendron[3], ut nomine apparet, a Græcis venit. Alii nerion vocarunt, alii rhododaphnen, sempiternum fronde, rosæ similitudine, caulibus fruticosum. Jumentis[4] caprisque et ovibus venenum est. Idem homini contra serpentium venena remedio[5]. (XXI.) Silvestrium[6] generis folia non decidunt

κοινὰ τῶν ὀρῶν καὶ τῶν πεδίων, μείζω μὲν καὶ καλλίω τῇ ὄψει τὰ ἐν τοῖς πεδίοις γίνεται, κρείττω δὲ τῇ χρήσει τῶν ξύλων καὶ τῶν καρπῶν τὰ ὀρεινά, πλὴν ἀχράδος, καὶ ἀπίου, καὶ μηλέας· αὗται δὲ ἐν τοῖς πεδινοῖς κρείττους, οὐ μόνον τοῖς καρποῖς, ἀλλὰ καὶ τοῖς ξύλοις. HARD.

XXXII. 1. *Præterea arborum*, etc. Theophr. I, 14. DALEC.

XXXIII. 1. *Harum generi*. Hoc est, mitiorum e genere, et urbaniorum. Theophr. Hist. lib. I, cap. 19. Eadem habet auctor Geopon. lib. XI, cap. 1, pag. 305. H.

2. *Quamvis herba*. Herba, inquit, vocatur, inter frutices tamen numeranda. Virgilius in Culice : « Herbaque thuris opes priscis imitata Sabinis. » Arborem tamen δένδρον Dioscorides vocat, lib. I, p. 104. Sed quoniam pumila est, et coactæ brevitatis, herbam Romani appellavere. Dicemus de ea uberius lib. XXIV, cap. 61. H.

3. *Rhododendron*. Lauream rosam Apuleius vocat. Ῥοδωνίαν Theophr. Hist. lib. I, cap. 15. Diosc. lib. IV, cap. 82 : Νήριον, οἱ δὲ ῥοδοδάφνη, οἱ δὴ ῥοδόδενδρον θάμνος, etc. Gallis, *laurier rose*. Italis, *oleandro*, teste Anguillara, lib. de Simpl. part. IV, pag. 82. HARD. — *Nerium oleander* (*Pentand. monog.* Pers. *Apocyn.* Juss.). ED.

4. *Jumentis*. Diosc. l. c. et Galen. de fac. simpl. medic. pag. 215. Prudentius in Hamartigenia, v. 232 : « Noxius in teneris sapor æstuat ecce frutetis : Quum prius innocuas tulerit natura cicutas : Roscidus et viridem qui vestit flos rhododaphnen, Pabula lascivis dederit sincera capellis. » HARD.

5. *Idem... remedio*. Diosc. l. c. H.

6. *Silvestrium*. Theophr. Hist.

abieti, larici[7], pinastro, junipero, cedro, terebintho, 2
buxo[8], ilici[9], aquifolio[10], suberi, taxo, tamarici[11]. Inter utraque[12] genera sunt adrachne in Græcia[13], et ubique unedo[14]. Reliqua enim folia decidunt his, præterquam in cacuminibus. Non decidunt autem et in fruticum genere cuidam rubo, et calamo[15]. In Thurino agro[16], ubi Sybaris 3
fuit, ex ipsa urbe prospiciebatur quercus una, numquam folia dimittens, nec ante mediam æstatem germinans. Idque mirum est, Græcis auctoribus proditum, apud nos postea sileri[17]. Nam locorum[18] tanta vis est, ut circa Memphim Ægypti, et in Elephantine Thebaidis nulli arbori decidant, ne vitibus quidem.

XXXIV. (XXII.) Cæteræ omnes extra prædictas (et- 1
enim enumerare longum), folia deperdunt: observatum-

Plant. lib. I, cap. 15, et lib. III, cap. 4. Hard.

7. *Larici.* Meleziæ arbori, qnam esse laricem qnidam volunt, decidunl hieme folia : et quidem soli, e couiferis arboribus. Hard.

8. *Buxo.* « Perpetuoque virens buxus. » Ovid. Metam. lib. X, v. 97. Hard.

9. *Ilici.* Πρίνῳ, Theophr. ll. cc. Hard.

10. *Aquifolio.* Ἀγρίᾳ, Theophr. Hist. lib. I, cap. 15. De ea diximus cap. 12. Hard.

11. *Tamarici.* Folia tamarici omnia in hortis nostris hieme delabuntur. De eo diximus lib. XIII, cap. 37. Hard.

12. *Inter utraque.* Inter ἀείφυλλα videlicet, et φυλλοβόλα, ea, quæ perpetuo virent, et quibns folia decidunt. Sic Theophr. Hist. lib. I, cap. 15 : Δοκεῖ δὲ ἡ ἀδράχνη, καὶ ὁ οἴναρος (forte rectius, ὁ κόμαρος) τὰ μὲν κάτω φυλλοβολεῖν, τὰ δὲ ἔσχατα τῶν ἀκρεμόνων ἀείφυλλα ἔχειν. « Folia infima demittunt, cacuminibus perpetuo virent. » De adrachne et unedone diximus lib. XIII, cap. 40. Hard.

13. *Adrachne in Græcia*, etc. Adrachne el Unedo servant nomen, *Arbutus Andrachne* et *A. Unedo* (Decand. *monogyn.* gen. 1091, Pers. *Eric.* Juss.). Ed.

14. *Unedo.* Οἴναρος Theophrast. Histor. lib. I, cap. 15, quæ eadem et κόμαρος dicitur. Dalec.

15. *Et calamo.* Hoc est, arundini Theophr. l. c. τῶν δὲ θαμνωδῶν, βάτος, ῥάμνος, κάλαμος. Hard.

16. *In Thurino agro.* Sybari, qui nunc Thurii dicuntur. Varro lib. I, cap. 7, de Re Rust. ubi et de Elephantine. Dalec.

17. *Apud nos .... sileri.* Recitat tamen Varro de R. R. lib. I, cap. 7, p. 51. Hard.

18. *Nam locorum.* Theophr. et Varro, ll. cc. Hard.

que non arescere, nisi tenuia, et lata, et mollia. Quæ vero non decidant, callo crassa[1], et angusta esse. Falsa[2] definitio est, non decidere his, quarum succus pinguior sit. Quis enim potest in ilice intelligere? Decidere Timæus mathematicus sole Scorpionem transeunte, sideris vi, et quodam veneno aeris, putat. Cur ergo non eadem causa adversum omnes polleat, jure miremur. Cadunt plurimis autumno. Quædam tardius[3] amittunt, atque in hiemes
2 prorogant moras. Neque interest[4] maturius germinasse: utpote quum quædam primæ germinent, et inter novissimas nudentur; ut amygdalæ, fraxini, sambuci. Morus autem[5] novissima germinat, cum primis folia dimittit. Magna et in hoc vis soli[6]. Prius decidunt in siccis macrisque: et vetustæ[7] prius arbori: multis etiam, antequam maturescat fructus. In serotina ficu, et hiberna piro, et malo granato est pomum tantum[8] aspici in matre. Neque his autem[9], quæ semper retinent comas, eadem folia durant: sed subnascentibus aliis, tum arescunt vetera: quod evenit circa[10] solstitia maxime.

XXXIV. 1. *Callo crassa.* Corpore, carne, et quadam veluti pulpa. HARD.

2. *Falsa.* Theophr. Hist. lib. I, cap. 15, ea perpetuo virere ait, quæ et angustiore folio et pinguitudine quadam prædita essent, et odore jucundo: quum absint hæ doles ab ilice. Πάντα δὲ τῶν ἄλλων τὰ ἀείφυλλα, στενοφυλλότερα, καὶ ἔχοντά τινα λιπαρότητα καὶ εὐωδίαν. HARD.

3. *Quædam tardius.* Theophrast. Hist. lib. I, cap. 15. HARD.

4. *Neque interest.* Hæc verbis totidem Theophr. l. c. HARD.

5. *Morus autem.* Theophr. l. c. H.

6. *Vis soli.* Δοκεῖ δὲ καὶ ἡ χώρα συμβάλλεσθαι καὶ ὁ τόπος ὁ ἐνικμὸς πρὸς τὸ διαμένειν, etc. Theophr. l. c. In libris quibusdam, *vis solis*, male: quum sequatur proxime causa ejusce placiti: « Prius decidunt in siccis, macrisque. » H.

7. *Vetustæ.* Ch. *vetustate.* ED.

8. *Pomum tantum.* Decussis hieme foliis universis, arbori adhuc pomum adhærescit. HARD.

9. *Neque his autem.* Theophrast. l. c. HARD.

10. *Quod evenit circa*, etc. Sic ex MSS. em. Hard. cons. MS. et Ch. *quod evenit circa solstitium. Maxime fol.* Gr. et Al. ED. — *Circa solstitia maxime.* Ita MSS. omnes. Apud Latinos, qui caste integreque

XXXV. Foliorum unitas[1] in suo cuique genere permanet, præterquam populo, ederæ, crotoni, quam et cici diximus[2] vocari. (XXIII.) Populi tria[3] genera: alba, ac nigra[4], et quæ Libyca appellatur, minima folio, ac nigerrima, fungisque enascentibus[5] laudatissima. Alba folio bicolor, superne candicans, inferiore parte viridi. Huic[6], nigræque, et crotoni, folia in juventa circinatæ rotunditatis sunt: vetustiora in angulos exeunt. E contrario ederæ angulosa rotundantur. Populorum foliis grandissima lanugo[7] evolat: candidæ, traditæ[8] folio numerosiore, candida, et ut villi[9]. Folia granatis et amygdalis rubentia. 1

in eloquendo versati sunt, non dicitur solstitium fere, nisi de æstivo. Nam tametsi motus eadem proportio cum hiberno, tamen id Romani numquam dixere, sed brumam. Theophr. l. c. τοῦτο δὲ περὶ τροπὰς μάλιστα γίγνεται θερινάς. Hard.

XXXV. 1. *Foliorum unitas.* Idem color, inquit, foliis in suo cuique genere, eadem forma, in juventa, et quum senescunt. At in populo, edera, et crotone, sunt diversa. Theophrast. Hist lib. I, cap. 16. H.

2. *Cici diximus.* Lib. XV, cap. 7. Hard.

3. *Populi tria.* Ab his verbis ductum hactenus capitis primordium est: quam inepte, ex totius orationis serie liquet. Hard.

4. *Alba ac nigra. Peuplier blanc et noir.* Libycam vulgo Tremulam vocant, a tremulorum foliorum crepitu strepituque assiduo, *tremble.* Hard. — Tres sunt species, nempe *Pop. alba*, *nigra*, *Tremula* (*Diæc. octand.* gen. 2249, Pers. *Amentac.* Juss.). Ed.

5. *Enascentibus.* Ramo scilicet, aut caudici adnascentibus. Hard.

6. *Huic.* Hoc est, populo albæ. Theoph. l. c. τῆς δὲ λεύκης, τοῦ κιττοῦ, καὶ τοῦ καλουμένου κρότωνος.... τὰ νέα (φύλλα) περιφερῆ· τὰ δὲ παλαιότερα, γωνιοειδῆ. H.

7. *Populorum foliis grandissima lanugo.* Legend. « Populorum foliis grandissima lanugo evolat, candidæ, traditæ folio numerosiore, candida, et ut villi. » Dicit populorum foliis in genere grandissimam evolare lanuginem, hoc est, grandissimum βρύον· candidæ vero, traditæ folio numerosiore candidam evolare et ut villos. « Candida, tradita folio numerosiore » loquutio Pliniana, id est, quæ traditur esse folio numerosiore. Salm. — Gron. Aliique: *lanugo. Evolat candidæ (tradita fol. numer. candida), ut iuluς.* Salmasii emendationem recepit Harduinus. Ed.

8. *Candidæ, traditæ.* Ita MSS. Reg. Colb. Th. Hard.

9. *Et ut villi.* In MSS. proxime laudatis, *et ut villæ.* Forte, *et ut uvæ.* Nam ut lib. XII, cap. 62, bryon uva populi albæ dicitur. H.

1 XXXVI. Mirum in primis, quod ulmo, tiliæque, et oleæ, et populo albæ, et salici evenit. Circumaguntur[1] enim folia earum per solstitium: nec alio argumento certius intelligitur sidus confectum[2]. (XXIV.) Est et publica omnium foliorum in ipsis[3] differentia. Namque[4] pars inferior[5] a terra herbido viret colore. Ab eadem[6] læviora, nervos, callumque, et articulos in superiore habent parte: incisuras[7] vero subter, ut manus humana. Oleæ superne candidiora[8], et minus lævia: item ederæ. Sed omnium[9] folia quotidie ad solem oscitant[10], interiores partes[11] tepefieri

XXXVI. 1. *Circumaguntur.* Vertuut partes supinas statim post æstivum solstitium: eoque argumento solstitium exactum rustici intelligunt. Theophrast. Hist. lib. I, cap. 16. Tractat hoc argumentum uberrime et eleganter Plinius, lib. XVIII, cap. 68. Hard. — *Per solstitium.* Gronov. *post solt.* μετὰ τροπὰς θερινάς. Theoph. l. c. Ed.

2. *Sidus confectum.* Solstitium peractum. Auctor Geop. lib. IX, cap. 2, pag. 219: Προσημαίνει δὲ καὶ τὰς τροπὰς θερινὰς στραφέντα τὰ φύλλα τῆς ἐλαίας, ὥσπερ ἡ φιλύρα, καὶ ἡ πτελέα, καὶ ἡ λεύκη. Causam ejus rei aperit Theophr. de Caus. lib. II, cap. 26, pag. 262. Hard.

3. *In ipsis.* In ulmo scilicet, tilia, olea, populoque alba, de quibus dictum est proxime. Sic Theophr. Hist. lib. I, cap. 16. Hard.

4. *Namque.* Hæc a Plinio verissime pronunciata: etsi nonnihil discrepare videtur Theophr. Hist. lib. I, cap. 16. Hard.

5. *Inferior.* Superior. Supina Theophrast. τὰ ὕπτια ποωδέστερα, colore magis herbaceo viret. Dal.

6. *Ab eadem.* Quum ab inferiore parte læviora sint folia, in superiore nervos habent et callum, et articulos: tenuiores fibras, atque incisuras, seu veluti venas in inferiore. Theophrast. loc. citat. ἶνας καὶ φλέβας, ἐν τοῖς πρανέσιν, ὥσπερ ἡ χείρ. Quæ venæ græco auctori, et ἶνες, latino incisuræ appellantur. H.

7. *Incisuras.* Nihil de incisuris Theophrastus. Dalec.

8. *Oleæ superne candidiora.* Oleæ folia supina et superiore parte, contra aliorum naturam, candidiora sunt, et minus læva: ederæ vero superne, non quidem candidiora, sed minus lævia. Dalec.— *Oleæ.* Theophrastus, loco citato, τῆς ἐλαίας δὲ λευκότερα, καὶ ἧττον λεῖα. Hard.

9. *Omnium.* Aut certe maximæ partis. Theoph. Dalec.

10. *Oscitant.* Superne convertuntur. Theophr. Πάντα δὴ ἢ τάγε πλεῖστα ἐκφανῆ ἔχει τὰ ὕπτια, καὶ ταῦτα γίνεται τῷ ἡλίῳ φανερά. H.

11. *Interiores partes tepefieri volentia.* Hæc de suo Plinius, et absurde. Dalec. — *Interiores partes*, etc. Eædem et inferiores, terramque spectant. Hard.

volentia. Superior pars[12] omnium lanuginem quantulamcumque habet, quæ in aliis gentium[13] lana est.

XXXVII. In Oriente[1] funes validos e palmæ[2] foliis 1
fieri dictum est, eosque in humore utiliores esse. Et apud nos fere palmis[3] a messe decerpuntur. Ex his meliora, quæ sese non diviserint. Siccantur sub tecto quaternis diebus : mox in sole expanduntur, et noctibus relicta, donec candore[4] inarescant, postea in opera finduntur[5].

XXXVIII. Latissima fico[1], viti, platano : angusta 1
myrto, Punicæ, oleæ : capillata[2] pino, cedro : aculeata aquifolio, et ilicum generi[3]; nam junipero spina pro folio est : carnosa cupresso, tamarici : crassissima alno[4]: longa arundini, salici : palmæ etiam duplicia[5] : circinata piro, mucronata malo, angulosa ederæ, divisa platano : insecta pectinum[6] modo piceæ, abieti : sinuosa toto ambitu robori:

12. *Superior pars*. Inferior et prona. Theophrast. DAL.

13, *In aliis gentium*. Apud Seras, aliosque, ut dictum est, lib. VI, cap. 20. HARD.

XXXVII. 1. *In Oriente... dictum est*. Lib. XIII, cap. 7. HARD.

2. *Funes validos e palmæ foliis*. Dictum est supra lib. XIII, cap. 4. Fiunt et ex iis scopæ. Martial. « In pretio scopas testatur palma fuisse, Otia sed scopis nunc analecta dabunt. »

3. *Et apud nos fere palmis*. Et apud nos vere palmea a matre integra decerpuntur. Meliora enim sunt, quæ divisa non fuerint. Vetusta omnia. Convenit id cum eo, quod scripsit, lib. XIII, cap. 4 : Palmæ folia quum primum novellas demonstravere gemmas, in opera varia findi. DALEC.

4. *Donec candore*. Donec se arida probent candore. HARD.

5. *In opera finduntur*. In funes vitiliumque nexus, et capitum levia umbracula, uti dictum est loco proxime appellato, lib. XIII, cap. 7. HARD.

XXXVIII. 1. *Latissima fico*, etc. Hæc maximam partem apud Theophrastum leges, Histor. lib. I, c. 16. HARD.

2. *Capillata*. Vel, ut alibi capillacea, τριχόφυλλα. HARD.

3. *Ilicum generi*. Hoc est, ilici geminæ, de qua cap. 8 diximus. H.

4. *Crassissima alno*. Theophrast. nervosa dixit : ἰνώδη, Hist. lib. III, cap. 14. HARD.

5. *Palmæ... duplicia*. Quamobrem bifidata foliorum palmæ latera vocat, lib. XIII, cap. 7. HARD.

6. *Insecta pectinum*. In rectum velut serra dissecta. DALEC. — *Infecta*. Theophrast. Hist. lib. I, cap. 16, εὔσχιστα, καθάπερ τὰ τῆς ἐλάτης, etc. Probe secta, fissaque. Sic lib.

spinosa cute, rubo. Mordacia sunt quibusdam, ut urticis[7]. Pungentia pino, piceæ, abieti, larici, cedro, aquifoliis[8]. Pediculo brevi oleæ, et ilici: longo vitibus: tremulo po-
2 pulis, et iisdem solis inter se crepitantia. Jam et in pomo ipso, mali quodam in genere[9], parva mediis emicant folia, interim et gemina. Præterea aliis[10] circa ramos, aliis et in cacumine ramorum[11]: robori, et in caudice ipso. Jam densa, ac rara, semperque lata rariora. Disposita[12] myrto, concava buxo, inordinata pomis. Plura eodem[13] pediculo exeuntia malis pirisque. Ramulosa[14] ulmo, et cytiso. Quibus adjicit Cato decidua[15], populea quernaque, animalibus jubens dari non perarida: bubus quidem et ficulnea, ilignaque, et ederacea. Dantur et ex arundine, ac lauro. Decidunt sorbo universa, cæteris paulatim. Et de foliis hactenus.

IX, cap. 56, « pectini insecto » dixit. Hard.

7. *Urticis.* In lexico vetere Græco-latino ob id urtica, sive ἀκαλύφη, *Acia* et *Aciela* dicitur, quod ut ferri acies ulceret. Turn. l. XVII, c. 12. Dalec. — Urticæ species, nempe *Urt. urens*, vel *dioica*, aut *pilulifera*, etc. (*Monœc. tetrand.* gen. 2057, Pers. *Urtic.* Juss.) Ed.

8. *Aquifoliis.* Hoc est, et aquifolio simul, et aquifoliæ ilici. De utroque genere, cap. 8 et 12. H.

9. *Mali quodam in genere.* Quod melofolium ex ea re appellatum vidimus, lib. XV, cap. 15. Hard.

10. *Præterea aliis.* Hæc etiam Theophrastus, loco proxime citato.

11. *In cacumine ramorum.* Ex surculis Theophrast. ἐκ τῶν ἀκρεμόνων; *cacumen ramorum* Plinius inconsiderate vertit. Dal.

12. *Disposita myrto.* Ei præsertim, quam hexasticham vocant, ut diximus lib. XV, cap. 37, a senis foliorum versibus. Hard.

13. *Eodem pediculo.* Eodem potius petiolo: unde cum suis pediculis folia plura pendent. Hard.

14. *Ramulosa.* Venosa, ut quidem reor: sic enim cytisum Dioscorides, lib. IV, cap. 113, ait ῥάχιν ἔχειν μείζονα, spina dorsi prominentiore esse. Hard.

15. *Cato decidua.* Decidua pro *cædua* dixit paulo licentius. Sic enim MSS. omnes. Catonis verba sunt ea, e cap. v: « Frondem populneam, ulmeam, querneam cædito: per tempus eam condito, non peraridam, pabulum ovibus. » Et cap. xxx: « Bubus frondem ulmeam, populneam, querneam, ficulneam, usque dum habebis, dato. » Denique cap. xlv: « Bubus... si fenum non erit, frondem iligneam, et ederaceam dato. » Vide Columellam, lib. VI, cap. 3. Hard.

XXXIX. (xxv.) Ordo autem naturæ[1] annuus ita se habet. Primus est conceptus, flare incipiente vento Favonio, circiter fere sextum[2] Idus Februarii. Hoc[3] maritantur vivescentia e terra : quippe quum etiam equæ in Hispania, ut diximus[4]. Hic est genitalis spiritus mundi, a fovendo[5] dictus, ut quidam existimavere. Flat ab occasu æquinoctiali, ver inchoans[6]. Catulitionem rustici[7] vocant, gestiente natura semina accipere, eoque animam[8] inferente omnibus satis. Concipiunt variis diebus, et pro sua quæque natura. Alia protinus[9], ut animalia : tardius aliqua, et diutius gravida partus gerunt : quod germinatio

XXXIX. 1. *Ordo autem naturæ.* Theophrast. Caus. lib. I, cap. 10, et Hist. lib. III, cap. 6. DAL.

2. *Circiter fere sextum.* Ut dictum est lib. II, cap. 47. HARD.

3. *Hoc maritantur.* Sic ex MSS. emendavit Harduinus « Circiter fere sexto idus... Hoc enim maritantur... quo etiam equæ » Gr. et Al. ED. — *Hoc maritantur.* Hoc vento fecundantur, stimulantur, illiciuntur, invitantur ad conceptum. Sic palmæ mares *afflatu visuque* dicuntur feminas *maritare*, lib. XIII, c. 7. HARD.

4. *Ut diximus.* L. VIII, c. 67. H.

5. *A fovendo.* Ita MSS. omnes. Græcis pariter Ζέφυρος, qui Favonius est, quasi Ζωηφόρος, *vitam afferens*, appellatur. Sic Favonius a fovendo, quoniam foveat sata, *genitabilis aura Favoni*, ut canit Lucretius, lib. III. Isidorus, Origg. lib. IX, cap. 5 : « Favonios appellabant, quia quædam animalia Favonio spiritu hausto concipere existimantur. » HARD.

6. *Ver inchoans.* Vide infra lib. XVIII, cap. 34. DALEC.

7. *Catulitionem rustici vocant.* Catulire, ad Venerem incitari. Apuleius de feminis subare, ὀργᾷν, dixit, de maribus surire, καπριᾷν, ut vetus grammaticus exponit. Inde Catulaster in Critico, βούπαις. *Catilitionem* hic multi legunt ex fide vetusti exemplaris. Apud Vitruv. pro *Catlastros* legitur Catastos : « Ideoque semper, inquit, transmarinos catastos emere formosos et puellas maturas, eosque conjungere, ut qui nascerentur ex iis, non solum egregia voce, sed etiam forma essent non invenusta. » Turneb. Advers. lib. XXIV, cap. 7, σκυζᾷν canum est ad libidinem incitatorum et prurientium, καπριᾷν suum, ταυριᾷν taurorum, ἱππομανεῖν equorum. DAL. — *Catulitionem.* MSS. Reg. Colb. Th. *Catlitionem.* Catulire Grammatici novitii aiunt idem esse, atque in Venerem incitari. HARD.

8. *Eoque animam.* Eo vento scilicet, Favonio. HARD.

9. *Alia protinus, ut animalia; tardius*, etc. Theophr. Hist. lib. III, cap. 6. DALEC.

ideo vocatur. Pariunt vero quum florent, flosque ille ruptis constat utriculis[10]. Educatio in pomo[11] est: hoc, et germinatio[12], laborum.

1 XL. Flos est pleni veris[1] indicium, et anni renascentis; flos gaudium arborum[2]. Tunc se novas, aliasque quam sunt, ostendunt: tunc variis colorum picturis in certamen usque luxuriant. Sed hoc negatum plerisque. Non enim omnes florent: et sunt tristes quædam, quæque non sentiant gaudia annorum. Nam neque ilex[3], picea, larix, pinus, ullo flore exhilarantur, natalesve pomorum recursus annuos versicolori nuntio promittunt: nec fici[4], atque
2 caprifici. Protinus enim fructum flores gignunt. In ficis mirabiles sunt et abortus, qui numquam maturescunt.

10. *Utriculis*. Hoc est, calyculis, unde flos erumpit. Ἔλυτρα sunt Dioscoridi, lib. II, cap. 114. H.

11. *In pomo*. Quamdiu pendet a matre pomum quasi quædam fetus educatio intelligitur. Hard.

12. *Hoc, et germinatio, laborum*. Est et hæc educatio, et germinatio plena laboris. H. — Locus intricatus, nec forsan felicissime restitutus. Vid. inf. cap. 40, not. 2. Ed.

XL. 1. *Arborum flos est pleni veris*, etc. Sic ante Harduinum vett. omnes legunt distinguuntque editt. *germinatio. Arborum*, etc. Vid. not. seq. — Apud Athenæum, l. XIII, Chæremon vocat flores, nunc veris, nunc pratorum filios, ἐν τῇ Ἰοῖ. Ἀνθηροῦ τέκνα Ἔαρος πέριξ στρώσαντες. In Centauro: Θηρωμένων τὰ λειμώνων τέκνα. Æschylus in Persis, Ἄνθη τε πλεκτὰ παμφόρου γαίας τέκνα. Victorius ex Athenæo, l. XXXII, cap. 21. Dal.

2. *Flos est*, etc. Est nutritio pomi, inquit, est et germinatio arbori, ut fere mulieri partus; et educatio fetus, plena laboris: flos autem res plena gaudii. — *Educatio... gaudium*, etc. Sic restituimus ope codicum Reg. Colbert. Thuan. quum prius perperam legeretur, « Hoc, et germinatio. Arborum flos est, etc. » Sinceram, quam nos edidimus, lectionem, vel nostra una interpretatio, et orationis series ipsa constabilit. Hard.

3. *Nam neque ilex*, etc. Apud Theophrastum, Hist. lib. III, cap. 5, Ilex floret. Eidem, libro eodem, cap. 6, pino pro flore est squamatim compactilis meta, κύτταρος. Larix autem vere florem mittit, e ramulorum cacuminibus, in purpura ardenter rubentem, foliolis comantibus adnexum, miro quodam naturæ artificio. Dal.

4. *Nec fici*. Macrob. Sat. lib. II, cap. 16, p. 378: « Nec hoc ignorandum, inquit, ficum solam ex omnibus arboribus non florere. » Hard.

Nec juniperi[5] florent. Quidam earum[6] duo genera tradunt : alteram florere, nec ferre : quæ vero non floreat, ferre protinus baccis nascentibus[7], quæ biennio hæreant. Sed id falsum : omnibusque iis dura facies semper[8]. Sic et hominum multis fortuna sine flore[9] est.

XLI. Omnes autem germinant, etiam qui non florent, 1
magna et locorum differentia. Quippe quum ex[1] eodem genere quæ sunt in palustribus, priora germinent : mox campestria, novissima in silvis[2]. Per se autem tardius piri silvestres, quam cætera[3]. Primo Favonio[4] cornus, proxime laurus, pauloque ante æquinoctium tilia, acer. Inter primas[5] vero populus, ulmus, salix, alnus, nuces. Festinat[6] et platanus. Cæteræ vere cœpturo[7], aquifolium, terebinthus, paliurus, castanea, glandes[8]. Serotino[9] autem germine malus, tardissimo suber. Quibusdam germinatur[10] germi-

5. *Nec juniperi.* Itane se res habeat, an secus, amplius considerandum, Theophrastus admonet, σκεπτέον, Histor. lib. III, cap. 6. Juniperus, *genévrier* et *genièvre*. H.

6. *Quidam earum.* Sic etiam Theophrastus, loco citato, suffragante nunc quoque in Gallis experientia. Hard.

7. *Nascentibus.* Sic et Chiffl. Gr. et Al. *subnascentibus*. Ed.

8. *Dura facies semper.* Flore nuda et privata. Dal.

9. *Sine flore.* Numquam benigna aut blande arridens. Hard.

XLI. 1. *Quippe quum ex eodem.* Theophr. loco proxime citato. Ed.

2. *Novissima in silvis.* In montibus, Theophrast. ἔσχατα δὲ τὰ ἐν τοῖς ὄρεσιν, etc. loco citato. Hard.

3. *Quam cætera.* Quam urbanæ, inquit Theophrastus, loco citato : Ἀχρὰς δὲ μικρῷ ὕστερον τοῦ ἀπίου. H.

4. *Primo Favonio.* Etiam ante Favonium in Græcia, πρὸ ζεφύρου, teste Theophrasto, loco citato. H.

5. *Inter primas.* Theophrast. H.

6. *Festinat.* Sic tamen, ut paulo serius germinet, quam proxime appellatæ. Theophrastus, loco citato. Hard.

7. *Vere cœpturo.* Sic libri omnes. Theophr. περιισταμένου τοῦ ἦρος. *ineunte vere*. Hard.

8. *Glandes.* Juglandes, ex Theophrast. Hist. lib. III, cap. 6 : Τὰ δ' ἄλλως περιισταμένου τοῦ ἦρος, οἷον ἐρινεὸς, φιλύκη, ὀξυάκανθος, παλίουρος, τέρμινθος, καρύα, Διὸς βάλανος. Dal. — *Glandes.* Vel *juglandes* scribi necesse est, ex Theophrasto. Hard.

9. *Serotino.* Theophrastus, loco citato. Hard.

10. *Quibusdam germinatur.* Ita MSS. omnes : sincerior tamen lectio haud dubie, *geminatur*. H. — *Geminatur* Broter. ex ed. princ. Ed.

natio, nimia soli ubertate, aut invitantis cæli voluptate: quod magis in herbis segetum evenit. In arboribus tamen
2 nimia germinatio elassescit [11]. Sunt aliæ naturales quibusdam, præterque vernas, quæ suis constant [12] sideribus, quorum ratio aptius reddetur tertio ab hoc volumine. Hiberna Aquilæ exortu, æstiva Canis ortu, tertia Arcturi. Has duas quidam omnibus arboribus communes putant: sentiri autem maxime in fico, vite, Punicis: causam afferentes, quoniam in Thessalia Macedoniaque plurima
3 tum ficus exeat. Maxime tamen in Ægypto apparet hæc ratio. Et reliquæ [13] quidem arbores, ut primum cœpere, continuant germinationem: robur, et abies, et larix, intermittunt tripartito [14], ac terna germina edunt: ideo et ter squamas [15] corticum spargunt: quod omnibus arboribus

11. *Elassescit.* Arborum fecunditatem exhaurit, efficitque sæpenumero, ut fructus suos alternent. HARD.

12. *Quæ suis constant.* Quæ certorum exortu, occasuve siderum eveniunt: quorum ratio expedietur uberrime lib. XVIII, cap. 57, et sequentibus. HARD.

13. *Et reliquæ.* Hæc totidem verbis Theophrastus, Hist. lib. III, c. 6. HARD.

14. *Intermittunt tripartito.* Ter iutermittunt germiuationem, terque turgent. Πεύκην δὲ, καὶ ἐλάτην, καὶ δρῦν διαλείπειν, καὶ τρεῖς ὁρμὰς εἶναι, καὶ τρεῖς ἀφιέναι βλαστούς. Theophrast. loc. citat. En rursum δρῦς Plinio robur est, abies ἐλάτη, πεύκη larix, ut diximus. Sed melezia, quam laricem esse eruditi voluut, non intermittit. HARD.

15. *Ideo et ter squamas.* Ter corticem, qui squamarum instar est, genitali, qui interlabitur, insinuatque sese, humore respergunt: quod in uuaquaque germinatione evenire vel ex eo intelligitur, quod tum facile cortex absistat, detrahaturque corpori. Hæc plane mens Theophrasti, Pliniique est, quæ Interpretes hacteuus male vexavit. Hactenus legebatur, « Ideo et inter squamas: » nulla plane aut inepta sententia. Theophrasti locus ejusmodi est, ex Hist. Plaut. lib. III, cap. 6: Διὸ καὶ τρίσλιποι. Πᾶν γὰρ δὴ δένδρον ὅταν βλαστάνῃ λιπᾷ. Porro τρίσλιπα δένδρα dicuutur arbores, quæ terna germiuatione genitali humore turgescuut. Λιπᾷν dicuntur arbores, quum piuguescunt. Quod si tum ima parte castrentur, per forulum effluet ille liquor, humorque pinguis, ceu salivarum lentor emanabit. Idem Theophrastus sub finem ejus capitis, abietis cædendæ tempus opportunum esse circa solstitium monet, διὰ τὸ λιπᾷν (ed. Ald. λοπᾷν) quia tunc cortex facile ab-

in germinatione evenit, quoniam prægnantium rumpitur
cortex. Est autem prima[16] earum incipiente vere, circiter
xv diebus. Iterum germinant transeunte Geminos[17] sole. Sic
fit, ut prima[18] cacumina impelli secutis appareat, geni-
culato incremento. Tertia est earumdem ad solstitium bre-
vissima, nec diutius septenis diebus. Clareque et tunc cer- 4
nitur excrescentium cacuminum articulatio[19]. Vitis sola
bis parturit : quum primum emittit uvam : iterum quum
digerit. Eorum quæ non florent, partus tantum est et
maturitas. Quædam statim in germinatione florent, pro-
perantque in eo : sed maturescunt tarde, ut vites. Sero-
tino quædam germinatu florent, maturantque[20] celeriter,
sicuti morus[21], quæ novissima urbanarum germinat, nec
nisi exacto frigore; ob id dicta sapientissima arborum. Sed
quum cœpit, in tantum universa germinatio erumpit, ut
una nocte peragat, etiam cum strepitu.

sistit, avelliturque a corpore, ut ipse statim explicat, εὐπεριαίρετος ὁ φλοιός. Neque tamen admodum reluctabor, si quis simpliciore usus interpretatione malit ternis corticum squamis, triplicem intelligi corticem : quoniam in unaquaque germinatione et partu adnasci corticem, qui arborem circumvestiat, auctor est Theophrastus. Idem de Caus. lib I, cap. 6, pag. 204 : Ἅμα γὰρ τῇ ἐγκυήσει καὶ βλαστήσει ὁ φλοιὸς ἐπιφύεται καὶ περιλαμβάνει. Hard.

16. *Est autem prima.* Alia ratio est Græciæ, quam Theophrast. explicat loco citato, alia Italiæ, quam Plinius nunc declarat. Hard.

17. *Transeunte Geminos.* Theophrast. loc. cit. περὶ τὸν Σκιῤῥοφοριῶνα λήγοντα. Vide quæ dicturi sumus de mensibus græcis, l. XVII, cap. 37, circa finem. Hard.

18. *Sic fit, ut prima.* Priora cacumina sequentibus, quæ adnascuntur, apparet impelli : et articulis quibusdam, seu nodis incrementa distinguuntur. Ruellius de Natur. Stirp. lib. I, pag. 29, legit ita : « Sic fit ut dum prima cacumina propelluntur, se cutis aperiat, etc. » Sed male. Hard.

19. *Articulatio.* Geniculatum cacuminum incrementum, ut dictum est proxime. Fit illud, quum cacumina crescunt ramorum, medulla ante se tendente, et novam impellente materiam, ut dicetur l. XVII, cap. 35. Hard.

20. *In eo : sed maturescunt tarde, ut vites. Serotino quædam germinatu florent maturantque.* Verba hæc omnia desunt in Broterio operarum incuria. Ed.

21. *Sicuti morus.* Quæ propter

1 XLII. Ex his, quæ hieme Aquila exoriente (ut diximus[1]) concipiunt, floret[2] prima omnium amygdala mense januario : martio vero pomum maturat. Ab ea proxime florent Armeniaca[3], dein tuberes; et præcoces[4]: illæ peregrinæ, hæ coactæ[5]. Ordine autem naturæ, silvestrium primæ, sambucus[6], cui medulla plurima : et cui nulla,
2 cornus mascula. Urbanarum, malus : parvoque post, ut simul videri possit, pirus, et cerasus, et prunus. Sequitur laurus, illamque cupressus : dein Punica, fici. At vites et oleæ florentibus jam iis germinant. Concipiunt Vergiliarum exortu[7]. Hoc sidus illarum est. Floret autem solstitio vitis, et quæ paulo serius incipit, olea. Deflorescunt omnia septenis diebus, non celerius: quædam tardius, sed nulla pluribus bis septenis. Omnia et intra VIII idus julii, Etesiarum præcursu[8].

1 XLIII. Nec statim fructus sequitur in aliquibus. (XXVI.) Cornus enim circa[1] solstitia reddit primo candidum, postea sanguineum. Ex eo genere femina post autumnum fert baccas acerbas, et ingustabiles cunctis animantibus : ligno quoque fungosa et inutilis, quum mas e fortissimis quoque

frigiditatem soli tarde germinat, eadem propter debilitatem cito maturat. Theophrast. de Caus. lib. I, cap. 21. Vide quæ dicturi de moro sumus, lib. XVIII, cap. 67. H.

XLII. 1. *Ut diximus*. Cap. sup. H.

2. *Floret*. Flore purpureo. In Priapeis, « Amygdalumve flore purpureo fulgens. » DALEC.

3. *Armeniaca*. Scilicet prunus, de qua lib. XV, cap. 12. HARD.

4. *Præcoces*. Nempe præcocia Persica, de quibus lib. XV, cap. 11. HARD.

5. *Hæ coactæ*. Ad velociorem maturitatem arte evocatæ, præter insitam a natura indolem. HARD.

6. *Sambucus*. *Du sureau*, arbor notissima, et passim in dumetis obvia. HARD. — *Sambucus nigra* (*Pent. trig.* gen. 729, Pers. *Caprifol.* Juss.). ED.

7. *Vergiliarum exortu*. De quo l. XVIII, cap. 66. HARD.

8. *Etesiarum præcursu*. Sic plane ut Etesiarum ortum anteveniant : qui ortus incidit in VIII kal. Aug. ut dicetur lib. XVIII, cap. 68. H.

XLIII. 1. *Cornus enim circa*, etc. Theophrastus Hist. III, 12, fructum eodem fere tempore ferre scribit, quo olea. DALEC. — *Cornus enim*. Hæc habet iisdem verbis Theophrastus, Hist. lib. III, cap. 6 : Κρανεία μὲν... περὶ τροπὰς θερινὰς, etc. HARD.

sit : tanta differentia ab eodem genere[2] fit. Sed et terebinthus messibus[3] reddit semen, et acer[4], et fraxinus : nuces, et mala[5], et pira, præterquam hiberna, aut præcocia, autumno. Glandiferæ[6] serius etiamnum, Vergiliarum occasu[7] : esculus tantum autumno. Incipiente autem hieme[8] quædam genera mali, pirique, et suber. Abies flores[9] croci colore circa solstitium, semen reddit post Vergiliarum occasum. Pinus autem[10] et picea præveniunt germinatione quindecim fere diebus. Semen vero[11] post Vergilias et ipsæ reddunt.

XLIV. Citreæ, et juniperus[1], et ilex, anniferæ[2] ha- 1
bentur, novusque fructus in his cum annotino pendet.
In maxima tamen admiratione pinus est : habet fructum
maturescentem : habet proximo anno ad maturitatem venturum, ac deinde tertio. Nec ulla arborum avidius se promittit. Quo mense nux ex ea decerpitur, eodem maturescit

2. *Ab eodem genere.* Tanta est, inquit, in sexu differentia, in arboribus etiam ejusdem generis. Theophrast. τοσαύτη δὲ ἡ διαφορὰ περὶ ἄμφω. HARD.

3. *Sed et... messibus.* Theophr. περὶ πυροῦ ἀμητὸν, *circa messem tritici.* HARD.

4. *Et acer... autumno.* Hæc pariler omuia Theophrastus, loco cilato. HARD.

5. *Nuces et mala*, elc. Alnus, nux juglaus, el Achradum quoddam genus aulumuo : quercus el castanea serius, circa Vergiliarum occasum. DALEC.

6. *Glandiferæ.* Ul robur, et caslanea, δρῦς καὶ Διὸς βάλανος, Theophrast. HARD.

7. *Vergiliarum occasu.* De quo l. XVIII, cap. 59. HARD.

8. *Incipiente autem hieme*, elc. Aria hiemis iuilio, Malus primis frigoribus, Achra serolina hieme. DAL.

9. *Abies flores.* Theophrast. loco citalo, καὶ τὸ ἐλάτης ἄνθος κρόκινον, elc. HARD.

10. *Pinus autem*, etc. Theophr. πεύκη δὲ καὶ πίτυς προτερεῦσι τῇ βλαστήσει μικρὸν, elc. HARD.

11. *Semen vero.* Theophrast. loc. citat. μετὰ Πλειάδα, hoc esl, μετὰ δύσιν Πλειάδος. HARD.

XLIV. 1. *Citreæ et juniperus.* Celaslri, juniperus el ilex lardissime perficiuul fruclum, elc. Theophr. Hist. lih. III, cap. 6. Plinius hæc negligenter vertit. DAL. — *Citreæ.* De cilreis jam verissime superius affirmavil, lib. XII, cap. 7. De junipero et ilice, Theophrast. loco cilato. HARD.

2. *Anniferæ.* Toto anno ferre fructum existimanlur. HARD.

alia : et sic dispensatur, ut nullo non mense maturescant. Quæ se in arbore ipsa divisere, azaniæ vocantur[3] : læduntque cæteras nisi detrahantur.

1 XLV. Fructum arborum solæ nullum ferunt, hoc est, ne semen quidem, tamarix[1] scopis tantum nascens, populus[2], alnus[3], ulmus Atinia[4], alaternus[5], cui folia inter ilicem et olivam. Infelices[6] autem existimantur, damnatæque religione, quæ neque seruntur[7] umquam, neque

3. *Azaniæ vocantur.* Hoc est, exarescentes, ab ἀζάνω, *exaresco*, vel ab ἀζαίνω, *exsicco*, quod vel siccitate aeris, vel longiore mora in arbore factæ aridiores dehiscant nuces eæ pineæ. Ita porro MSS. Reg. Th. Colb. Chifflet. non *Zamiæ* (ut apud Gronovium legitur). Hard.

XLV. 1. *Tamarix.* Nempe silvestris, et nostras, quæ plane est sterilis, ut dicetur lib. XXIV, c. 42, non sativa, quæ in Ægypto Syriaque fert fructum. Hard.

2. *Populus.* Alba nimirum, λεύκη. Nam nigræ semen in comitialibus morbis ipse commendat, l. XXIV, cap. 32. Hard.

3. *Alnus.* Alnos in Creta fructum ferre scribit auctor lib. de Mirab. Auscult. pag. 1155. Apud nos oblongum quiddam emittit, ex multis compactum squamulis, quod pro fructu habetur : iis dehiscentibus semen autumno excidit. Hard.

4. *Ulmus Atinia.* Diximus de ea ulmo, cap. 29. Hard.

5. *Alaternus.* Et hanc Macrobius inter infelices arbores reponit, Sat. lib. II, cap. 16, pag. 878. A Clusio pingitur Hist. Plant. lib. I, c. 33, p. 50. Gallis, *Alaterne.* Plura ejus genera in Horto Regio. Hard. — *Rhamnus Alaternus* (*Pentand. monogyn.* gen. 532, Pers. *Frangulac.* Juss.). Habitat in Europa meridionali. Ed.

6. *Infelices.* Felices arbores vocant, quæ fructum ferunt ; infelices, quæ non ferunt. Livius, lib. V, pag. 95 : « Nulla felix arbor, nihil frugiferum in agro relictum. » Hard.

7. *Quæ neque seruntur*, etc. Vocarunt et infelicem, ad quam capitis damnatus suspendio necaretur, obtecto velatoque capite, quod constat ex illo prisco diro carmine, « Caput obnubito, arbori infelici suspendito, » recitato a Cicerone in orat. pro Caio Rabirio : nisi quis forte existimet, non solitos Veteres supplicium id sumere ad alias arbores, quam quæ esset ex infelicium genere. Muret. in Var. lib. VIII, cap. 9; Brod. lib. IV, cap. 6. Apud Gellium, lib. X, c. 15, Flaminica surculum de arbore felici in rica habet, quod inarculum, a tegendo, *arcere* enim hoc significavit, olim nominarunt. Fuit autem rica cingulum capitis, quo sacerdos vittæ loco redimibat se. Arborem felicem, Punicam malum Festus exponit. Scal. — Inarculum quod fuit Flaminicis, *stroppus* in Flaminum pileis dicebatur. Idem in Varr.

fructum ferunt. Cremutius auctor est, numquam virere arborem, ex qua Phyllis[8] se suspenderit. Quæ gummi gignunt, post germinationem aperiuntur[9]: gummi vero non nisi fructu detracto spissatur.

XLVI. Novellæ arbores carent fructu quamdiu crescunt. 1
Perdunt facillime[1] ante maturitatem, palma, ficus, amygdala, malus, pirus: item Punica, quæ etiam roribus nimiis et pruinis florem amittit. Qua de causa inflectunt ramos ejus[2], ne subrecti humorem infestum excipiant, atque contineant. Pirus et amygdala[3], etiamsi non pluat, sed fiat Austrinum cælum, aut nubilum, amittunt florem et primos fructus; si, quum defloruere, tales dies fuerint. Ocyssime autem salix amittit semen, antequam omnino maturitatem sentiat[4], ob id dicta Homero[5] frugiperda:

8. *Ex qua Phyllis.* Fuit hæc Lycurgi, Thraciæ regis filia, quæ Demophoonta Thesei regis Atheniensis ex Phædra filium amavit, excepitque e Trojano bello redeuntem. Is quum Athenas ad componenda regni negotia reversus, illic longiores contra datam fidem traheret moras, Phyllis se spretam rata, amoris impatientia vitam laqueo finivit, et in arborem amygdalum foliis carentem est mutata. Reversus deinde Demophoon, quum arborem amplexus esset, illa sponsi adventum veluti sentiens, emisit folia, quæ ab ejus nomine φύλλα deinde dicta sunt, quæ prius πέταλα dicebantur. Vide Hygin. fab. 243. Hard.

9. *Aperiuntur.* Dehiscunt, ut gummi emittant. Hard.

XLVI. 1 *Perdunt facillime.* Theophrastus, Hist. lib. II, cap. 9. H.

2. *Inflectunt ramos ejus.* Theophr. lib. II, cap. 11 de Causis. Dal.

3. *Pirus et amygdala.* Plinius ipse, lib. XVII, cap. 2: « Adeo ut amygdalæ et piri, etiamsi omnino nubilum fuit, Austrinusve flatus, amittant fetus. » Hard.

4. *Ocyssime autem salix amittit semen, antequam omnino maturitatem sentiat*, etc. Apud Theoph. Hist. lib. III, cap. 2: Ἀλλὰ τὴν ἰτέαν ταχὺ προκαταβάλλειν πρὸ τοῦ τελείως ἁδρῦναι καὶ πέψαι τὸν καρπόν· διὸ καὶ τὸν ποιητὴν εὖ κακῶς προσαγορεύειν αὐτὴν ὠλεσίκαρπον. Quæ Plinius ipse iterum repetit, lib. XXIV, c. 38. Id porro semen, quod in aranearn abit, ante quam percoquatur, etsi Theophr. καρπὸν appellat, Galenus, Ægineta, et alii, malunt florem vocare. — *Salix*, etc. *Salices* (*Diœc. diand.* gen. 2179, Pers. *Amentac.* Juss.) semina habent papposa. Ed.

5. *Homero.* Odyss. K, v. 510: Μακραί τ' αἴγειροι, καὶ ἰτέαι ὠλεσίκαρποι. Ubi Didymus Interpres: Ὠλεσίκαρποι· ἐπειδὴ τὸ ἄνθος ἀπο-

sequuta ætas[6] scelere suo interpretata est hanc sententiam, quando semen salicis mulieri sterilitatis medicamentum[7] esse constat. Sed in hoc quoque providens natura, facile nascenti, et depacto surculo[8], incuriosins semen dedit. Una tamen[9] proditur ad maturitatem perferre solita, in Creta insula, ipso descensu Jovis speluncæ, torvum ligneumque, magnitudine ciceris.

1 XLVII. Fiunt vero quædam loci vitio infructuosa, sicut in Paro silva cædua, quæ nihil fert. Persicæ arbores[1] in Rhodo florent tantum. Fit hæc differentia et ex sexu[2]: in iisque mares non ferunt. Aliqui hoc[3] permutantes, mares esse, quæ ferant, tradunt. Facit et densitas sterilitatem.

1 XLVIII. Gignentium[1] autem quædam et lateribus ramorum, et cacuminibus ferunt: ut pirus, Punica, ficus, myrtus: cætero eadem natura[2], quæ frugibus. Namque et in eis spica in cacumine nascitur, legumina in lateribus.

βάλλουσιν· ἢ ἐπεὶ οἱ πίνοντες ἄνθος ἰτέας, ἄγονοι διαμένουσι. Quoniam florem amittit: vel quod in potu sumptus sterilitatem inducit. H.

6. *Sequuta ætas.* Theophrastus ἐν φυτικοῖς, citante Didymo loc. cit. Democritus in Geopon. lib. XI, cap. 14, pag. 312, ubi Homericus versus ita scribitur, Κλῆθραί τ', αἴγειροι, καὶ ἰτέαι ὠλεσίκαρποι. Diosc. lib. I, pag. 136; Ælian. Hist. Anim. lib. IV, cap. 23, ac Plinius ipse rursum lib. XXIV, cap. 38. H.

7. *Medicamentum.* Φάρμακον, quod sterilitatem affert. Hard.

8. *Et depacto surculo.* Quum vel depacto, inqnit, in terram nulla fere arte, vel cultura, facile hæc nascatur arbos, indiligentius ei natura semen dedit, quod vix perfert ad maturitatem. Haad.

9. *Una tamen.* In ejusdem speluncæ aditu fuisse et populum nigram, quæ fructum ferret. Theophrast. Hist. lib. III, cap. 5. H.

XLVII. 1. *Persicæ arbores.* Id jam superius memoratum lib. XV, cap. 13. Idem de arbore Persea Theophrastus, Hist. lib. III, cap. 5; quoniam arbos utraque Ægypti indigena fuit. Hard.

2. *Fit hæc ... et ex sexu.* Apud Theophr. Hist. lib. III, cap. 6. H.

3. *Aliqui hoc.* Theophr. l. c. H.

XLVIII. 1. *Gignentium.* Theoph. Hist. lib. I, cap. 23. Hard.

2. *Cætero eadem natura.* Cætero constant hæ arbores eadem natura, quæ frugibus inest. Namque et in ipsis frugibus spica est in cacumine, ut in frumento: legumina sunt in lateribus, ut in faba. Hæc Plinius fere, sed alio certe ex fonte, quam ex Theophrasto. H.

Palma sola (ut dictum est[3]) in spathis habet fructum, racemis propendentem.

XLIX. Reliquis sub folio pomum, ut protegatur, ex- 1
cepta fico, cui folium maximum umbrosissimumque, et ideo supra id pomum : ei demum serius folium nascitur, quam pomum. Insigne proditur in quodam genere Ciliciæ, Cypri, Helladis, ficos sub folio[1], grossos vero post folium nasci. Ficus et præcoces[2] habet, quas Athenis prodromos vocant. In Laconico genere maxime sunt[3].

L. (XXVII.) Sunt et biferæ[1] in eisdem. In Cea[2] insula 1
caprifici triferæ sunt. Primo fetu sequens evocatur, sequenti tertius : hoc fici[3] caprificantur. Et caprifici autem ab adversis foliis[4] nascuntur. Biferæ et in malis ac piris quædam, sicut et præcoces. Malus silvestris bifera. Se-

3. *Ut dictum est.* Lib. XIII, cap. 7, ubi spathas, quæ vox græca est, palmites transtulit. Pollux lib. I, cap. ult. ἐξ οὗ κρεμῶνται οἱ βάλανοι, σπάθη. HARD.

XLIX. 1. *Ficos sub folio.* Hoc est, infra folium. Grossos vero post folium, hoc est, a tergo foliorum, et uti nos loquimur, supra folia. Hæc quoque recitat Athenæus ex Theophr. lib. III, pag. 77 : τὸ μὲν σῦκον ἔμπροσθεν φέρει τοῦ φύλλου· τὸν δὲ ὄλυνθον ἐξόπισθεν. Grossus est pomum serotinum, vel raro, vel numquam maturescens. HARD.

2. *Ficus et præcoces.* Theophrast. de Caus. lib. V, cap. 1, et in hoc argumento habitat, et causas ejus rei investigat. HARD.

3. *In Laconico genere maxime sunt.* Ita MSS. omnes, non uti hactenus perperam fuit editum, *maximæ.* Neque enim sententia est in Laconico genere nasci ficus mole priores : sed in eo potissimum genere præcoces seu prodromos reperiri. Sunt enim hæc Theophrasti verba, apud Athen. lib. III, pag. 77, et apud Theophrast. ipsum de Causis plantarum, lib. V, cap. 1 : Πάλιν δὲ τοὺς προδρόμους αἱ μὲν φέρουσιν, ἥτε Λακωνικὴ, καὶ ἡ λευκομφάλιος, καὶ ἕτεραι πλείους· αἱ δὲ οὐ φέρουσι. Ficus quædam præcoces fructus gignunt, ut Laconica, et Leucomphalia... quædam minime. HARD.

L. 1. *Sunt et biferæ.* In ficubus, ut dictum est lib. XV, cap. 19. H.

2. *In Cea insula.* Hodie etiam incolæ ejus insulæ hunc caprificandi morem retinent. DAL. — *In Cea.* Ἐν Κέῳ Theophr. de Plant. lib. II; apud Athen. lib. III, pag. 77. H.

3. *Hoc fici.* Hoc nempe tertio caprifici fetu, fici urbanæ caprificantur, quo dictum est modo, lib. XV, cap. 21. HARD.

4. *Ab adversis foliis.* Supra folia, ut fici : non sub ipsis, ut reliqua poma. HARD.

quens ejus fructus post Arcturum[5] in apricis maxime. Vites quidem et triferæ sunt[6], quas ob id insanas vocant: quoniam in iis alia maturescunt, alia turgescunt, alia florent. M. Varro auctor est, vitem fuisse Smyrnæ[7] apud Matroum[8] biferam, et malum in agro Consentino. Hoc autem evenit perpetuo in Tacapensi Africæ agro, de quo plura alias[9]: ea est soli fertilitas. Trifera est et cupressus.

5. *Post Arcturum*. Μετ' Ἀρκτοῦρον Theophr. Hist. lib. I, cap. 23, post Arcturi exortum, de quo dicemus lib. XVIII, cap. 74. H.

6. *Vites quidem et triferæ sunt*. Non ter, sed triplicem fructus varietatem ferentes: ut apparet ex Arist. lib. περὶ θαυμ. Ἀκουσμάτων. Constant. — Ego vero sic dictas puto, quod ter fructum quotannis edant: quales multis in locis mihi visæ sunt, et præcipue in horto Guil. Caulii Lugduni. Dalec. — *Vites*. Theophr. de Caus. lib. I, cap. 11, pag. 211. Hard.

7. *M. Varro auctor est, vitem fuisse Smyrnæ apud mare*. Archetypum Tolet. non *mare* habet, sed *matream*; quæ dictio non temere mutanda fuit: fortasse enim Plinius *Metroon* scriptum reliquit, hoc est, templum Matris Deorum, quale in Elide Peloponnesi fuisse auctor est Pausanias in Eliacis. Pint. — *M. Varro auctor est*, etc. Locus Varronis hic est lib. I, cap. 7: « Propter eamdem causam multa sunt bifera, ut vites apud mare Smyrnæ: malus bifera, ut in agro Consentino. » Dalec.

8. *Apud Matroum*. Matris Deum Cybeles fanum. Castigandus hoc loco Varronis locus est, qui ad ea pertinet, quæ modo recitantur, de vite Smyrnensi bifera. Quum enim in libris Plinii vulgatis hactenus legeretur, « M. Varro auctor est, vitem fuisse Smyrnæ apud mare biferam: » atque ita sane, ut nunc sunt libri editi, apud ipsum Varronem legatur: utrobique mendum exstare haud leve ex MSS. Plinii exemplaribus deprehendimus. Nam in Reg. 1, 2, Colb. 1, 2, 3, Th. Chiffl. ipsoque Toletano teste Pintiano, scribitur, « apud Matream triferam: » quum scribi haud dubie par sit, « apud Matroum biferam. » Et Μητρῷον certe Smyrnæ fuisse Matris Deum Cybeles fanum, Strabo l. XIV, p. 646, locupletissimus est auctor. Plinius quoque ipse lib. XIV, cap. 6, ubi de vino Pramnio: « Nascitur Smyrnæ regione, juxta delubrum Matris Deum. » Hinc hymnos Cybeles μητρῷα vocarunt, quos primus tibia cecinit Sirites, teste Athenæo, lib. XIV, pag. 618, et Jul. Polluce, cap. 10: Σειρίτης κατηύλησε τὰ ματρῷα πρῶτος, Dalecampio τὰ ματρῷα *Cereales hymnos* nequidquam reddente. Biferam autem ibi vitem fuisse, non triferam, ex eo efficimus, quod in Tacapensi etiam agro non alia quam bifera fuerit, ut dicetur lib. XVIII, cap. 51, cui agro Smyrnensis nunc confertur. H.

9. *Plura alias*. Lib. XVIII, cap. 51. Hard.

Namque baccæ ejus colliguntur mense januario, et maio, et septembri: ternasque earum [10] gerit magnitudines. Est 3
vero et in ipsis arboribus [11] etiam onustis peculiaris differentia. Summa sui parte fertiliores, arbutus, quercus: inferiore, juglandes, fici mariscæ [12]. Omnes, quo magis senescunt, hoc maturius ferunt, et in apricis locis, nec pingui terra. Silvestriora [13] omnia tardiora. Quædam ex iis omnino nec maturescunt. Item quæ subarantur [14], aut quæ ablaqueantur, celeriora neglectis: hæc et fertiliora [15].

LI. Est etiamnum ætatis differentia. Amygdala enim 1
et pirus in senecta fertilissimæ: ut et glandiferæ, et quoddam genus ficorum. Cæteræ in juventa tardiusque maturantes; quod maxime notatur in vitibus. Vetustioribus enim vinum melius; novellis copiosius. Celerrime vero senescit, et in senecta deteriorem fructum gignit malus: namque et minora poma proveniunt, et vermiculis ob-

10. *Ternasque earum*. Tergemina est, inquit, magnitudinis baccarum differentia. Hard.

11. *Et in ipsis arboribus*, etc. Theophr. Histor. lib. I, cap. 23. Dalec.

12. *Summa parte fertilior est arbutus, quercus inferiore, juglandes, fici, mariscæ*. Emendatius antiquus codex: « Summa sui parte fertiliores arbutus, quercus; inferiore, juglandes, fici, mariscæ. » Pint. — *Summa*. Hæc loci hujus sincerissima lectio, quam partim ex re ipsa, partim Varronis ipsius testimonio tuemur. Sic enim ille de R. R. lib. I, cap. 6: « Sursum fertiliores, ut arbutus ac quercus: deorsum, ut nuces Græcæ, et mariscæ fici. » Varro tamen eo toto capite quum *sursum* ac *deorsum* dicit, non partem arboris signat, superiorem, inferioremve: sed soli, in quo est, situm, montanum scilicet. vel planum et campestrem. Prius legebatur: « Summa sui parte fertilior est arbutus: quercus inferiore, etc. » (Sic Gronov aliique). Multiplici, ut patet, errore. H. — *Fici mariscæ*. De his egimus lib. XV, cap. 19. Hard.

13. *Silvestriora*. Tardius ea fructus suos perficiunt. Theophrast. Hist. lib. III, cap. 3: πεπαίνει γὰρ ὀψιαίτερον. Hard.—*Nec maturescunt*. Gronov. et Alii, *non matur*. Ed.

14. *Item quæ subarantur*. Subarare, est subtus arando terram movere: idem fere quod ablaqueare. Hard.

15. *Hæc et fertiliora*. Nempe, quæ subarantur. Nam ut paulo post ipse verissime, « Omnis cura fertilitatem adjicit. » Hard.

noxia. Quin et in ipsa arbore nascuntur. Ficus sola ex omnium arborum fetu, maturitatis causa medicatur[1]: jam quidem ex portentis[2], quoniam majora sunt pretia præposteris[3]. Omnia autem celerius senescunt præfecunda[4]. Quin et protinus moriuntur aliqua, cælo[5] fecunditatem omnem eblandito: quod maxime vitibus evenit. (XXVIII.)
2 Contra morus tardissime senescit, fructu minime[6] laborans. Tarde et quorum crispa materies: ut acer, palma, populus. Et subarata ocyus senescunt. (XXIX.) Silvestria autem tardissime[7]. Atque in totum, omnis cura fertilitatem adjicit[8], fertilitas senectam: ideo et præflorent talia[9], et prægerminant, atque in totum præcocia

LI. 1. *Medicatur.* Veluti Medicina juvatur. Caprificatione id fit, quum putrescente caprifici fructu culices geniti in urbanæ fructus evolant, et fructum mordent, sic properante ejus maturitate. Vide lib. XV, cap. 19. Dal. — *Medicatur.* Sparso ad radices hordeo, milioque, terraque obruto. Qua arte ficus præsertim humiles ac pumilæ in vasis fictilibus satæ nutriuntur: et citius eæ, quam reliquæ, germinant, et fructum edunt. Neque enim de caprificatione hic sermo, ut Dalecampius est arbitratus. H.

2. *Ex portentis.* Portentosæ, inquit, cujusdam luxuriæ est, majore esse in pretio eas quæ sic medicatæ coguntur ad maturitatem, ac præpostere nec legitimo tempore perficiuntur: quum sint eæ minus salubres. Plinius iterum lib. XXIII, cap. 63: « Novissimæ ficus salubriores, quam primæ; medicatæ vero, numquam. » Dalecampius hallucinatur, qui præposteras hoc loco novissimas putat esse. H.

3. *Præposteris.* Serotinis et novissimis, quæ salubriores censentur. Infra lib. XXIII, cap. 7. Dal.

4. *Præfecunda.* Quorum coacta medicamentis fecunditas est, quæ domini aviditas ad fertilitatem celerius quam par est, evocat. Simili fato, similique forte de causa, « senilis prudentia præmaturæ mortis signum est, » ut ait Plinius, lib. VII, cap. 52. Hard.

5. *Cælo.* Cæli et aeris benignitate ad fecunditatem arbores invitante. Hard.

6. *Fructu minime.* Ita Reg. 2, et alii; Reg. 1, Colb. Th. *fructus.* Haud multum, inquit, in edendo fructu morus laborat: ideo tardius senescit. Hard.

7. *Silvestria autem tardissime.* Theophrast. Histor. lib. IV, cap. 14. Dalec.

8. *Omnis cura fertilitatem adjicit.* Theophrast. de Causs. lib. II, cap. 15. Dalec.

9. *Præflorent talia.* Nempe silvestria. Hard.

fiunt : quoniam omnis infirmitas cælo magis[10] obnoxia est[11].

LII. Multæ vero plura gignunt, ut diximus[1] in glandiferis : inter quas laurus uvas suas[2] : maximeque[3] sterilis, quæ non gignit aliud : ob id a quibusdam mas existimatur. Ferunt et avellanæ iulos[4] compactili callo, ad nihil utiles. (xxx.) Plurima vero buxus[5]. Nam et semen suum, et granum, quod cratægum[6] vocant, et a septemtrione

10. *Cælo magis*. Cæli vires affectionesque sentit. Hard.

11. *Magis obnoxia est*. MSS. Reg. Th. Colb. etc. *magis oboccidit*. H.

LII. 1. *Ut diximus*. A cap. 9 ad cap. 14. Hard.

2. *Inter quas laurus uvas suas*. Apud Theophrast. de Causs. lib. II, cap. 15, et Hist. lib. III, cap. 11, laurus hæc fert τὰ βρύα, non βότρυας, nempe consertos flores, similes quercuum et olearum floribus. Gaza tamen hoc Plinii loco deceptus, apud eumdem Philosophum, Hist. lib. III, cap. 8, βότρυας, inconsiderate reposuit, nec in aliis supra citatis locis emendandum putavit, inconstanti judicio. Dal. — *Uvas suas*. Quiddam uvæ simile. H.

3. *Maximeque*. Et sativa quidem, inquit, et sterilis : sed hæc maxime, quæ fructum alium nullum gignit. Theophr. Hist. lib. III, cap. 8 : Ἡ δὲ δάφνη τὸ βοτρύδιον· φέρει μὲν καὶ καρποφόρος, εἰ μὴ καὶ πᾶσα, ἀλλὰ καὶ γένος τι αὐτῆς· οὐ μὴν ἀλλὰ πλέον ἡ ἄκαρπος, ἣν δὴ καὶ ἄῤῥενά τινες καλοῦσιν. « Fert laurus uvam. Et fructifera, quanquam non omnis, sed genus quoddam. Verum sterilis copiosius, quam masculam nonnulli appellant. » Hard.

4. *Iulos*. Theophr. l. c. Ἡρακλεωτικὴ καρύα, τὸν ἴουλον. Est autem iulus, quem avellanæ florem Suidas vocat, callo, seu squamula plurima ex qua compingitur : et tamdiu quidem compactilis dicitur, donec in flosculos exiguos dehiscat. Galli vocant, *des châtons*. H.

5. *Plurima vero buxus*. Scribendum non *buxus*, sed *ilex* manifeste ex Theophrast. libro III, cap. 16. Nihil enim tale, quale hic dicitur a Plinio, fert buxus, ex eodem Theophrasto, cap. 15. De ilice vero mox loco ante citato sic tradit : « Fert præter glandem granum quoddam puniceum, et viscum atque hyphear habet. Quapropter ut fructus quaternos habeat interdum contingit, binos proprios, binosque alienus, visci scilicet atque hyphearis : fert a septemtrione viscum, a meridie hyphear. » Quod autem sequitur *carthegon*, legendum quidem *crategon* : sed arbor est, non granum eidem Theophrasto crategon, eodem libro, capite 15. Et ejusdem nominis herba Dioscoridi, libro III. Pint.

6. *Quod cratægum*. MSS. omnes h. l. *gratægum*. In Indice, *gratecum*. Nos utrobique cratægum rescripsimus. In editis perperam *carthegon*. Hard.

viscum[7], a meridie hyphear : de quibus plura mox[8] paulo. Interdumque pariter res quaternas habent.

2 LIII. Arbores quædam[1] simplices, quibus a radice caudex unus : et rami frequentes, ut olivæ, fico, viti. Quædam fruticosi[2] generis, ut paliurus, myrtus : item nux avellana : quin immo melior est, et copiosior fructu, in plures dispersa ramos. In quibusdam omnino nullus[3], ut in suo genere buxo, loto transmarinæ[4]. Quædam bifurcæ, atque etiam in quinas partes diffusæ.
3 Quædam dividuæ[5], nec ramosæ, ut sambuci[6]. Quædam individuæ[7], ramosæ, ut piceæ. Quibusdam ramorum ordo, sicut piceæ, abieti. Alias inconditus, ut robori, malo, piro. Et abieti[8] quidem subrecta divisura, ramique in

7. *Viscum.* De ilice hoc Theophrastus, et non de buxo, Hist. lib. IV, cap. 16, et de Causs. lib. II, cap. 32, τὸν πύξον σὺν τῷ πρίνῳ Plinius confundit. Dalec. — *Viscum.* Viscum et hyphear ilici pariter, πρίνῳ attribuit Theophr. Hist. lib. III, cap. 16. Nec tamen illos audio, qui buxum pro ilice acceptum hoc loco a Plinio volunt : aut κραταῖγον aliud nullum esse, præter arborem eam, quam Theophr. cap. 15 extremo post buxum describit. Hard.

8. *Mox paulo.* Cap. 93, ubi et ilici viscum assignat. Hard.

LIII. 1. *Arbores quædam.* Dissimilia plane sunt quæ Theophrastus affert Hist. lib. I, cap. 13, et ab hoc argumento, in quo Plinius habitat, valde discrepantia. Οὐδὲν πρὸς ἔπος, ut aiunt. Ut plane frustra sint Rob. Constantinus, Dalecampius, cæterique, qui Plinianam orationem ex Theophrastea metiri, falsique coarguere moliuntur. H.

2. *Quædam fruticosi.* Hoc est, fruticibus annumeranda. Est autem frutex, qui ad justam arboris magnitudinem, crassitudinemve non assurgit : lignoso tamen et ipse caudice, qui non perarescat, ut in herbis accidit, sed perennis duret. Hard.

3. *In quibusdam ... nullus.* Subintellige, nullus caudex : sed statim pullulat a radice ramorum silva, ut in buxi genere quodam, lotoque Africana, de qua diximus lib. XIII, cap. 32. Hard.

4. *Loto transmarinæ.* Nihil Theophrastus. Dioscoridi, lotos arbor, lotos silvestris, lotos Ægyptia caulem habent. Dal.

5. *Quædam dividuæ.* Caudice bifurco, vel in plures partes diffisso. H.

6. *Sambuci.* Theophrast. Histor. lib. I, cap. 2, laurus, ficus. Dal. — *Sambuci. Quædam individuæ, ramosæ ut.* Hæc in Broterio desunt, operarum errore. Ed.

7. *Individuæ.* Simplici, nec usquam scisso, vel bifurco caudice. H.

8. *Et abieti.* Theophr. I, 13. H.

cælum tendentes, non in latera proni. Mirum[9], cacuminibus eorum decisis moritur[10]: totis vero detruncatis durat. Et si infra[11], quam rami fuere, præcidatur, quod supcrest, vivit; si vero cacumen[12] tantum auferatur, tota moritur. Alia ab radice brachiata, ut ulmus. Alia in cacumine ramosa, ut pinus, lotos, sive faba[13] Græca: quam Romæ a suavitate fructus silvestris quidem, sed cerasorum pæne natura, loton appellant. Præcipue domibus 3
expetitur ramorum petulantia, brevi caudice latissima exspatiantium umbra, et in vicinas domos sæpe transilientium. Nulli opacitas brevior: nec aufert solem hieme, decidentibus foliis. Nulli cortex jucundior, aut oculos excipiens blandius. Nulli rami longiores, validioresque, aut plures, ut dixisse totidem arbores liceat. Cortice pelles tingunt, radice lanas. Malis proprium[14] genus: ferarum enim rostra reddunt, adhærentibus uni maximo minoribus.

LIV. Ramorum aliqui[1] cæci, qui non germinant: quod 1

9. *Mirum.* Theophr. Hist. lib. III, cap. 8. Hard.

10. *Cacuminibus eorum decisis moritur.* Theophrast. Hist. lib. IV, cap. 19; lib. III, cap. 8; ejusd. et lib. V, cap. 24, de Causs. Dal.

11. *Et si infra.* Theophr. loc. cit. ὅταν δὲ τὰ κατωτέρω, etc. H.

12. *Si vero cacumen.* Theophrast. ἐὰν τὸ ἄκρον μόνον ἐπικοπῇ, vel solo deciso cacumine moritur. H.

13. *Lotos, sive faba.* Gallis, *l'alisier*, arbor Biturigibus Cubis valde familiaris. Recte a Dodonæo pingitur, et describitur eadem accurate, Pempt. VI, lib. IV, cap. 24. Hard.

14. *Malis proprium.* Arbori, inquit, quæ malus vocatur, peculiaris est ramorum forma seu facies: ferarum enim rostra referunt nodis suis: unus est eorum prægrandis: complures exigui circumadhærescunt. Theophr. Hist. lib. I, cap. 13: Ἰδιώτατοι δὲ οἱ τῆς μηλέας ὄζοι· ὅμοιοι γὰρ θηρίων προσώποις· εἷς μὲν ὁ μέγιστος, ἄλλοι δὲ περὶ αὐτὸν μικροὶ πλείους. Hard.

LIV. 1. *Ramorum aliqui.* Ramorum, inquit, ὄζους Theophrastus vocat (quod eodem recidit: nam ὄζοι nodi sunt, unde rami exeunt), alii cæci (sic enim vocantur infertiles, ἀβλαστοι), qui non germinant: quod et natura fit, genitali ibi deficiente succo: et læsione, deputatis ramis, excisis, avulsis. Theophr. l. c. Εἰσὶ δὲ τῶν ὄζων οἱ μὲν τυφλοὶ, οἱ δὲ γόνιμοι. Λέγω δὲ τυφλοὺς, ἀφ' ὧν μηδεὶς βλαστός. Οὗτοι δὲ καὶ φύσει, καὶ πηρώσει γίνονται. Index hujus loci, *de ramis.* Hard.

natura fit, si non evaluere[2] : aut pœna, quum deputatos cicatrix hebetavit[3]. Quæ dividuis in ramo[4] natura est, hæc viti in oculo, arundini in geniculo. Omnium terræ proxima crassiora. In longitudinem excrescunt abies[5], larix, palma, cupressus, ulmus, et si qua unistirpia[6]. Ramosarum cerasus etiam in XL cubitorum[7] trabes, æquali per totam duum cubitorum crassitudine reperitur. (XXXI.) Quædam statim[8] in ramos sparguntur, ut mali.

1 LV. Cortex aliis[1] tenuis, ut lauro[2], tiliæ : aliis crassus, ut robori. Aliis lævis, ut malo, fico. Idem scaber robori, palmæ. Omnibus in senecta rugosior[3]. Quibusdam rum-

2. *Si non evaluere.* Plinianum hoc *evalescere* respondere Theophrasteæ voci ἐκβιάζεσθαι, ex loco citato falso credidit Constantinus in Lexico : quum isti Latinæ *aut pœna*, etc. Græca æquivaleat. HARD.

3. *Quum deputatos cicatrix hebetavit.* Quum discerpti, avulsi, excisi, incendio mutilati fuerint. Theophrast. DALEC.

4. *Quæ dividuis in ramo.* Quod in arboribus, quarum caudex dividitur, ramus est, hoc in vite oculus, sive gemma, in arundine geniculum est : omnium natura similis, calamitas par : iisdem obvia cuncta casibus, sive naturæ vitio, sive læsione ea injuriaque hominum accidant. Theophr. l. c. Ὡς γὰρ ὁ ὄζος ἐν ἄλλοις, οὕτω καὶ ὀφθαλμὸς ἐν ἀμπέλῳ, καὶ ἐν καλάμῳ γόνυ. HARD.

5. *In longitudinem excrescunt abies.* Theophrast. Histor. lib. I, cap. 8 et 14. DAL.

6. *Unistirpia.* Quæ simpliciore assurgunt caudice, seu μονοστελέχη. Theophr. Hist. lib. I, cap. 14. H.

7. *In XL cubitorum.* Ita libri omnes, etiam manu exarati. Rectius tamen fortassis pro *quadraginta*, scripseris *quatuor et viginti.* Nam ita suadent hæc Theophrasti verba, Hist. lib. III, cap. 13 : Ἴδιον δὲ τῇ φύσει δένδρον ὁ κέρασός ἐστι, μεγέθει μὲν μέγα· καὶ γὰρ εἰς τέσσαρας καὶ εἴκοσι πήχεις αὔξεται· ἔστι δ' ὀρθοφυὴς σφόδρα· πάχος δὲ, ὥστε καὶ δίπηχυν τὸν περίμετρον πρὸ τῆς ῥίζης ἔχειν. HARD.

8. *Quædam statim.* Theophr. l. c. Ἔνια δὲ εὐθὺς σχίζεται, οἷον ἡ μηλέα. HARD.

LV. 1. *Cortex aliis.* Quæ de corticis multiplici natura hic produntur, a Theophrasto quoque traduntur, Hist. lib. I, cap. 8. H.

2. *Ut lauro.* Ut lauro, philyreæ. Vitiosum est exemplar Theophrasti, lib. I, cap. 8, quum idem scribat lib. III, cap. 10, tiliæ crassum esse corticem. DALEC.

3. *Omnibus in senecta rugosior.* Scribo, *quibusdam*, non *omnibus.* Theophrastus libro I, capite 8 : « Quædam, inquit, scabro cortice, ut robur, suber, palma. Hæc dum adolescunt, læviori cortice sunt : quum senescunt, crassiori, scabrio-

pitur sponte, ut viti. Quibusdam etiam[4] cadit, ut malo, unedoni: carnosus, suberi, populo: membranaceus[5], ut viti, arundini: libris similis, ceraso: multiplex tunicis, ut vitibus, tiliæ, abieti[6]. Quibusdam simplex, ut fico, arundini[7].

LVI. Magna et radicum[1] differentia. Copiosæ fico, 1
robori, platano: breves et angustæ, malo: singulares abieti, larici[2]. Singulis illis innituntur, quanquam minutis in latera dispersis. Crassiores lauro et inæquales[3]: item oleæ, cui et ramosæ[4]. At robori carnosæ. Robora[5] suas in profundum agunt. Si Virgilio[6] quidem credimus, esculus, quantum corpore eminet, tantum radice descendit. Oleæ 2
malisque, et cupressis, per summa cespitum[7]. Aliis recto

rique. » Pint. — *Quibusdam rumpitur sponte, ut viti.* Ἔνια ῥηγόφλοια, inquit Theophrast. ubi perperam legitur ῥιζόφλοια, quod Gaza non animadvertens, sic inepte locum eum vertit: « Nonnullis cortex radicis specimen gerit, ut viti. » Dal.

4. *Quibusdam etiam*, etc. Theophrast. sic habet: Τὰ δ' ὡς περιπίπτειν, ὡς ἀδράχνη, νηλεία, κόμαρος. Quibusdam veluti per circuitum cadit, ut adrachnæ, unedoni, arbuto. Loco νηλεία lego ἐπιμηλέα, quæ et ἐπιμηλὶς dicitur. Dalec.

5. *Membranaceus*. Nervosus, gracilis, ac minime carnosus, ἰνώδης καὶ ἄσαρκος ... οἷον ἀμπέλου, καλάμου, etc. Hard.

6. *Abieti*. Addit Theophr. linospartum et cæpas. Dal.

7. *Arundini*. Addit idem lolium. Dalec.

LVI. 1. *Magna et radicum*. Hæc radicum differentia proditur totidem fere verbis a Theophrast. Hist. lib. I, cap. 9. Hard.

2. *Abieti, larici*. Aliis una tantum radix, ut abieti et larici. Τὰ δὲ μονόῤῥιζα, καθάπερ ἐλάτη, πεύκη. En iterum: πεύκη, larix, ut diximus cap. 19. Hard.

3. *Crassiores lauro et inæquales*. Quibusdam, crassæ magis, quibusdam inæquales, ut lauro, item oleæ, cui et nodosæ ac fimbriatæ. Theophr. ὀζώδεις, καὶ θυσανώδεις.

4. *Cui et ramosæ*. Theophrast. l. c. ὀζώδεις. Plinius ramosas recte scripsit, Gaza *nodosas* perperam interpretatus est. Hard.

5. *Robora*. Theophr. Ἔστι δὲ καὶ τὰ μὲν βαθύῤῥιζα, καθάπερ δρῦς. Robur Plinio δρῦς est, ut diximus sæpius. Hard. — *Robora*. De Quercubus Veterum vid. Excurs. I ad calcem hujus libri. Ed.

6. *Si Virgilio*. Georg. lib. II, v. 291: « Esculus in primis, quæ quantum vertice ad auras Æthereas, tantum radice in tartara tendit. » H.

7. *Per summa cespitum*. In summa terra adrepunt. Theophr. Τὰ

meatu, ut lauro[8], oleæ: aliis flexuoso, ut fico. Minutis hæc capillamentis hirsuta, ut abies, multæque silvestrium: e quibus montani prætenuia fila decerpentes, spectabiles lagenas, et alia vasa nectunt. Quidam non altius[9] descendere radices, quam solis calor tepefaciat, idque[10] natura loci tenuioris crassiorisve dixere, quod falsum arbitror.
3 Apud auctores certe invenitur, abietis planta[11] quum transferretur, VIII cubitorum[12] in altitudine: nec totam refossam, sed abruptam. Maxima spatio atque plenitudine et citri[13] est. Ab ea platani[14], roboris, et glandiferarum. Quarumdam radix vivacior superficie, ut lauri. Itaque quum trunco inaruit, recisa etiam lætius fruticat. Quidam brevitate[15] radicum celerius senescere arbores

δὲ ἐπιπολαιόῤῥιζα, καθάπερ ἐλαία, ῥόα, μηλέα, κυπάρισσος. HARD.

8. *Aliis recto...lauro.* Etsi aliquantum obliquæ radices lauro, oleæque sint, tamen illæ æquabiliore cursu per summa cespitum repunt: ficus, flexuoso magis et contorto. Hæc a re ipsa, non e Theophrasto, petita. HARD.

9. *Quidam non altius*, etc. Tacite reprehendit Theophrastum a quo id scriptum est, Histor. lib. I, cap. 11. DALEC.

10. *Idque natura.* Conferre ii dixere, inquit, ad βαθυῤῥιζίαν, et teporem solis, et tenuitatem soli: ἐὰν ᾖ κούφη, καὶ μανὴ, καὶ εὔδιοδος, inquit Theophrast. In MSS. R. etc. « idque natura loci tenniores, gravissime dixere. » Haud recte, ut alii ante nos intellexere. HARD.

11. *Abietis planta.* Lego *plantæ*, non *planta*, ut repetas radicem. Consimiliter mox paulo quum dicit, « Visa etenim est annosa quercus vi tempestatis eversa, » legendum patrio casu, « annosæ quercus vi tempestatis eversæ, » ut rursus subaudias *radix*. PINT. — *Apud auctores.* Quod de abietis radice Plinius, hoc ipsum de larice Theophr. Hist. lib. II, cap. 7: Πεύκην δέ τις, etc. HARD.

12. *VIII cubitorum.* Subintellige, radicem fuisse. HARD.

13. *Et citri.* Ut dictum est superius, lib. XIII, cap. 29. HARD.

14. *Ab ea platani.* De platani radicibus XXXIII cubitorum, dictum est lib. XII, cap. 5, ex Theophr. et Varrone. HARD.

15. *Quidam brevitate*, etc. Theophrastus, Histor. lib. I, cap. 11, non ita quidem scribit, ut refert Plinius, sed novellas et vigentes arbores longius et altius radices mittere quam vetustas, radicemque marcescente arbore minui, et velut una contabescere: quod verissimum est. DALEC.

putant; quod coarguunt fici, quarum radices[16] longissimæ, et senectus ocyssima. Falsum arbitror et quod aliqui prodidere, radices arborum vetustate minui. Visa etenim est annosa quercus eversa vi tempestatis, et jugerum soli[17] amplexa.

LVII. Prostratas[1] restitui plerumque, et quadam terræ 1
cicatrice vivescere[2], vulgare est. Et familiarissimum hoc platanis[3] : quæ plurimum ventorum concipiunt propter densitatem ramorum : quibus amputatis, levatæ[4] onere in sua scrobe reponuntur. Factumque jam est hoc in juglandibus, oleisque, ac multis aliis. (XXXII.) Est in exemplis, et sine tempestate, ullave causa alia quam prodigii, cecidisse multas ac sua sponte resurrexisse. Factum 2
hoc[5] populi romani Quiritibus[6] ostentum Cimbricis bel-

16. *Quarum radices.* Theophrastus, Histor. lib. I, cap. 11. H.

17. *Et jugerum soli.* Partim corpore et ramis, partim radicibus jugerum amplexa. HARD.

LVII. 1. *Prostratas.* Hæc sunt etiam apud Theophr. Hist. l. IV, cap. 19. HARD.

2. *Vivescere.* Sic MSS. omnes, non *reviviscere.* HARD.

3. *Et... platanis.* Theophr. loc. cit. HARD.

4. *Levatæ onere.* MSS. omnes : *levato onere.* At lib. XVII, cap. 39 : « Arboribus putatione levatis onere. » HARD.

5. *Factum hoc.* Jul. Obseqnens, cap. 103, p. 54 : « Nuceriæ ulmus vento eversa, sna sponte erecta in radicem coaluit. » HARD.

6. *Pop. R. Quir. Populi R. Quirites* sunt e populo R. non quilibet (nam toto orbe romano sparsus populus R. fuit :) sed ii qui in ipsa Urbe regia, ἐν τῇ κυρίᾳ πόλει, domicilium haberent. Auctor Virgil. qui Georgic. lib. IV, vers. 200, de apibus sic cecinit : « Verum ipsæ e foliis natos et suavibus herbis Ore legunt ; ipsæ REGEM, parvosque QUIRITES Sufficiunt, aulasque, et cerea REGNA refingunt. » Ubi *parvi Quirites* sunt apes, quæ regem sui quæque alvearis assidue ac proxime circumcingunt, ut regi sno olim cives urbis regiæ Romæ proxime aderant. Inde est et *Quirinus*, qui proinde conditor regiæ civitatis est, nempe Romulus. Plinius, lib. XV, c. 36 : « Inter antiqnissima delubra habetnr QUIRINI, hoc est, ipsius Romuli. » Est Qnirini nomen etiam in nnmmo vetere familiæ Memmiæ, apnd Patinum, pag. 174, capite Romuli laureato, vultu senili et barbato, cnm hac epigraphe pone caput QVIRINVS : e regione, C. MEMMIVS C. F. Trinmvir monetalis : qui nempe ex aliqua Romuli filia se genus trahere gloriabatur. Est er-

lis[7] Nuceriæ in luco Junonis, ulmo, postquam etiam cacumen amputatum erat, quoniam in aram ipsam procumbebat, restituta sponte, ita ut protinus floreret : a quo deinde tempore majestas populi romani[8] resurrexit, quæ ante vastata cladibus fuerat. Memoratur[9] hoc idem factum et in Philippis[10], salice procidua atque detruncata: et Stagiris[11] in Museo populo alba : omnia fausti ominis. Sed maxime[12] mirum, Antandri platanus etiam circumdolatis[13] lateribus restibilis sponte facta[14], vitæque reddita

go *Quirinus*, ut diximus, Urbis regiæ conditor, vel rector. Virile nomen illud etiam Cæsari Augusto tribuitur a Virgilio, Georg. l. III, vers. 26 : « In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto Gangaridum faciam, victorisque arma QVIRINI. » Hoc est, Romani principis, qui Romæ in urbe regia sedem habet. Denique legitur etiam in Vitellii et Galbæ nummis hæc epigraphe : VESTA P. R. QVIRITIVM. *Vesta Populi Romani Quiritium* : hoc est, Religio Pietasque Populi Romani, nempe eorum qui in Urbe regia Roma degunt. In singulari numero dixit *Quiritem* Horatius, lib. I, ep. 5, v. 7 : « Quid plausus, et amici dona Quiritis? » Verisimiliora certe hæc videntur, quam quæ Festus comminiscitur de v. *Curis* et *Curitis*.—Sincerissima hæc est omnium librorum scriptura, tum manu exaratorum, tum etiam typis editorum, ante Dalecamp. qui *Populo R. Quiritibus* scripsit. Accepit hunc modum loquendi, credo, a Brissonio, de Formulis, lib. I, pag. 62, ubi antiquo receptum usu multis veterum testimoniis probat, quæ tu consule. Verum ista, *Populi Romani Quirites*, genuina esse libri omnes conditivi clamant, Reg. Colb. Th. Chifflet. Par. aliique, et quid illa verba significent, abunde in prioribus Notis, ex Virgilio in libris Georgicon, Plinioque, et nummis antiquis ostendimus. HARD.

7. *Cimbricis bellis*. Cimbros Marius cum Catulo vicit, an. U. 653. Vide Plutarchum in Mario. H.

8. *Majestas populi Rom.* Simile ostentum de majestate Senatus primum florente, deinde et marcescente, relatum est superiore libr. cap. 36. HARD.

9. *Memoratur*. Theophrast. Hist. lib. IV, cap. 19, et de Caus. lib. V, cap. 3, pag. 328. HARD.

10. *Philippis*. Thraciæ oppido, de quo lib. IV, cap. 18. HARD.

11. *Et Stagiris*. Theophr. Hist. lib. IV, cap. 19, ἐν Σταγείραις ἐν τῷ Μουσείῳ. HARD.

12. *Sed maxime*. Theophrastus, loco mox citato. HARD.

13. *Circumdolatis*. Duobus lateribus circumdolatis, παραπεπελεκημένη δ' ἐτύγχανεν ἐκ τῶν δύο μερῶν. Theophr. loc. cit. HARD.

14. *Restibilis sponte facta*. Sponte erecta et sibi restituta. Observa significationis modum. DAL.—Simile propemodum exemplum narrat

longitudine quindecim cubitorum, crassitudine quatuor ulnarum.

LVIII. Arbores, quas naturæ[1] debeamus, tribus modis[2] nascuntur : sponte, aut semine, aut ab radice. Cura numerosior exsistit : de qua suo dicemus volumine[3] : nunc enim totus sermo de natura est, multis modis mirisque memorabili. Namque non omnia in omnibus locis nasci docuimus[4], nec translata vivere. Hoc alias fastidio, alias contumacia, sæpius imbecillitate eorum, quæ tranferantur, evenit ; alias cælo invidente, alias solo repugnante. 1

LIX. Fastidit balsamum alibi nasci : nata Assyria[1] ma- 1

ocnlatus testis Cl. Jacobus Palmerius Exercitat. Critic. ad Theophr. lib. V, p. 598, de quercu quadam truncum habente xxv pedes aut circiter longum, crassum vero unius pedis, ant paulo minus diametro : hæc ventorum violentia dejecta et humi prostrata jacuit per duorum mensium spatium ; postea vero, ramis amputatis, onere levata denuo sponte resurrexit, et tamquam nihil passa viguit. Dalec. — *Restibilis*. Regerminans, restitnta fecunditate, παλίμβλαςος. Hard.

LVIII. 1. *Arbores, quas naturæ*. Non arti, non curæ, aut industriæ. Unde in Indice bujus libri locus bic notatur his verbis : « Quot modis sponte nascnntur arbores. » H.

2. *Tribus modis*. Tergeminam arborum originem tam pancis verbis perstrinxit, quam lucnlenter Virgilius explicat, Georg. lib. II, v. 9, exemplisque illnstrat, quæ juvat hic commemorare : « Principio arboribus varia est natura creandis : Namque aliæ, nullis hominum cogentibus, ipsæ Sponte sua veniunt, camposque et flumina late Curva tenent : ut molle siler, lentæque genistæ, Populus, et glauca canentia fronde salicta. Pars autem posito surgunt de semine : ut altæ Castaneæ, nemorumque Jovi quæ maxima frondet Esculus, atque babitæ Graiis oracula quercus. Pullulat ab radice aliis densissima silva : Ut cerasis, ulmisque ; etiam Parnassia laurus Parva sub ingenti matris se subjicit umbra. Hos natura modos primum dedit ; his genus omne Silvarum fruticumque viret, nemorumque sacrorum. Sunt alii, quos ipse via sibi repperit usus. » Quam multa Noster quam paucis contraxit. Hard.

3. *Suo dicemus volumine*. Libro XVII, cap. 9 : « Nunc de his arboribus dicemus, quæ cura hominum atque arte proveniunt. » H.

4. *Docuimus*. Lib. XII, c. 7. H.

LIX. 1. *Nata Assyria malus*. Voculam *nata* ex MSS. Reg. Colbert. Thnauoque adjecimus. Negat alibi feracem malum eam esse, quamvis alibi natam. Sic statim de palma : « Nec non et palma nasci ubique » fastidit, « aut nata parere. » H.

lus alibi ferre: nec non et palma nasci ubique, aut nata parere; vel quum promisit[1] etiam, ostenditque ea educare, quæ tamquam invita peperit. Non habet vires frutex cinnami in Syriæ vicina perveniendi. Non ferunt amomi nardique deliciæ, ne in Arabia quidem ex India, et[3] nave
2 peregrinari. Tentavit enim Seleucus rex. Illud maxime mirum, ipsas arbores plerumque exorari ut vivant, atque transmigrent: aliquando et a solo impetrari, ut alienas alat, advenasque nutriat: cælum nullo modo flecti. Vivit in Italia[4] piperis arbor: casiæ vero etiam in septemtrionali[5] plaga: vixit in Lydia[6] thuris. Sed unde[7] sorbentes succum omnem ex iis soles, coquentesque lacrymam? Illud proxime mirum, mutari naturam in iisdem[8], atque pro indiviso[9] valere. Cedrum æstuosis[10] partibus dederat:

1. *Vel quum promisit.* Alludit ad ea, quæ superius ipse notavit, lib. XIII, cap. 6 de palmis: « Ferunt in maritimis Hispaniæ fructum, verum immitem: dulcem in Africa, sed statim evanescentem. » H.

3. *Et nave.* Etiam nave, quod transvectionis genus mollissimum est. Hard.

4. *Vivit in Italia.* Ut dictum est, lib. XII, cap. 14. Hard.

5. *In septemtrionali.* Vide l. XII, cap. 43. De casia porro aromatica accipi hæc oportere, Columella testis est, cujus hæc oratio, lib. III, c. 8: « Tmolon et Corycion florere croco animadvertimus: Judæam et Arabiam pretiosis odoribus illustrem haberi. Sed nec nostram civitatem prædictis egere stirpibus; quippe quum pluribus locis Urbis jam casiam frondentem conspicimus: jam thuream plantam, florentesque hortos myrrha et croco. » H.

6. *In Lydia.* Nempe Sardibus, ut diximus lib. XII, cap. 31. H.

7. *Sed unde.* Sed sunt eæ arbores, inquit, in alieno cælo, soloque, sine succo, sine lacryma, absumente fortassis utrumque vi solis, et, si superis placet, sorbente. H.

8. *Mutari naturam in iisdem.* In iisdem scilicet arboribus; quum eas, quæ æstuosis fere nascuntur locis, etiam edant frigida, et versa vice. — *Mutari.* Adjecere hic voculam interpolatores, *in iisdem locis*, quæ Plinianam sententiam labefactat. Nos sequuti scriptoris mentem, fidemque codicum vetustiorum, inter quos cum Chifflet. et Par. eamdem erasimus. Hard.

9. *Pro indiviso.* Perinde. Sic R. 2, aliique, et editi omnes. Ea voce usus idem superius l. IX, c. 64. H.

10. *Cedrum æstuosis*, etc. Cedrus quidem conifera in æstuosa Syria gignitur, ac baccifera in Ida. Cedrum in Lycia multam nasci, materia ad navium fabricam utili,

et in Lyciis[11] Phrygiisque montibus nascitur. Frigus ini- 3
micum lauro fecerat: sed in Olympo[12] copiosior nulla est. Circa Bosphorum[13] Cimmerium in Panticapæo urbe, omni modo laboravit Mithridates rex, et cæteri incolæ, sacrorum certe[14] causa, laurum myrtumque habere: non contigit[15], quum teporis arbores[16] abundent ibi, Punicæ[17], ficique, jam mali et piri laudatissimæ. Frigidas[18] eodem tractu non genuit arbores, pinum, abietem, piceam. Et quid attinet in Pontum abire? juxta Romam ipsam castaneæ cerasique ægre proveniunt: Persica in Tusculano, nec non nuces Græcæ cum tædio inseruntur, Tarracina silvis scatet[19] earum.

LX. (XXXIII.) Cupressus[1] advena, et difficillime nascen- 1

Strabo scribit lib. XIV. Dalec.— *Cedrum æstuosis.* Syriæ. Theophr. Hist. lib, IV, cap. 6. Hard.

11. *Et in Lyciis.* Theophrastus, loco citato: Κέδρον δὲ καὶ τὰ Θρᾴκια ὄρη, καὶ τὰ Φρύγια. Hard.

12. *Sed in Olympo.* Nempe Pierico, de quo lib. IV, cap. 15. Quem νιφόεντα, montem nivosum, Homerus alter vocat, hymno in Herculem. Theophrastus, loco citato. H.

13. *Circa Bosphorum.* Theophr. loc. cit. Hard.

14. *Sacrorum certe.* Quoniam in sacris adhiberi myrtus laurusque soleret, ad purgationes, ad suffimenta, ut dictum est libro super. cap. 36 et 40; diceturque uberius lib. XXV, cap. 59. Hard.

15. *Non contigit.* Frigus perferre negat posse myrtum Virgil. Eclog. VII, v. 6: « Dum teneras defendo a frigore myrtos. » Et Plinius Jun. lib. V, ep. 6, villam suam membratim describens: « Cælum, inquit, est hieme frigidum et gelidum: myrtos, oleas, quæque alia assiduo tepore lætantur, aspernatur ac respuit. » Apud Aremoricos, qui Britones nominantur, multa myrtus est, cælum tamen hieme frigidum satis, gelidumque. Hard.

16. *Teporis arbores.* Tepido videlicet calidoque cælo feliciter provenientes. Hard.

17. *Punicæ*, etc. Theophrastus, loc. cit. Hard.

18. *Frigidas.* Theophr. rursum, loc. cit. Hard.

19. *Scatet.* Gr. *scatente earum*, quod recepit Broterius. Ed.

LX. 1. *Cupressus*, etc. Κυπάριττος Græcis, ἀπὸ τοῦ κύειν τοὺς παρίσους ἀκρέμονας. Quidam cupressos χαρίτας dixere ab eleganti venustaque coma. In Arcadia apud Psophidem tantæ proceritatis fuerunt, ut proximus mons inumbraretur: dictæ παρθένοι, quia ferro intactæ, et Alcmæoni sacræ, quoniam Argis necata matre illuc se recepisset. Materia cupressi ἄσηπτος, quamobrem eorum, qui in bello ceciderant, corpora arcis e cupresso condi,

tium fuit, ut de qua verbosius sæpiusque, quam de omnibus aliis, prodiderit Cato[2]. Natu morosa[3], fructu supervacua[4], baccis torva[5], folio amara, odore violenta, ac ne umbra quidem gratiosa, materie rara[6], ut pæne fruticosi generis, Diti sacra[7], et ideo funebri signo[8] ad do-

solita Thucydides scribit: et Plato leges publicas, sacrorumque ritus, ob æternam firmitatem in tabulis cupressinis describi voluit. Rhodig. lib. XXV, c. 2. Vejovis simulacrum ex hoc ligno in arce duravit ab U. C. anno 551, ad auctoris usque tempora. Dalec. — *Cupressus advena.* Quoniam ei patria a Creta fuit, ut mox dicetur. Hard.

2. *Cato.* De R. R. cap. XLVIII, et cap. CLI, pag. 80 et 81. H.

3. *Natu morosa.* Δυσαυξὴς, Theophr. de Caus. lib. I, c. 9, crescens ægre admodum. Unde poetis dicta *lenta cupressus.* Plinius, lib. XVII, cap. 34 de esculo: « Minus morosa nasci. » Hard.

4. *Fructu supervacua.* Cessit ea res in proverbium, Κυπαρίττου καρπὸς, *cupressi fructus*, de re pulchra quidem, et aspectu speciosa, sed prorsus inutili. Vide Cæl. Rhodig. lib. XXV, cap. 2. Hard.

5. *Baccis torva.* Quæ gustanti faciem torvam reddunt, quum *ora*, ut Virgilius cecinit, Georg. l. II, vers. 247, *Tristia tentantum sensu* male torquet *amaror*. Baccas ejuscemodi galbulos appellat Varro, lib. de R. R. c. 40, et tamquam pilas corticias ait esse, in quibus semina natura concluserit. Pilulas Plinius, lib. XVII, cap. 14; Theophrastus, de Caus. lib. I, cap. 5, καρπὸν σφαιροειδῆ. Hard.

6. *Materie rara.* Macilenta. Quid fruticosum sit, diximus cap. 53. H.—*Cupressus sempervirens* (*Monæc. monadelph.* gen. 2133, Pers. *Amentac.* Juss.). Ed.

7. *Diti sacra.* Festus: « Cupressi mortuorum domibus ponebantur ideo, quia hujus generis arbor excisa non renascitur: sicut ex mortuo nihil est jam sperandum: quam ob causam in tutela Ditis patris esse putabatur. » Hard.

8. *Funebri signo*, etc. Nobilium tantum et divitum. Lucanus: « Et non plebeios luctus testata cupressus. » Varro adhiberi rogis cupressum ait propter gravem ustrinæ nidorem: quoniam fetorem cadaveris dum uritur, odoris sui injucunditate lenit. Festus Diti sacram esse, Servius Proserpinæ vult, quia præciso capite moritur, et subsecta non renascitur, præterquam in Ænaria, quemadmodum ex mortuis nihil speratur. Fabulas de Cyparissa filia Boreæ, Cyparissarum Eteoclis gnatarum, Cyparissi a Telepho geniti, cujus meminit Ovid. Metamorph. X, Servius Æn. III, prolixe narrat. Hadr. Jun. lib. I, cap. 20. Hermippus sceptrum Jovis e Cyparisso edolatum fuisse prodit, ideoque Pythagoræos arculis et utensilibus cupressinis abstinuisse Laertius refert. Virgil. de funere Polydori: « Stant Manibus aræ, Cæruleis mœstæ vittis, atraque cupresso. » Dal.

mos[9] posita. Femina sterilis diu[10]. Metæ demum[11] adspectu non repudiata, distinguendis tantum[12] pinorum ordinibus: nunc vero tonsilis facta in densitate[13] parietum, coercitaque gracilitate[14] perpetuo tenera. Trahitur etiam in 2

9. *Ad domos.* Nobilium scil. ut recte Dalec. admonuit, ad hunc Lucani versum, III, 442: « Et non plebeios, etc. » Neque ad domos tantum, sed et ad sepulcra. Horat. lib. II, Od. 14: « Linquenda tellus, et domus, et placens Uxor: neque harum, quas colis, arborum Te, præter invisas cupressos, Ulla brevem dominum sequetur. » Et apud Maronem, Æn. lib. VI, vs. 215, in Miseni funere, *ferales ante pyram cupressos constituunt.* Hard.

10. *Femina sterilis diu.* Legendum arbitror, *spreta*, non *sterilis*. Supra enim traditum fuit, feminam esse feracem, marem sterilem, indicant id etiam verba protinus sequentia, « Metæ demum aspectu non repudiata. » Pint. — *Femina sterilis diu.* Tarde fructum edit. Sed mas omnino non gignit, ut dicetur inferius, lib. XVII, cap. 14. Et Geopon. auctor diserte monet, lib. XI, c. 6, p. 308: Κυπάρισσος δὲ ὁ ἄῤῥην ἄγονός ἐστιν. Hard.

11. *Metæ demum.* Acuminato fastigio placuit, sive cono. Unde *conifera cyparissi* apud Virgil. Æneid. lib. III, v. 680: « Et metas imitata cupressus, » apud Ovid. Metam. lib. X, vers. 106. Hard.

12. *Distinguendis tantum*, etc. Id fieri solitum duobus modis intelligunt, aut quum in singulis ordinibus, duabus pinis cupressum unam interponebant: aut quum duobus pinorum ordinibus cupressorum ordinem unum interserebant: venustatis gratia, elegantisque et jucundi adspectus. Dal. — *Distinguendis tantum pinorum ordinibus.* Scribo *vinearum*, non *pinorum*, ex M. Varrone libro primo, c. 26: « In omni, inquit, vinea diligenter observa, ut ridica vitis ad septemtrionem versus figatur, et si cupressos vivas pro ridicis inserunt, alternos ordines imponunt, etc. » Pint. — *Pinorum ordinibus.* Sic libri omnes, etiam MSS. non *vinearum*, uti reponere ex Varronis lib. I, cap. 26, nititur Pintianus. Et aliud Varro voluit de R. R. lib. I, cap. 15, de limitatione agrorum, ita scribens: « Serunt alii circum fines prædiorum pinos, ut habet uxor in Sabinis: alii cupressos, ut ego habeo in Vesuvio. » Aliud Plinius, qui ipsos pinorum ordines claudi cupressis intersitis ac distingui monet. Hard.

13. *In densitate.* Tam densum, ut in hortis parietum vicem obtineat. Simili modo et de buxo superius, c. 28: « Densitate parietum virens semper, ac tonsile. » H.

14. *Coercitaque gracilitate*, etc. Lege: « Coercitaque gracilitate perpetuo terete. Trahitur etiam in picturas operis topiarii: venatus classesve et imagines rerum tenui folio brevique et virente semper vestiens: » et postea scribe: « Vulgoque dotem filiæ antiqui plantare appellabant: » quod erat quæstuo-

picturas operis topiarii[15] : venatus, classesve, et imagines rerum tenui folio, brevique, et virenti semper vestiens[16]. Duo genera earum : Meta in fastigium convoluta, quæ et femina appellatur. Mas spargit extra se ramos, deputaturque et accipit vitem[17]. Utraque autem[18] immittitur in perticas, asseresve, amputatione ramorum, qui XIII anno denariis singulis[19] veneunt. Quæstuosissima[20] in satus ratione silva : vulgoque, dotem filiarum[21] antiqui plantaria appellabant. Huic patria[22] insula Creta, quum Cato[23] Tarentinam eam appellet : credo, quod primum eo
3 venerit. Et in Ænaria[24] succisa regerminat. Sed in

sissima ills ratio cupressuum plantandarum ad perticas et asseres, quum eas pangebant, vulgo dictitabant antiqui dotem filiæ plantare sc. SALM. — *Perpetuo tenera.* Tonsili. HARD.

15. *Operis topiarii.* Sic hodie in hortis elegantioribus cupressos tractas in acies, classes, et Centauros videmus. In MSS. *aperi historiarum.* In editis, *opere historiali*, quæ defendi utcumqne scriptnra potest. Pintianum sequuti sumus. H.

16. *Vestiens.* Sic ex MSS. em. Hard. *superveniens.* Vet. *et virente semper vestiens.* Chiffl. *supervestiens.* Gr. et Al. ED.

17. *Accipit vitem.* Maritantur et cupresso vites. Varronem vide de R. R. lib. I, cap. 26. Fiunt et e cupressu pedamina vitinm teretia, teste Colnmella, l. IV, c. 26. H.

18. *Utraque autem.* Cupressus mas feminaque crescere sinitur in ramos longiores, quibus amputatis perticæ fiunt, asseresve. HARD.

19. *Denariis singulis.* Monetæ gallicæ assibus octo. HARD.

20. *Quæstuosissima.* Inter ea quæ seruntur. Solinus, c. XI, p. 30. H.

21. *Dotem filiarum*, etc. Dos apud Romanos quanta olim fuerit, explicat Alexander ab Alex. VIII, cap. 4. DALEC. — *Dotem.* Cupressorum plantaria dotem filiarum nominabant : nam dotis usnm et commoditatem præstabant : quod ex iis pecuniam ad illas maritandas conficerent. Ita Petavius noster in Miscell. Exerc. HARD.

22. *Huic patria.* Theophr. Hist. lib. IV, cap. 6. HARD.

23. *Cato.* Lib. de R. R. c. CLI : « Semen cupressi Tarentinæ per ver legi oportet, etc. » HARD.

24. *Et in Ænaria.* De qua diximus, lib. III, cap. 12. Sic libri omnes conspirante consensn : prorsus ut mirari subeat esse aliquos, qui hanc lectionem sollicitent, scribique velint, *et in Tarrha*, ex Theophrast. Hist. lib. II, cap. 2, qui hoc ipsum ἐν Τάῤῥᾳ contingere prodidit : perinde ac si non et alibi cupressi, quam in Tarrhensi agro, vim eam obtineant. Certe nihil de Tarrha Plininm cogitasse, quum hæc scriberet, argumento est, quod

Creta[25] quocumque in loco terram moverit quispiam, vi naturali hæc gignitur, protinusque emicat[26] : illa vero etiam[27] non appellato solo, ac sponte[28], maximeque in Idæis[29] montibus, et quos Albos vocant[30], summisque jugis, unde nives numquam absunt, plurima, quod mi-

statim ipse subjungit, *sed in Creta*, etc. quum sit ipsius Cretæ oppidum Τάῤῥα, Stephano teste. H.

25. *Sed in Creta.* Salmasius in Solinum, pag. 173, legit invitis omnibus libris, *sed in Tarento*, ita necessario, ut sibi videtur, flagitante sententia. At de Tarento ne quidem Plinius somniavit : sed Cretam dicere sane voluit, quod Theophrasti locus evincit, Hist. lib. III, c. 2 : Ἐνιαχοῦ δὲ, ἂν μόνον ὑπεργάσωνται καὶ κινήσωσιν, εὐθὺς ἀναβλαστάνειν τὰ οἰκεῖα τῆς χώρας, ὥσπερ ἐν Κρήτῃ κυπάριττοι. « Alicubi, si leviter sulcum impresserint, ac moverint, statim emergere familiaria illi terræ, ut in Creta cupressi. » Hard.

26. *Hæc gignitur protinusque emicat.* In aliis codicibus non *emicat*, legitur, sed *emigrat*, minus vitiose: legendum enim, ut opinor, *emergit :* quo verbo tamquam Pliniano usus est Theodorus interpres in Theophr. loco supra proxime cit. Pint. — *Vi naturali hæc gignitur.* Per sese, ac nullo satu, nativa quadam terræ vi cupressus erumpit. Sic vetus codex Dalecampii satis sane probabiliter. Neque tamen improbanda penitus librorum impressorum lectio, *nisi seratur alia* (nempe arbos,) *hæc gignitur.* Quum in Reg. 2, *ni seratur alia*, scriptum agnoverimus. In Reg. 1, Colbert. 1, 2, et Thuan. *nisi naturalia.* In Colb. 3, *ni naturali.* Mox vero pro *emicat* MSS. omnes *emigrat* præ se ferunt. Salmas. p. 173, *Si naturalis hæc :* quam durum illud! quam ridiculi sensus! Nempe si propria et naturalis ei hæc terra fuerit ! H.

27. *Illa vero etiam.* In eadem insula, inquit, non solum impressa leviter tellure, nullo satu ac sponte gignitur cupressus, quod unum Theophrastus de illa scripsit : verum etiam non commota terra, hoc est, non appellato ac fossionibus sollicitato solo, et quasi ad pariendum compulso, sed sponte. H.

28. *Ac sponte.* Ita libri, et MSS. omnes. Etsi *ex sponso* legi Petavio τῷ μακαρίτῃ placet in Misc. Exerc. cap. 11, quoniam dum colitur, exerceturque terra, quasi nexu quodam obligatur, ut ex sponso, vel ut alii aiunt, ex sponsu, citari cogique possit ad reddendum mutuum. *Sponsus* pro sponsione in Dig. tit. de Verb. sig. legitur *sponsio.* Hard.

29. *In Idæis.* Theophrast. Hist. lib. IV, cap. 1 : Ἐν Κρήτῃ γοῦν φασὶν ἐν τοῖς Ἰδαίοις ὄρεσι, καὶ ἐν τοῖς Λευκοῖς καλουμένοις, ἐπὶ τῶν ἄκρων, οὗπερ οὐδέποτε ἐπιλείπει χιὼν, κυπάριττον εἶναι. Hinc apud Virgil. Georg. lib. II, vers. 84, *Idææ cyparissi.* Hard.

30. *Et quos Albos vocant*, etc. Lege : « Et quos Albos vocant, summisque in iis unde numquam, etc. » De summis Albis montibus intelligit, unde numquam nives absunt,

remur : alibi non nisi in tepore [31] proveniens, et nutricem [32] magnopere fastidiens.

1 LXI. Nec terræ tantum [1] natura circa has refert, aut perpetua cæli, verum et quædam temporaria vis imbrium [2]. Aquæ plerumque semina afferunt : et certo fluunt [3] genere, aliquando etiam incognito : quod [4] accidit Cyrenaicæ regioni, quum primum ibi laserpitium natum est : ut in herbarum natura dicemus [5]. Nata est [6] et silva urbi ei proxima, imbre piceo crassoque, circiter urbis Romæ annum ccccxxx [7].

1 LXII. (xxxiv.) Edera jam [1] dicitur in Asia nasci : nega-

et inde Albi dicti. Salm. — *Albos.* Montes illi Albi sunt *les montagnes de la Sfachia, près de la Canée.* Quæ Plinius hic prodit de cupresso inter nives crescente observavit Cl. Tournefort, *Voyage*, tom. I, p. 32, et refutat quæ calumniatus fuerat Belon, *Observat.* cap. 5. Brot.

31. *In tepore.* Theophrast. Hist. lib. IV, cap. 6 : Ἐν τοῖς ἀλεεινοῖς, καὶ τοῖς πρὸς μεσημβρίαν, « locis apricis, et meridiano soli expositis. » H.

32. *Et nutricem.* Et ab eo loco transferri magnopere cupiens, ubi primum alta et enutrita est. H.

LXI. 1. *Nec terræ tantum*, etc. Lege : « Nec terræ tantum natura, etc. temporaria vis, imbre aliquo plerumque semina afferente. Certe fluunt genere aliquando etiam incognito : quod, etc. » Salm.

2. *Vis imbrium.* Theophrast. de Caus. lib. I, c. 5. MSS. Reg. Colb. etc. « vis imbrium aliqua, etc. » Libri editi : « vis imbres aliquæ, etc. » Mallem *imbres aliqui.* Sed sincerior ea lectio est, quam conjectura nostra excudit. Hard.

3. *Certo fluunt.* Nunc certa vehunt amnes, et cognita nobis semina : nunc etiam prius incognita. Theophrastus, Histor. lib. III, cap. 2 : Ἐνιαχοῦ καὶ ὑδάτων ἐπιγινομένων ἰδιότερον ἀνατεῖλαι ὕλης πλῆθος. Quare Salmasius in Solin. pag. 173, perperam *certe* reponit, vel libris invitis. Hard.

4. *Quod accidit.* Refert hoc ipsum Theophrast. loco citato. Accidisse ann. U. C. 136, Plinius ipse admonet, lib. XIX, cap. 15. Hard.

5. *Dicemus.* Lib. XIX, c. 15. H.

6. *Nata est et silva.* Theophrast. loc. cit. Refert quiddam simile in Peruvia, occidentalis Indiæ regione, accidisse Jos. a Costa, lib. IV, cap. 31. Hard.

7. *CCCCXXX.* Quo fere anno Aristoteles obiit, magister Theophrasti ; et quo Darium devicit Alexander. H. — cxxxvi ex lib. IX, cap. 3. Nam urbs Cyrenæ condita est an. urbis Romæ 143 ; defluxit autem is imber annis septem priusquam conderetur. Dalec.

LXII. 1. *Edera jam*, etc. *Hedera Helix* (*Pentand. monog.* gen. 576, Pers. Genus familiæ *Caprifoliaceæ.*

verat Theophrastus : nec in India, nisi in monte Mero. Quin et Harpalum, omni modo laborasse, ut sereret eam in Medis[2], frustra : Alexandrum[3] vero ob raritatem ita coronato exercitu, victorem ex India rediisse, exemplo Liberi Patris : cujus Dei et nunc adornat thyrsos, galeasque etiam ac scuta, in Thraciæ populis, in solemnibus sacris. Inimica arbori[4], satisque omnibus : sepulcra, muros rumpens : serpentium frigori[5] gratissima, ut mirum sit ullum honorem habitum ei. Duo genera[6] ejus prima, ut reliqua- 2

affine. Juss.). Plures Noster varietates enumerat. Ed.

2. *In Medis*. Non in ipsa Media, sed Babylone, quæ Medorum ditionis fuit. Theophrast. loc. citat. Ἐν τοῖς παραδείσοις τοῖς περὶ Βαβυλῶνα Ἅρπαλος φυτεύων... οὐδὲν ἐποίει πλέον. De Harpalo, quem olim Alexander inter fidissimos, mox inter hostes habuit, vide Curtium, lib. X, cap. 6, pag. 393. De monte Mero diximus lib. VI, cap. 23. H.

3. *Alexandrum*. Theophrast. loc. cit. et ex eo Arrianus, VI, 23. H.

4. *Inimica arbori*, etc. Laberius, « Ut edera serpens vires arboreas necat, Ita me vetustas amplexu annorum enecat; Sepulcris similis, nil nisi nomen retineo. » Dalec.

5. *Serpentium frigori*. Quoniam edera frigidis locis gaudet, sub ea serpentes lubenter latent, quarum est etiam natura perfrigida. Hard.

6. *Duo genera*. Quæ κίστῳ, vel κίσθῳ tribuenda erant, ea κισσῷ ederæ imprudenter assignasse quibusdam videtur Plinius. Theophrasti Græca, quæ hic repræsentari vulgo creduntur, hæc sunt, ex Hist. Plant. lib. VI, c. 2 : Καὶ γὰρ κισσοῦ δύο γένη διαιροῦσι, τὸ μὲν ἄῤῥεν, τὸ δὲ θῆλυ. Τῷ τὸ μὲν μεῖζον, καὶ σκληρότερον, καὶ λιπαρώτερον φύλλον ἔχειν, καὶ τὸ ἄνθος ἐπιπορφυρίζον· ἄμφω δ' ὅμοια τοῖς ἀγρίοις ῥόδοις, πλὴν ἐλάττω, καὶ ἄοσμα. Quæ omnia sunt Plinianis simillima : et Plinio imposuisse existimatur mendum illud quod jam tum ab illius ævo in Theophrasti codicibus inolevisse aiunt, hodieque perseverare, ut κισσὸς pro κίστος, vel κίσθος legatur, unde ederæ incaulus adscripserit, quæ cisthi fruticis sunt propria. Cur enimvero Theophrastus hoc libro sexto ederam iterum retractaudam sumeret inter frutices, quam libro jam tertio, cap. ult. fuse explicarat? Neque vero ederæ flos ullam habet cum rosa similitudinem : cisthi flos habet. Verum ab invidis obtrectatoribus, et malevolis id objectum Plinio arbitramur, etc. Hard. — Reliquam Harduini notam transcribere omittimus, quippe qui rei botanicæ parum sciens, et id interpretis munus esse arbitratus, ut auctoris sui errores etiam manifestissimos acerrime propugnet, nescio quas asari, vel aristolochiæ species, quas inter ederas refert, huc sine causa adducit. Liquet ex prava Theophrasti lectione ortum esse hunc Plinii locum. Ed.

rum[7], mas, et femina[8]. Major traditur mas corpore, et folio duriore etiam ac pinguiore, et flore ad purpuram accedente. Utriusque autem flos similis est rosæ silvestri, nisi quod caret odore. Species horum generum tres[9]. Est enim candida, et nigra edera, tertiaque quæ vocatur helix. Etiamnum[10] hæ species dividuntur in alias : quoniam est aliqua fructu tantum candida, alia et folio : fructum quoque candidum ferentium aliis densus acinus, et grandior, racemis in orbem circumactis, qui vo-
3 cantur corymbi[11]. Item selenitium[12], cujus est minor acinus, sparsior racemus. Simili modo in nigra[13]. Ali-

7. *Ut reliquarum.* Arborum scilicet : arborum enim nomine et vites et ederæ continentur, ut dicitur in Lexico Juris Civilis. H.

8. *Mas, et femina.* Turpissime lapsus hic Plinius, quæ de cisto audienda sunt, τῷ κιττῷ, id est, ederæ, tribuit. Nec apud Theophrast. nec apud Dioscorid. ulla ederæ differentia statuitur e sexu petita. Dal.

9. *Species horum generum tres.* Theophrasto, ederæ summa duo genera sunt : altera quæ humi repit, altera quæ in altum tollitur. Posterioris rursum triá genera; candida, nigra, helix, etc. Dal. — *Species horum*, etc. Tria pariter ederæ summa genera Theophrastus habet, Hist. lib. III, cap. 18 : Ὅ τε λευκὸς, καὶ ὁ μέλας, καὶ τρίτον ἡ ἕλιξ. Ἕλιξ ab ἑλίσσω, quod circumvoluta magis est ista : vel quod cicinnos, qui ἕλικες vocantur, magis conspicuos habet. Hard.

10. *Etiamnum.* Theophr. l. c. H.

11. *Qui vocantur corymbi.* Lego, « quæ vocantur corymbiæ, » ex Theophrasto lib. III, cap. 18. Neque enim ad ramos referenda est vox *corymbi*, sed ad ederas fructum album ferentes. Est et genus ederæ corymbia, Dioscoridi II. Dal. — *Corymbi.* Racemus in edera est, ut in vite, ex quo grana plura pendent : hunc quidam corymbum vocant : ὃν δὴ καλοῦσί τινες κόρυμβον, inquit Theophr. Hard.

12. *Item selenitium.* An ei generi a σελήνη nomen? *An selinicium;* ut in MSS. Reg. aliisque, ab aliqua acinorum, sive granorum similitudine cum semine apii, quod Græci σέλινον vocant? In Anthol. lib. III, cap. 24, Epigram. 40, mentio est σκηνίτου κισσοῦ, hoc est, tabernacula integentis, seu topiariæ ederæ. An denique Silenicum, a Sileno pædagogo et comite Bacchi, quem et edera pariter coronari Plinius asseverat, cap. 63. Hard.

13. *Simili modo in nigra.* Ut in candida proxime dictum est : sic in nigra, aliqua fructu tantum nigra est, alia et folio : alia majore fructu, seu acino, alia minore. Theophrast. l. c. Ἔχει δὲ ὁ μέλας διαφοράς. At mox idem subjicit,

cui[14] et semen nigrum, alii crocatum[15] : cujus coronis
poetæ[16] utuntur, foliis minus nigris : quam quidam Ny-
siam[17], alii Bacchicam vocant, maximis inter nigras co-
rymbis. Quidam apud Græcos etiamnum duo genera
hujus faciunt, a colore acinorum : erythranum[18], et
chrysocarpum[19]. Plurimas autem habet differentias helix, 4
quoniam folio maxime distat[20]. Parva sunt[21] et angulosa,
concinnioraque[22], quum reliquorum generum simplicia
sint. Distat et longitudine[23] internodiorum : præcipue
tamen sterilitate, quoniam fructum non gignit[24]. Qui-
dam[25] hoc ætatis esse, non generis existimant : primoque
helicem esse, fieri ederam vetustate. Horum error mani-
festus intelligitur : quoniam helicis plura genera repe-

ἀλλ' οὐχ ὁμοίως φανερὰς, « sed non ad eumdem modum conspicuas. » H.

14. *Alicui.* Nempe e genere nigrarum ederarum. Hard.

15. *Crocatum.* Croceo colore, Dioscorid. lib. II, pag. 210 : ὁ δὲ μέλας, μέλανα (καρπὸν ἔχει) ἢ κροκίζοντα. H. — De illa ederæ varietate, aureo fructu, *le lierre à fruit doré*, vide Cl. Tournefort, *Voyage*, tom. II, pag. 246. Brot.

16. *Poetæ.* Virgil. Ecl. VII, v. 25 : « Pastores edera nascentem ornate poetam. » Hard.

17. *Nysiam.* Sic MSS. omnes. Nempe a Nysa Bacchi nutrice, de qua lib. V, cap. 16, vel ab urbe Nysa, in qua ipse nutritus est, de qua lib. VI, cap. 23. Dionysiam ab ipso Baccho vocat Diosc. l. c. Vide Ovid. Fast. III, v. 769. H.

18. *Erythranum.* A rubro acinorum colore, qui Græcis ἐρυθρός. H.

19. *Chrysocarpum.* Diosc. in Noth. ad cap. de edera, οἱ δὲ χρυσόκαρπος. Apuleius cap. 119, *Chrysocanthon*, pro *chrysocarpon* vocat : et sic appellari ait, quod grana aurei coloris ferat. Idem habet et Plin. Val. III, 12, de Re med. H.

20 *Maxime distat.* Nempe ab aliis generibus, albæ, nigræque ederæ. Theophr. Hist. lib. III, cap. 18. H.

21. *Parva sunt.* Hæc totidem verbis Theophr. l. c. Hard.

22. *Concinnioraque.* Εὐθημονιςέρα, Leopard. lib. V, cap. 2. Dal.

23. *Distat et longitudine.* Theophr. l. c. Διαφέρει καὶ τῷ μήκει τῶν κλημάτων, καὶ ἔτι τῷ ἄκαρπος εἶναι.

24. *Quoniam fructum non gignit.* Ederæ folium novum angulosum est, vetustum rotundius, auctore Theophrast. Histor. lib. I, cap. 16. At helicis folium, sive novum, sive jam vetustum, semper angulosum est : qua re ab ederæ foliis discrepat. Quod autem ἀποκιττοῦσθαι Theophrastus ait, et Plinius vertit *ederam fieri*, alii, et rectius intelligunt, « ederæ modo folium mutare. » Dal.

25. *Quidam.* Hæc rursum totidem verbis Theophrast. l. c. H.

riuntur, sed tria maxime insignia : herbacea ac virens, quæ plurima est : altera candido folio : tertia, versicolori,
5 quæ Thracia[26] vocatur. Etiamnum herbaceæ tenuiora folia, et in ordinem digesta, densioraque. In alio genere[27] diversa omnia. Et in versicolori alia tenuioribus foliis[28], et similiter ordinatis densioribusque est : alteri generi neglecta hæc omnia. Majora quoque aut minora sunt folia, macularumque habitu distant : et in candidis[29] alia sunt candidiora. Adolescit in longitudinem maxime herbacea.
6 Arbores autem[30] necat candida, omnemque[31] succum auferendo tanta crassitudine augetur, ut ipsa arbor fiat. Signa ejus, folia[32] maxima atque latissima, mam-

26. *Quæ Thracia.* Theophrast. ἣν δὴ καλοῦσί τινες Θρακίαν. H.

27. *In alio genere.* In alio herbaceæ genere : uti mox geminum versicoloris ederæ genus distinguitur. Theophr. l. c. Καὶ γὰρ τῆς χλοώδους, ἡ μὲν λεπτοτέρα, καὶ εὐρυθμοφυλλοτέρα, καὶ ἔτι πυκνοφυλλοτέρα· ἡ δ' ἧττον πάντα ταῦτ' ἔχουσα. Καὶ τῆς ποικίλης, ἡ μὲν μεῖζον, ἡ δ' ἔλαττον τὸ φύλλον, καὶ τὴν ποικιλίαν διαφέρουσα. Hard.

28. *Alia tenuioribus foliis.* Nihil Theophr. Hæc de suo Plinius. Dal.

29. *Et in candidis*, etc. In candida, alia tantum fructu, alia etiam folio candida est. Theophr. Dal.

30. *Arbores autem*, etc. E candidis quæ asperrima et maxime silvestris est. Dal. — *Arbores.* Theophrast. l. c. Eo alludit Poeta Laberius apud Macrob. Saturn. lib. II, cap. 7, pag. 344 : « Ut edera serpens vires arboreas necat, Ita me vetustas amplexu annorum enecat : Sepulcri similis nil nisi nomen retineo. » Ederæ nomen factum, quia id, cui adhæserit, edat, Festus innuit, verbo *edera.* Hard.

31. *Omnemque.* Theophr. l. c. H.

32. *Signa ejus, folia*, etc. Lege : « Signa ejus maxima atque latissima : mammas erigentes, quæ sunt cæteris inflexæ, racemi stantes, etc. » dicit eam ederam racemis stantibus et subrectis esse, erigentibus mammas quæ sunt cæteris inflexæ : *mammas* vocat acinos ederæ : quos qui inspexit, scit mammis similes esse, cum parvo ἀκρομαστίῳ quod papillam refert : inde et *bumastus* uva dicta, quod acinos haberet ederæ mammis, id est, acinis similes. Salm. — *Signa ejus folia*, etc. Signum ejus quæ ad perfectæ ederæ naturam ventura sit, et folium mutatura, est non tantum folium majus, et amplius, sed quod statim germina recta habet (inepte pro βλαστοὺς, μαστοὺς Plinius hic legit), non ob longitudinem et tenuitatem (quemadmodum in helice) velut inflexa. Veris enim ederis crassa et brevia

mas[33] crigentis, quæ sunt cæteris inflexæ : racemi stantes, ac subrecti. Et quanquam omnium ederarum generi radicosa[34] brachia, huic[35] tamen maxime ramosa ac robusta : ab ea nigræ. Sed proprium[36] albæ, quod inter media folia emittit brachia, utrimque semper amplectens : hoc et in muris, quamvis ambire non possit. Itaque etiam[37] pluribus 7
locis intercisa, vivit tamen duratque : et totidem initia radicum habet, quot brachia, quibus incolumis et solida arbores sugit ac strangulat. Est et in fructu[38] differentia albæ nigræque ederæ : quoniam aliis tanta amaritudo acini, ut aves non attingant. Est et rigens edera, quæ sine adminiculo stat, sola omnium[39] generum ob id vocata[40] cissos. E diverso numquam nisi humi repens chamæcissos[41].

LXIII. (xxxv) Similis est ederæ, e Cilicia[1] primum 1

germina sunt, ac illarum cuivis, quum fructum edit, recta et sublimia. Theophr. Dal. — *Signa ejus.* Candidæ nimirum ederæ, in vetustatem inclinantis. Hard.

33. *Mammas.* Quid mamma sit, dicemus lib. XVII, cap. 25. H.

34. *Radicosa.* Radicum in morem efformatæ claviculæ, et sarmenta, κλήματα.

35. *Huic*, etc. Candidæ, asperrimæ, et maxime silvestri. Theophr. nigræ magis id tribuit, deinde candidarum huic generi. Dal.

36. *Sed proprium.* Theophr. totidem fere verbis, l. c. Hard.

37. *Itaque etiam.* Theoph l. c.

38. *Est et in fructu.* Est, inquit, fructus alius gustu jucundus, alter peramarus, tam in candida, quam in nigra: Ὁ μὲν γὰρ ἐπιγλυκύς ἐστιν· ὁ δὲ σφόδρα πικρὸς, καὶ τοῦ λευκοῦ, καὶ τοῦ μέλανος. Theoph. Hard.

39. *Sola omnium*, etc. Nihil horum apud Theophr. nihil apud Dioscor. Vel aliunde hæc sumpsit Plinius, vel Chamæcissi voce deceptus, eam a rigente distinguere tentavit. Theophr. quidem ederæ ἐπιγείου, et εἰς ὕψος αἰρουμένης meminit, nusquam Chamæcissi, plantæ sui generis, ab ederis diversissimæ. Dalec.

40. *Vocata cissos.* Sunt qui ὀρθόκισσος malint, quasi subrecta edera, et assurgens. At si ea quæ humi serpit χαμαίκισσος recte vocatur, sane ἐκ τῶν πρός τι, ea quæ subrecta est et rigens, erit recta κισσός. Hard.

41. *Chamæcissos.* Quæ ἐπίγειος edera Theophr. l. c. Est edera terrestris, quæ in horto Regio visitur, minor et elegantior, quam vulgaris. Hard. — *Chamæcissos.* Est, Sprengelio suffragante, *Antirrhinum Asarina* (*Didyn. angiosp.* gen. 1464, Pers. sub *Orontio. Scrophul.* Juss.). Ed.

LXIII. 1. *Ederæ, e Cilicia*, etc.

quidem profecta, sed in Græcia frequentior, quam vocant smilacem[2], densis[3] geniculata caulibus, spinosis[4] fructectosa[5] ramis, folio[6] ederaceo, parvo, non anguloso[7], a pediculo[8] emittente pampinos, flore candido, olente lilium[9]. Fert racemos[10] labruscæ modo, non ederæ, colore rubro, complexa acinis[11] majoribus nucleos ternos, minoribus singulos, nigros durosque: infausta omnibus sacris et coronis: quoniam sit lugubris, virgine ejus nominis, propter amorem juvenis Croci[12], mutata in hunc fruticem.
2 Id vulgus ignorans, plerumque festa sua polluit, ederam existimando[13]: sicut in poetis, aut Libero Patre, aut

In Gron. et al. *edera Cilicia quidem, sed profecto.* Ed.

2. *Smilacem.* Σμίλαξ τραχεῖα est Diosc. lib. IV, cap. 133. Gallis, *liseron.* H. — *Smilax aspera* (*Diœc. hexand.* gen. 2235, Pers. *Asparag. Jusa.*). Ed.

3. *Densis.* Denso geniculorum, seu internodiorum numero distinctos caules habet. Hard.

4. *Spinosis.* Rubi instar spinosa ei sarmenta sunt, inquit Diosc. l. c. Hard.

5. *Fructectosa.* Sic ex MSS. emendavit Hard. cons. Chiffl. *fruticosa* Gron. et Al. Ed.

6. *Folio.* Theophr. Hist. lib. III, cap. 18: Τὸ δὲ φύλλον κιττῶδες, μικρὸν, ἀγώνιον: ipsaque id experientia oculorum probat. H.

7. *Non angulosa.* Apud Theophr. legitur ἐγγώνιον absque negatione: verius esse quod hic legitur, herbæ figura monstrat. Dalec.

8. *A pediculo.* Ex eodem pediculo, ex quo folia enascuntur, emicant et claviculæ, quales in ederis cernuntur. Pampinos interdum Plinius et hos, et vitium capreolos vocat: quorum a similitudine et polyporum cirrhos seu crines, tortilem pampinum appellavit, lib. IX, cap. 74. « Pariunt, inquit, vere ova, tortili vibrata pampino. » H.

9. *Olente lilium.* Aliter hæc Theophrastus, qui odoratum modo florem dixit, et ἠρινὸν verno tempore provenientem: non, λειρινὸν, quod etsi Theophrastus scripsisset, non odorem lilii eo vocabulo, sed formam modo, effigiemque is expressisset. Occupavit hoc fere Dalecampius, Salmasius arripuit, objecitque Plinio in præfat. p. 90. H.

10. *Fert racemos.* Theophr. et Diosc. ll. cc. Hard.

11. *Complexa acinis.* In singulis granis nuclei sunt bini, terni; πυρῆνες δύο ἢ τρεῖς. Theophr. l. c. H.

12. *Juvenis Croci.* Cujus fabellam recitat Galeuus ipse κατὰ τόπους, lib. IX, cap. 4, pag. 608, et Ovid. Metam. lib. IV, v. 283: « Et Crocon in parvos versum cum Smilace flores. » Hard.

13. *Ederam existimando.* Quam in coronis Liberi Patris et Sileni adhiberi nemo nescit. Hard.

Sileno, quis omnino nescit quibus coronentur? E smilace fiunt codicilli: propriumque materiæ est, ut admota auribus, lenem sonum reddat. Ederæ mira[14] proditur natura ad experienda vina: si vas fiat e ligno ejus[15], vina transfluere, ac remanere aquam, si qua fuerit mixta.

LXIV. (XXXVI.) Inter ea, quæ frigidis gaudent, et 1
aquaticos frutices dixisse conveniat. Principatum in his tenebunt arundines, belli pacisque[1] experimentis necessariæ, atque etiam deliciis gratæ[2]. Tegulo[3] earum domus suas septemtrionales populi operiunt, durantque[4] ævis tecta alta. Et in reliquo vero orbe cameras levissime suspendunt[5]: chartisque[6] serviunt calami, Ægyptii[7] maxime,

14. *Ederæ mira.* Cato de R. R. cap. CXI, pag. 61: « Si voles scire in vinum aqua addita sit, necne: vasculum facito de materia ederacea. Vinum id quod putabis aquam habere, eodem mittito. Si habebit aquam, vinum effluet, aqua manebit. Nam non continet vinum vas ederaceum. » HARD.

15. *Si vas fiat e ligno ejus.* Κισσύβιον vocat Macrobius, Saturn. V, de quo Euripides in Andromeda, ... πᾶς δὲ ποιμένων ἔῤῥει λεὼς, Ὁ μὲν γάλακτος κίσσινον φέρων σκύφον, Πόνων ἀναψυκτῆρ', ὁ δ' ἀμπέλων γάνος. Victor. lib. XVI, cap. 27. DALEC.

LXIV. 1. *Belli pacisque.* Belli quidem, ad jacula: pacis ad calamos, queis scribimus. HARD.

2. *Deliciis gratæ.* Ad tibiarum usum. DALEC.

3. *Tegulo.* Iis pro tegumento utuntur ædium suarum. Quo Plautus allusit in Rudente, act. I, sc. 2, v. 34: « Quin tu in paludem is, exsecasque arundines, Qui pertegamus villam, dum sudum'st? » H.

4. *Durantque ævis*, etc. Equidem καλάμινον πῦρ, Aristot. quæst. 6, cap. 3, ignis in arundine accensus, qui cito exardescit, cito emoritur, διὰ τὴν τῆς ὕλης ἀσθένειαν ἀσθενέστερον τοῦ ξυλίνου. Quare et Herodoto, lib. V, Sardibus captis Persæ nullam prædam ex ea copiosa et opulenta urbe retulerunt, quod domus ex arundine constructæ, vel arundine tectæ, injecto igne, incendio statim absumptæ sint. Vict. lib. XXXIII, cap. 1. DALEC.

5. *Cameras levissime suspendunt.* Ex iis cameræ fornicesque pergularum quam levissimi et minime onerosi fiunt. DALEC.

6. *Chartisque.* Calamis chartæ exarantur in scribendo. Persius Sat. III, 11: « Inque manus chartæ, nodosaque venit arundo: Tunc querimur, crassus calamo quod pendeat humor. » HARD.

7. *Ægyptii.* Martial. lib. XIV, epigr. XXVIII, vs. 1: « Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus. » HARD.

cognatione[8] quadam papyri. Probatiores tamen Gnidii[9], et
2 qui in Asia circa Anaiticum[10] lacum nascuntur. Nostratibus fungosior[11] subest natura; cartilagine bibula : quæ cavo corpore intus, superne tenui inarescit ligno : fissilis præacuta[12] semper acie : geniculata. Cætero[13] gracilitas nodis distincta, leni fastigio tenuatur in cacumina, crassiore paniculæ[14] coma, neque hac supervacua. Aut enim pro pluma[15] strata cauponarum replet : aut ubi lignosiore callo[16] induruit, sicut in Belgis, contusa, et interjecta navium commissuris, ferruminat textus[17], glutino tenacior, rimisque explendis fidelior pice.

1 LXV. Calamis Orientis[1] populi bella conficiunt : ca-

8. *Cognatione*. Quoniam et eodem veluti natali solo papyrus nascitur. HARD.

9. *Gnidii*. Hinc Gnidus arundinosa dicitur a Catullo, Carm. 37, pag. 58. Calamus ipse scriptorius, Gnidius nodus Ausonio, ep. 4, ad Theonem Grammaticum et alibi, si memini, « Gnidiæ sulcus arundinis. » HARD.

10. *Anaiticum*. In regione Armeniæ cognomine, de qua lib. V, cap. 20. HARD.

11. *Fungosior*. Rarior, laxiorque, carne spongiosa, sub lignoso cortice, quo superne, hoc est, exterius circumvestitur. Cartilago Theophr. lib. IV, cap. 12, ξύλον. H.

12. *Præacuta*. Quia quum finditur, in præacutam aciem assulæ ejus desinunt. HARD.

13. *Geniculata. Cætero gracilitas*, etc. Lege : « Geniculata cætero gracilitas nodisque distincta, leni fastigio tenuatur in cacumina crassiore paniculæ coma. » SALM. — *Geniculata*, etc. Nimis frequentibus nodis distincta. DALEC.

14. *Paniculæ*. Sic comam eam appellat, unde semina dependent, in arundinibus, juglandibus, milio, similibusque. Nomen habet ab affinitate : est enim panus et panicula, lana bene elaborata, carpta, ac depexa, et ad nendum concinnata, cujus similitudinem hæc coma refert. Notæ, quæ falso Tironi adscribuntur apud Gruterum, pag. 160 : « Licium. Pannucula. Floccus. » Festus : « Panus facit diminutivum, panicula. » HARD.

15. *Pro pluma*. Sic gluma, quæ hordei frumentique tunicula est, rustici, quibus res angustior, pro pluma culcitas hodieque farciunt. H.

16. *Lignosiore callo*. In MSS. *limosiore*. HARD.

17. *Ferruminat textus*. Commissuras tabularum et compages, rimasque, si quæ sint, obstruunt, obturantque iis folliculis, quos diximus, contusis : ut musco injecto alii. HARD.

LXV. 1. *Calamis Orientis*, etc. Sagittariis. Democritus Geoponicon II, βέλιτας et ναςοκαλάμους vo-

lamis spicula addunt irrevocabili hamo noxia. Mortem accelerant pinna addita calamis; fitque et ex ipso telum aliud fracto in vulneribus. His armis solem ipsum obumbrant. Propter hoc maxime serenos dies optant: odere ventos et imbres, qui inter illos pacem esse cogunt. Ac si quis Æthiopas, Ægyptum, Arabas, Indos, Scythas, Bactros, Sarmatarum tot gentes et Orientis, omniaque Parthorum regna diligentius computet, æqua ferme pars hominum in toto mundo calamis superata degit. Præci- 3
puus hic usus in Creta[2] bellatores suos præcipitavit[3]. Sed in hoc quoque, ut cæteris in rebus, vicit Italia: quando nullus sagittis aptior calamus[4], quam in Rheno[5], Bononiensi amne, cui et plurima inest medulla, pondusque volucre[6]: et contra flatus quoque[7] pervicax libra. Quippe non eadem gratia Belgicis. Hæc[8] et Creticis commendatioribus: quanquam præferantur Indi, quorum alia qui-

cat; quoniam, ut ait Dioscorides, ex arundine nasto sagittæ fiunt: quamvis in Geoponicis corrupte legatur, « balitæ et mesto calami. » GUILLAND. — *Nastus* antiqua est appellatio Indicæ arundinis, quæ nobis *Bambos*, seu *Bambusa arundinacea*. Vid. not. 10 infr. ED.

2. *In Creta*. Bello postremo Cretico, unde Cretici Metellus cognomen tulit. Vide Florum, lib. III, cap. 7. Sagittarum usus Cretenses fecit audaciores promptioresque ad bellum cum Romanis ineundum, quod ipsis postremum fuit, et exitiosum. Prudentius, hym. 5, v. 51: « ... ille volantia Præfigit calamis spicula Gnosiis. » HARD.

3. *Præcipitavit*. Cretensibus gentilitium telum sagittas esse scribit Pausanias lib. I. Hinc et Theophr. Hist. l. IV, c. 12, κάλαμος τοξικός, arundo sagittaria, Cretica dicitur.

4. *Aptior calamus*. Arundo sagittaria ea vocatur, de qua paulo infra. DALEC.

5. *Quam in Rheno*. Hujus arundinis, quæ in eo amne gignitur, iconem exhibet Jac. Zanoni, Bononiensis horti præfectus, in historia Botanica, pag. 62. HARD.

6. *Pondusque volucre*. Adeo nihil pondus velocitati detrahit, ut libramentum quoddam potius, et nisum addat contra ventorum flatus. H.

7. *Contra flatus quoque*, etc. Legend. « et contra flatus quoque pervicax: libra quippe, non eadem gratia Belgicis et Creticis commendatioribus: » ibid. paulo inferius lege: « Suum genus sagittario calamo, sed Cretico longissimis internodiis, obsequiumque quo libeat flecti calefacto. » SALM.

8. *Hæc*. Hæc libra, hoc pondus volucre, hæc gratia. HARD.

busdam videtur natura, quando et hastarum vicem[9] præ-
3 bent additis cuspidibus. Arundini quidem Indicæ[10] arborea amplitudo : qualem vulgo in templis videmus. Differre mares[11] ac feminas in his quoque Indi tradunt. Spissius mari corpus, feminæ capacius : navigiorumque[12] etiam vicem præstant (si credimus) singula internodia. Circa
4 Acesinem[13] amnem maxime nascuntur. Arundo omnis[14] ex una stirpe numerosa, atque etiam recisa fecundius resurgit. Radix[15] natura vivax, geniculata et ipsa. Folia Indicis

9. *Et hastarum vicem*, etc. Quoniam tanta magnitudine et firmitate sunt, ut iis pro jaculis utantur. Theophrast. DALEC.

10. *Arundini quidem Indicæ*. Ctesiæ de Indicis rebus hoc fragmentum Photius recitat in Bibl. cod. LXXIII, pag. 144 : Ἐν οἷς καὶ ὁ λεγόμενος Ἰνδικὸς κάλαμος φύεται, παχὺς μὲν ὅσον δύο ἄνδρε περιοργυιωμένοι περιλάβοιεν· τὸ δὲ ὕψος, ὅσον μυριοφόρου νεὼς ἱςός... εἶναι δὲ τῶν καλάμων καὶ ἄῤῥενας καὶ θηλείας· ὁ μὲν οὖν ἄῤῥην, ἐντεριώνην οὐκ ἔχει, καὶ ἔςι κάρτα ἰσχυρός· ἡ δὲ θήλεια ἔχει. « In iis locis calamum, quem vocant Indicum, tantæ crassitudinis, quantam duo simul homines expansis ulnis complecti possint : amplitudinis vero, quanta est mali ingentis onerariæ navis... In his differre mares ac feminas : mari corpus esse validum ac firmum, sine medulla : feminæ medullam esse, etc. » H.— Calamus, cui medulla est, is videtur esse quem *rotang* appellamus. ED. — Arundo illa, *le bambou*, de qua vid. Cl. CIBOT, *Mémoires concernant l'histoire, etc. des Chinois*, t. II, p. 623. Tanta huic materiæ firmitas ut in Sinensium monumentis stent aute mille annos columnæ arundinaceæ, tantumdem duraturæ. BROT. — *Bambos arundinacea (Hexand. monogyn.* gen. 871, Pers. *Gramin.* Juss. sub. *nasto)*. ED.

11. *Differre mares*, etc. De arundine Epigeio, non de Indica id Theophr. DALEC.

12. *Navigiorumque*. Theophrast. Hist. lib. IV, cap. 12 : Τῷ μεγέθει μεγάλοι καὶ εὐπαχεῖς, ὥςε ἀκατίοις χρῆσθαι. Vide quæ de his navigiis, arundinumque internodio uno compactis, diximus lib. VII, cap. 2. Pro navigiis Mela et Solinus lembum dixere. HARD.

13. *Circa Acesinem*. Circa hunc amnem nasci eas arundines, quæ sagittarum præbent usum, scribit Theophrast. l. c. Ibi et cæteras reperiri simile veri est. HARD.

14. *Arundo omnis*, etc. Scribendum opinor et alia lectione, « Arundo omnis vivax, atque etiam exusta fecundius resurgit. Radice natura ex una stirpe numerosa, geniculata et ipsa, » ex Theophrast. lib. IV, cap. 12, qui vivacitatem arundini tribuit, non radici. PINT.

15. *Radix*. Theophrast. l. c. H. — *A nodo orsa*. A geniculo. H.

tantum brevia. Omnibus vero a nodo orsa, complexu tenues per ambitum inducunt tunicas : atque a medio internodio quum plurimum desinunt vestire, procumbuntque. Latera arundini[16] calamoque in rotunditate[17] bina, super nodos alterno semper inguine, ut alterum ad dextra fiat, alterum superiore geniculo ad læva per vices. Inde exeunt aliquando rami, qui sunt calami tenues.

LXVI. Plura autem genera[1]. Alia spissior, densiorque 1
geniculis, brevibus internodiis : alia rarior[2], majoribus; tenuiorque et ipsa. Calamus vero alius[3] totus concavus, quem syringiam[4] vocant, utilissimus fistulis, quoniam

16. *Latera arundini.* Arundini vulgari, inquit, et calamo, in sua rotunditate, duo sunt latera : ex utroque latere folia uti ex inguine alterna vice exeunt : a dextro latere in inferiore nodo, sive geniculo alterum, alterum a lævo latere, in superiore nodo : ac deinceps ita per vices. Theophr. Hist. lib. VI, cap. 2, de ferula similiter : Βλαςάνει δὲ παραλλὰξ τὰ φύλλα· λέγω δὲ παραλλὰξ, ὅτι οὐκ ἐκ τοῦ αὐτοῦ μέρους τῶν γονάτων, ἀλλ' ἐναλλάξ· περιειληφότα δὲ τὸν καυλὸν ἐπὶ πολὺ, καθάπερ τὰ τοῦ καλάμου. « Folia alternatim erumpunt e geniculis : alternatim dico, quod non ex eodem latere geniculorum exeunt, sed permutatis vicibus : caulemque maxima parte complectuntur, ut arundinacea. » Hard.

17. *Rotunditate.* Sic ex MSS. em. Hard. cons. Ch. *rotunditatem* Gron. et Al. Ed.

LXVI. 1. *Plura autem genera.* Hæc Theophr. totidem fere verbis, Hist. lib. IV, cap. 12. Hard.

2. *Alia rarior, majoribus.* Minus densa, minus numerosa ab una stirpe, sed majoribus internodiis. H.

3. *Calamus vero alius*, etc. Falsum id esse apertissime ostendit historia Theophr. de Orchomenio calamo. Plinius hæc mire perturbat. Lego, « Calamus vero alius Orchomenius totus concavus, quem syringiam vocant, utilissimus fistulis, quoniam nihil est ei cartilaginis atque carnis, continuo foramine pervius. Quem vero auleticon, etc. » Dalec.

4. *Syringiam.* Hoc est, ut habetur in Indice libri hujus, *fistulatorium.* Fistulas e calamis compingi solitas docent in primis poetæ. Ovid. Metam. lib. I, v. 705 : « Panaque, quum prensam sibi jam Syringa putaret, Corpore pro Nymphæ calamos tenuisse palustres : Dumque ibi suspirat, motos in arundine ventos Effecisse sonum tenuem, similemque querenti. Atque ita disparibus calamis compagine ceræ Inter se junctis nomen tenuisse puellæ. » Græci namque fistulam Syringa vocant. Συριγγίαν alii calamum dictum volunt, quod instar fistulæ, concavus sit et inanis. H.

nihil[5] est ei cartilaginis atque carnis. Orchomenius[6] est continuo foramine pervius, quem auleticum[7] vocant: hic tibiis utilior[8], fistulis ille. Est alius crassiore ligno[9], et tenui
2 foramine; hunc totum fungosa replet medulla. Alius brevior, alius procerior, exilior, crassiorque. Fruticosissimus, qui vocatur donax[10], nonnisi in aquaticis natus: quoniam et hæc differentia est[11], multum prælata[12] arundine, quæ in siccis proveniat. Suum genus sagittario calamo, ut diximus[13]; sed Cretico[14] longissimis internodiis, obsequentique[15], quo libeat flecti, calefacto. Differentias[16] fa-
3 ciunt et folia non multitudine, verum et colore. Varia

5. *Quoniam nihil.* Theophrast. Οὐδὲν γάρ, ὡς εἰπεῖν, ἔχει ξύλου καὶ σαρκός. Hard.

6. *Orchomenius.* Ab Orchomeno lacu Bœotiæ, quem alio nomine Copaida appellarunt. Hard.

7. *Auleticum.* Αὐλητικὸν, quoniam est tibiis utilis quas αὐλοὺς Græci vocant. Hard.

8. *Hic tibiis utilior.* Tibias a Barbaris inventas fuisse tradunt, ideoque in describendis musicis instrumentis, quibus perstrepebat furiosa Bacchantium cohors, recte Catulum dixisse, « Barbaraque horribili stridebat tibia cantu. » Apud Hom. Trojani de suis rebus prosperis læti, sese ut oblectent, pernoctantes in campo tibias inflant. Olympiodorus a Phrygibus inventas fuisse tradit, usumque in certamine Marsiam tibia, Apollinem vero cithara. Victorius lib. XXX, cap. 10. Vide quæ notata sunt lib. VII, cap. 46. Dal.

9. *Est alius crassiore ligno.* Est alius solidus et totus pæne intus repletus. Theophrast. Dal.

10. *Donax.* Est *Arundo Donax* (*Triand. digyn.* gen. 183, Pers. *Gramin.* Juss.). Idem et ζευγῖτις Theophrasto dicitur ob copulationem tibiarum ex eo confectarum. Variat foliis pictis. Ed.

11. *Hæc differentia est.* Plurimum tamen in quoque genere differunt inter se aquaticæ et in sicco nascentes. Theophr. Dal.

12. *Multum prælata.* Theophr. l. c. Hard.

13. *Ut diximus.* Cap. sup. H.

14. *Sed Cretico*, etc. Theophr. l. c. Hard.

15. *Obsequentique.* Rectius ex MSS. Reg. 1, 2, Colb. 1, 2, 3, Th. etc. *obsequiumque.* Theophr. Μάλιστα κάμψιν δεχόμενος, καὶ ὅλως ἄγεσθαι δυνάμενος, ὡς ἂν θέλῃ τις, θερμαινόμενος. Hard.

16. *Differentias faciunt*, etc. Deesse arbitror dictionem *tantum*, et legendum *varia*, non *valida*, et *ima*, non *una*, ut in totum scribendum sit: « Differentias faciunt et folia non multitudine tantum, verum robore et colore. Varia Laconicis, et ab ima parte densiora. » — Vid. inf. not. Harduini, qui Pintiani emendationem recepit. Ed.

Laconicis[17], et ab ima parte densiora, quales in totum circa stagna gigni putant, dissimiles amnicis, longisque vestiri tunicis[18] spatiosius[19] a nodo scandente complexu. Est et obliqua[20] arundo, non in excelsitatem nascens, sed juxta terram fruticis modo se spargens, suavissima in teneritate animalibus. Vocatur a quibusdam elegia[21]. Est et[22] in Italia.

— *Differentias*, etc. In MSS. *valida*. Unde Pliniani interpolatores voculam proxime antea adjiciendam ita putarunt, « verum robore et colore. » Ego vero nec quod sit robur foliorum, intelligo, nec genus illud, cui a robore foliorum differentia potius sit, quam cui a colore, assignatum a Plinio putem : præsertim quum illud ipsum Laconicum genus variegato esse folio, tum ex re ipsa constet, tum ex Theophr. Ἔχουσι δὲ, inquit Hist. IV, 12, καὶ κατὰ τὰ φύλλα μεγάλας διαφορὰς, οὐ πλήθει καὶ μεγέθει μόνον, ἀλλὰ καὶ χροιᾷ· ποικίλος γὰρ ὁ Λακωνικὸς καλούμενος. Itaque *varia*, non *valida*, in Pliniano contextu scribendum, moxque ex fide codic. Reg. Colb. T. Chiffl. atque ex re ipsa, « et ab ima parte densiora, » non ut editi libri habent, *et ab una*. Theophrastus et hic quoque favet, qui et in foliorum situ hoc ipsum discrimen agnoscit : Κάτωθεν γὰρ ἔνιοι πλεῖστα φέρουσι τὰ φύλλα. HARD.

17. *Varia Laconicis*. Et sic Vet. ποικίλα Theophr. *Valida Laconicis, et ab una parte* Gr. et al. ED. — *Valida Laconicis*. Laconica versicolor est. In positu etiam foliorum et adnexu differentia est. Nam quædam ab ima parte foliorum suorum maximum numerum edunt, ac velut e frutice se attollunt. Theophr. DALEC. — *Laconicis*. Arundo Laconica, seu variegata, *canne royale*. H.

18. *Vestiri tunicis*. Hoc est, foliis, quæ, uti dictum est sup. cap. *complexu* arundinis « tenues per ambitum inducunt tunicas, » nempe circa nodum, unde ipsa exeunt. H.

19. *Spatiosius*. Folia, quæ a nodo, seu geniculo exeunt, caulem alte vestiunt, tunicæ in morem, ac circumplectuntur : et priusquam pendeant ac procumbant, alte subriguntur. HARD.

20. *Est et obliqua*. Theophr. l. c. Est, inquit, genus quoddam arundinis, ἐπίγειον, quod per humum repit, nec in aerem subrectum attollitur, sed graminis modo per terram funditur, ἀφίησι καυλὸν ὥσπερ ἄγρωστις. HARD. — *Arundo Epigeios*, servat nomen. ED.

21. *Elegia*. Sic MSS. etiam omnes. Frustra sunt qui *epigea* ex Theophr. malunt : quam vocem ne grammaticæ quidem leges ferunt, pro ἐπίγειος. Sed ita fingunt scriptum a Plinio, ut errorem deinde summo viro exprobrent, quod Salmasius fecit, *Præfat. ad Plinium*. H.

22. *Est et in Italia*, etc. Lege : « Est et in Italia nascens adarca, calami palustris ex cortice tantum, sub ipsa coma, etc. » Ex cortice calami palustris sub ipsa coma nasci vult adarcam. Et pro *utilissima dentib.* scribe : *utilis medentibus*. SALM. — *Est et in*, etc.

nascens adarca nomine[23], palustris, ex cortice tantum sub ipsa coma, utilissima dentibus, quoniam vis eadem est
4 quæ sinapi. De Orchomenii lacus arundinetis accuratius dici cogit admiratio antiqua. Characian[24] vocabant crassiorem firmioremque, plotian[25] vero subtiliorem : hanc in insulis fluitantibus natam, illam in ripis[26] exspatiantis lacus. Tertia arundo[27] est tibialis calami, quem auleti-

Nam in Cappadocia tantum nasci Dioscorides scribit. Dalec. — *Est et in Italia.* Et in Italia, inquit, circa palustres arundines, ex cortice tantum, et sub ipsa coma nascens adarca. Quo nomine intelligitur concreta salsilago, ut ait Diosc. lib. V, cap. 137, quæ locis humidis et palustribus siccitate emergit, et circa arundines concrescit : Ὁ δὲ προσαγορευόμενος ἀδάρκης... ὥσπερ ἐπίπαγος ὑφαλμυρίζων, καθ' ὑγρῶν καὶ τελματωδῶν τόπων ἐν ξηρασίᾳ ἐπιγινόμενος, καὶ περιπηγνύμενος καλάμοις. Plinius ipse rursum, lib. XX, cap. 88 : « Sinapis naturam effectusque eosdem habere traditur adarca ... in cortice calamorum sub ipsa coma nascens. » Iterumque lib. XXXII, cap. 52 : « Inter aquatilia dici debet et καλαμόχνους, latine adarca appellata. Nascitur circa arundines tenues e spuma aquæ, etc. » Ex quibus intelligas calumniari Dalecampium, qui Plinium dicat adarcam inter arundinum genera inepte censere. H. — Vide sequentem notam.

23. *Adarca nomine.* Calamachne ea quoque dicitur lib. XXXII, cap. 52. Vide lib. XX, cap. 88. Adarces est subsalsa concretio, humidis et palustribus locis, sicco cælo, spissescens, arundinibus et herbis inhærescens : molli Alcyonio prorsus similis, valde spongiosa, etc. Ex hac historia Dioscoridis apparet Plinium adarces naturam non intellexisse; quoniam nec arundini peculiaris est, nec e cortice comave nascitur. Dalec.

24. *Characian.* Χαρακίαν Theophr. Hist. lib. IV, cap. 12. Non ea arundo est, quam Diosc. φραγμίτην, nos vulgarem dicimus, Galli *roseau*. Quam si solam etymon spectes, eadem fere vis est utriusque vocis, χαρακίας, et φραγμίτης, ut τοῦ φραγμοῦ et χάρακος. Sepimentum enim et munimentum sonant. At φραγμίτης tenuis arundo est ex Diosc. lib. I, pag. 114, et gracilis : characias Plinio et Theophrasto crassior. H. — *Characias* Theophr. Sprengelio *A. Phragmites* esse videtur. Ed.

25. *Plotian.* Ita etiam MSS. Πλωτίαν Plinius scribi censuit oportere : quoniam sciret nasci id arundinis genus, ἐπὶ τῶν πλωάδων, in fluitantibus insulis. Nunc in editis græce Theophrasti libris πλόκιμον legitur : quod ex ejus foliis storeæ, tegetes, aliaque fierent. Hard.

26. *Illam in ripis*, etc. Arundineis cespitibus, ubi arundo multa connexu mutuo radicum implectitur, pingui lætoque solo. Theophrast. Dalec.

27. *Tertia arundo*, etc. In sequentibus multa Plinius ex Theo-

con[28] dicebant : nono hic anno nascebatur[29]. Nam et lacus[30] incrementa hoc temporis spatio servabat : prodigiosus[31], si quando amplitudinem biennio[32] extendisset : quod notatum[33] apud Chæroniam infausto[34] Atheniensium, et sæpe: Lebaida vocatur influente Cephisso. Quum igitur anno permansit inundatio, proficiunt in[35] aucupatoriam

phrasto male transcripsit. Apud Theophr. locus est lib. IV, 12. Dal.

28. *Auleticon.* A tibiis, ut diximus sup. cap. Hard.

29. *Nono hic anno nascebatur.* Nono anno nasci putabant, quoniam eo temporis intervallo lacus augebatur, sed magno errore, etc. Theophrastus. Dalec.

30. *Nam et lacus.* Hæc totidem verbis Theophrastus l. c. Toto novennio crescere lacum aiebant : calamum tibialem post id tempus exactum nasci. Hard.

31. *Prodigiosus.* Prodigiosum id esse Theophrastus non ait, sed contigisse circa tempus ejus infausti prælii. Dalec.

32. *Biennio extendisset.* Post imbres frequentes aqua biennio copiosa permansisset, Theophr. Dal.

33. *Quod notatum*, etc. Lego : « Quod notatum apud Chæroniam infausto Atheniensium exitu, et sæpe : Copaida vocatur influente Cephisso. » Ut dicat Orchomenium, illum lacum Copaidem vocari, in quem influit Cephisus. Salmas. — *Chæroniam*, etc. Chæroneia, Straboni, oppidum, ad quod Philippus, Amyntæ filius, Bœotiis, Corinthiis, Atheniensibus gravi prælio superatis, Græciam subjugavit. In vicino Lebadiæ est, quæ Jovis Trophonii antrum et oraculum habet. Strabo lib. IX. Dalec.

34. *Infausto Atheniensium*, etc. Gr. et al. *infausto Atheniensium prælio et apud Lebadiam sæpe notatus influente Cephisso.* Ed. — *Infausto Atheniensium.* Hoc est, infortunio. Pliniana locutio, quam non semel reperimus; cap. 3 hujusce libri : « postquam civilium bellorum profano meritum cœpit videri, civem non occidere. » Vid. Excurs. II ad calcem hujus libri. Ed.

35. *In aucupatoriam.* In eam crescunt amplitudinem, propter quam mutato jam nomine ζευγῖται, hoc est, aucupatorii calami appellantur. Ζεῦγοι Hesychio, βρόχοι ὀρνίθων, laquei captandis aviculis destinati. In eo genere aucupii, quod calamis peragebatur, arundo ad arundinem sic adtexi jungique consueverat, ut sensim cumulus cresceret, donec alitis ejus quæ captabatur, alas viscum tangeret. Hinc arundo crescens dicitur Martiali, lib. XIV, ep. CCVIII, cujus lemma : *calami aucupatorii :* « Non tantum calamis, sed cantu fallitur ales, Callida dum tacita crescit arundo manu. » Et lib. IX, ep. LV : « Aut crescente levis traheretur arundine præda, Pinguis et implicitas virga teneret aves. » Petron. in Satyr. pag. 141 : « Parati aucupes cum arundinibus fuerunt. » Hard.

quoque amplitudinem : vocabantur zeugitæ[36]. Contra bombyciæ[37], maturius reciproco; graciles[38]; feminarum, latiore folio atque candidiore, modica lanugine ; aut omnino nulla, spadonum nomine insignibus. Hinc erant armamenta[39] ad inclusos cantus[40] : non silendo[41] et reliquo curæ miraculo[42], ut venia sit, argento jam[43] potius cani.

36. *Zeugitæ*. Zeugitin aucupatoriam male Plinius exponit. Ζευγίτην dicebant eam, quæ crassitie et longitudine ad compingenda duarum tibiarum paria et conjugia, τὰ ζεύγη, idonea et apta foret, ut βομβυκίαν, quæ ob atrigosam maciem tibia dignum sonum non ederet, sed bombum tantum. Apul. lib. IV Asini, nuptiales tibias vocat zygias, quasi jugales, sicut Junonem zygiam, jugam, sive jugalem vocant, « ... cui vincla jugalia curæ, » ut inquit Poeta. Idem lib. VI arundinem *Musicæ nutriculam* appellat, lepide quidem, sed affectate. Dal.

37. *Contra bombyciæ*. Quum anno, inquit, integro non manet inundatio, sed citius aqua subsidit : quæ tum crescunt arundines, eæ bombyciæ appellantur : ei tibiarum generi utiles, quod βόμβυκα appellat Aristot. lib. περὶ ἀκουσ. p. 1202. Longæ fuere tibiæ, quæ difficilius inflarentur. Hæc etiam Theophr. l. c. Hard.

38. *Graciles*. Sunt eæ arundines, inquit, graciles : ex his feminæ appellatæ, quæ laxiore folio, et modica lanugine ; quæ nulla, spadones. Sic etiam Theophr. H.

39. *Hinc erant armamenta*. Tibiæ fiebant, quibus canerent. *Armamentum* licenter Plinius instrumentum vocat : quod Gazam impulit, ut apud Theophrastum parum apte ζευγίτην verteret *Armamentarium*. Dalec. — *Armamenta*. Ex spadonibus, inquit, tibiæ fiebant. Sunt enim tibiæ armamenta, sive instrumenta inclusi cantus. Sunt autem cantus inclusi iidem qui tibiales ; inclusi nempe tibiis ad discrimen assæ vocis, quæ sola voce linguæ, ut Nonius interpretatur, proferri solebat, statimque in aerem effundi, nec inclusa teneri instrumentis. Theophr. συνουχίας· ἐξ ὧν ἄριστα μὲν φασί τινες γίνεσθαι τὰ ζεύγη. Sunt porro ζεύγη compacta simul in tibiis calamorum internodia. Hard.

40. *Ad inclusos cantus*. Inclusos cantus dici volunt, qui in theatris aut templis muro circumseptis, vel etiam in privatis ædibus personarent, non autem in aperto ederentur, veluti tubis et cornibus. Aldus putat scriptum fuisse *inclutos* pro *inclytos*, unde factum sit *inclusos*. Ennius de Coclite, « Hic datus est occasus Horatius inclutu' saltu, » apud Festum. Dal.

41. *Non silendo*. Neque prætereundum silentio, inquit, quantum curæ Veteres in tibiis concinnandis et explorandis adhibuisse videantur.

42. *Reliquo curæ miraculo*. In arundinis tibialis præparatione. H.

43. *Argento jam*. Tibiis ex argento : quibus concinnandis levior multo opera danda, quam olim e calamis. Hard.

Cædi solebant[44] tempestivæ usque ad Antigenidem tibici-
nem[45], quum adhuc simplici[46] musica uterentur, sub
Arcturo[47] : sic præparatæ aliquot post annos utiles esse
incipiebant. Tunc quoque multa domandæ exercitatione, 6
et canere tibiæ ipsæ docendæ, comprimentibus[48] se ligulis,
quod erat illis theatrorum[49] moribus utilius. Postquam
varietas accessit[50], et cantus quoque luxuria, cædi ante
solstitia cœptæ, et fieri utiles in trimatu, apertioribus
earum ligulis ad flectendos sonos, quæ inde[51] sunt et ho-

44. *Cædi solebant.* Hæc deinceps apud Theophr. ut priora, ex Hist. lib. IV, cap. 12. Hard.

45. *Ad Antigenidem tibicinem.* Antigenem, Thebanum musicum, primum calceis Milesiis usum fuisse, fimbriatamque vestem, κροκωτὴν, in comessationes attulisse, καὶ μελοποιῆσαι, Suidas refert. Antigenide tibicine harmation canente, Plutarchus scribit epulantem Alexandrum sic exarsisse; ut raptis armis adstantes fere invaderet, ut verum sit quod Spartiatæ dictitabant : « Urget in ferrum scita fidibus cantio. » Magius lib. IV, cap. 13. Antigenidæ musici meminit Apuleius lib. Florid. Dalec. — *Antigenidem.* Sic MSS. Reg. Colb. Th. non *Antigenem.* Ἀντιγενίδας Theophr. l. c. Plutarchus in Apophth. pag. 193, et Tatianus or. contra Græcos, pag. 177. Antigenidam tibicinem laudat et Val. Max. lib. III, cap. 7; Gellius, lib. XV, cap. 17, pag. 827. De eo Tullius in Bruto, pag. 569 : « Antigenidas dixit discipulo, Mihi cane et Musis. » Alexandri M. temporibus vixit. Hard.

46. *Quum adhuc simplici.* Theophrast. ἡνίκ' ηὔλουν ἀπλάστως, sine modulorum varietate, et multiplici flexu. Hard.

47. *Sub Arcturo.* Theophr. ὑπ' Ἀρκτούρου Βοηδρομιῶνος μηνός. Sub Arcturi exortum, mense septembri. Vide lib. XVIII, cap. 74. H.

48. *Comprimentibus.* Erant compressiores, nec satis apertæ, ligulæ tibiarum. Postea vero cæsæ solstitio in trimatu utiles, apertioresque ad flectendos sonos : ut statim dicetur. De voce *ligulæ*, sive *lingulæ* in tibiis, Vossium et Festum vide. Gallis, *anche.* Hard.

49. *Quod erat illis theatrorum,* etc. In Theophrasto est, ὃ πρὸς διαστορίαν ἦν χρήσιμον, quod ad usum exercitationemque canendi utilius fuit. Dalec.

50. *Postquam varietas accessit, et cantus quoque luxuria*, etc. Cantus varietatem ac luxuriam latine reddit, quod Theophrastus ait τὴν πλάσιν, nempe rudioris simplicioris musicæ ad cantus delicias, ac jucundam argutamque varietatem, veluti conformationem atque eruditionem. Dalec.

51. *Quæ inde.* Quales ab eo ævo, inquit, hodieque sunt. Hard.

die: sed tum ex sua[52] quamque tantum arundine congruere persuasum erat: et eam, quæ radicem antecesserat[53], lævæ tibiæ convenire[54]; quæ cacumen, dextræ: immensum

52. *Sed tum ex sua.* Persuasum erat, lingulas tibiarum, ex eodem arundinis internodio eximi oportere, unde tibia ipsa constaret: alias non fore congruas: Συμφωνεῖν δὲ τὰς γλώσσας, inquit Theophr. τὰς ἐκ τοῦ αὐτοῦ μεσογονατίου· τὰς δὲ ἄλλας οὐ συμφωνεῖν. Hard.

53. *Quæ radicem antecesserat.* Theophrastus radici proximam linguam, lævam esse ait, dextram vero quæ ad germina est. Plinius ad dextram lævamque tibiam, perquam apte refert, et eum Theophrasti locum quasi interpretatur commode. Varro lib. I, cap. 2, ait, tibiam dextram in carminibus esse modorum incentivam, lævam autem succentivam. Sed de his statim. Dalec.

54. *Lævæ tibiæ convenire.* Ut capaciorem, amplioris et gravioris soni. Dextra acutior, læva gravior, obtusior, obscurior. Impares, id est, unica tantum, in monodio, quum unica persona ageret, inflabantur: pares, sive binæ, quum multi: choricæ, quum chorus. Unicæ personæ μονῴδιον fuit: plurium συνῴδιον. Monodium et canticum dixerunt: Synodium, diverbium. Vide Rhod. lib. IX, cap. 7. Quando chorus canebat, inquit Diomedes lib. III, choricis, sive choraulicis tibiis artifex concinebat: in canticis autem, Pithaulicis responsabat, nempe quibus pithaules, sive ascaules, id est, utricularius utitur. Brod. lib. II, cap. 13. Vide quod notatum est supra in lib. VII, cap. 37. De monodia vide Victorium lib. XXXI, cap. 8, observat. Dextras vocarunt, quod oris parte dextra inflarentur, dextra manu tenerentur: lævas ob contrarias causas. Victor. lib. XXXVIII, cap. 22. Serranæ tibiæ ab acuto serræ stridore ac sono, ut gingrinæ, ab anserum clangore: gingriunt enim anseres. Serranæ sinistræ fuerunt, acutius tinnientes, et ut Varro inquit, succentivæ, ut dextræ, quæ gravius sonant, incentivæ, Turn. lib. XXVIII, cap. 34. Dextra ea fortassis est, quam Cic. lib. II ad Atticum, μικρὰν vocat. « Cn. quidem noster, ait, jam plane quid cogitet nescio: Φυσᾷ γὰρ οὐ σμικροῖσι αὐλίσκοις ἔτι, Ἀλλ' ἀγρίαις φύσαισι φορβειᾶς ἄτερ. » Qui locus apud Dionysium Longinum citatur ex Sophocle: Φλοιώδης γὰρ ἀνὴρ, inquit, καὶ φυσῶν κατὰ τὸν Σοφοκλέα μικροῖς μὲν αὐλίσκοισι, φορβειᾶς δ' ἄτερ. Leopardus, I, 2. Servius in lib. II Æneid. « Serranæ tibiæ, quæ sunt pares et æquales habent cavernas, sive foramina, τὰ τρήματα· Phrygiæ, quæ impares tibiæ et inæquabilibus foraminibus. » Varroni Phrygia dextra unum habet foramen, sinistra duo: quorum unum sonum acutum edit, alterum gravem. Brod. lib. V, cap. 32. Præcentarias, vascas, Puellatorias, Gingrinas, Milvinas tibias memorat Alex. ab Alexand. lib. IV, cap. 2. Funebrium hic non meminit, quas adhibebant plebeiorum exsequiis, ut tubas justis nobilium et locupletum. Statius: « Tibia,

quantum prælatis, quas ipse Cephissus[55] abluisset. Nunc sacrificæ[56] Tuscorum e buxo[57], ludicræ vero loto[58], ossibusque asininis[59], et argento fiunt. Aucupatoria arundo a Panhormo[60] laudatissima: piscatoria Abaritana ex[61] Africa.

LXVII. Arundinis Italiæ usus ad vineas[1] maxime. 1

cui teneros solitum deducere manes. » Ovidius : « Tibia funeribus conveuit ista meis. » Persius de divite : « Hinc tuba, candelæ, tandemque beatulus alto, etc. » Hinc Siticines Apuleio in Floridis monumentarii tibicines. Sic elatus est corvus supra lib. X, cap. 43 Athen. vers. 18, pag. 34, ex Philetæro : Ὦ Ζεῦ, καλόν ἐστιν ἀποθανεῖν αὐλούμενον, Τούτοις ἐν ᾅδου γὰρ μόνοις ἐξουσία Ἀφροδισιάζειν ἐστίν· οἱ δὲ τοὺς τρόπους Ῥυπαροὺς ἔχοντες μουσικῆς ἀπειρίᾳ Εἰς τὸν πίθον φέρουσι τὸν τετρημένον. Dalec. — *Lævæ tibiæ.* Festus : « Dexterarum tibiarum genus est, quæ dextra tenentur : » et lævarum igitur versa vice, quæ læva. Dextera simul et sinistra, impares tibiæ vocabantur, quia et impari erant foraminum numero, et soni diversi. Pares, duæ dextræ, vel duæ sinistræ. Hard.

55. *Quas ... Cephissus.* Amnis, de quo supra, et in Geograph. lib. IV, cap. 12, qui in Copaidem paludem influebat. Hard.

56. *Nunc sacrificæ.* In sacris adhibitæ. Seneca similiter : « Sacrifica dulces tibia effundat modos. » De tibiarum usu in sacris, dicetur lib. XXVIII, cap. 3. Hard.

57. *E buxo.* Ovid. Metam. lib. XII, v. 157 : « Non illos carmina vocum, Longave multifori delectat tibia buxi. » Hard.

58. *Loto.* Africana arbore, de qua lib. XIII, cap. 32. De hoc tibiarum genere Athenæus, lib. IV, pag. 182 : Οἱ δὲ καλούμενοι λώτινοι αὐλοί, etc. Festus : « Lotos, arboris genus, ex cujus materia frequenter tibiæ fiebant : cujus baccis pasti quondam Lotophagi dicti. » Hard.

59. *Ossibusque asininis.* Plutarchus in Convivio septem Sapientum miratur, asinum animal stolidissimum et alienissimum a musica, ossa tenuissima, atque maxime canora suppeditare. Vide locum. Dalec. — *Asininis.* In eam rem multa lepide Æsopus et Niloxenus, apud Plutarchum in Convivio septem Sapientum pag. 150. Fuere et e cruribus binnuli, teste Athenæo, lib. IV, et e tibiis gruum. H.

60. *Panhormo.* Siciliæ oppido. H.

61. *Abaritana ex Africa.* Hæc sunt viginti duó genera : quibus si addas Ægyptium, Gnidium, Anaiticum, Italicum, Belgicum, Creticum, Indicum, supra memorata, viginti novem comperies, quot se recitasse ait lib. XXIV, cap. 11. Dalec. — *Abaritana.* Pars est Africæ, incomperti adhuc situs. Vide Victorem Vitensem lib. I. H.

LXVII. 1. *Ad vineas maxime.* Ad earum pedamenta et juga. Vide Varronem lib. I, cap. 8. Dalec. — *Ad vineas.* Unde *arundo vinitoria* in Indice bújus libri est nuncupata. H. — *Arundo ampelodesmon* Cyrill.

Cato[2] seri eam jubet in humidis agris, bipalio subacto prius solo, oculis dispositis intervallo ternorum pedum. Simul et corrudam, unde asparagi fiant: concordare enim amicitiam[3]. (XXXVII.) Salicem vero circa[4]; qua nulla aquaticarum utilior, licet populi vitibus placeant, et Cæcuba educent: licet alni sepibus muniant, contraque erumpentium amnium impetus, riparum muro in tutela ruris excubent in aqua satæ, cæsæque densius innumero herede[5] prosint.

1 LXVIII. Salicis statim plura genera[1]. Namque[2] et in proceritatem magnam emittunt jugis vinearum[3] perticas,

Neapolit. Fascic. II, t. 12, ad hos usus hodieque servatur. Ed.

2. *Cato.* De R. R. cap. VI, pag. 12: « Sicuti in his locis ripæ, aut locus humectus erit, ibi ... serito, et arundinetum. Id hoc modo serito. Bipalio vortito: ibi oculos arundinis pedes ternos alium ab alio serito. Ibi corrudam serito, unde asparagi fiant: nam convenit arundinetum cum corruda, eo quia foditur, et inceditur, etc. » Sic rursum idem, cap. 47. Bipalium instrumentum est ad fodiendum. *Oculi* in arundine qui dicantur, ipse aperit lib. XVII, cap. 33, statim initio. Colum. lib. de Arbor. cap. 29: « Arundo optime seritur, quos alii bulbos, alii oculos vocant. » De corruda, sive asparago, in herbarum volumine dicetur. H. — *Oculis.* Nobis, *des drageons.* Ed.

3. *Concordare enim amicitiam.* Quia foditur, inceenditur, et umbram per tempus habet. Dal.

4. *Salicem vero circa.* Nempe circa arundinem, de qua dictum est proxime. Unde intelligas perperam a superiore sententia hanc distraxisse Plinii editores, ut inde novi capitis exordium sumerent. Nam Cato verbis modo laudatis hæc subnectit: « Salicem Græcam circa arundinetum serito, uti siet qui vineam alliges. » Hard.

5. *Herede.* Numeroso stolone. H.

LXVIII. 1. *Salicis ... genera.* Gallis, *saule.* Sunt in horto Regio salicis genera omnino quindecim. Hard. — Multo plures hodie species salicis recensentur. Ed.

2. *Namque,* etc. Est hæc salix alba vulgaris arborescens, ab aliis perticalis appellata. Hard.

3. *Jugis vinearum.* Ad vinearum juga struenda. Jugum in vinea dicitur, quum duabus pluribusve perticis fixis aliæ super eas alligantur, in quibus vites conjunguntur, et quasi jugum in summitate faciunt, ut jam alibi monuimus. Colum. lib. IV, cap. 12: « Arundines binas singulis vitibus applicabimus: quì si regionis conditio permittit, vetera deponemus hastilia: quibus annectuntur singulæ transversæ perticæ in imam partem ordinis: quod genus jugi canterium vocant rustici. » Nostri, *vignes perchées.* Hard.

pariuntque baltheo[4] corticis vincula : et aliæ[5] virgas sequacis ad vincturas lentitiæ. Aliæ prætenues[6] viminibus texendis spectabili subtilitate. Rursus aliæ firmiores corbibus, ac plurimæ agricolarum supellectili : candidiores ablato cortice lenique tractatu, vilioribus[7] vasis, quam ut e corio fiant : atque etiam supinarum[8] in delicias cathedrarum aptissimæ[9]. Cædua salici fertilitas, densior tonsura, ex brevi pugno[10] verius, quam ramo : non, ut remur, in novissimis curanda arbore. Nullius quippe tutior est reditus, minorisve impendii, aut tempestatum securior.

LXIX. Tertium locum ei in æstimatione ruris Cato[1] attribuit, prioremque quam olivetis, quamque frumento, aut pratis : nec quia desint alia vincula. Siquidem[2] et

4. *Baltheo corticis.* Cortex in balthei modum a summo rami capite imum usque sectus, vinculi præbet vicem. H. — *Salix vitellina* (*Diœc. diand.* gen. 2179, Pers. *Amentac.* Juss.) cujus duas quoque species agnoscit Dioscorid. IV, 31, *viminalis* scilicet et *perticalis*. Ed.

5. *Aliæ.* Amerinæ, rufæ, nitelinæ. Dal. — *Et aliæ.* Ut nitelinæ, *le franc osier*, et Amerinæ, *l'osier*. H.

6. *Aliæ prætenues.* Quæ folio sunt amygdalino, purpureæ nigræ viminales dictæ. Iconem vide apud Dalecamp. Hist. lib. II, p. 276. H.

7. *Vilioribus.* MSS. Reg. Colb. Thuan. « melioribus vasis, quæ ut ne corio fiant eodem : atque etiam, etc. » Hard.

8. *Supinarum.* Supina cathedra est, quæ desidentes, ac molliter resupinos excipit : *une chaise à dos*. H.

9. *In delicias cathedrarum aptissimæ.* In quibus ignavæ sedent totos dies mulierculæ et cum iis molles ac effeminati viri : unde cathedralitii Martiali, « Quum cathedralitios portet tua rheda ministros, Et Libys in longo pulvere sudet eques. » Ac rursus : « Inter femineas qui tota luce cathedras Desidet. » Rhod. l. XV, cap. 8. Dalec.

10. *Ex brevi pugno.* Cacumen tonsæ salicis, unde rami fruticant, brevis pugni verius, quam rami, nomen obtineat. Hard.

LXIX. 1. *Cato.* De R. R. lib. I, cap. 6 : « De omnibus agris, optimoque loco si emeris jugera agri centum, vinea est prima, si vino multo siet : secundo loco, hortus irriguus : tertio, salictum : quarto, oletum : quinto, pratum : sexto, campus frumentarius : septimo, silva cædua : octavo, arbustum : nono, glandaria silva. » Hard.

2. *Siquidem.* Columella, lib. IV, c. 13 : « Optima est ergo « ad vitem ligandam « genista, vel paludibus desectus juncus, aut ulva : non pessime tamen in umbra siccata faciunt in hunc usum arundinum quoque

genistæ, et populi, et ulmi, et sanguinei frutices, et betullæ, et arundo fissa, et arundinum folia, ut in Liguria, et vitis ipsa, recisisque aculeis rubi alligant[3], et intorta corylus: miruinque contuso ligno alicui majores ad vincula esse vires. Salici tamen[4] præcipua dos. Finditur Græca rubens[5]: candidior Amerina[6], sed paulo fragilior, ideo solido[7] ligat nexu. In Asia tria generà observant. Nigram[8], utiliorem viminibus; candidam agricolarum usibus[9]; tertiam, quæ brevissima est, helicem[10] vocant. Apud nos quoque[11] multi totidem generibus nomina imponunt: vimineam[12] vocant, eamdemque purpuream[13].

folia. » De sanguineis fruticibus diximus cap. 3. De genista dicemus lib. XXIV, cap. 40. Hard.

3. *Rubi alligant.* Colum. lib. IV, cap. 31. Hard.

4. *Salici tamen.* Etiam contusæ, vel coutortæ. Hard.

5. *Græca rubens.* Amerina sub. Hæc enim de Amerina, quæ sola finditur, sunt intelligenda. Amerinarum quædam rubet, quam Græcam vocant. Plinius etiam nigram, lib. XXIV, c. 9; quædam candida est. Amerinam Lugdunenses hodie vocant, *amerines*, et *ambres*, Parisienses *osier*. Dal. — *Græca rubens.* Columellæ, lib. IV, cap. 30, pag. 161. Græca flavi coloris est, haud dubie, quæ mox nitelina dicitur. H.

6. *Candidior Amerina.* Sic ex MSS. emend. Hard. *candidiorque Amerina* Gron. et Al. Ed. — *Amerina.* Amerina salix, Columellæ loco citato, gracilem virgam et rutilam gerit. *L'osier.* Est salix minor viminalis a Dodonæo delineata, pag. 831. H.

7. *Sed... fragilior, ideo solido.* Ideo non finditur, ut Græca: sed solido ramo, seu virga nectit. Hard.

8. *Nigram.* Quæ cortice nigro aut purpureo est, inquit Theophrast. Hist. lib. III, cap. 13, nigra dicitur: candida, quæ candido. Virgas pulchriores, et ad texendum commodiores nigra profert: candida, spissiores. Nigræ iconem Dalecamp. exhibet, ut ante monnimus, albæ, Dodonæus. Hard.

9. *Agricolarum usibus.* Corbibus, et reliquæ agricolarum supellectili.

10. *Helicem.* Ἑλικὴν, Theophrast. loc. cit. παρὰ τὸ ἑλίσσεσθαι, quod εἰς τὰ πλεκτὰ ἑλίττεται, tortilis ac plectilis est, et ad viminum textus idonea. Eadem cum Amerina nobis esse ea videtur. Hard. — *Salix Helix*, servat nomen. Ed.

11. *Apud nos quoque*, etc. Columellæ, lib. IV, cap. 30, vimineæ salicis tria genera: græca, flavi coloris: gallica, obsoleti, purpurei et tenuissimi viminis: sabina, quam plurimi Amerinam vocant, gracili et rutila virga. Dalec. — *Vimineam.* Quæ nigra et viminalis prius a nobis est appellata. Hard.

Alteram nitelinam[14] a colore, quæ sit tenuior. Tertiam Gallicam[15], quæ tenuissima.

LXX. Nec in fruticum[1], nec in veprium cauliumve, 1
neque in herbarum, aut alio ullo, quam suo genere, numerentur jure scirpi[2] fragiles palustresque, ad[3] tegulum, tegetesque[4], e quibus detracto cortice, candelæ[5] lumini-

13. *Purpuream*. Cortice e nigro purpurascente. Dal..

14. *Nitelinam*. Ruel. *vitellinam*. Ed. — *Nitelinam*. Ita MSS. omnes. A colore flavo, vel rubro : eadem quæ græca rubens. De nitelis vide quæ diximus lib. VIII, cap. 82. H.

15. *Gallicam*. Colum. loco proxime citato, Gallica obsoleti purpurei et tenuissimi viminis dicitur. H.

LXX. 1. *Nec in fruticum*, etc. Legend. « Nec in fruticum, nec in veprium cauliumve, nec in herbarum aut ullo alio quam suo genere numerentur jure scirpi fragiles palustresque ad tegillum tegetesque. » Tegilla cuculli vel petasi ex scirpo facti. *Scirpum* grammatici interpretantur, « id quod in palustribus locis nascitur, etc. » Hoc est, φλοῦς Græcorum. Et quod sequitur sic corrige : « Pro maximoque æstimanti hoc videatur esse quod in interiore parte mundum papyrum usui det. Frutectosi generis sunt inter aquaticas et rubi atque sambuci ; » æstimanti, inquit, virtutes papyri hoc pro maximo videatur esse quod interior ejus pars mundum papyrum usui det, id est, mundi papyri usum præstet. Salm. — Varias hic designat junci vel scirpi species, ad πλέγματα maxime idoneas. Ed.

2. *Scirpi*. Glossæ : *Scirpus*, φλοῦς, πάπυρος. Festus : Scirpus « est id, quod in palustribus locis nascitur, læve, et procerum, unde tegetes fiunt. Inde proverbium est, in eas natum res, quæ nullius impedimenti sunt, In scirpo nodum quærere, » quia nihil rectius, et enodius junco. Hard.

3. *Ad tegulum*. Ad tegumentum ædium. Qua voce jam ante usus initio cap. 64. Hard.

4. *Tegetesque*. Glossæ : Ψίαθοι φλοΐναι, *tegetes scirpeæ*, stragula scilicet e junco, scirpoque. Sic etiam, auctore Festo, « Tegillum, cucullinunculum ex scirpo factum. Plautus : Tegillum mihi aret : id, si vis, dabo. » Genus vestis nimirum a tergo pendentis, quod pluviam arcebat a capite ; dictum a tegete : quod, ut tegetes, e scirpo fieret. Sunt et e lino, palma, cannabique tegetes. *Des nattes*. Hard.

5. *Candelæ*. Addita cera, et quidem odorata. Paulinus Natali 3 : « Lumina ceratis adolentur odora papyris. » Nam et scirpos eos Latini papyrum dixere, non Ægyptiam illam quidem, de qua dictum est lib. XIII, sed Italicam, ut Glossæ mox laudatæ docent. Has scirpeas papyraceasve faces cerea imbutas tunica, λαμπάδας κηροχίτωνας eleganter Antipater in Antholog. Papyros cera circumdatas vocat Isidorus Origg. lib. XI, cap. 2. Fortunatus, vitæ S. Hilarii lib. II, sub finem : « Quantum fuit cerei lon-

bus et funeribus serviunt[6]. Firmior quibusdam in locis eorum rigor. Namque iis velificant[7] non in Pado tantum nautici, verum et in mari piscator Africus, præpostero more vela intra malos[8] suspendens. Et mapalia[9] sua Mauri 1
tegunt, proximeque æstimanti hoc videantur esse, quo inferiore Nili[10] parte papyri sunt, usu.

1 LXXI. Sed frutectosi[1] generis sunt inter aquaticas et rubi[2], atque sambuci fungosi generis : aliter tamen, quam ferulæ; quippe plus ligni utique sambuco. Ex qua magis canoram buccinam tubamque credit pastor, ibi cæsa, ubi gallorum cantum frutex ille non exaudiat. Rubi mora ferunt : et alio[3] genere similitudinem rosæ, qui vocatur

gitudo, cera jacens inveuta est, papyro consumpta, etc. » « Fila scirpea, stuppam calentem, » non invenuste vocat Prudentius, hymn. 5 ad incensum lucernæ, vers. 15: » Quin et fila favis scirpea floreis Presso melle prius coulita fingimus. Vivax flamma viget... Seu ceram teretem stuppa calens bibit. » H.

6. *Et funeribus serviunt.* Quod adnotavit interpres Theocriti, juxta mortui cadaver, quamdiu supra terram esset, ignem accensum conservabant, qua in re candelis his utebantur. DALEC. — *Et funeribus.* Ita libri omnes, etiam MSS. non ut quibusdam placet, *funalibus*. H.

7. *Velificant.* Ex his vela texunt. HARD.

8. *Intra malos.* Ita ut quum venti intendunt vela, ea in malos ipsos impellant : sunt enim ad proram mali : ex his, qua parte puppim aspectant, vela pendent. HARD.

9. *Mapalia.* Ædificia Numidarum agrestium, de quibus Sallustius in Bello Jugurth. Festus : *Mapalia casæ Punice appellantur*, etc. H.

10. *Inferiore Nili.* Inferiore Ægypto, quam Delta vocant. In MSS. Reg. Colb. Thuan. Chifflet. « quo in interiore mundi parte papyrum usu : » sinceriore sane scriptura. Extima muudi romaui pars Mauritania est : interior, hæc quam colimus. HARD.

LXXI. 1. *Sed frutectosi.* Sic ex MSS. emend. Hard. Ch. *fructectosi*. MS. *fruticosi* Gronov. et Al. ED.

2. *Rubi.* Rubus vulgaris fructu nigro, *ronce*. Iconem vide apud Dalecampium, Hist. Plant. lib. II, c. 1, pag. 119. HARD. — *Rubus fruticosus* designatur, et mox tertio loco *R. Idæus*; de quibus jam supra dictum est. ED.

3. *Et alio.* Et aliud, inqnit, rubi genus est : cynosbaton vocant. Fructum id subrutilum parit, malo Punico similem : est inter fruticem, arboremque, rosæ non absimile. Theophrastus, Hist. lib. III, cap. 18: Τὸ δὲ κυνόσβατον τὸν καρπὸν ὑπέρυθρον ἔχει, καὶ παραπλήσιον τῷ τῆς ῥοᾶς· ἔστι δὲ δένδρου καὶ θάμνου μεταξὺ, καὶ παρόμοιον ταῖς ῥοδαῖς. Non est

cynosbatos. Tertium genus Idæum[4] vocant Græci a loco. Tenuius est[5] quam cætera, minoribusque spinis, et minus aduncis. Flos ejus[6] contra lippitudines illinitur ex melle: et igni sacro[7]. Contra stomachi[8] quoque vitia bibitur ex aqua. Sambuci[9] acinos habent nigros atque parvos, humoris lenti, inficiendo maxime capillo: qui et ipsi aqua decocti manduntur[10].

LXXII. (XXXVIII.) Humor et cortici arborum est, qui 1
sanguis earum intelligi debet, non idem omnibus. Ficis lacteus[1]: huic ad caseos figurandos[2] coaguli vis. Cerasis

id rubi genus, in quo rosa nasci dicitur, lib. XXIV, c. 73. Cynosbaton hunc, qui florem ac fruticem rosæ silvestris præbeat, vidisse se Lobelius testatur in Adv. p. 446. HARD.—*Similitudinem rosæ.* Hoc est quod Theophrastus ait, Hist. lib. III, cap. 18, Cynosbaton fructum subrubrum habere, παραπλήσιον τῷ τῆς ῥόδου, non ut vulgo legitur, τῆς ῥοιᾶς. DALEC. — *Cynosbaton* nihil aliud esse apud Græcos, sc. Hippocratem, Dioscoridem, etc. quam *Rosam* nostram *caninam*, testatur Sprengelius. ED.

4. *Idæum.* Ab Ida monte, in quo nascitur copiosius quam alibi, inquit Dioscorides, lib. IV, cap. 38. Gallis *framboisier.* Pingitur a Dodonæo, pag. 371. HARD.

5. *Tenuius est.* Hæc pariter Dioscorid. l. c. HARD.

6. *Flos ejus.* Dioscorid. loc. cit. ad oculorum inflammationem adhibet. HARD.

7. *Et igni sacro.* Subintellige, igni sacro medendo illinitur. Erysipelata restinguere dicitur a Diosc. quod eodem pertinet, ut alibi dicturi sumus. HARD.

8. *Contra stomachi.* Dioscorides, loco citato, et Plinius iterum, lib. XXIV, cap. 25. HARD.

9. *Sambuci.* Theophrast. l. III, cap. 13. Habet eadem Diosc. lib. IV, cap. 175. HARD.

10. *Aqua decocti manduntur.* Olerum more. Dioscorid. qui de sambuci et ebuli foliis id tradit. DAL.

LXXII. 1. *Humor et cortici arborum est, qui sanguis earum intelligi debet, non idem omnibus: ficis lacteus.* Dictionem *cortici* Plinianam non credimus, ducti verbis Theophrasti, lib. I, cap. 19: « Arborum, inquit, ipsarum humor variis generibus consummari videtur: alius enim succus lacteo similis est, ut fici, papaveris, etc. » PINT. — *Humor et cortici*, etc. Theophr. Hist. lib. I, cap. 19, et ejusdem lib. IX, cap. 1. DAL.

2. *Ad caseos figurandos.* Varro, de R. R. lib. II, cap. 11. Caseum eum Veteres ὀπίαν, ἀπὸ τοῦ ὀποῦ, et κραδίαν, ἀπὸ τῆς κράδης, ut exponit Hesychius, ὑπὸ τοῦ ὀποῦ τῆς κράδης πηγνύμενον. Apud Euripidem Polyphemus suas divitias ostentans, inquit, καὶ τυρὸς ὀπίας ἐστὶ, καὶ βοὸς

gummosus[3]; ulmis salivosus; lentus ac pinguis malis; vitibus ac piris aquosus. Vivaciora, quibus lentior. Atque in totum[4] corpori arborum, ut reliquorum animalium[5], cutis, sanguis, caro, nervi, venæ, ossa, medullæ, pro cute cortex. Mirum[6]! is in moro[7] medicis succum quærentibus, vere[8], hora diei[9] secunda, lapide incussus[10] manat; altius fractus siccus videtur. Proximi plerisque adipes: ii vocantur a colore alburnum[11]: mollis ac pessima pars ligni, etiam in robore facile putrescens, teredini obnoxia; quare semper amputabitur. Subest huic caro, cui ossa,

γάλα. Victor. lib. XXXII, c. 7, et Aunot. in Varronis citatum locum. Dalec. — *Figurandos*. Cogendos, figendos. Ita MSS. omnes. Aristot. Hist. Anim. lib. III, cap. 16, p. 390: Πήγνυται δὲ τὸ γάλα, ὀπῷ τε συκῆς, καὶ πυετίᾳ. « Cogitur lac succo ficulneo, et coagulo. » Hard.

3. *Gummosus*. MSS. omnes, *cumminosus*. H. — Broter. *gumminosus* edidit ex MSS. Regg. 1 et 2. Ed.

4. *Atque in totum*. Theophrast. id habet, Histor. lib. I, cap. 4. H.

5. *Ut reliquorum animalium*. Internam arborum structuram, et quamdam earum cum reliquis animalibus *organorum* similitudinem, quam Noster hoc cap. et sqq. persequitur, multo facilius accuratiusque recentiores botanici exquisivere. Cf. de hoc argumento Sprengelius, qui varia quum Veterum, tum Recentiorum phytologorum systemata ad sanæ critices lancem ponderat, in opere luculentissimo Histor. Rei Herbar. tom. II, cap. 5. Ed.

6. *Mirum, hic in moro medicis*, etc. Antiquum exemplar, « Mirum hiis in moro medicis succum quærentibus, vere horæ diei secunda lapide incisus manat: » ut forte legendum sit *imus*, non *hiis*: nam sequitur statim *altius fractus*, etc. Pint. — *Mirum: is*. Cortex videlicet, qui, si leviter incidatur, succo manat: si altius frangatur, siccus manet. Hard.

7. *In moro*. Hoc de sycomoro Dioscorides retulit, lib. I, c. 181, sed de moro Empiricus, cap. XII, qui succum ejus ad dolorem dentium impense commendat. Hard.

8. *Vere*. Sic MSS. non *fere*. Dioscorid. ἔαρος πρώτου. Dalec.

9. *Vere, hora d. s.* Νεαρὸν δένδρον, πρὶν καρποφορεῖν, ὀπίζεσθαι, Diosc. scribit, nempe lacteum succum ex arbore tenella colligi, prinsquam fructum ferat. Νεαρὸν ad matutinum, sive horam diei secundam retulisse videtur Plinius. Ruellius, « primo vere arbore tenera succum eximi » vertit in Histor. sycomori apud Dioscoridem, tamquam ἐαρινὸν pro νεαρὸν legisset. Dalec.

10. *Incussus*. Ita MSS. omnes, hoc est, leviter, ac superficie summa incisus. Hard.

11. *Alburnum*. Non arboris id modo nomen est, sed vitium arbo-

id est, materiæ optimum. Alternant[12] fructus, quibus siccius lignum, ut olea : magis quam quibus carnosum, ut cerasus. Nec omnibus adipes carnesve largæ, sicuti nec animalium acerrimis. Neutrum habent buxus, cornus[13], olea ; nec medullam, minimumque etiam sanguinis[14] : sicut ossa non habent sorba, carnem sambuci[15] (et plurimam ambæ medullam), nec arundines majore ex parte.

LXXIII. In quarumdam arborum[1] carnibus [2]pulpæ 1
venæque sunt. Discrimen earum facile. Venæ latiores candidioresque pulpæ fissilibus insunt. Ideo fit[3] ut aure ad caput trabis quamlibet prælongæ admota, ictus ab altero capite vel graphii sentiatur[4], penetrante rectis meatibus sono. Unde deprehenditur, an torta sit materies, nodisque concisa. Quibus sunt tubera[5], sic sunt in carne glandia[6].

rum. Lignarii fabri appellant *l'aubour*, vel *l'aubier*. HARD.

12. *Alternant.* Alterno quoque anno eduut. Columella, lib. V, c. 9 : « Optimum est constitutum jam et maturum olivetum in duas partes dividere, quæ alteruis annis fructu induantur : ueque enim olea coutinuo biennio uberat. » HARD.

13. *Cornus.* Nempe mascula, cui medulla quoque nulla iuest, ut dictum est cap. 42. De olea, uum medulla careat, vid. Theophrast. Hist. V, 16. De buxo, c. 7. HARD.

14. *Sanguinis.* Humoris in cortice. HARD.

15. *Sambuci.* Theophrast. Hist. lib. I, cap. 19. In MSS. omnibus, *sabuci*, et Q. Serenus Samonicus, c. de phrenesi et capite curando : « Ungitur et succis dederit quos parva sabucus. » HARD.—*Sambucus nigra*, de qua jam supra dictum, c. 71. Ἀκτῆ Theoph. et Diosc. ED.

LXXIII. 1. *In quarumdam arborum*, etc. Theophrast. Hist. lib. I, cap. 2. DALEC.

2. *Pulpæ.* Pulpam pro nervo accipit, quem ἶνα Theopbrast. vocat. Similitudo ducitur ab animantium corpore, in quibus pulpa dicitur « caro sine pinguedine, sicut est tumida et grossa caro crurium et hrachiorum, » inquit Joh. de Janua, iu Catholico. HARD.

3. *Ideo fit.* Id jam delibatum a nobis lib. XI, cap. 112. Quotidiani hujus experimenti causam Kircherus explicat in Phonurgia nova, p. 65. HARD.

4. *Vel graphii sentiatur.* Est autem *graphium*, ut vulgo etiam notum est, stylus ferreus, quo in ceratis tabellis, quidquid libuerit, exarare solemns. GELEN.

5. *Tubera.* Prominentes forus humores ac veluti quidam gibbi.

6. *Glandia.* Glandulæ. Dicemus de hac voce opportunius l. XXXVI, cap. 2. HARD.

In iis nec vena, nec pulpa, quodam callo carnis in se
2 convoluto[7]. Hoc pretiosissimum in citro[8], et acere. Cætera mensarum genera fissis[9] arboribus circinantur in pulpam: alioqui fragilis esset vena in orbem arboris[10] cæsa. Fagis pectines[11] transversi in pulpa. Apud antiquos[12] inde et vasis honos. Manius Curius[13] juravit se ex præda nihil attigisse, præter guttum[14] faginum, quo sacrificaret. Lignum in longitudinem fluctuatur[15]: ut quæ pars fuit ab

7. *Quodam callo carnis in se convoluto.* Σπείρας vocat Theophrastus, Hist. lib. V, cap. 3, qno in loco apiram nec nodum, ὄζον, esse, nec crispam materiam, οὐλότητα, ait, quemadmodum in acere et citro Plinius interpretatur. Dalec.

8. *In citro, et acere.* Ita MSS. Reg. Colb. Thuan. Chiffl. etc. non *cedro*. Et de citri quidem tubere diximus lib. XIII, cap. 29; de tubere aceris, libri hujus c. 27. H.

9. *Fissis arboribus.* Ad mensas struendas e reliquis arborum generibus, finduntur primum arbores in longitudinem: dein pulpa, h. e. pars ligni fissa ad opus circinatnr: nec statim in orbem, sive per latitudinem ac transversim arbos dividitur, quoniam fragilis tum vena foret, sen facile frangeretnr. H.

10. *Arboris.* Dalecamp. cod. dat *arbore*. Ed.

11. *Pectines.* Sic appellantur lineæ quædam ductusque per longitudinem arborum latitudinemque, amnium anguiumve more serpentes: qui dnctus in polita præcipne materia, non sine qnadam colorum varietate, conspicui sunt κτηδόνες. Venarum cursus appellat, cap. 76. Gallis, *veines*. Hard.

12. *Apud antiquos.* Virgil Ecl. III, vers. 36: « Pocula ponam fagina. » Ovidius, Metamorph. lib. VIII, vers. 669: « cælatus eodem Sistitur argento crater, fabricataqne fago Pocula. » Hard.

13. *Manius Curius.* Ad focnm sedenti illi, et qnod Athenæus ex Megacle tradit, rapum coquenti, qunm Samnites magnum anri pondus attulissent, repudiati sunt. Non enim aurum babere præclarum sibi videri dixit, sed eis, qni baberent aurnm, imperare. Cicero in Caton. Majore; Victor. lib. X, c. 5; Valer. Max. lib. IV, cap. 3. Dalec. — *Curius.* De quo jam diximus lib. VII, cap. 15. Hard.

14. *Guttum.* Poculi genns, quo in sacrificiis mensisque utebantur, et quo guttatim infundebatur aqua. Plautus: « Ut guttulam bauriret ex guttulo. » Hard.

15. *Fluctuatur.* Mari immergitur, ut velnti condiatur, ac maceretnr, et firmitatem accipiat. Theopbrast. Hist. lib. V, cap. 6. Robur et laricem, inquit, quum in mari condiunt, δρῦν καὶ πεύκην, ὅταν ταριχεύωσι τῇ θαλάττῃ, et quæ radici propiora sunt, citius in aqua merguntur, ac plus cæteris sidunt, τὰ πρὸς τὴν ῥίζαν, θᾶττον δύεται καθ' ὕδατος, καὶ ἐπινεύει μᾶλλον. H.

radice[16], validius sidit. Quibusdam pulpa sine venis, mero stamine et tenui constat. Hæc maxime fissilia. Alia[17] frangi celeriora, quam findi, quibus pulpa non est; ut oleæ, vites. At e contrario totum e carne corpus fico. Tota ossea[18] est ilex, cornus, robur, cytisus, morus, ebenus, lotos, et quæ sine medulla esse diximus[19]. Cæteris[20] nigri- 3
cans color. Fulva cornus, in venabulis[21] nitet, incisuris nodata[22] propter decorem. Cedrus, et larix, et juniperus rubent. (XXXIX.) Larix femina[23] habet, quam Græci vocant ægida, mellei coloris[24]. Inventum est pictorum tabellis[25] immortale, nullisque fissile rimis, hoc lignum. Proximum medullæ est[26]. In abiete leuson[27] Græci vocant.

16. *Ut quæ pars fuit ab radice.* Theophrast. Histor. lib. V, cap. 6, observari hoc tradit in lignis, quæ mari inveterantur. Dalec.

17. *Alia frangi.* In assulas dissilire. Hard.

18. *Tota ossea.* Os esse materiæ optimum super. cap. interpretatus est. Hard.

19. *Esse diximus.* Super. cap. buxum, cornum, oleam. Hard.

20. *Cæteris.* E proxime appellatis : ilici, corno, robori, etc. præter cornum. Hard.

21. *In venabulis.* Venabulum, *un épieu*, telum quondam venationi aptum : e corno ut plurimum arbore. Ovid. Ep. 4, v. 83 : « Sive tenes lato venabula cornea ferro. » H. — Magnus quondam ejus usus in apri et aliarum truculentiorum ferarum venatione. Brot.

22. *Nodata.* Vet. *notata.* Ed. — *Incisuris nodata.* Erant aspera nodis venabula, ubi rami a caudice amputati : nam cæsuræ manebant vestigia. Hard.

23. *Larix femina.* Sic ex MSS. emend. Harduin. *Larix feminam* habet Gronov. et Al. Ed. — *Larix femina.* Theophrastus, Histor. lib. III, cap. 10 : Καὶ τὴν αἰγίδα τὴν καλουμένην ἡ θήλεια τῆς πεύκης ἔχει (en πεύκη rursum larix)· τοῦτο δέ ἐστιν τὸ ἐγκάρδιον αὐτῆς. « Est autem ægis arboris veluti cor, ac medullæ interiori proximum. » Hard.

24. *Mellei coloris.* Theophrast. loco citato : ἡ δὲ αἰγὶς εὔχρως, « coloris elegantis et boni. » H.

25. *Pictorum tabellis.* Τὰ τῶν ζωγράφων πινάκια vocat Theophrast. loco citato. Galli, *palettes*, pollicullares assulas, quibus colores insident. Nisi mavis pro tabulis ligneis accipere, in quibus olim, uti nunc in tela, pingebatur : unde tabula plerumque apud antiquos usurpata pro pictura est. Hard.

26. *Proximum medullæ est.* Immo vero medulla, ἐγκάρδιον. Dalec.

27. *Leuson.* Theophr. l. c. Ἔχει δὲ, ὥσπερ ἡ πεύκη τὴν αἰγίδα, καὶ ἡ ἐλάτη τὸ λευκὸν, λεῦσσον καλούμενον, etc. In Sequanis fabri lignarii, in-

Cedri quoque durissima, quæ medullæ proxima, ut in corpore ossa, deraso modo limo [28]. Et sambuci [29] interiora mire firma traduntur; namque qui venabula [30] ex ea faciunt, præferunt omnibus : constat enim ex cute et ossibus.

1 LXXIV. Cædi tempestivum [1] quæ decorticentur, ut teretes [2], ad templa cæteraque usus rotundi, quum germinant, alias cortice [3] inextricabili, et carie subnascente ei, materiaque nigrescente. Tigna et quibus aufert [4] securis

quit Robert. Constantinus, adhuc *Louchon* vocant, et ex ea materia pyxides conficiunt. Hard.

28. *Limo.* Alburnum, credo, intelligit, de quo cap. sup. Hard.

29. *Et sambuci interiora*, etc. Plurimum tamen habere medullam sambucum supra scripsit, cap. 25 hujus libri. Idem tradit et Theophrast. Hist. lib. I, cap. 9, et lib. III, cap. 13; ita tamen, ut quosdam existimasse medulla carere dicat. Lego, « traduntur. E corno, qui venabula, etc. » Theophr. maris corni materiam corde carere (ἀκάρδιον εἶναι), totam solidam esse, densitate, ac firmitate cornibus similem; id quod Plinius parum feliciter vertit, « constare ex cute et ossibus. » Dalec. — *Et sambuci.* MSS. omnes, *sabuci*, ut diximus cap. sup. Interiora porro non medullam vocat, sed ossa, hoc est, lignum ipsum, materiæque optimum, quod cortice, ceu cute vestitur. Hard.

30. *Qui venabula.* Baculos fieri leves e sambuco dixit Theophrast. loc. cit. Ἐξ οὗ τὰς βακτηρίας ποιοῦσι τὰς κούφας. Hard.

LXXIV. 1. *Cædi tempestivum.* Theophrast. Hist. lib. V, cap. 1 : Ὡραῖα δὴ τέμνεσθαι ξύλα, τὰ μὲν στρογγύλα, καὶ ὅσα πρὸς φλοισμὸν, ὅταν βλαστάνῃ· τότε γὰρ εὐπεριαίρετος ὁ φλοιός· ὃ δὴ καλοῦσι λιπᾷν, διὰ τὴν ὑγρότητα ὑπογινομένην αὐτῷ. Μετὰ δὲ ταῦτα δυσπερικάθαρτος, καὶ τὸ ξύλον μέλαν γίνεται καὶ δυσειδές. « Cædi tempestivum est, materiem quidem rotundam, et quæ decorticanda est, quum germinare incipit. Tunc enim cortex extricari facile potest : id quod λιπᾷν appellaut, ob humorem, λίπος, qui sub eo cortice est, etc. » Ed.

2. *Ut teretes.* Quæ caudice sunt terete et procero : ut abies, pinus, picea. De abiete speciatim cap. 80, circa germinationes cædi eam tempestive, pronunciatur. Hard.

3. *Alias cortice.* Alias cortex, nisi ægre admodum, avelli non potest : nigrescitque materies, etc. Theophr. Hard.

4. *Tigna et quibus aufert*, etc. Sic Theophrast. « Quadrata quum turgere, λιπᾷν, desierint. Securis enim, τὸ δυσειδές, » vel, ut alii, δυσῶδες, « deformitatem aut putorem (*corticem* Plinius) aufert. Reliqua nunc post messem (*Solstitio* Plinius), nunc post vindemiam et Arcturum, ut aria, ulmus, etc. »

corticem, a bruma ad Favonium : aut si prævenire cogamur, Arcturi occasu[5], et ante eum Fidiculæ : novissima ratione, solstitio. Dies siderum horum reddetur suo loco.
Vulgo satis[6] putant observare, ne qua dedolanda[7] arbos 2
sternatur ante editos suos fructus. Robur vere[8] cæsum, teredinem sentit : bruma autem, neque viatur[9], neque

Plinius τετράγωνα *tigna* reddidit, et Arcturum, nempe Arcturi ortum, qui fit pridie idus septembris, ejus occasum intellexit, qui fit pridie idus martii, ante quod tempus Fidicula occidit, nempe pridie nonas februarii : et Favonius spirat, nempe circiter sextum idus februarii. Dalec. — *Tigna*. Et alia hujusmodi, quæ quadrari debent, τετράγωνα, Theophrast. Hard.

5. *Arcturi occasu.* Theophrast. μετὰ τρυγητὸν καὶ Ἀρκτοῦρον. Post vindemiam et Arcturi occasum, ut recte Plinius etiam dixit : non post Arcturi ortum, ut Dalecampius. H. —Brot. ex Theophr. emendandum putat, *Arcturi ortu*. Ed.

6. *Vulgo satis.* Theophrast. loc. cit. Ὅλως δὲ πᾶν πρὸς ἰσχὺν ὡραιότατον, οὐ μόνον πεπαυμένον τῆς βλαστήσεως, ἀλλ' ἔτι μᾶλλον ἐκπεπαῖνον τὸν καρπόν. « Omne quod validum esse debet, tempestivius cæditur, non solum quum germinare desierit, verum etiam quum fructum percoxerit. » Hard.

7. *Ne qua dedolanda.* Sic ex MSS. Hard. Gron. et Al. « ne quæ dedolandæ arbores sternantur. » Ed.

8. *Robur vere cæsum*, etc. « Quercus profecto cæsa tempestive, nec putret, nec vermibus eroditur, et cornu instar dura spissaque manet, tota enim cordi similis est : at haliphlœos etiam tum vilis et inutilis. » Theophrast. Negligentissime Plin. hæc vertit. *Suberque* pro haliphlœo scripsit. Dal. — *Robur vere.* Theophrastus, Δρῦς δὲ ὀψιαίτατα, etc. Robur, inquit, serissime cædendum, hieme post autumnum : quod si cæditur, dum turgescit (id quod fieri verno tempore Vitruvius monet, lib. II, cap. 9, pag. 32), citissime omnium fere computrescit, σήπεται. « Vere enim, inquit Vitr. omnes arbores fiunt prægnantes, et omnes suæ proprietatis virtutem efferunt in frondes, anniversariosque fructus. Quum igitur inanes et humidæ temporum necessitate fuerint, vanæ fiunt, et raritatibus imbecilles. Uti etiam corpora muliebria quum conceperint, a fetu ad partum non judicantur integra : neque in venalibus ea quæ sunt prægnantia, præstantur sana : ideo quod in corpore præseminatio crescens, ex omnibus cibi potestatibus detrahit alimentum in se : et quo firmior efficitur ad maturitatem partus, eo minus patitur esse solidum, id ipsum ex quo procreatur, etc. » Hard.

9. *Neque viatur.* Ita MSS. Reg. In Chiffl. *vitiatur*. Neque putredinem sentire, neque vermibus erodi robur bruma cæsum dixit Theophr. loc. cit. Hard.

pandatur, alias obnoxium etiam ut torqueat sese findatque: quod in subere tempestive quoque cæso evenit. Infinitum[10] refert et lunaris ratio; nec nisi a vicesima in tricesimam cædi volunt. Inter omnes vero[11] convenit, utilissime in coitu ejus sterni, quem diem alii interlunii,
3 alii silentis lunæ appellant. Sic certe Tiberius Cæsar concremato ponte naumachiario[12], larices[13] ad restituendum cædi in Rhætia præfinivit. Quidam dicunt[14], ut in coitu et sub terra sit luna : quod fieri non potest nisi[15] noctu. At si competant coitus in novissimum diem brumæ, illa sit[16] æterna materies ; proxime, cum[17] supra dictis sideribus. Quidam et Canis ortum addunt, et sic cæsas materies in forum Augustum[18]. Nec novellæ autem ad materiem, nec veteres utilissimæ. Circumcisas[19] quoque ad

10. *Infinitum*, etc. Hæc rursum Theophrast. Hist. lib. V, cap. 1, et Columella, lib. XI, cap. 1, pag. 370 : « Quoniam, inquit Columell. omnis materia sic cæsa judicatur carie non infestari. » Hard.

11. *Inter omnes vero*. De hoc argumento multa Furnerius, Hydrog. lib. I, cap. 23, pag. 37. Vide et auctorem Geop. lib. I, cap. 1, p. 83. Hard.

12. *Ponte naumachiario*. Junctæ fuere plures ponte naves : ex quo ponte naumachiarii inter se dissidebant. P. Victore teste, Naumachiæ quinque Romæ fuere, XIV Urbis regione, in Circum effossæ, quo Tiberis aqua immittebatur, ut ibi navalis pugnæ specimen ederetur. Hard.

13. *Larices... cædi*. Causam Palladius edocet, lib. II in Novembr. tit. 15, pag. 173, quoniam neque flammam recipiunt, nec carbones creant, ut dictum est cap. 19. H.

14. *Quidam dicunt*. Sic auctor Geopon. loc. cit. Hard.

15. *Quod fieri non potest nisi noctu*. Nam solis sidus, cum quo luna coit, non nisi noctu sub terra est. Dalec.

16. *Sit*. Dalec. *fit*. Ed.

17. *Proxime, cum*. Ad bonitatem, perennitatemque materiæ ejus quæ tum cæditur, quum coitus incidit in ipsum brumæ diem, accedit ea proxime, cujus cæsura fit, quum idem coitus in occasum incidit supra dictorum siderum, Fidiculæ, et Arcturi. Hard.

18. *In forum Augustum*. Ita MSS. omnes : hoc est, ad forum Augusti exædificandum, quod in octava Urbis regione fuit, ut P. Victor prodidit. Hard.

19. *Circumcisas*. Habet Vitruvius eadem, lib. II, cap. 9, pag. 33. Palladius quoque loc. cit. p. 172 : « Materies, inquit, ad fabricam cædenda est, quum luna decrescit :

medullam aliqui non inutiliter relinquunt, ut omnis humor stantibus defluat. Mirum apud [20] antiquos primo Punico 4
bello classem Duillii imperatoris ab arbore excisa LX die navigasse. Contra vero Hieronem [21] regem CCXX naves effectas diebus XLV tradit L. Piso. Secundo quoque Punico bello, Scipionis [22] classis XL die a securi navigavit. Tantum tempestivitas etiam in rapida celeritate pollet!

LXXV. Cato hominum summus in omni usu, de ma- 1
teriis hæc adjicit : « Prelum [1] e sapino atra potissimum facito : ulmeam, pineam, nuceam : hanc atque aliam materiam omnem quum effodies, luna decrescente eximito post meridiem, sine vento Austro. Tunc erit tempestiva [2], quum semen suum maturum erit; cavetoque ne per rorem trahas, aut doles. » Idemque mox [3] : « Nisi intermestri [4], lunaque dimidiata, ne tangas materiem. Tunc ne effodias aut præcidas abs terra. Diebus septem [5] proximis, quibus luna

sed arbores, quæ cæduntur, usque ad medullam securibus recisas, aliquamdiu stare patieris, ut per eas partes humor, si quis in venis continetur, excurrat. » Hard.

20. *Mirum apud.* Florus, lib. II, cap. 2, pag. 42 : « Duillio Cornelioque coss. etiam mari congredi populus romanus ausus est. Tum quidem ipsa velocitas classis comparatæ auspicium fuit. Intra enim LX diem quam cæsa silva fuerat, CLX navium classis in ancoris stetit: ut non arte factæ, sed quodam munere deorum conversæ in naves, atque mutatæ arbores viderentur. » Fuit hic annus Urbis 493, belli Punici primi quartus : quinto primus idem Romanorum Duillius navalem victoriam adeptus est. H.

21. *Contra... Hieronem.* Syracusarum regem. Egit de hoc bello, victoriæque celeritatem commendavit Florus loco citato. Hiero sub initium primi Punici belli victus a Romanis, victorum in partes postea amicitiamque transiit. Hard.

22. *Scipionis.* Africani prioris. H.

LXXV. 1. *Prelum e sapino.* Ita nunc Cato, cap. XXXI, pag. 29 : « Prelum e sapino atra potissimum facito : aut ulmeam, aut pineam, vel nuceam : hanc atque aliam materiem omnem quum effodies, » cæteraque, ut Plinius. Hard.

2. *Tunc erit tempestiva.* Cato, c. XVII, et XXXI, XXXVII. Dalec.

3. *Idemque mox.* Cap. 37. H.

4. *Intermestri.* Interlunio, et in coitu lunæ. Hard.

5. *Diebus septem.* In libris hactenus editis, legitur *diebus quatuor proximis.* In MSS. Reg. 1, 2, Colb. Thuan. et aliis *diebus IV proximis.*

plena fuerit, optime eximitur. Omnino caveto[6] ne quam materiam doles, neve cædas, neve tangas, nisi siccam : neve gelidam, neve rorulentam. » Tiberius idem[7] et in capillo tondendo servavit interlunia. M. Varro[8] adversus defluvia præcepit observandum id[9] a pleniluniis.

1 LXXVI. Larici[1] et magis abieti succisis[2], humor diu defluit. Hæ omnium arborum altissimæ ac rectissimæ. Navium malis antennisque[3] propter levitatem[4] præfertur abies. Communia his pinoque, ut quadripartitos[5] venarum

Fecit nimirum affinitas notarum *iiii* et *uii* ut hi numeri sæpius ab amanuensibus permutarentur. At Cato *septem* habet, cap. XXXVII. « Nisi intermestri, inquit, lnnaque dimidiata mate̤riam ne tangas. Materiam, quam effodies, aut præcides abs terra diebus septem, quibus luna plena fuerit, optime eximetur. Omnino caveto, ne quam materiam doles, neu cædas, neu tangas, nisi siccam, neu gelidam, neu rorulentam. » Et auctor Geopon. Διχοτόμου οὔσης κατὰ τὸ πανσέληνον. Hard.

6. *Caveto nigram.* Ita MSS. Libentius tamen, « caveto ne quam materiam, » ex Catone agnoverim. Dalecampius legit *nigra*, subintelligique lunam jubet. Quid porro sit luna nigra, nescio. Hard.

7. *Tiberius idem.* De quo nempe proxime, cap. sup. Ita MSS. H.

8. *M. Varro.* Lib. I de Re rust. cap. 37, ubi et Varr. emendat et hunc Plinii locum adducit Fulv. Ursin. Dalec.

9. *Observandum id.* Nempe tonderi a pleniluniis tempestivius esse. Varro, de R. R. lib. I, cap. 37 : « Ergo ista etiam, inquit Agrasius, non solum in ovibus tondendis, sed in meo capillo a patre acceptum servo, ne decrescente luna tondens calvefiam. » Ubi Fulvins Ursinus male emendat, *ut decrescente luna*. Hard.

LXXVI. 1. *Larici*, etc. Theophrast. Hist. lib. V, cap. 2 : Ὅταν δὲ τμηθῶσι, ῥεῖ καὶ ἐκ τῶν τῆς ἐλάτης, καὶ ἐκ τῶν τῆς πεύκης ἐπὶ πολὺν χρόνον ὑγρότης· καὶ μᾶλλον ἐκ τῶν τῆς ἐλάτης. Rursum πεύκη larix est. H.

2. *Succisis.* Theophrast. Hist. l. V, cap. 2. Dalec.

3. *Navium malis antennisque*, etc. Theophrast. Hist. lib. III, cap. 8, abietis candicem comparat cum navis arbore. Dalec.

4. *Levitatem.* Gronov. et Al. *lævitatem.* Ed.

5. *Ut quadripartitos venarum*, etc. Κτένας, κτηδόνας καὶ διαφύσεις τετραζόους. Vitruvius quadrifluvio disparatos vocat. Dalec. — *Quadripartitos.* Pectines quatuor, seu venarum cursus, quos in polita maxime materia cernimus amnium instar, anguiumve serpere. Si quaterni fuerint, quadripartitos venarum cursus materies habere dicitur; vel, ut Vitruvius ait, quadrifluviis esse disparata : si bini modo, bifido venarum cursu : si unicus, simplice. Hard.

cursus bifidosque habeant, vel omnino simplices. Ad fabrorum[6] intestina[7] opera medulla[8] sectilis: optima quadripartitis materies[9], et mollior quam cæteræ. Intellectus[10] in cortice protinus peritis. Abietis quæ pars a terra[11] fuit, enodis est: hæc, qua diximus[12] ratione, fluviata[13] decorticatur

6. *Ad fabrorum*, etc. Lege: « Ad fabrorum intestina opera medulla pectilis optima quadripartitis materiis, etc. » Talis est abietis in ea parte quæ proxima terræ est, quadruplici nempe venarum cursu fluviata. Salm. — *Ad fabrorum.* De medulla ebeni, cytisi, terebinthi, et cujusdam arboris colore ebeuo similis. Roboris hoc Theophrastus, Hist. lib. V, cap. 4. Dalec.

7. *Intestina opera medulla sectilis.* Lautiora, minutiora, pretiosa, ἀπουδαζόμενα. Theophrast. Dal.— *Intestina opera.* Hoc est, opera lignariæ fabricæ subtilioris et elegautioris: *menuiserie.* Intra domum fere tantum locum habet, et in ædium interiore parte: inde nomen *intestinarii* artifices, leg. 2, cod. Theodos. de excusat. artific. qui intestinum opus faciebant. H.

8. *Medulla.* Quæ Theophrasto, Histor. lib. V, cap. 1, ἐντεριώνη, cor ligni, sive matrix, et pars interna materiei. Hard.

9. *Optima quadripartitis materies.* « Quadripartitas ad opera valde probant, ægidem gignere solitas, quoniam materiam spississimam habent. Bifidarum mollis materia, sed in opere pessima, quia maxime pervertitur. Simplicium rara quidem est materia, sed a perversione tutissima. » Theophrast. Dalec. — *Optima.* Optima materies est, quæ quadripartitos habet venarum cursus. Theophrast. loco citato, ubi de quadrifluviis arboribus: Εἰσὶ δὲ καὶ πρὸς τὰς ἐργασίας αὗται κάλλισται· πυκνότατα γὰρ ἔχουσι τὰ ξύλα. « Sunt illæ ad opera præstantes: materiam enim spississimam habent. » Hard.

10. *Intellectus.* Discrimen, inquit Theophrast. loc. citat. arbores ipsæ, vel cortice ipso ostendunt. Quamobrem periti, ubi arborem videre, probe dijudicant, quænam ea sit. Quibus enim venæ egregiæ sunt, his cortex lævis rectusque: quibus e contrario, scaber, contortus. Διαφορὰς δὲ ἔχουσι τοῖς φλοιοῖς, καθ' ἃς γνωρίζουσιν ἰδόντες εὐθὺς τὸ δένδρον πεφυκὸς ποῖόν τί ἐστι· τῶν μὲν γὰρ εὐκτηδόνων, καὶ ὁ φλοιὸς λεῖος καὶ ὀρθός· τῶν δὲ ἐναντίον, τραχύς τε καὶ διεστραμμένος. Hard.

11. *Abietis quæ pars a terra.* Quæ terræ proxima. Vitruv. lib. II, c. 9, pag. 33. Hard.

12. *Qua diximus.* Cap. 73, his verbis: « Lignum in longitudinem fluctuatur: » ubi fluctuari, seu fluviari, diximus esse idem quod macerari aqua, et veluti condiri: ταριχεύεσθαι. Gallia, *bois flotté.* Neque enim hic sermo, ut quibusdam visum est, de multifluvio, seu multiplici venarum cursu. Hard.

13. *Hæc, qua... decorticatur.* Legit Salmasius in Solinum, pag. 1033, ex suis MSS. *decoratur*, explicatque τὴν πελέκησιν, sive perdolationem,

atque ita sapinus[14] vocatur[15]: superior pars nodosa duriorque, fusterna[16]. Et in ipsis[17] autem arboribus robustiores Aquiloniæ partes[18]. Et in totum[19] deteriores ex humidis opacisque: spissiores ex apricis, ac diuturnæ.
2 Ideo Romæ infernas abies supernati præfertur[20]. Est per gentium quoque regiones in iis differentia. Alpibus, Apenninoque laudatissimæ: in Gallia, Jura[21], ac monte Vogeso[22]: in Corsica[23], Bithynia, Ponto, Macedonia.

quæ materiei decoratio est. Sane contra scriptoris sententiam, quam planam Vitruvii oratio facit. « Ex abiete autem, inquit ille, lib. II, cap. 9, pag. 33, antequam est excisa, quæ pars est proxima terræ, per radices excipiens ex proximitate humorem, enodis et liquida efficitur: quæ vero est superior... propter nodationis duritiem dicitur esse fusterna. Immo autem, quum excisa quadrifluviis disparatur, ejecto rotulo, ex eadem arbore ad intestina opera comparatur, et sapinea vocatur. » Quadrifluviis, inquit, disparata materies, quæ est optima, ut diximus, postquam fluviata est, seu amni mersa, ejecto torulo, hoc est, alburno cum cortice, ad intestina opera comparatur. HARD.

14. *Sapinus*. Sic Vitruvio loc. cit. ima sapinea, summa pars fusterna dicitur, propter nodationis duritiem. HARD.

15. *Sapinus vocatur*. Conf. ad cap. 23 hujusce libri. ED.

16. *Duriorque, fusterna*. Quia nodosa, ut solent esse fustes et baculi, crebris ut plurimum nodis asperi. HARD.

17. *Et in ipsis*. Theophrast. Hist. lib. V, cap. 2. HARD.

18. *Aquiloniæ partes*. Theophr. Hist. lib. I, cap. 14, et lib. V, c. 2. DALEC.

19. *Et in totum*. Theophr. Hist. lib. V, cap. 3. HARD.

20. *Infernas abies supernati præfertur*. Infernas abies, et cæsa in Apennini parte mari Thusco proxima: supernas cæsa in ea parte, quæ Adriatico vicina est. DALEC. — *Infernas abies*. Tyrrhenum mare infernum vocatur, superum vero Adriaticum, ut diximus lib. III, cap. 10. Quæ abietea igitur ex ea Apennini parte, quæ ad Tyrrhenum mare protenditur, advehi solent, eæ dicuntur infernates. Quæ ab ea vero, quæ vergit in Adriaticum, supernates nominantur. Vitruv. lib. II, cap. 10, p. 33: « Ideo infernates, quæ ex apricis locis apportantur, meliores sunt, quam quæ ab opacis de supernatibus advehuntur. » HARD.

21. *In Gallia, Jura*. MSS. omnes. et editiones vetustæ, *Juribus*, ut l. III, cap. 5. HARD.

22. *Ac monte Vogeso*. *Le mont de Vauge*, in Lotharingiæ Alsatiæque confinio. Ex eo amnis Mosella oritur. HARD.

23. *In Corsica*. Corsicas arbores, imprimisque abietes laudat impensius Theophr. Hist. lib. V, c. 9. H.

Deterior[24] Æneatica[25], et Arcadica. Pessimæ Parnassia, et Eubœica; quoniam ramosæ[26] ibi et contortæ, putrescentesque facile. At cedrus[27] in Creta, Africa, Syria laudatissima. Cedri oleo[28] peruncta materies nec tineam, nec ca- 3
riem sentit. Junipero[29] eadem virtus, quæ cedro. Vasta hæc in Hispania, maximeque Vaccæis[30]: medulla ejus ubicumque solidior etiam, quam cedrus. Publicum omnium vitium vocant spiras[31], ubi convolvere se venæ atque[32] nodi. Inveniuntur in quibusdam, sicut in marmore, centra[33], id

24. *Deteriores Æneatica et Arcadica, pessimæ Parnassia et Euboica.* Scribo *Æanica*, non *Æneatica*, ex Theophr. l. V, c. 3: « Secundam, inquit, Ponticam tradunt: tertiam Rhyndacicam: quartam Æanicam: deterrimam Parnassiam atque Euboicam. » Hæc Theophrastus. Est autem Æane urbs Macedoniæ Stephano. PINT.

25. *Æneatica*. Theophr. Αἰανική. Forte Αἰνιανικὴ, ab Ænianibus, quorum in regionibus mons OEta fuit, silvis consitus, ubi sibi rogum Hercules struxit. De his egimus lib. IV, cap. 3. HARD.

26. *Ramosæ*. Theophr. *nodosæ*, ὀζώδη. HARD.

27. *At cedrus*, etc. Hæc etiam Vitruvius, lib. II, c. 9, p. 35. H.

28. *Cedri oleo*. Vitruvius, loco citato, pag. 34: « Quemadmodum ex cupresso et pinu, resina: sic ex cedro oleum, quod cedreum dicitur, nascitur: quo reliquæ res quum sunt unctæ, uti etiam libri, a tineis et a carie non læduntur. » HARD.

29. *Junipero*. Vitruv. loc. citat. « Cedrus et juniperus easdem habent utilitates. » HARD.

30. *Vaccæis*. Hispaniæ gens ea est, de qua lib. III, cap. 4. Prius legebatur, *maximæque baccæ ejus*. At in Reg. 1, 2, Colb. 1, 3, Th. et reliquis, *vaccæ eis*. In ed. Parm. *baccæ eis*. Nos sinceram inde lectionem eruimus. De vastitate atque amplitudine materiæ juniperi nunc sermo est: de baccis juniperi plane aliena hoc loco mentio. HARD.

31. *Spiras*. Σπείρας quoque Theophrastus vocat, Hist. lib. V, cap. 3, convolutionem eam complurium orbium, quam neque nodum, inquit, neque crispitudinem merito dixeris; fabris longe molestior ea, difficiliorque tractatu, quam nodi. HARD.

32. *Ubi convolvere se venæ atque nodi*. Ubi convolutio quædam fit in plures orbes: quam nec nodum, nec crispitudinem jure dixeris, fabris longe molestior, tractatuque difficilior quam nodi. Theophrast. Hist. lib. VI, cap. 39. DALEC.

33. *Centra*. Græcam adhibuit vocem: nam κέντρα pariter a Theophrasto appellantur hi duriores nodi, clavorum instar, in intima ligni parte, aut marmoris, aut gemmæ. Sic enim lib. XXXVII, cap. 39,

est, duritia clavo similis[34], inimica serris. Et quædam forte accidunt[35], lapide comprehenso, aut recepto in corpus, aut alterius arboris ramo.

4 Megaris[1] diu stetit oleaster in foro, cui viri fortes affixerant arma, quæ cortice ambiente ætas longa occultaverat : fuitque arbor illa fatalis excidio urbis præmonitæ oraculo, quum arbor arma peperisset : quod succisæ accidit[2], ocreis galeisque intus repertis. Ferunt lapides ita inventos, ad continendos partus esse remedio. (XL.) Amplissima arborum ad hoc ævi existimatur Romæ visa, quam propter miraculum Tib. Cæsar in eodem ponte[3] naumachiario exposuerat advectam cum reliqua materie : duravit ad Neronis principis amphitheatrum.

5 Fuit autem trabs e larice, longa pedes CXX bipedali crassitudine æqualis. Quo intelligebatur vix credibilis reliqua altitudo, fastigium ad cacumen æstimantibus. Fuit memoria nostra et in porticibus septorum[4] a M. Agrippa

iuutilis scalpturæ sapphirus dicitur, intervenieutibus crystallinis centris. Et c. 10 ejusdem libri : « prædurum ac fragile centrum » in crystalli vitiis censetur. HARD.

34. *Clavo similis.* Alius est oleæ clavus, de quo inf. lib. XVII, c. 24.

35. *Et quædam forte accidunt*, etc. « Nodos arborum, quum mitius est cælum alimeutumque melius ac utilius, turgescente carne et cute obduci, quamvis sensui manifestissimum sit, tamen et ex aliis similibus cognoscimus. Nam sæpe arboris pars quædam ab altera coalesceute prehenditur : ac si quis saxum, vel aliquid aliud ejusmodi incutiat, accrescente quod in ambitu est, id occultatur, sicut in oleastro contigit Megaris in foro sato, etc. » Theophrast. Hunc locum Plinius incuriose vertit. DAL.—*Et quædam.* Alia ceutrorum in arboribus origo. Lapide nimirum inculcato, atque amplexu incrementi circum obducti demum occultato; vel alterius arboris, quæ in proximo fuerit, ramo in alterius ramum coagmentato. (Vide supra.) HARD.

1. *Megaris.* Et hæc a Theophr. traduntur, l. c. HARD.

2. *Quod succisæ accidit.* Quum a Pericle vastata est Megaris, bello Peloponuesiaco, ut quidem refert Diod. Sic. lib. XII. HARD.

3. *In eodem ponte.* De quo jam dictum est cap. 7. De Nerouis amphitheatro dicetur lib. XIX, c. 6. H.

4. *In porticibus septorum.* Septa, quondam Ovilia, in campo Martio loca frequentia, cincta primum tabulatis, deinde marmore, sumptu

relicta, æque miraculi causa, quæ diribitorio[5] superfuerat, xx pedibus brevior, sesquipedali crassitudine. Abies admirationis præcipuæ visa est in navi, quæ ex Ægypto Caii

magnifico, excellentique cultu, excelsis porticibus, ingentibusque et amplis ambulationibus ornata, in quibus pretiosæ merces venumdabantur. Eo populus ad comitia conveniebat, ut honores daret et de rep. cerneret. Alex. ab Alex. lib. II, cap. 18. Dalec. — *Fuit... et in porticibus septorum.* Septa dictus est locus, quo populus conveniebat ad ferenda suffragia in comitiis: qui locus ligneis primum cancellis, post marmoreis septus est. Inde nomen. Hard.

5. *Diribitorio.* Alii *delibatorio.* Suetonius in Claudio *diribitorium* appellat: itemque Dion, græcus auctor, διριβιτώριον, ut dubitari præterea nec possit, nec debeat, etiamsi nemo eorum, quale id esset, explicavit. In antiquissimo autem latino Lexico, in Noricis (Pomponio Læto referente) scriptum erat, *Diribitorium*, a diribendo, hoc est, distribuendo nominatum fuisse, quia locus esset, in quo recenserentur exercitus, et stipendia militiæ numerarentur: ut *diribere* sit, quod græce διανέμειν χρήματα: id autem munus in provinciis Procuratores Cæsaris obibant: Strabo auctor, qui et *militare logisterion* locum vocari tradit in relatione Syriæ, non dissimilem fortasse ab eo, quod nos *diribitorium.* Cicero de reditu suo ad senatum: «Quando, inquit, ulla dignitate tot rogatores, diribitores custodesque vidistis?» Hoc est, divisores distributoresque, qui inter tribus viritim pecuniam dividerent: quos Plautus in Aulularia *curiarum magistros* appellavit, qui distribuerent, inquit, argenti minas in viros. Nam et Pedianus Asconius quærere id solet, numquid tribus legitimos aliquos habuerit divisores suos. Erant et in petitione honorum, qui munia et dictata gratiosis quibusque sua partirentur: ut apud Ciceronem legitur. Ausonius ad Gratianum de consulatu suo: «Nihil, inquit, cum sequestre deposui, cum distributore nihil pegigi.» Distributorem vocavit ipse quem Cicero *diribitorem.* Ex hac similitudine structores epularum, et omnino præpositi negotiis, vocabulum id quandoque accipiunt. Apuleius, lib. II Fabulæ Milesiæ: «Frequens ibi, inquit, epulonum diribitores plusculi, splendide amicti, fercula copiosa, scitule administrata, pueri calamistrati, pulchre indusiati.» Ammian. XVIII, 5: «Dum hæc, inquit, in castris Constantii quasi per lustra aguntur et scenam, et diribitores venumdatæ subito potestatis pretium per potiores diffunditant domos.» Herm. Barb.—*Diribitorio.* Locus fuit in quo censebantur milites, et stipendiis donabantur: a diribendo, hoc est, distribuendo dictum. Magnificum imprimis ædificium ab Agrippa inchoatum, perfecit post ejus obitum Augustus. Vide Dionem ad an. DCCLVII, lib. LV. Hard.

principis[6] jussu, obeliscum[7] in Vaticano Circo statutum, quatuorque truncos lapidis ejusdem ad sustinendum eum adduxit; qua nave nihil admirabilius visum in mari certum est : CXX M. modium lentis pro saburra ei fuere.
6 Longitudo spatium obtinuit magna ex parte Ostiensis portus latere lævo. Ibi namque[8] demersa est a Claudio principe, cum tribus molibus, turrium altitudine in ea exædificatis obiter Puteolano pulvere, advectisque[9]. Arboris ejus crassitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat : vulgoque auditur LXXX nummum[10] et pluris malos venumdari ad eos usus, rates vero connecti XL H-S[11] plerasque. At in Ægypto[12] et Syria reges inopia abietis cedro ad classes feruntur usi. Maxima ea[13] in Cypro traditur, ad undeciremem Demetrii[14] succisa, centum triginta[15] pedum, crassitudinis vero ad trium hominum

6. *Caii principis*. Quem Caligulam alii appellarunt, nunquam ita Plinius. HARD.

7. *Obeliscum*. De quo dicemus l. XXXVII, cap. 15. HARD.

8. *Ibi namque*. Sueton. in Claud. c. XX : « Portum Ostiæ exstruxit... ubi navem demersit, qua magnus obeliscus ex Ægypto fuerat advectus, etc. » HARD.

9. *Obiter Puteolano pulvere, advectisque*. Scribendum arbitror, « ob id ter Puteolano pulvere advecto. » Nam quum tres moles altitudine turrium exædificatæ fuerint, optime quadrat ter ob id advectum esse Puteolanum pulverem: de quo Vitruvius secundo. PINT.—*Obiter*. Quum Puteolis ea navis transiret, Romamque contenderet. De Puteolano pulvere dicemus lib. XXXV, cap. 45. H. — Brot. separatim ex MSS. Reg. 2 et Ambros. 1, 2, *ob iter*. Rezzon. *ob id iter*. ED.

10. *LXXX nummum*. Ita MSS. omnes. Hoc est, octoginta nummum, seu sestertiorum millibus. Gallicæ monetæ libræ sunt octingeutæ. HARD.

11. *XL H-S*. Quadraginta sestertium millibus : seu libris gallicis omnino quadringentis. Hoc pretio ex hoc abietis genere connectebantur rates, *des radeaux*. HARD.

12. *At in Ægypto*. Hæc Theophrast. lib. V, c. 9. Sesostris, Ægypti regis, navigium cedrinum laudat Diodorus Siculus, Bibl. lib. I, pag. 52. Fabricasse etiam Caligula dicitur de cedris Liburnicas, gemmatis puppibus, etc. Suetonius in Caio, cap. XXXVII. HARD.

13. *Maxima ea*. Maxima cedrus. Theophrast. loc. cit. HARD.

14. *Demetrii*. Ejus qui Poliorcetæ cognomen adeptus est, Antigoni F. HARD.

15. *Centum triginta*. Theophrast.

complexum. Germaniæ prædones singulis arboribus cavatis navigant, quarum quædam et triginta homines ferunt.

Spississima[1], ex omni materie, ideo et[2] gravissima, 7
judicatur ebenus, et buxus, graciles natura[3]: neutra in aquis[4] fluitat, nec suber, si dematur cortex[5]; nec[6] larix. Ex reliquis siccissima[7] lotos, quæ Romæ ita[8] appellatur. Deinde robur exalburnatum[9]: et huic nigricans[10] color, magisque etiam cytiso, quæ proxime accedere ebenum videtur. Quanquam[11] non desint, qui Syriacas terebinthos nigriores affirment. Celebratur et Thericles[12] nomine, ca-

loc. cit. Τρὶς καὶ δέκα ὀργυιῶν. Ergo unaquæque ὀργυιὰ decem metitur pedes. Nempe major ὀργυιά. De minore lib. VIII, cap. 16. HARD.

1. *Spississima.* Hæc Theophrast. Hist. lib. V, cap. 4. HARD.

2. *Ideo et gravissima.* Etiam quum utraque aruit. Theophrast. Hist. l. I, cap. 8. HARD.

3. *Graciles natura.* Buxus quidem tota, ebenus medulla. Theophrast. DALEC.

4. *Neutra in aquis.* Ebenum decorticatam in aqua sidere, buxum cum ipso cortice demergi, ait Theophrast. HARD.

5. *Si dematur cortex.* Nihil Theophrast. Vide Vitruvium, lib. II, cap. 9. DALEC.

6. *Nec larix.* Vitruvius, lib. II, cap. 9. HARD.

7. *Ex reliquis siccissima.* Ita MSS. Theophr. loc. cit. Τῶν δ' ἄλλων, ὁ λωτὸς πυκνότατος, *spississima.* Sed de Africana. HARD.

8. *Quæ Romæ ita.* Plinius supra cap. 53: « Lotos sive faba Græca, quam Romæ a suavitate fructus... loton appellant. » HARD.

9. *Exalburnatum.* Dempto alburno, seu torulo. *L'aubour,* vel *l'aubier.* HARD.

10. *Huic nigricans color.* Roboris exalburnati nigram medullam, Theophrast. μελάνδρυον vocat, Hist. lib. I, cap. 9, et lib. V, cap. 4. DAL.

11. *Quanquam.* Theophrast. loc. cit. HARD.

12. *Thericles.* Vixit is Aristophanis ætate. Videtur Plinius velle Thericlem τορνευτὴν, non figulum fuisse. Sed Aratus apud Athen. l. XI, pag. 471, aperte fictorem figlinorum operum facit. Ὦ γαῖα κεραμῖτι, σ' ὁ Θηρικλῆς ποτε Ἔτευξε, etc. Theophrast. ipse Hist. lib. V, cap. 4, et qui eum laudat Athenæus l. c. pag. 470, Thericlea aiunt ex terebintho vasa adeo affabre elaborata fuisse, ut a fictilibus discerni ægre possent. Non igitur ipse Thericles, aut certe diversus ab eo, e terebinthino ligno vasa tornavit: sed figlina, e nigra nempe terra, egregii nitoris. Hesychius: Θηρίκλειος, κάλικος εἶδος ἀπὸ Θηρικλέους κεραμέως. Quæ porro ad pocula ea proxime accederent, sive ex ligno forent,

lices ex terebintho[13] solitus facere torno, per quem
8 probatur[14] materies. Omnium hæc sola[15] ungi vult[16], meliorque oleo fit. Colos mire adulteratur juglande ac piro silvestri tinctis, atque in medicamine decoctis. Omnibus, quæ diximus, spissa firmitas. Ab his proxima[17] est cornus; quanquam non potest videri materies propter[18] exilitatem, sed lignum non alio pæne[19], quam ad radios ro-

sive ex argento, vitrove, Thericlea dicebantur. Suidas, Θηρίκλειον ποτήριον, ὑαλινὸν exponit. Hard.

13. *Calices ex terebintho*, etc. Lege: « Calices ex terebintho solitus facere torno, perquam probatos. Materies omnium hæc sola ungi vult. » Valde probatos calices ex terebintho tornare solitum dicit hunc Thericlem, qui ab eo *Thericlei* sunt nominati. Salm.—*Calices e terebintho solitus facere torno, per quem probatur materies. Omnium hæc sola*, etc. Scribendum videtur, « Calices e terebintho solitus facere torno; cor cujus probatur. Materies omnium hæc sola, etc. » Theophr. lib. V, c. 4: « Et pocula Thericlea tornari quæ a fictilibus secerni non possunt: verum cor tantum accipi et perungi materiam oportere volunt. » Pint. — *Calices ex terebintho*, etc. Quos a figlinis discernere facile non erat. Theophr. Corinthius is Thericles fuit. Quidam θηρίκλεια dicta volunt, quod in iis feræ insculperentur. Rhodig. lib. XXVII, cap. 27. Figulum Corinthium Thericlem fuisse, non autem usum torno, scribit Athenæus, l. XI. Idem tamen ex Apollodoro Geloo citat Θηρίκλεια τορευτά. Dal.

14. *Per quem probatur*. Torno, inquit, materiæ bonitas firmitasque agnoscitur, et coloris nitor. Ita MSS. omnes. Hard.

15. *Omnium hæc sola*. Terebinthus sola perungi priusquam tornetur, postulat: sic enim melior, nigriorque efficitur. Juglans et pirus, si decoquantur in colore nigro, quo tinguntur, referent terebinthi similitudinem. Hard.

16. *Ungi vult*. Syriacæ terebinthi medulla. Theophr. Dal.

17. *Ab his proxima*. Theophrast. Hist. lib. V, cap. 8: Ἰσχυρότατον δὲ καὶ ἡ κρανία. Hard.

18. *Quanquam non potest videri materies propter exilitatem, sed lignum non alio pæne, quam*, etc. Hinc sequior latinitas *materiem* pro trabe usurpavit. Et *materiæ quinquagenariæ*, pro trabibus quinquaginta pedes longis. Notanda et illa locutio, *non alio pæne*, id est, non *alio* utile, pro non ad aliam rem utile. Sic *quo*, pro ad quam rem. Salm.

19. *Non alio pæne*. Sed et hastilia ex corno arbore facta Festus refert, quæ colurna ex eo dicerentur. Glossæ: Κρανία δένδρον. *Colurnum*, *cornus*. Virgil. Georg. lib. II, v. 396: « Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis. » Quæ ex corylo arbore, perperam, ut remur, Servius, aliique, qui sunt subsecuti, facta interpretantur. Maro Æneid.

tarum, utile : aut si quid cuneandum [20] sit in ligno, clavisve figendum, ceu ferreis. Ilex item, et oleaster [21], et olea, atque castanea, carpinus, populus. Hæc et crispa [22] aceris modo, si ulla materies idonea esset [23] ramis sæpe deputatis : castratio illa est, adimitque vires. De cætero [24] ple- 9
risque eorum, sed utique robori, tanta duritia est, ut terebrari nisi madefactum non queat, et ne sic quidem adactus avelli clavus. E diverso clavum non tenet cedrus. Mollissima [25] tilia ; eadem videtur et calidissima : argumentum afferunt, quod citissime ascias retundat [26]. Calidæ et morus [27], laurus, edera, et omnes e quibus igniaria fiunt.

LXXVII. Exploratorum hoc usus in castris, pasto- 1
rumque reperit, quoniam ad excudendum ignem non

IX, vers. 690 : « Voiat Itala cornus. » Hard.

20. *Si quid cuneandum.* Si quid findendum cuneo : is enim e corno fieri apte et utiliter potest. Cuneare, est ea quæ natura juncta sunt, per vim distrahere, ut ait Quintilianus, lib. IV, cap. 3. Et e corno clavi fiunt, qui ferreorum duritiem repræsentent. Hard.

21. *Ilex item, et oleaster, et olea,* etc. Theophrast. Histor. lib. III, cap. 12. Hard.

22. *Hæc et crispa.* Supra cap. 51: « Quorum crispa materies, ut acer, palma, populus. » An utrobique *opulus* legendum, cujus arboris meminit Columella passim? Hard.

23. *Idonea esset.* Operibus intestinis : si rami sæpe deputarentur in arbore : sed castratio illa est, quæ ligno firmitatem duritiemque adimit. Hard.

24. *De cætero.* Theophrast. Hist. lib. V, cap. 4 : Σκληρότατα δὲ τὰ δρύϊνα... καὶ γὰρ ὑποβρέχουσι ταῦτα πρὸς τὴν τρύπησιν μαλάξεως χάριν. H.

25. *Mollissima.* Theophr. l. c. totidem verbis. Hard.

26. *Ascias retundat.* Indicio est, inquit, quod ferri aciem vehementer hebetet, et calore suo obtundat. Ascia ferreum instrumentum est, quo fabricæ materiæ perdolantur. *Une doloire.* Hard.

27. *Calidæ, et morus,* etc. Theophrast. l. c. Et de lauro, Porphyrius quoque, apud Euseb. Præp. lib. III, pag. 112 : Ὅτι πυρὸς πλῆρες τὸ φυτὸν, etc. Denique Seneca Natt. Quæst. lib. II, cap. 22, p. 852 : « Duobus modis, inquit, apud nos fit ignis : uno, si excitatur, sicut ex lapide percusso : altero, si attritu invenitur, sicut cum duo ligna inter se diutius trita sunt. Non omnis hoc tibi materia præstabit, sed idonea eliciendis ignibus : sicut laurus, ederæ, et alia in hunc usum nota pastoribus. » H.

semper lapidis occasio est. Teritur ergo lignum[1] ligno, ignemque concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis[2], fungi vel foliorum facillimo conceptu. Sed nihil edera præstantius quæ teratur, lauro quæ terat. Probatur et vitis silvestris[3], alia quam labrusca[4], et ipsa ederæ modo
2 arborem scandens. Frigidissima[5] quæcumque aquatica: lentissima[6] autem, et ideo scutis faciendis aptissima, quorum plaga contrahit se protinus, clauditque suum vulnus, et ob id contumacius transmittit ferrum: in quo sunt genere fici[7], salix, tilia, betulla, sambucus, populus

LXXVII. 1. *Teritur ergo lignum ligno*, etc. Mercurio id inventum tribuit hymnus ad eum scriptus: Ξὺν δ' ἐφόρει ξύλα πολλὰ, πυρὸς δ' ἐπεμαίετο τέχνην. Δάφνης ἀγλαὸν ὄζον ἑλὼν ἐπέλεψε σιδήρῳ Ἄρμενον ἐν παλάμῃ, ἀνὰ δ' ἄμπνυτο θερμὸς αὐτμή. Ἑρμῆς τοι πρώτιστα πυρήϊα, πῦρ τ' ἀνέδωκε. Sic ap. Fest. ignis Vestæ si quando interstinctus esset, virgines a Pontifice verberibus affectæ clavulam (nimirum clavulam, sive exiguam clavam, mateolam) felicis materiæ, tamdiu terebrabant, quousque ignis conciperetur, quem æneo cribro virgo in ædem ferret. Sic arboribus silvarum, ventorum vi inter se collisis, ignis exprimitur, ac ut ait Lucretius lib. V: « Exprimitur validis extritus viribus ignis, Et micat interdum flammai fervidus ardor, Mutua dum inter se rami stirpesque teruntur. » Ut vero Corn. Severus in Ætna: « Haud aliter, quam quum prono jacuere sub Austro, Aut Aquilone fremunt sylvæ: dant brachia nodo Implicitæ, ac serpunt junctis incendia ramis. » SCALIGER. — *Teritur ergo.* Theophr. Hist. lib. V, cap. 10. Et hoc solerter faciunt hodie Canadenses. HARD.

2. *Aridi fomitis.* Eam olim *lucubram* vocaverunt. Paratur fere ex sulphuratis, fungis arborum insolatis et arefactis, acie, sive acu, nimirum carpto carminatoque lino, vel stupa, ut in Moreto: « Et producit acu stupas humore carentes: » nimirum, εἰς τὸ ζωπύριον καὶ ἔναυσμα πυρός. Hanc λυχναψίαν Glossarion vetus appellat, *Canapturam*. SCAL.

3. *Vitis silvestris.* Athragenam significat memoratam Theophr. Hist. lib. V, cap. 10. DALEC.

4. *Alia quam labrusca.* Vitis illius appellatio propria, apud Theophr. l. c. ἀθραγένη. Πυρεῖον δέ φασιν, inquit, ἄριστον μὲν ἐκ τῆς ἀθραγένης καλουμένης ὑπὸ τινῶν. Τοῦτο δέ ἐστι τὸ δένδρον ὅμοιον τῇ ἀμπέλῳ, καὶ τῇ οἰνάνθῃ τῇ ἀγρίᾳ· ὥσπερ ἐκεῖνα γὰρ καὶ τοῦτο ἀναβαίνει πρὸς τὰ δένδρα. HARD.

5. *Frigidissima.* Theophr. Hist. lib. V, c. 4. HARD.

6. *Lentissima.* Theophr. l. c. totidem fere verbis. HARD.

7. *Quo sunt genere fici*, etc. Salix, vitis, sed levior salix, quia laxior,

utraque. Levissima[8] ex his ficus et salix, ideoque utilissimæ. Omnes autem ad cistas, quæque flexili crate[9] constant. Habent et candorem, rigoremque[10], et in sculpturis facilitatem. Est lentitia[11] platano, sed madida, sicut alno. 3
Siccior eadem ulmo, fraxino, moro, ceraso, sed ponderosior. Rigorem fortissime[12] servat ulmus : ob id cardinibus, crassamentisque[13] portarum utilissima, quoniam minime torquetur : permutanda tantum[14] sic, ut cacumen ab inferiore sit cardine, radix superior. Palmæ est mollis,

ideo magis ea utuntur. Platanus lenta est, sed uatura hnmidior, ut et ulmus. Morus spissa, et lenta est. Theophr. Plinius hæc oscitanter. Dal.

8. *Levissima*. Theophr. Μανὰ δὲ τὰ ἄκτινα, καὶ τὰ σύκινα. Hard.

9. *Flexili crate*. Et ad ea quæ vimine flexili texuntur, ut crates. Hard.

10. *Rigoremque*. Hoc est, uou paudantur, non flectunt se, torquentve. Hard.

11. *Est lentitia*. Obsequens natura quo libeat flecti. Theophr. l. c. Τὸ δὲ τῆς πλατάνου γλισχρότητα μὲν ἔχει· φύσει δὲ ὑγρότερον τοῦτο, καὶ τὸ τῆς πτελέας, *sicut ulmo*. Quare an ita scrihendum et in Pliniano quoqne coutextn, facili transitu characterum *a* iu *u*, amplius cogitandum. Et Hist. lib. V, cap. 8, lentitiam cnm firmitate γλισχρότητα καὶ ἰσχὺν platauo attribnit, moro, fraxino, nlmo : sed deteriore couditione platani, qnod celeriter ea computrescit. Hard.

12. *Rigorem fortissime servat ulmus*. Ἀστραβεστάτη ἐστὶ, miuime pervertitur. Theophr. Hist. lib. III, cap. 23, et lib. V, cap. 8. Dalec. — *Rigorem fortissime*. Non flectit se, nou cedit pouderi, nou torqnetur nlmus, ἔστι δὲ καὶ ἀστραβέστατον τὸ τῆς πτελέας, inquit Theophr. Hist. lib. V, cap. 4. Et Vitruv. lib. II, cap. 9, pag. 34 : « Ulmus vero et fraxinus maximos habent humores, minimumque aeris et ignis... Sunt in operihus, quum fabricantur, lentæ : et snb pondere propter humoris abnndantiam, uon habeut rigorem, sed celeriter pandant. Simul antem vetustate sunt aridæ factæ, ant in agro perfectæ, qui in eis inest liquor, stantibus emoritur, fiuntque duriores : et iu coagmentationibns ab lentitndine firmas recipinnt catenationes. » Hard.

13. *Crassamentisque*. Hoc est, crassioribus portarum coagmentatiouibus. Sic porro MSS. omnes, Reg. Colb. Th. Chiffl. Par. etc. H.

14. *Permutanda tantum*. Dum bina cardinnm tigna coassantur, ita contrario sunt disponenda sitn, ut arboris cacumen spectet inferius, superius vero radix : sic enim inter se coarctata, alterum alterius impetum cohibebit : alioqui totum flecteretur lignum, et contorqueretur. Ita fere Theophr. Hist. lib. V, cap. 4 : Ποιοῦσι δὲ αὐτοὺς (τοὺς στροφεῖς τῶν θυρῶν) ἔμπαλιν τιθέντες

et suberis materies[15]; spissæ et malus, pirusque; nec non acer, sed fragile; et quæcumque crispa. In omnibus silvestria[16] et mascula differentias cujusque generis augent: et infecunda firmiora fertilibus[17], nisi quo in genere mares ferunt, sicut cupressus et cornus.

1 LXXVIII. Cariem[1] vetustatemque non sentiunt cupressus, cedrus, ebenus, lotos, buxus, taxus[2], juniperus, oleaster, et olea: ex reliquis tardissime larix[3], robur, suber, castanea, juglans[4]. Rimam fissuramque[5] non capit sponte cedrus, cupressus, olea, buxus.

τὰ ξύλα· τό τε ἀπὸ τῆς ῥίζης ἄνω, καὶ τὸ ἀπὸ τοῦ φύλλου κάτω. Hard.

15. *Palmæ est mollis, et suberis materies.* Ita Reg. 1 cod. In Reg. 2, *palma mitis.* Theophr. l. c. Palma levis, tractatu facilis mollisque est, quemadmodum suber: Ὁ δὲ φοῖνιξ κοῦφος, καὶ εὔεργος, καὶ μαλακὸς ὥσπερ ὁ φελλός. Hard.

16. *In omnibus silvestria*, etc. Idem ibid, lib. I, cap. 13. Dal. — *Et quæcumque crispa.* Crispa, inquit, materie pariter spissa sunt, ut acer. Theophr. l. c. Πυκνὸν δὲ καὶ ἡ σφένδαμνος, καὶ ὅλως πάντα τὰ οὖλα. H.

17. *Et infecunda firmiora fertilibus.* Idem ibid, lib. V, cap. 5. Dal. — *In omnibus.* In omni, inquit, arborum genere et silvestres, et masculæ, dotes eas habent, quas retulimus, potiore cum laude, quam urbanæ et feminæ. Sunt enim spissiores, robustiores. Theophr. Hist. lib. V, cap. 5: Ἅπαντα δὲ τὰ ἄγρια τῶν ἡμέρων, καὶ τὰ ἄῤῥενα τῶν θηλειῶν πυκνότερά τε καὶ σκληρότερα, καὶ βαρύτερα, καὶ τὸ ὅλον ἰσχυρότερα... ὡς δὲ ἐπὶ τὸ πᾶν, καὶ τὰ ἀκαρπότερα τῶν καρπίμων, καὶ τὰ χείρω τῶν καλλικαρποτέρων. Εἰ μὴ τοῦ καρπιμωτέρου τὸ ἄῤῥεν, ὥσπερ ἄλλα τέ φασι, καὶ τὴν κυπάριττον, καὶ τὴν κρανίαν. Quæ sunt orationi Plinianæ simillima. Hard.

LXXVIII. 1. *Cariem*, etc. Theophrast. l. c. Hard.

2. *Taxus, juniperus.* Nec taxum, nec juniperum his adnumerat Theophrast. loco proxime citato. Dal.

3. *Larix.* Theophr. πεύκη. H.

4. *Castanea, juglans.* An ea conjunctim legenda, *castanea juglans?* Nam de juglande ipsa, ut a castanea vulgo secernitur, nihil Theophrastus hoc loco: καρύαν modo Εὐβοϊκὴν dixit, sive castaneam. Et quod de eadem καρύᾳ Εὐβοϊκῇ contigisse Antandri idem Theophrast. narrat, id in juglande factum Plinius ait libri hujus cap. 81. Prorsus ut ipsam castaneam, quam Διὸς βάλανον Græci appellarunt, ut dictum est lib. XV, cap. 25, ipse latine juglandem, quasi Jovis glandem, appellari potuisse, existimasse Plinius videatur. Sic libro sequente, cap. 10, ambigere merito quis possit, an non conjunctim legi oporteat, *castaneæ juglandes?* H.

5. *Rimam fissuramque*, etc. Le-

LXXIX. Maxime æterna putant[1] ebenum et cupres- 1
sum, cedrumque, claro de omnibus materiis judicio in templo Ephesiæ Dianæ : utpote quum tota Asia exstruente quadringentis annis[2] peractum sit, convenit

gend. « Rimam fissuramque non capit sponte cedrus : cupressus, olea, buxum. Maxime æterna putant ebenum et cupressum, claro de omnibus materiis judicio in templo Ephesiæ Dianæ. » Salm. pag. 813, a. — *Rimam*, etc. In Indice, « quæ cariem non sentiant, quæ rimam. » Hard.

LXXIX. 1. *Maxime æterna putant.* Sic restituimus eum locum secuti cod. Reg. 2, aliosque. Prius enim legebatur, avulso præpostere ex superiore sententia vocabulo, « Buxum maxime æternum putant, ebenum, et cupressum, cedrumque. » Sane, quum ejusmodi lignorum perennitatem, uno templi Ephesini argumento comprobet : in eoque templo, quæ genera fuerint adhibita dum commemorat, cedrum, cupressum, ebenumque laudet, taceat de buxo : annon palam facit, se tergeminæ tantum hujus materiæ æternitatem commendare? Hard.

2. *Quadringentis annis.* Quot nimirum anni fluxere ab Alexandri principatu ad illud tempus, quo Plinius hæc scriberet, hoc est, usque ad ann. U. 830. Ergo anno Urbis 430, docet cœptum exstrui templum Ephesinum a tota Asia, hoc est, eo anno quo vicit Darium Alexander : perfectumque annis ducentis et viginti, ut dicetur lib. XXXVI, cap. 21. Judicium vero Asiæ totius exstruentis de perennitate materiarum, quadringentorum denique annorum experimento peractum esse : ut postea de earum æternitate reliquus nullus sit disceptandi locus. Templum Dianæ a communi Asiæ fuisse exstructum testatur Domitiani Aug. nummus ex ære mediocri : ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ ΚΑΙϹΑΡ ϹΕΒΑϹΤΟϹ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟϹ. Capite laureato .)(. Supra ΕΦΕϹΙΩΝ. Infra ΜΑΡΝΑϹ. Dea capite turrito decumbit, provincia scilicet, imponit templo dextram, qua tenet arundinem : retro, serpens, Asiæ symbolum ; et ex urna profluens aqua, ut videtur. Cave autem hic ΜΑΡΝΑϹ vocem aliquam unam esse, aut dei Marnæ nomen. Lege : Μεγάλης ἈΡτέμιδος Ναὸν Ἀσία Συνέκτισεν, « Magnæ Dianæ templum Asia simul condidit. » Hæc *magna Diana Ephesiorum* in Actis est, cap. 19 : Μεγάλη Ἄρτεμις Ἐφεσίων. Similiter in nummo Hadriani ΑΥΤ. ΤΡΑΙΑΝ. ΑΔΡΙΑΝΟϹ .)(. In templo duobus columnis ornato, stant dextrorsum Diana cum arcu, et veste succincta : sinistrorsum Apollo cum arcu similiter. Hinc ΓΑΖΑ : inde ΜΑΡΝΑ. Cave, inquam, cuiquam hic quoque credas, esse Marnam Jovem : quum id pictura neget; et ipse titulus, cujus hæc sententia est : Μεγάλη ἈΡτεμις, Νεβροχαρὴς Ἀπόλλων : « Magna Diana, hinnulis gaudens Apollo : » quæ duo sola scilicet in nummo sunt insculpta, ob venationem cervinam in eo tractu celebratissimam, cui præesse hæc duo numina Ve-

tectum[3] ejus esse e cedrinis trabibus. De ipso simulacro Deæ ambigitur : cæteri ex ebeno[4] esse tradunt. Mucianus ter consul, ex his qui proxime viso eo scripsere, vitigi-
2 neum[5], et nunquam mutatum septies restituto templo. Hanc materiam elegisse[6] Pandemion : etiam nomen artificis nuncupans : quod equidem miror, quum antiquiorem[7] Minerva quoque, non modo Libero Patre, vetustatem ei tribuat. Adjicit multis foraminibus nardo rigari, ut medicatus humor

teres credidere. Propterea lib. I, Epigr. tit. Ὑμνείω Παιᾶνα, μέγαν θεὸν Ἀπόλλωνα, Νιβροχαρὴς Apollo vocatur. In imo numismate litteræ sunt E ΕΠΙ Α *qp :* quas alibi dudum exposuimus. Est hic nummus ex ære magno in Thesauro Regio. Denique nummum affert ex ære minimo Seguinus, pag. 63, cum Deæ vultu, et epigraphe ΑΡΤ ΣΕΒΑ. In altera parte cervus est sine inscriptione. Legendum pronuntiat ΑΡΤιμις ΣΕΒΑςή : et Dianam Augustam appellari Liviam censet. At si Livia foret, de nomine certe Livia diceretur : ut in nummo ΛΙΒΙΑΝ ΗΡΑΝ *Liviam Junonem*. Nec matronam decet jam ætate provectam venatu delectari, quam cervus hic pictus designat : nec proinde conveniens erat, Augustam Dianam appellari. Lege : ἌΡτεμιν Τρίμορφον ΣΕΒάζεται Ἀσία. « Dianam triformem Asia veneratur. » Hard.

3. *Convenit tectum.* Vitruv. II, 9, pag. 35. Hard.

4. *Cæteri ex ebeno.* Vitruv. l. c. e cedro. Hard.

5. *Vitigineum.* Ex vite. Ita libri omnes. Hard.

6. *Hanc materiam elegisse*, etc. Lege : « Hanc materiam elegisse Demonicon, etiam nomen artificis nuncupans : quod equidem miror, quum antiquiorem Minerva quoque, non modo Libero Patre, vetustatem ei tribuat. » Salm. — *Hanc materiam elegisse Pandemion : etiam*, etc. Prius insulse legebatur, « elegisse eamdem, Canetiam nomen, etc. » In MSS. Reg. Colb. Chiffl. Th. etc. « elegisse eandem con etiam. » Unde nos servatis fere totidem apicibus litterarum, *Pandemion etiam*, eruimus. Felicius, ut quidem remur, quam Salmasius, qui pag. 316 in Solin. *Demonicon, etiam* reponit. Pandemion tamen si Mucianus, cujus verba recitantur a Plinio, nomen esse singularis cujuspiam artificis putavit, lapsus errore haud sane mediocri videtur : quum aliud nihil vox ea significet, Πανδημία, quam commune Asiæ, τὸ κοινὸν τῆς Ἀσίας, vel uti Plinius ante dixit, tota Asia, qua exstruente, et ut cuique libuit, conferente operam, Dianæ Ephesiæ templum perfectum est, atque absolutum. H.

7. *Quum antiquiorem Minerva.* Quæ parens artium habita semper fuit : atque adeo artifice quolibet vetustior. Διοπετεῖ qui cælo lapsum hoc simulacrum innui modo a Plinio putat, ut Exercitator in Solin. pag. 816. Hard.

alat, teneatque juncturas, quas et ipsas esse modico[8] ad-
modum miror. Valvas esse[9] e cupresso, et jam quadrin-
gentis prope annis durare materiem omnem novæ similem.
Id quoque notandum[10], valvas in glutinis compage qua-
driennio fuisse. Cupressus in eas[11] electa, quoniam præter
cætera uno in genere materiæ nitor maxime valeat æter-
nus. Nonne simulacrum Vejovis[12] in arce[13] e cupresso 3
durat, a condita Urbe DCLXI[14] anno dicatum? Memorabile

8. *Modico.* Quum sit modicum simulacrum, qui possunt esse in eo juncturæ, quæ vel in maximis vix ullæ sunt. Iterum hic Muciani fidem elevat. Hard.

9. *Valvas esse.* Et hoc rursum Plinius ex Muciani relatu et fide refert, ut ex ipsa verborum structura perspicuum est : neque ex Theophrasto hausit, ut visum est Salmasio, in libello quem inscripsit, *Judicium de Plinio.* Aliud longe est, quod græcus scriptor, Hist. lib. V, cap. 5, aliud quod latinus narrat. Ille, veteres templi valvas, factas vetustate inutiles, reconditas jacuisse per ætates quatuor, αἱ θύραι τοῦ νεὼ τεθησαυρισμέναι τέτταρας ἔκειντο γενεάς. Iste, non modo non jacere, sed stare jam ab annis propemodum quadringentis : hoc est, ipso quoque ævo Pliniano, eo nitore materiæ, ac firmitate plane eadem, ac si nova foret. Hard.

10. *Id quoque notand.* etc. Valvas ulmeas non statim perficiunt, sed compactas relinquunt. Nonnulli, ut lautius opus sit, anno post tertio statuunt. Nam æstatis fervore siccatæ dehiscunt; hieme vero coeunt, quia rara carnosaque materies aerem humidum trahit. Theophr. Hist. lib. V, cap. 4. Dalec. — *In glutinis compage.* Valvæ, inquit, compactæ, et conglutinatæ, prinsquam affixæ sunt, aptatæque foribus, quadriennio toto sub dio relictæ, ut ligni humor omnis efflueret. Et hoc Plinius a Muciano. H.

11. *Cupressus in eas electa, quoniam... nitor max. valeat.* Theophr. Hist. lib. V, cap. 5. Hard.

12. *Vejovis.* Gellius lib. V, cap. 12, pag. 337 : « Quum Jovem igitur, et Dijovem a juvando nominassent; eum quoque contra Deum, qui non juvandi potestatem, sed vim nocendi haberet (nam Deos quosdam, ut prodessent, celebrabant, quosdam, ne obessent, placabant), Vejovem appellaverunt, dempta atque detracta juvandi facultate.... Simulacrum igitur Dei Vejovis, quod in æde est, de qua supra dixi, sagittas tenet, quæ sunt videlicet paratæ ad nocendum. Quapropter eum Deum plerique Apollinem esse dixerunt, etc. » De Vejovis vocabulo vide et Ovid. Fast. III, v. 445. Hard.

13. *In arce.* In æde, quæ inter arcem et Capitolium. Gellius l. c. pag. 336. Sic P. Victor, in regione octava urbis Romæ : « Ædes Vejovis inter arcem et Capitolium, prope asylum. » Hard.

14. *DCLXI.* Ita Reg. 1, 2, Colb. aliique. In Theophr. *DLI.* H.

et Uticæ templum Apollinis, ubi Numidicarum cedrorum[15] trabes durant, ita ut positæ fuere prima urbis ejus origine, annis MCLXXVIII[16]. Et in Hispania Sagunti aiunt templum Dianæ a Zacyntho advectæ cum conditoribus, annis ducentis ante excidium Trojæ, ut auctor est Bocchus, infraque oppidum ipsum id haberi. Cui pepercit religione inductus Hannibal, juniperi trabibus etiam nunc durantibus. Super omnia memoratur ædes in Aulide ejusdem Deæ, sæculis aliquot ante Trojanum bellum exædificata : quonam genere materiæ scientia obliterata[17]. In plenum dici potest[18] utique quæ odore præcellant, ea
4 æternitate præstare. A prædictis[19] morus proxime lauda-

15. *Numidicarum cedrorum.* Ita libri omnes, etiam MSS. non, ut quidam mutant, *citrorum.* Et vero de tergemino solum ligni genere nunc est instituta oratio, quod æternitatem sibi quamdam vindicat, ebeno, cupresso, cedro : obiterque de junipero, cui virtus eadem, quæ cedro, est attributa, ut diximus cap. 76. Et in Africa cedrum provenire, eamque laudatissimam, ibidem ex Plinio, Vitruvioque abunde docuimus. Hard.

16. *MCLXXVIII.* Ita MSS. omnes, recte : non ut hactenus editi, *MCLXXXVIII.* Quum porro hæc Plinius scripserit anno ab U. C. 830, Uticam necesse est conditam fuisse ante urbis Romæ originem, annis 348, anno Heli Pontificis Hebræorum circiter 35, anno fere a Troja capta centesimo octogesimo quarto. Hard.

17. *Quonam genere materiæ scientia obliterata.* In aliis codicibus, « cujus quoniam generis materiæ, etc. » Scribendum conjicio, « Thuiæ quidem generis materiæ, etc. » tum quod Theophrastus post cedrum et thuiam tertiam tertio loco ponit morum, quod hic vides fieri itidem a Plinio : tum etiam quod statim subjungit Plinius, « quæ odore præcellant æternitate præstare. » Et supra Plinius libro tertio decimo, cap. 16, de thuia loquens, « Hanc, inquit, inter odores uti tradit in deliciis Circes. » Pint. — *Quonam genere.* Sic libri editi, et MSS. Reg. etc. Hard.

18. *In plenum dici potest*, etc. « In plenum dici potest, utique quæ odore præcellant eas, et æternitate præstare. » Ita corrigend. *In plenum*, ὅλως, καθόλου, συνελόντι εἰπεῖν. Salm. — *In plenum dici potest.* Sic MSS. Reg. Colb. etc. Non *dici par est*, ut perperam in Chiffet. legitur. Hæc vox, *in plenum*, summatim, universe, omnino, sonat. Hard.

19. *A prædictis.* Hoc est, post prædictas : cedrum, ebenum, cupressum. Theophrast. V, 5. H.

tur, quæ vetustate etiam nigrescit. Et quædam tamen in aliis diuturniora sunt usibus quam alia. Ulmus in perflatu[20] firma, robur defossum, et in aquis quercus[21] obruta. Eadem supra terram rimosa facit opera, torquendo sese. Larix in humore[22] præcipua, et alnus nigra[23]. Robur marina[24] aqua corrumpitur. Non improbatur et fagus[25] in aqua, et juglans : hæ quidem in his quæ defodiuntur, vel principales. Item juniperus : eadem et subdialibus[26] aptissima. Fagus et cerrus[27] celeriter marcescunt. Esculus quoque humoris impatiens. Contra adacta in terram in

20. *Ulmus in perflatu.* Si ad ea opera adhibetur, quæ aeri pateant, eoque perflentur. Theophr. Πτελέα μὲν ἐν τῷ ἀέρι ἀσαπής. HARD.

21. *Robur defossum, et in aquis quercus obruta.* Lege alia distinctione, « Robur defossum et in aquis, quercus obruta. » Theophrastus lib. V, cap. 5 : « Robur defossum atque in aquis demersum, putredinis quippe hoc immune omnino videtur : ob id fluviis lacubusque naves hac etiam materia condunt, sed mari putrescit. » Confirmat id rursus cap. 7 ejusdem libri. PINT. — *Robur.* Δρῦς δὲ κατορυττομένη, καὶ ἐν ὕδατι καταβρεχομένη. Theophr. l. c. Et de quercu Palladius, lib. XII, in Novembr. tit. 15, pag. 173. HARD.

22. *Larix in humore.* In aquis, ad ad palationes et fundamenta : vel ad naves. HARD.

23. *Alnus nigra.* Vitruvius de ea arbore magnifice, lib. II, cap. 9, pag. 34 : « Alnus autem, inquit, quæ proxime fluminum ripis procreatur, et minime materies utilis videtur, habet in se egregias rationes : etenim... in palustribus locis infra fundamenta ædificiorum, palationibus crebre fixa, recipiens in se quod minus habet liquoris, permanet immortalis ad æternitatem, et sustinet immania pondera structuræ, et sine vitiis conservat. Ita quæ non potest extra terram paulum tempus durare, ea in humore obruta, permanet ad diuturnitatem, etc. » Palladius l. c. « Alnus fabricæ inutilis, sed necessaria, si humidus locus ad accipienda fundamenta palandus est. » HARD.

24. *Robur marina.* Theophr. l. c. Δρῦς ἐν τῇ θαλάττῃ σήπεται. H.

25. *Et fagus... et juglans.* Theophr. nec fago, nec juglandi hanc dotem adjudicat, sed ὀξύᾳ καὶ καρύᾳ Εὐβοϊκῇ, hoc est, cerro et castaneæ. H.

26. *Subdialibus.* Ad ea opera, quæ sub dio sunt. HARD.

27. *Fagus et cerrus.* Vitruv. l. c. pag. 34 : « Cerrus, suber, fagus, quod parvam habent mixtionem humoris, et ignis, et terreni aeris plurimum, pervia raritate humores penitus recipiendo, celeriter marcescunt. » Palladius in Nov. pag. 15 : « Fagus in sicco utilis, humore corrumpitur. » HARD.

palustribus alnus æterna[28], onerisque quantilibet patiens: cerasus firma : ulmus et fraxinus[29] lentæ, sed facile pandantur : flexiles tamen, stantesque a circumcisura[30] siccatæ fideliores. Laricem[31] in maritimis navibus obnoxiam teredini tradunt ; omniaque, præterquam oleastrum et oleam. Quædam enim in mari, quædam in terra vitiis opportuniora.

1 LXXX. (XLI.) Infestantium[1] quatuor genera. Teredines[2] capite ad portionem gravissimo, rodunt dentibus. Hæ tantum in mari sentiuntur; nec aliam putant[3] teredinem proprie dici. Terrestres, tineas vocant : culicibus vero similes, thripas[4]. Quartum est et e vermiculorum genere; et eorum alii putrescente succo[5] ipsa materie;

28. *Alnus æterna.* Vitruvius et Palladius, locis paulo ante citatis. Hard.

29. *Ulmus et fraxinus.* Vitruvius, loco a nobis sup. cap. laudato. Palladius l. c. breviter : « Ulmus et fraxinus, si siccentur, rigescunt : ante curvabiles. » H.

30. *A circumcisura.* Postquam circumsectæ sunt, eo quo dictum est modo, cap. 74. *Fideliores* autem firmiores in opere interpretor, hoc est, quæ haud facile pandentur : cui vitio obnoxias esse ulmum et fraxinum, dictum est proxime. Hard.

31. *Laricem.* Πεύκην Theophrastus, quæ Plinio, ut diximus, semper est larix. Hard.

LXXX. 1. *Infestantium.* Quæ hoc capite continentur, ad verbum fere habet Theophr. Hist. lib. V, cap. 5. Hard.

2. *Teredines.* Τερηδόνες Theophr. Sunt eæ capite proportione corporis grandissimo : Τῷ μὲν μεγέθει μικρὸν, κεφαλὴν δ' ἔχει μεγάλην, καὶ ὀδόντας. Hard.

3. *Nec aliam putant.* Hæc sane Theophrasti sententia l. c. Plinius tamen lib. VII, cap. 74, et ad terrestres id vocabulum transtulit, quum Servii Tullii prætextas dixit teredinum non sensisse injurias, annis 560. Et Apsyrto τερηδόνες sunt equorum lumbrici. Vid. Constantin. in Lex. Hard.

4. *Thripas.* Θρῖπας Theophr. H.

5. *Quorum quidem alii putrescente succo.* Verbum *quidem* demendum est, ex archetypo Toletano : ego vero et dictionem etiam illam *succo*, adventitiam esse existimo. Theophrastus libro quinto, capite quinto : « Vermium autem qui nasci in materie solent, alii putrescente materie generari solent, alii parientibus aliis vermibus. Pariunt enim vel in cæsa materia vermes quemadmodum in arboribus qui cerastæ vocantur : quum scilicet tantum eroserunt atque excavave-

alii pariuntur, sicut in arboribus, ex eo qui cerastes vocatur. Quum tantum eroserit[6], ut circumagat se, generat alium. Hæc[7] nasci prohibet in aliis amaritudo, ut cu- 2
presso; in aliis duritia, ut buxo. Tradunt[8] et abietem circa germinationes[9] decorticatam, qua diximus[10] luna, aquis non corrumpi. Alexandri Magni comites prodiderunt, in Tylo[11] Rubri maris insula arbores esse, ex quibus naves fierent; quas CC annis durantes inventas[12]; et si mergerentur, incorruptas. In eadem[13] esse fruticem baculis tantum idoneæ crassitudinis, varium[14] tigrium maculis, ponderosum; et quum in spissiora[15] decidat, vitri modo fragilem.

runt, ut se circumagere possint. » Pint. — *Et eorum alii.* Vermium, inquit, quibus lignum eroditur, alii ex ipsa materie fiunt, putrescente succo, ἐκ τῆς οἰκείας σήψεως inquit Theophr. alia a vermiculis aliis pariuntur, οἱ δ' ἐκ τικτόντων ἑτέρων. Pariunt enim vel in cæsa materie vermes, quemadmodum in ipsa arbore is qui κεραςὴς, hoc est, cornutus appellatur : qui quum tantum corroserit, ut circumagere se commode possit, tum gignit alium. Sic Theophr. l. c. In fico præsertim nasci cerasten dicetur, lib. XVII, cap. 37. Hard.

6. *Quum tantum eroserit*, etc. Ut ὥσπερ μυόδοχον, ut murium modo fossam sibi latebramque excavaverit. Theophr. Dalec.

7. *Hæc.* Omnia nempe hæc vermium infestantium genera. H.

8. *Tradunt*, etc. Theophr. l. c. Φασὶ δὲ καὶ τὴν ἐλάτην φλοισθεῖσαν ὑπὸ τὴν βλάςησιν ἀσαπῆ διαμένειν ἐν τῷ ὕδατι. Hard.

9. *Circa germinationes decorticatam.* Theophr. Hist. lib. V, cap. 5. Vide supra hujus libri cap. 25. Dalec.

10. *Qua diximus.* Cap. 74. H.

11. *In Tylo.* Theophr. Hist. lib. V, cap. 6. Hard.

12. *Quas CC annis durantes inventas.* Verbum *durantes* supervacaneum putamus, et caveto ne illo *quas*, naves referri putes. Theophrast. lib. V, c. 6 : « In Tylo autem, Arabiæ insula, materiem esse affirmant ex qua naves ædificant, quæ mari incorrupta pæne perdurat : quippe quum annos plus quam ducentos demersa, immunis ab omni offensa servetur. » Pint. — *Quas CC annis.* Quas arbores per annos ducentos in aquis obrutas, omnis noxæ expertes invenere, inquit Theophr. l. c. Διαμένει γὰρ τὸ ξύλον ἔτη πλείω ἢ διακόσια καταβυθιζόμενον. Hard.

13. *In eadem.* Theophr. l. c. H.

14. *Varium.* Colorum varietate tigrium maculosæ pelli assimilem. Hard.

15. *Quum in spissiora.* Quum in solidiora corpora aut sponte deci-

1 LXXXI. (XLII.) Apud nos materiæ [1] finduntur aliquæ sponte : ob id architecti eas fimo illitas siccari [2] jubent, ut afflatus non noceant. Pondus sustinere [3] validæ, abies, larix [4], etiam in transversum positæ. Robur et olea incurvantur, ceduntque ponderi. Illæ renituntur, nec temere rumpuntur; priusque carie, quam viribus deficiunt. Et palma [5] arbor valida : in diversum [6] enim curvatur, et

derit, aut quis de industria projecerit. Theophr. Ὅταν δέ τις ῥίψῃ πρὸς στερεώτερον τόπον, καταγνυσθαι, καθάπερ τὰ κεράμια, fictilium modo. H.

LXXXI. 1. *Apud nos materiæ*, etc. « Lotum et alias, e quibus cardines fiunt, ne findantur, fimo bubulo illinunt, ut siccetur et diffletur paulatim medullæ humor. » Theophr. Hist. lib. V, cap. 7. Male Plinius. DAL.

2. *Siccari jubent.* Materias, sive arbores : ne aere perflante findantur. Fimum hubulum adhibet Theophr. Hist. lib. V, cap. 7. HARD.

3. *Sustinere validæ.* Ἑλληνισμός· βάρος δ' ἐνεγκεῖν ἰσχυρά. Theophr. DALEC.

4. *Abies, larix.* Theophr. l. c. Βάρος δ' ἐνεγκεῖν ἰσχυρὰ καὶ ἡ ἐλάτη καὶ ἡ πεύκη. Plin. rursum πεύκη larix. Porro hellenismus est, *validæ sustinere*, pro *sustinent valide*. H.

5. *Et palma arbor invalida : in diversum enim curvatur. At populus*, etc. Scribo, « Et palmæ arbor valida : in diversum enim curvatur. Nam quum omnes in inferiora pandentur, palma e contrario fornicatur : » reliqua falso adjecta sunt, ex Theophrasto, libro quinto, capite septimo. PINT. — *Et palma.* Sic restituimus tum ope codicum Reg. 1, 2, Colb. 1, 2, 3, Th. etc. tum maxime ex re ipsa, et admonitu Theophrasti. Græca verba sunt ejuscemodi cum Plinio mire consentientia : libro nempe V, cap. 7 : Ἰσχυρὸν δὲ καὶ ὁ φοῖνιξ. Ἀνάπαλιν γὰρ καὶ ἡ κάμψις ἢ τοῖς ἄλλοις γίνεται· τὰ μὲν γὰρ εἰς τὰ κάτω κάμπτεται, ὁ δὲ φοῖνιξ εἰς τὰ ἄνω. Prius *arbor invalida* insulse legebatur. HARD.

6. *In diversum.* Contra quam cæteræ arbores : nam eæ in inferiora curvantur : palma se fornicatim flectit. HARD. — *In diversum.* Intricata ac plane obscura sententia, vel potius nulla, prius legebatur : « In diversum enim curvatur. At populus contra omnia inferiora pandatur : palma e contrario fornicatur. » Habent hæc verba *et populus* MSS. omnes : quamohrem ea expungere religio fuit. Alias nec agnoscit ea Theophrastus, loco proxime allato : nec de populo idne sit verum, perinde scilicet ac palmam reniti, sursumque pandari, experiri adhuc licuit. Deinde *pandantur* unanimi consensu eadem exemplaria manu exarata exhibent : *et fornicatim.* Nos ex conjectura, ut remur, haud temeraria, *cætera* pro *contra* substituimus, Theophrastum ad verbum secuti : ἀλλὰ μὲν γὰρ, etc. Nam « contra omnia inferiora pandari »

populus. Cætera omnia inferiora pandantur[7]: palma e 2
contrario fornicatim[8]. Pinus et cupressus adversus cariem tineasque firmissimæ. Facile pandatur juglans[9]; fiunt enim et ex ea trabes. Frangi se prænunciat strepitu[10]: quod in Antandro[11] accidit, quum e balneis territi sono profugerunt. Pinus, piceæ, alni ad aquarum ductus in tubos cavantur. Obrutæ terra plurimis durant annis. Eædem si non integantur, cito senescunt; mirum in modum fortiores, si humor extra quoque supersit.

LXXXII. Firmissima in rectum abies[1]. Eadem valva- 1
rum repagulis[2], et ad quæcumque libeat intestina[3] opera

nec Plinius certe dixerit, nec quid illud sit demum, Œdipus ipse sane intellexerit. Hard.

7. *Pandantur.* Curvantur, ceduntque ponderi. Plinius lib. XI, 10, de apibus, « Totæque onustæ remeant sarcina pandatæ. » H.

8. *Fornicatim.* Fornicis in morem sursum versus curvatur. Plinius lib. IX, cap. 10: « Ruentes ceras fulciunt, pilarum intergerinis a solo fornicatis. » Et *fornicatio* Vitruvio nota et Senecæ vox est. H.

9. *Juglans.* Εὐβοϊκὴ καρύα. Castanea, Theoph. Histor. lib. V, cap. 7, qui illam sonitu se frangi prænuntiare quidem scribit, sed non facile pandari, quod ait Plinius. Dalec. — *Juglans.* Non juglandem Theophr. sed castaneam dixit, de quibus jam sæpius egimus. Ed.

10. *Strepitu.* Crepitu, ψόφῳ. Theophr. Hist. lib. V, cap. 7. H.

11. *In Antandro.* Theophr. l. c. de castaneæ materie, trabibusque, ut diximus, non juglandis. In MSS. *in Andro.* At Theophrast. ἐν Ἀντάνδρῳ. Hard.

LXXXII. 1. *Firmissima ad tectum abies*, etc. Eo loco libri scribunt: « firmissima in rectum abies, » quæ verissima lectio; firmissimam ait esse abietem in operibus, quum recta statuitur. *In rectum*, εἰς ὀρθόν. Et sciendum est *intestinum opus* proprie dici, quod ex ligno fit, sed elegantiore fabrica, et ea arte quam minutiariam nunc appellamus. Veteres quoque λεπτουργίαν dixere. Sequentia sic lege: « Ad incitatos runcinarum actus. Eadem et fabris maxime sociabilis glutino. » Salm. — *Firmissima in rectum.* Si recta statuatur. Ita Chiffl. codex, aliique probatissimi. At libri omnes editi, *firmissima ad tectum.* Minus certe sincere. Nam Theophr. Hist. lib. V, cap. 7, ficum validam esse dicit, quum recta statuitur; magis vero abietem: Ἰσχυρὸν δὲ τὸ τῆς συκῆς, πλὴν εἰς ὀρθόν· ἡ δὲ ἐλάτη μάλιστα, ὡς εἰπεῖν, ἰσχυρόν. Hard.

2. *Valvarum repagulis.* In MSS. omnibus, *valvarum paginis*: haud pœnitenda lectione: videntur enim paginæ valvarum appellari asseres, quibus ipsæ compinguntur, coagmentanturque, ac veluti compaginantur valvæ. Hard.

3. *Intestina.* De his cap. 76. H.

aptissima, sive Græco, sive Campano, sive Siculo fabricæ artis genere spectabilis : ramentorum[4] crinibus, pampinato semper orbe se volvens ad incitatos runcinarum raptus. Eadem et curribus maxime sociabilis glutino, in tantum, ut findatur ante[5], qua solida est.

1 LXXXIII. (XLIII.) Magna autem et glutini[1] ratio, propter ea quæ sectilibus laminis[2], ac in alio genere[3] operiuntur. Stamineam[4] in hoc usu probant venam, et vo-

4. *Ramentorum.* Ramenta, inquit, abietis, dum singuli runcinæ ictus rapiunt, raduntque, ea tum convolvuntur in modum crinium, et in orbem, instar tortilis pampini, hoc est, claviculæ vitium. Runcina instrumentum est ferreum, quo ligna aspera lignarii fabri lævigant: *le rabot.* Pampinum pro clavicula, capreoloque vitis accipi, monuimus cap. 63. Hard.

5. *Ut findatur ante.* Ante, inquit, sociata glutino materies, ea parte findetur, qua solida est, quam qua adglutinatur. Numquam enim dissociatur, quod semel glutinatum sit : Οὐδὲ γὰρ ὅλως οὐδὲ ῥήγνυσθαί φασιν, ἐὰν κολληθῇ. Theophr. Hist. lib. V, cap. 7. Hard.

LXXXIII. 1. *Magna autem et glutini ratio*, etc. Sic legend. « Magna autem et glutini ratio propter ea quæ sectilibus laminis, ac in alio genere operiuntur staminea. In hoc usu improbant venam, et vocant festuceam, quoniam lacunose crispa in omni genere et glutinum abdicat. Quædam et inter se, etc. » *Staminea* igitur vocat, quæ alio ligno intingebantur, quæque vicem staminis sive statuminis præbebant. Nam laminæ superinductæ subteminis instar obtinebant. *Festuca* vel festucea vena in ligno, discursus est venosus et crispus, ad instar festucæ lacunosus. Vel quod exempta illa festuca, lacunæ in ligno remanent. Salm. pag. 417.

2. *Sectilibus laminibus.* Ἐπικολλήματα vocat Theophr. lib. VI, cap. 4. Dalec. — *Sectilibus laminis.* E pretiosiore maxime ligno: ut exempli gratia, e citro. Sectiles laminæ a nostris appellantur vulgo *des placages:* mensæ, pavimenta, cæteraque, quæ his operiuntur, *ouvrages de marqueterie.* Hard.

3. *In alio genere.* In alio genere ligni ac materiei : quum diversi generis ligna socianda sunt, et conglutinanda. Sed præterea et secamenta testudinum signari hoc loco a Plinio cum Dalecampio arbitramur. Vide cap. sq. H.—*Ac in alio.* Sic MSS. omnes et edit. princeps: nihil ergo mutandum in hoc optimorum librorum consensu: nec putat Brolerius satis esse certam grammaticorum opinionem, qui *ac* ante vocalem poni posse negant. Ed.

4. *Stamineam*, etc. Rectissimam. Stamineam venam materiarii vocant *maîtresse veine.* Dal. — *Stamineam in hoc usu.* In eo ligno quod cum altero sociandum est, staminea

cant feruleam[5], argumento similitudinis, quoniam laciniose crispa, in omni genere[6]. Et glutinum abdicant quædam, et inter se cum aliis insociabilia glutino, sicut robur : nec fere cohærent, nisi similia[7] natura ; ut si[8] quis lapidem lignumque conjungat. Cornum maxime audit sorbus[9], carpinus, buxus, postea tilia. Cuicumque[10] operi 2

maxime vena deligitur, hoc est, rectissima, longissimaque, instar staminis. HARD.

5. *Feruleam.* Ob similitudinem cum caule ferulaceo : crispa nimirum vena, et in tenues veluti scissa lacinias, ut sunt ferulæ folia : quod in omni arborum genere evenit. Sic plantaginis *laciniosa folia* Plinius appellat, lib. XXV, cap. 77. Ducta translatio a laciniis vestimentorum, quæ cæsuratim sectæ et quasi divisæ sunt. — *Feruleam.* Secuti sumus summa fide vestigia codicum Reg. Colb. Th. Chiffl. et vet. Dalecamp. in quibus *feruleam*, et *lacunose* legitur : quæ vox totidem ductus et apices litterarum habet quot ista, *laciniose* : non, uti in editis *fertilem*, et *lacrimose crispa.* « In omni genere et glutinum abdicant quædam, etc. » aut uti Salmas. in Solin. pag. 417, *festuceam*, quam secum ipse pugnans et probari maxime in hoc usu cupit, hoc est, in glutinatione, et glutinum simul abdicare. Sic enim interpungi jubet : « In hoc usu probant venam, et vocant festuceam, quoniam lacunose crispa in omni genere, et glutinum abdicat. Quædam et inter se, etc. » Nam omnibus libris vel ipso fatente, *probent*, constantissime legitur. Itaque nova conjectura mox paulo legi censet oportere : « In hoc usu probant : improbant venam, etc. » Denique de staminea vena, et de lacunoso crispatu, et de festuca dicit, quæ festucea videri possint : nec sibi ipsi satisfacit : nobis vero multo minus. HARD. — *Ferulaceam* recipit Broterius, et Harduinum taxat qui *feruleam* scribere e MSS. maluit, ipso teste. ED.

6. *In omni genere. Et glutinum,* etc. « Pino et abieti quercus æque non adglutinatur : altera enim (*pinus*) spissa, rara altera (*abies*) et altera (*pinus*) similior : altera (*abies*) minus similis. Simili vero natura esse oportet quæ coalescere et compingi debent, non contraria, ceu lignum et lapidem. » Theophr. DALEC. — *Laciniose,* etc. Broterius e MS. Reg. 1 totidem litteris, *quoniam lacunosa et crispa glutinum abdicat.* ED.

7. *Nisi similia.* Ὁμοιοπαθῆ, inquit Theophr. Hist. lib. III, cap. 8. HARD.

8. *Ut si quis.* Is sane frustra foret, et glutinum perderet, et operam. HARD.

9. *Audit sorbus.* Admittit, eique glutini ope cohæret, ac sociatur. Ita libri omnes, etiam MSS. H. — *Audit.* Broterius *odit*, quod invenit in MS. Reg. 2, ex emendatione scriptum. ED.

10. *Cuicumque operi.* Hæc apud Theophr. Hist. lib. V, cap. 7 : Εὔκαμπτα δὲ, ὡς μὲν ἁπλῶς εἰπεῖν,

facilia, flexilia omnia, quæ lenta diximus[11]; præterque, morus et caprificus. Serrabilia[12] ac sectilia, quæ modice humida. Arida enim lentius[13] serræ cedunt; viridia, præter robur et buxum pertinacius resistunt, serrarumque dentes replent æqualitate inerti[14]: qua de causa alterna inclinatione[15] egerunt scobem. Obedientissima quocumque in opere fraxinus, eademque hastis[16] corylo melior, cornu levior, sorbo lentior. Gallica vero, etiam[17] ad currus

ὅσα γλισχρά· διαφέρειν δὲ δοκεῖ συκάμινος καὶ ἐρινεός. Hard.

11. *Lenta diximus.* Cap. 77. H.

12. *Serrabilia.* Quæ secari serra facile possunt. Sectilia, quæ securi. Εὔπριςα καὶ εὔσχιςα. In libris omnibus editis hactenus legebatur, « Durabilia ac sectilia. » Dalecampius reponere nitebatur, *dolabilia.* In MSS. Reg. Colb. et aliis, *furabilia*, legimus. At haud dubie *serrabilia* scripsit auctor : ut et Theophr. Hist. lib. V, cap. 8 : Εὔπριςα δὲ καὶ εὔσχιςα τὰ ἐνικμότερα τῶν πάμπαν ξηρῶν. Hard.

13. *Arida enim latius*, etc. « Arida enim (παύονται) cedunt ignavius, nec appressum occursumque serræ sustinent, alia resistunt et obluctantur, serramque hebetant. » Theophr. Lego, « Arida enim lentius serris cedunt : viridia præter robur, et buxum pertinacius resistunt (καὶ συμμύει Theophr.) et committuntur. » Dalec. — *Arida enim.* Arida, inquit, cedunt ignavius, nec appressum occursumque serræ sustinent, τὰ μὲν γὰρ παύονται. Viridia resistunt et obluctantur, τὰ δὲ ἵςανται. Theophr. Hist. lib. V, cap. 8. Et prius, cap. 6 : Σιδήρια δύνανται τέμνειν μᾶλλον τὰ σκληρὰ τῶν μαλακῶν, etc. Hard.

14. *Æqualitate inerti.* Opus impediente, ἀέργῳ. Theophrast. Inefficaci dentium occursu, quum eorum inæquales projecturas æquavit scobs impacta. Dal. — *Æqualitate inerti.* Ita replent serræ dentes, et inæquales projecturas æquant scobe impacta, et adhærescente, ut serram deinde ipsam inertem reddant, neque aptam ad secandum. H.

15. *Alterna inclinatione.* Serræ dentes alterna inclinatione permutant, ut scobs facilius egeratur : Διὸ καὶ παραλλάττουσιν ἀλλήλων τοὺς ὀδόντας, ἵνα ἐξάγηται τὰ πρίσματα, Theophr. Hist. lib. V, cap. 8. H.

16. *Eademque hastis.* Vide quæ diximus cap. 24. Hard.

17. *Gallica vero etiam ad currus flexibilis. Vitem æmularetur ulmus, ni pondus esset in culpa.* (Sic exhibent libb. ante Hard. editi.) Leg. permutatis dictionibus puto, « Gallica vero ulmus etiam ad currus flexilis. Vitem æmulatur, ni pondus esset in culpa. » Quanquam quinque verba novissima aliena suspicor esse, non Plinii. Porro meminisse oportet, Plinium sup. cap. 18, inter genera ulmorum, secundum genus fecisse gallicas ulmos : capite vero 14, ubi de fraxino disseruit, nullam gallicæ fraxini

flexibilis[18], vitem æmularetur ulmus, ni pondus esset in culpa.

LXXXIV. Facilis et fagus[1], quanquam fragilis et tenera. Eadem sectilibus laminis in tenui[2] flexilis, capsisque ac scriniis sola utilis. Secatur in laminas prætenues et ilex[3], colore quoque non ingrata : sed maxime fida iis quæ terantur, ut rotarum[4] axibus : ad quos lentore fraxinus utilis, sicut duritia ilex, et utroque[5] legitur ulmus. Sunt vero et parvi usus[6] fabrilium ministeriorum insignes : ideoque proditum[7] terebris vaginas ex oleastro, buxo, ilice, ulmo, fraxino, utilissimas fieri. Ex iisdem malleos, majoresque e pinu et ilice. Est his autem[8] major ad firmitatem causa tempestivæ cæsuræ, quam immaturæ : quippe quum ex olea[9], durissimo ligno,

mentionem fuisse habitam. PINT.

18. *Ad currus flexibilis.* Facile curvatur, flectiturque in rotas, ulmus gallica, de qua cap. 29, eaque ligni bonitate vitem æmularetur, ni ponderosior foret. H.

LXXXIV. 1. *Facilis et fagus, quanquam*, etc. Legendum videtur *taxus*, non *fagus*, et mox paulo non *sectilibus*, sed *plectilibus*, seu *plexilibus:* sic enim magis explicatur intellectus verbi græci παρακολλήματα, hoc est, conglutinationes. Theodorus ut in Plinio invenit, sic in Theophrasto transtulit *sectilibus*. Lege Theophrastum libro V, capite octavo. PINT.

2. *In tenui.* Modo tenues eæ laminæ fuerint, erunt eædem et flexiles. HARD.

3. *Secatur in laminas prætenues et ilex.* « Ilex commendatur ad axes et vehicula, quæ aguntur unica tantum rota (μονοστρόφους ἁμάξας), item juga lyrarum et psalteriorum. » Theophr. DALEC.

4. *Ut rotarum axibus.* Theophr. l. c. Πρῖνος δὲ πρὸς ἄξονάς τε, καὶ μονοστρόφους ἁμάξας, etc. HARD.

5. *Et utroque.* Et ob utramque dotem, lentitiam nimirum, duritiemque, ad rotarum axes ulmus seligitur. HARD.

6. *Sunt vero et parvi usus.* Parva instrumenta in fabrili arte, sed ea tamen insignia. HARD.

7. *Ideoque proditum*, etc. « Malleolus et terebra ex oleastro optima fiunt; quamvis et buxeis, ulmeis, fraxineisque utantur. Malleos magnos ex picea faciunt. » Theophr. Hist. lib. V, cap. 9. DAL. — *Terebris vaginas.* Terebra, instrumentum quo ligna perforantur : *une tarière, un vilebrequin.* Vagina manubrium est, *le manche*, et *la poignée.* HARD.

8. *Est his autem.* Materiæ illi firmitas major, quæ sit tempestive cæsa, quam illi quæ immature. H.

9. *Ex olea.* Idem ibid. lib. V, cap. 10. DALEC.

cardines in foribus diutius immoti, plantæ modo germinaverint. Cato vectes aquifolios, laureos [10], ulmeos fieri jubet. Hyginus manubria rusticis carpinea, iligna, cerrea.
2 Quæ in laminas secantur, quorumque operimento vestiatur alia materies, præcipua sunt citrum, terebinthus, aceris genera, buxum, palma, aquifolium [11], ilex, sambuci radix, populus. Dat et alnus [12], ut dictum est [13], tuber [14] sectile, sicut citrum, acerque. Nec aliarum tubera in pretio. Media pars arborum crispior, et quo propior radici, minoribus
3 magisque flexilibus [15] maculis. Hæc prima origo [16] luxuriæ, arborem alia integi, et viliores ligno pretiosiores [17] cortice fieri: ut una arbor sæpius veniret [18], excogitatæ sunt [19] et ligni bracteæ. Nec satis: cœpere tingi animalium cornua; dentes secari [20]; lignumque ebore distingui, mox operiri. Placuit deinde materiam et in mari quæri. Testudo [21] in

10. *Cato vectes aquifolios, laureos*. Desideratur verbum, *iligneos*, ex ipso Catone, cap. XXXI: « Vectes iligneos, aquifolios, laureos, aut ulmeos facito, uti sient parati. » PINT.

11. *Aquifolium*. Aquifolia ilex, de qua cap. 8. HARD.

12. *Dat et alnus, ut dictum est, tuber sectile, sicut citrum acerque*. Scribo permutatis verbis, « Dat et alnus tuber sectile sicut citrum acerque, ut dictum est. » Etenim relatum hoc est libro tertio decimo, capite quintodecimo, et lib. præsenti, capite trigesimo octavo. PINT.

13. *Ut dictum est*. Cap. 27. H.

14. *Tuber sectile*. In radice. DAL.

15. *Flexilibus*. Flexuosis. H.

16. *Hæc prima origo luxuriæ*, etc. Legendum: « Hæc prima origo luxuriæ, arborum alia integi, et vilioris ligni e pretiosiore corticem fieri, ut una arbor sæpius veniret: excogitatæ sunt et ligni bracteæ. Nec satis, etc. » Lectorum illæ laminæ etiam ex testudine secta fieri solitæ, quam et pingebant ligni colore. SALM.

17. *Et viliores ligno pretiosiores cortice fieri*. Ob laminam superadditam pretiosiores haberi arbores. HARD.

18. *Ut una arbor sæpius veniret*. Ut sæpius una arbor venalis esset: primum quidem, priusquam secaretur in laminas: iterumque, quum secta esset in eas laminas, bracteasve. HARD.

19. *Excogitatæ sunt*, etc. Ebur illud et cornu quo lignum operiebatur et distinguebatur, cestro etiam iuuri solebat, et cestrotum fieri. Inde *cestrota forium ornamenta*, Vitruv. SALM.

20. *Dentes secari*. Ebur. H.

21. *Testudo in hoc secta*. In hos usus. HARD.

hoc secta; nuperque portentosis[22] ingeniis principatu Neronis inventum, ut pigmentis perderet se, plurisque veniret imitata lignum. Sic lectis pretia quæruntur: sic terebinthum vinci jubent[23], sic citrum pretiosius fieri, sic acer decipi. Modo luxuria non fuerat contenta ligno: jam lignum enim e testudine facit[24].

LXXXV. (XLIV.) Vita[1] arborum quarumdam immensa 1
credi potest, si quis profunda mundi et saltus inaccessos cogitet. Verum ex his quas memoria hominum custodit, durant in Liternino Africani prioris manu satæ olivæ. Item myrtus eodem loco conspicuæ magnitudinis. Subest specus, in quo manes ejus custodire draco traditur. Romæ vero

22. *Nuperque portentosis*, etc. Legend. « Nuperque portentosis ingeniis principatu Neronis inventum, ut pigmentis perderetur, imitata lignum. » Subjicit: « Sic lectis pretia quærnntur, sic terebinthum vinci juvat, sic citrum pretiosius fieri, sic acer decipi. » Testudo picta terebinthini ligni colore, terebinthum ipsam vincebat: eadem citri instar picta, factitium erat citrum, vero citro pretiosius: sic citrum pretiosius fiebat quam nascebatur. *Acer* autem *decipi* intelligendum de testudine, quæ aceris colorem accipiebat per picturam, quæque verus acer sic videbatur. Sequentia sic legenda: « modo luxuria non fuerat contenta ligno: jam lignum et e testudine facit: » quod enim testudo in ligni figuram pingeretur, lignum e testudine faciebat luxuria. SALM.

23. *Sic terebinthum vinci jubent.* In Syria nigrum testudinis colore superari. DALEC. — *Sic terebinthum.* Sic terebinthum, inquit, vinci volunt, picta testudine terebinthini ligni colore: testudinem instar citri pictam, citro ipso fieri pretiosiorem: denique eamdem aceris colore imbutam, pro acere vero ac nativo accipi. HARD.

24. *Jam lignum enim e testudine facit.* Testudine picta in ligni similitudinem. Summa fide sinceram hujus loci lectionem repræsentamus, a nobis e codice Reg. 2 erutam, et Colb. In Reg. 1, « jam lignum enim e testitudine. » Corruptius ab interpolatoribus editum in libris vulgatis, *emi testudinem.* Longe libentius tamen sic agnosceremus, « jam lignum etiam e testudine facit: » ut mutabilem luxuriæ libidinem coargui intelligas, quæ modo ligno contenta non fuerat, nunc vel in ipsa testudine lignum quærit. HARD.

LXXXV. 1. *Vita arborum quarumdam immensa.* De arborum vita cf. Adanson. (*Famill. des Plantes*, tom. I, pag. CCXV, sqq.), qui fusius de eo argumento disserit, et

lotos in Lucinæ area, anno[2] qui fuit sine magistratibus CCCLXXIX Urbis, æde condita, incertum ipsa quanto vetustior. Esse quidem vetustiorem non est dubium, quum ab eo luco Lucina nominetur[3]: hæc nunc[4] circiter annum CCCCL habet. Antiquior illa[5] est; sed incerta ejus ætas,

Plinium etiam testem adducit. Ed.

2. *Anno .... CCCLXXIX.* Quo nempe anno hæc Plinius litteris consignabat, qui fuit Urbis, ut sæpius adnotavimus, *DCCCXXX*, qui numerus annorum ex utraque illa summa exsistit, si annum unicum exceperis: quamobrem is *circiter* caute adjecit. In libris porro ante nos editis detracta denarii nota legebatur modo *CCCLXIX.* Ut et in MSS. Reg. 4763 et 4972; in Vaticano autem, aliisque *CCCCLXIX*, errore minime obscuro, vel duplici ex capite. Nam et utraque summa indicat haud dubie Plinius annos Urbis conditæ, ad illud usque tempus quo hæc commentabatur: et annum *CCCLXIX* non sine magistratibus fuisse, Chronologi omnes confitentur, sed sub tribunis militum consulari potestate: quum iidem perhibeant anno *CCCLXXIX* ἀναρχίαν illam quinque annorum cœpisse: quod altercatione orta patricios inter et plebeios, ob legem latam a tribunis plebis anno anteriore, de plebeio altero creando consule, patribusque acerrime obsistentibus, nullum curulem magistratum passi sunt fieri tribuni. Hard.

3. *Lucina nominetur.* Lucina, sive Lucetia, Juno aliis dicitur. Tibullo Natalis, Græcis γεννατὶς, vel γενετυλλὶς, aliis Diana, quæ et Εἰλείθυια, ὠκυτόκος, μογοστόκος, προθυραία, utraque sic nominata, vel a luco, ut auctor putavit, vel a luce, quam recens natis præbet, et quoniam partuum, qui adhuc utero gestantur, menses regit. Catullus, Carm. XXXIV, vs. 14: « Tu Lucina dolentibus Juno dicta puerperis. » Ovid. Fastor. lib. II, vs. 449 et seqq. « Gratia Lucinæ: dedit hæc tibi nomina lucus, Aut quia principium tu, Dea, lucis habes. Parce, precor, gravidis, facilis Lucina, puellis; Maturumque utero molliter effer onus. » Idem Met. IX, 283: « Præpositam timidis parientibus Ilithyam. » Theocr. in Daphnide: χαλεπὸν βέλος Εἰλειθυίας. Orpheus in hymnis: Ἄρτεμις Εἰλείθυια καὶ ἡ σεμνὴ προθυραία. Fabulosa multa de Eileithya vide apud Pausaniam in Arcadicis. Lilius Gyraldus. Λυσίζωνον etiam quidam vocaverunt, ὅτι λύει τὸ ἐσφιγμένον τῶν κόλπων. Rhodig. lib. XXVIII, cap. 24. Dicitur et Marcellino ὀρσολοχεία, παρὰ τὸ ὄρειν, τοῦτ' ἔστιν, ὀτρύνειν τὴν λοχείαν. Hadr. Jun. lib. IV, cap. 23. Plaut. in Trucul. « Date mihi huc stactem, atque ignem in aram, ut Venerer Lucinam deam. » Et paulo post: « ..... fer huc verbenam mihi, thus, et bellaria: Date aquam manibus. » Dalec.

4. *Hæc nunc.* Ædes Lucinæ. H.

5. *Antiquior illa.* Arbor scilicet, cujuscumque illa generis fuit. Festus: « Capillatam, vel Capillarem

quæ capillata dicitur, quoniam Vestalium[6] virginum capillus ad eam defertur.

LXXXVI. Verum altera lotos in Vulcanali[1], quod Ro- 1

arborem dicebant, in qua capillum tonsum suspendebant. » HARD.

6. *Quoniam Vestalium*, etc. Apud Polyænum Theseus crines anteriores capitis radit, quos Diis sacros dicat; non quod ait Plutarchus, ne vetusto more παρίσχοι ἐκ τῶν τριχῶν πολεμίοις. Apud Suet. in Nerone cap. XII, Nero gymnico, quod in septis edebat, inter buthysiæ apparatum barbam primam posuit conditam in auream pyxidem, et pretiosissimis margaritis adornatam Capitolio consecravit. Apud Petronium in Satyra, Trimalcionis barba pyxide aurea non pusilla condita fuit, in armario porticus, intra ædiculam, cum laribus, et Veneris marmoreo signo. Festus in voce *capillata*. Tondebantur ergo et Vestales, quum in sanctum id collegium receptæ a pontifice certo carmine sacrarentur, ac Diis voverentur. Nec absimilis fuit Græcorum consuetudo, primum juvenum comam demendi, quæ vel Deo, vel flumini cuipiam offerretur. Hom. Iliad. Ψ de Achil. Στὰς δ' ἀπάνευθε πυρῆς, ξανθὴν ἀπεκείρατο χαίτην, Τήν ῥα Σπερχειῷ ποταμῷ τρέφε τηλεθόωσαν. Varro apud Non. « Itaque Ambraciæ primum capillum puerilem demptum, item cirros ad Apollinem ponere solent. » Victorius lib. VI, cap. 23. Alia quidem causa est, cur apud Euripidem Mors, non quod Servius putat, Mercurius, eorum quibus fatalis advenit dies, crinem, veluti Diis Manibus sacrum, hasta libat: Θαν. Στείχω δ' ἐπ' αὐτήν, ὡς κατάρξωμαι ξίφει. Ἱερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν, Ὅτου τόδ' ἔγχος κρᾶτος ἀγνίσῃ τρίχα. Ad quod allusit Virg. Æn. IV, 696 sqq. « Nam, quia nec fato, merita nec morte peribat... Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco. » Muret. in Var. cap. 16, de Vestalium religione ac institutis, honore dignatione; multa Alex. ab Alex. lib. V, c. 12. Vide et eumdem lib. V, cap. 18. Ut Flamines Diales inaugurabantur, sic capiebantur Vestales, virginibus e populo viginti lectis, Pontificis arbitrato, ac sortitione ex eo numero in concione facta, ut cujus virginis ducta esset, Pontifex eam caperet, eaque Vestæ fieret. Gellius lib. II, cap. 12. Rævardus cap. 17 Variorum. DALEC. — *Vestalium . . . capillus.* Tondebantur eæ, priusquam in collegium receptæ certo carmine a Pontifice Deo manciparentur et sacrarentur. Sic apud Christianos capillorum positio in viris feminisque Deo dicatis, symbolum servitutis est, qua se Numini, instar servorum, mancipant: unde *Servi Dei* nuncupantur: quod erant olim servi tonsi. Vide DU CANGE in Glossar. verbo *Capilli*. Tonsos deinde crines prisci illi vel Apollini Delio, vel alteri Numini consecrabant, vel suspendebant ex arbore. HARD.

LXXXVI. 1. *In Vulcanali*. P. Victor in descriptione urbis Romæ, regione quarta: « Area Vulcani,

mulus constituit ex victoria de decumis[2], æquæva Urbi intelligitur, ut auctor est Masurius. Radices ejus in forum usque Cæsaris per stationes[3] municipiorum penetrant. Fuit cum ea cupressus[4] æqualis; circa suprema Neronis principis prolapsa atque neglecta.

LXXXVII. Vetustior autem Urbe[1] in Vaticano ilex, in qua titulus æreis litteris Etruscis, religione arborem jam tum dignam fuisse significat. Tiburtes quoque originem multo ante urbem Romam habent. Apud eos exstant ilices tres, etiam Tiburto conditore[2] eorum vestustiores, apud quas inauguratus traditur. Fuisse autem eum tradunt

cum Vulcauali, ubi lotos a Romulo sata, in qua area sanguine per biduum pluit. » Vulcanal ædicula fuit Vulcano sacra. Hard.

2. *De decumis.* De parte spoliorum et prædæ decima. Hard.

3. *Per stationes.* Stationes, loca in quibus certo tempore coeunt et consistunt homines. In foro Romano variæ fuerunt : Senaculum, statio, in qua, auctore Valerio, cap. 12, senatores assiduam stationem peragebant, ut citati in curiam venirent : statio municipum : statio juvenum, qui quum patres in curiam deduxissent, quod ait Valer. cap. citatu, valvis affixi exspectabant, donec officio reducendi fungerentur. Ræv. lib. IV, cap. 7 Varior. Dal. — *Per stationes.* Stationes Municipiorum inter Forum Augusti, a P. Victore statuuntur, in descript. urbis Romæ, regione octava. Locus videtur fuisse publicus, in quo post negotia eives convenirent, confabulandi gratia. Juvenalis Sat. XI, v. 4 : « Omnis Conventus, thermæ, stationes, omne theatrum », etc. Plinius Junior, lib. I, ep. 13 : « Plerique in stationibus sedent, tempusque audiendis fabulis conterunt. » H.

4. *Fuit cum ea cupressus.* Eane quam Vespasiani ævo resurrexisse sponte, auctor est Tacitus, Hist. lib. II, pag. 53? Hard.

LXXXVII. 1. *Vetustior autem urbe*, etc. Pausaniæ sæculo, quod is scribit in Arcadicis, arbores vetustissimæ fuerunt: vitex Samia ad Junonis ædem; olea, in arce Athenis; Deli palma; quercus Dodonæa, et platanus Menelai, bic memorata, quam juxta fontem Caphyis vicinum, Menelaus ad Trojanum bellum iturus sevit. Dal.

2. *Tiburto conditore.* Maro, Æn. VII, vs. 670: «Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt, Fratris Tiburti dictam cognomine gentem.» Hard. — *Vetustiores.* Adansonius in opere sup. cit. (*Familles des Plantes*, tom. I, pag. CCXXIII) plures arborum species citat, quæ quatuor et amplius annorum millibus aut duraverint, aut, si nullus casus prœmaturum afferat exitum, duraturæ sint. Ed.

filium Amphiarai[3], qui apud Thebas obierit una[4] ætate ante Iliacum bellum.

LXXXVIII. Sunt auctores[1] et Delphicam platanum 1
Agamemnonis manu satam : et alteram in Caphyis Arcadiæ luco. Sunt hodie ex adverso[2] Iliensium urbis, juxta Hellespontum, in Protesilai sepulcro[3] arbores, quæ omnibus[4] ævis[5], quum in tantum accrevere, ut Ilium adspiciant, inarescunt, rursusque adolescunt. Juxta urbem autem quercus, in Ili tumulo[6] tunc satæ dicuntur, quum cepit Ilium vocari.

3. *Amphiarai.* Qui primus somniorum interpres fuit. Ad ejus oraculum qui pergebant, sacro illi, et aliis diis, quorum nomina in ara sculpta fuerunt, peracto lustrati, arietis pelle substrata obdormiscentes, somnia captabant, quo modo ait Virgilius : « Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit. » Rhodig. cap. 14. DAL.

4. *Una ætate.* Annis 37. Vide Cl. Alex. Strom. lib. I. Ætas et de annis triginta dicitur, auctore Servio in Georg. III. Et sæculum Druidis olim, teste Plinio inferius, cap. 95. HARD.

LXXXVIII. 1. *Sunt auctores.* Theophrast. Histor. Plant. lib. IV, cap. 14 : Τινὲς δέ φασι, καὶ τὴν ἐν Δελφοῖς πλάτανον Ἀγαμέμνονα φυτεῦσαι, καὶ τὴν ἐν Καφύαις τῆς Ἀρκαδίας. HARD.

2. *Sunt hodie ex adverso*, etc. Legend. « Sunt hodie ex adverso Iliensium urbis, juxta Hellespontum, in Protesilai sepulcro arbores, quæ omnibus ex eo ævis, quum in tantum adcrevere ut Ilium aspiciant, inarescunt, rursusque adolescunt. » SALM.

3. *In Protesilai sepulcro.* De hujus delubro diximus lib. IV, cap. 18. Harum arborum meminit Philostratus, in Heroic. pag. 644. HARD.

4. *Quæ omnibus.* Lege cum Salmasio : « quæ omnibus ex eo ævis cum, etc. » *Omnibus ævis*, manifeste hic dicitur pro omni tempore, et pro toto illo spatio quod a Protesilao usque ad suum sæculum effluxit. Neque totæ interibant arbores, sed saltem folia. Vide Vossium in Melam, pag. 128. — *Quæ omnibus ævis.* Ita rescripsimus ex Colb. 3. Ita Vossius in suis libris scribi asseverat, Obss. in Melam (vid. supra). HARD.

5. *Ævis.* Ἐφηβεῖον locus in quo ἔφηβοι exercebantur : epheborum palæstra. In iis Protesilai ædificiis multas ejuscemodi fuisse arboribus consitas probabile; quæ, ut inquit auctor, arescebant, et rursum adolescebant. DALEC.

6. *Ili tumulo.* Ilum Trois filium fuisse docet Homerus in Iliad. Υ. Quæ Plinio quercus, ea Theophrasto hoc ipsum referenti, Hist. lib. IV, cap. 14, φηγὸς dicitur, ut ante monuimus, cap. 6. HARD.

1 LXXXIX. Argis olea etiamnum durare dicitur, ad quam Io in vaccam mutatam Argus alligaverit. In Ponto circa Heracleam aræ sunt Jovis Stratii[1] cognomine : ibi quercus duæ ab Hercule satæ. In eodem tractu portus Amyci[2] est Bebryce rege interfecto clarus. Ejus tumulus a supremo die lauro tegitur, quam insanam vocant : quoniam si quid ex ea decerptum inferatur navibus, jurgia fiant, donec
2 abjiciatur. Regionem Aulocrenen diximus[3], per quam ab Apamia in Phrygiam itur : ibi platanus ostenditur[4], ex qua pependerit Marsyas victus ab Apolline, quæ jam tum magnitudiue electa est. Nec non palma Deli[5] ab ejusdem Dei ætate conspicitur. Olympiæ oleaster[6], ex quo primus Hercules coronatus est, et nunc custoditur religiose. Athenis[7] quoque olea durare traditur in certamine[8] edita a Minerva.

LXXXIX. 1. *Jovis Stratii.* Jovem Stratium, hoc est, militarem, Veteribus coli solitum, auctor est Julius Pollux. HERM. BARBARUS.— *Jovis Stratii.* Διὸς Στρατίου meminit Herodot. in Terpsich. lib. V, cap. 33, Jovis Militaris. HARD.

2. *Portus Amyci.* De eo diximus lib. V, cap. 43. HARD.

3. *Aulocrenen diximus.* Lib. V, cap. 29. HARD.

4. *Ibi platanus ostenditur, ex qua pependit Marsya victas ab Apolline.* Lego non *platanus*, sed *pinus :* nam e pinu suspensum ab Apolline Marsyam auctor est præter cæteros Archias poeta græcus epigrammaton sect. III. PINT. — *Ibi platanus.* Hyginus fab. 165 : « Apollo victum Marsyam ad arborem religatum, Scythæ tradidit, qui eum membratim separavit. » Non platanum eam, sed pinum fuisse Archias ait in Anthol. lib. III, cap. 8, Epigr. ἐκ λασίας πίτυος. Nicand. quoque in Alexiph. pag. 151, et Philostr. in Icon. HARD.

5. *Nec non palma Deli.* Cicero de Legg. I : « Nisi forte Athenæ tuæ sempiternam in arce oleam tenere potuerunt : aut quam Homericus Ulysses Deli se proceram et teneram palmam vidisse dixit, hodie monstrant eamdem, etc. » Locus Homeri est Odyss. Z, v. 163. Vide et Ælian. Var. Hist. lib. V, cap. 4; et Theophr. Hist. lib. IV, cap. 14, etc. HARD.

6. *Olympiæ oleaster.* Arist. περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. Interpres Aristoph. in Pluto, in voce καλλιστέφανος. Theophr. Hist. lib. IV, cap. 15. DAL.

7. *Athenis.* Cicero l. c. Herod. Uran. lib. VIII, pag. 480. HARD.

8. *In certamine*, etc. Fabulantur Græci de Athenarum principatu cum Neptuno Minervam certasse. Litem Jupiter sic diremit : ut is

XC. E diverso[1] brevissima vita est[2] Punicis, fico, malis : et ex his[3], præcocibus brevior quam serotinis, dulcibus quam acutis : et dulciori in Punicis[4]. Item in vitibus[5], præcipueque fertilioribus. Græcinus auctor est, sexagenis annis durasse vites. Videntur et aquaticæ[6] celerius interire. Senescunt quidem[7] velociter, sed e radicibus repullulant laurus[8], et mali, et Punicæ. Firmissimæ ergo 1

potiretur loco, qui de civibus optime mereretur. Urbem portu ac navalibus Neptunus instruxit; Minerva oleam in arce edidit : ea re vicisse Palladem pronunciatum est. Auctor Geop. lib. IX, cap. 1, pag. 218 et 219. H. — *Minerva*. Menere in saliari carmine, menervare, monere : unde minisci, comminisci. Hinc Minerva sapientiæ Dea, quæ bene monet. Dalec.

XC. 1. *E diverso*. Hæc apud Theophr. lib. IV, cap. 14. De Punicis etiam Martialis subscribit, lib. I, ep. 44 : « Aut imitata breves Punica mala rosas. » Breves dixit, quia brevis ævi inter flores, ut *Punica mala* inter arbores. Ed.

2. *Brevissima vita est*. Theophrastus lib. VI, cap. 13 : « Vivunt prædictæ aliæque complures longo tempore. Brevi profecto punica, ficus, malus, præcipue verna et dulcis minus quam acida, ut inter punicas quæ nucleo carent interiori. » Ex quibus Theophrasti verbis apparet legendum hic esse non *acutis*, sed *acidis*. Neque enim *acutum* opponitur *dulci* : immo fieri potest ut aliquid simul sit et dulce, et acutum, ut de melle supra Plinius lib. II, cap. 15, retulit, et Dioscorides lib. II. Neque *dilutior* lego cum Hermolao, ex cujus castigatione quis sensus elici possit non video, sed, licet dura nimis castigatione, *apyrenis*, hoc est, sine nucleo. Pint.

3. *Et ex his*. Ex malorum genere. Hard.

4. *Et dulciori in Punicis*. Sensus est : Quo dulciora poma, eo minus vivacem esse arborem. Gelen. — *Et dulciori*. In Punicorum genere, dulcia, quæ et apyrina dicuntur, ex arbore gignuntur minus vivace. De Punicis apyrinis, lib. XIII, cap. 34. Theophr. l. c. ὥσπερ τῶν ῥοῶν ἡ ἀπύρηνος. Hard.

5. *Item in vitibus*. Theophr. loc. cit. Hard.

6. *Videntur et aquaticæ*. Ut salix, populus, sambucus. Theophr. l. c. et de Causis, lib. II, cap. 15, pag. 249. Et animalium quoque aquaticis, quam terrestribus, vitæ brevius spatium est. Hard.

7. *Senescunt quidem*. Theophr. Hist. lib. IV, cap. 14. Hard.

8. *Sed e radicibus repullulant laurus, et mali, et punicæ*. Lego *e lateribus*, non *e radicibus*, ex Theophrasto, lib. IV, cap. 13 : « Quædam senescunt quidem putrescuntque velocius, sed ex iisdem rursus latere suo germinant, ut laurus, mali, punicæ. » Pint. — *Sed e radicibus*. Theophrast. παραβλαστάνει, emittit

ad vivendum oleæ[9], ut quas durare annis CC inter auctores conveniat.

XCI. Est in suburbano Tusculani agri colle, qui[1] Corne appellatur, lucus antiqua religione Dianæ sacratus a[2] Latio, velut arte tonsili coma fagci nemoris. In hoc arborem eximiam ætate nostra adamavit Passienus Crispus[3] bis consul, orator; Agrippinæ matrimonio et Nerone privigno clarior postea; osculari complectique eam solitus, modo cubare sub ea, vinumque illi affundere. Vicina luco est ilex, et ipsa nobilis, XXXIV pedum ambitu caudicis, X arbores mittens singulas magnitudinis visendæ; silvamque sola facit.

XCII. Edera[1] necari arbores certum est. Simile quiddam et in visco: tametsi tardiorem earum injuriam[2] arbitrantur; namque et hoc præter fructus[3] agnoscitur non in novissimis[4] mirabile. Quædam enim[5] in terra gigni non possunt, et in arboribus nascuntur; namque quum[6] suam sedem non habeant, in aliena vivunt, sicut viscum. Est et in Syria[7] herba quæ vocatur cadytas, non tantum ar-

germina: adnata e latere interdum fit: e radice non raro. HARD.

9. *Firmissimæ ergo ad vivendum oleæ*. Theophrast. Hist. lib. IV, cap. 15. DALEC.

XCI. 1. *Qui Corne*. Ita Reg. 2, aliique, et editi. HARD.

2. *A Latio*. Ita libri omnes. An *a Latino?* An a communi Latii? H.

3. *Passienus Crispus*. De eo Seneca Natt. Quæst. IV, in præf. p. 883: « Crispus Passienus, quo ego cognovi nihil subtilius in omnibus rebus, etc. » Passieni oratoris dictum in Caium Principem, Tacitus refert Annal. lib. VI, pag. 140. Ex Suetonio in Nerone, cap. VI, apparet, Claudii temporibus obiisse. HARD.

XCII. 1. *Edera necari*. Id prolixe Theophr. docet de Caus. lib. II, cap. 25, pag. 25. Vide quæ diximus cap. 62. HARD.

2. *Earum injuriam*. Ederæ et visci. Viscum, *le guy de chéne*. H.

3. *Præter fructus*. Præter gallam, glandesque. HARD.

4. *Agnoscitur non in novissimis*, etc. Vide supra cap. 30 hujus libri. DALEC.

5. *Quædam enim*. Hæc deinceps totidem verbis Theophr. de Caus. lib. II, cap. 23, pag. 259. H.

6. *Namque quum suam*, etc. Theophr. de Causs. lib. II, cap. 23. DAL.

7. *Est et in Syria*. Theophr. l. c. Ἔτι δὲ τὸ Συριακὸν βοτάνιον, ὃ καλούμενος Καδύτας, καὶ δένδροις, καὶ

boribus, sed ipsis etiam spinis circumvolvens sese[8] : item circa[9] Tempe Thessalica, quæ polypodion vocatur, et quæ dolichos, ac serpyllum. Oleastro quoque deputato[10] quod gignatur, vocant phaunos[11]. Quod vero in spina fullonia

ἀκάνθαις ἐμφύεται, καὶ ἄλλοις τισί. H.

8. *Circumvolvens sese.* Lego : « Circumvolvens se : item circa Tempe Thessalica. Innascitur aliis et quæ polypodion vocatur, etc. » Parum distincte hæc Plinius. Polypodium quidem aliis plantis innascitur : dolichos vero et serpyllum non innascitur, sed scandendo iis invehuntur, quæ pro adminiculo sunt. Dalec. — *Cadytas*, etc. *Cassyta filiformis* (*Ennead. monogyn.* gen. 997, Pers. *Plant. incert. sed.* Juss.) sine dubio τὸ Συριακὸν βοτάνιον est, quod *cadytas* Theophr. appellat (de Causs. II, 23). Miram eam vocat auctor græcus et paradoxam, qualem Forskalens (Flor. Ægyptiac. Arab. pag. 84), *Volutellæ aphyllæ* nomine, in Arabia inventam describit. Ed.

9. *Item circa.* Theophr. l. c. Καὶ τὸ πολυπόδιον ἐπί τισι δένδρεις, « quibusdam innascitur arboribus. » Aliunde Plinius hæc mutuatus est, ubi legisse videtur, ἐπὶ τοῖς συνδένδροις. Vocant autem Græci, Hesychius, cæterique, Tempe, Τέμπη, τὰ σύνδενδρα χωρία. Nec porro Theophrastus, aut Plinius, de polypodio, dolicho, serpylloque tractant eo loci, quod aliis ea plantis innasci putent, ut viscum : sed quod ea vitam non habent, nisi aliis circumvolvant sese, iisque ceu adminiculo innitantur, ut edera : ταῦτα γάρ, καὶ πρὸς ἑτέρῳ διώκει, etc. Polypodium pingit Dodonæus, Pempt. III, lib. V, pag. 461. Latini Filiculam vocant : Galli *Polypode.* Δόλιχος idem qui phaseolus : Gallis *feverolle, fève de mer.* Ab eodem Dodonæo pingitur, Pempt. IV, lib. II, cap. 6, pag. 509. Vide quæ dicturi sumus lib. XVIII, cap. 33. De serpyllo dicemus lib. XX, cap. 90. Hard. — *Polypodium vulgare* (*Cryptogam.* Linn. *Filic.* Juss.), nobis, ut Veteribus, satis notum. Δόλιχος Græcorum (*Phaseolus vulgaris*, *Diadelph. decand.* gen. 1701, Pers. *Leguminos.* Juss.) habitat sponte in India orientali; nunc vulgo colitur. Jam tum ex India forte cum Alexandri militibus allatos fuisse phaseolos, patet e descriptione Theophrasti, Hist. VIII, 3, et e loco Galeni (de Facult. al. I, pag. 317), ubi a Diocle inde Carystio, Theophrasto tempore æquali, descriptos fuisse refert. Ed.

10. *Oleastro quoque deputato.* Lege : « Oleastro quoque deputato, quod gignatur, vocant phaunos, » id est, φαυλίους ἐλαίας. Salm.

11. *Vocant phaunos.* Ita libri omnes : neque eos audio, qui ut Plinium erroris insimulent, Theophrastum ipsum corrumpunt : apud quem Hist. lib. II, cap. 3, non φέρειν θάλος, sed φέρειν φαυλίας, hoc est, olivas, scriptum olim fuisse volunt, insigni fraude. Nam quum sint hæc græci scriptoris verba : Ὃ γὰρ ἐπὶ τοῦ κοτίνου φασὶ συμβαίνειν, ὥστε ἂν περικόπτῃς τὴν

hippophæston[12], capitulis inanibus, foliis parvis, radice alba, cujus succus ad detractiones[13] in comitiali morbo utilissimus habetur.

1 XCIII. Visci tria genera[1]. Namque in abiete ac larice stelin[2] dicit Eubœa nasci, hyphear Arcadia[3]. Viscum autem in quercu, robore, pruno silvestri[4], terebintho, nec aliis arboribus adnasci, plerique. Copiosissimum in quercu, quod dryos hyphear[5] vocant. In omni arbore, excepta ilice et quercu, differentiam facit[6] odor virusque, et fo-

θαλίαν, ἢ ὅλως μεταφυτευθῇ, φέρειν θάλος· quis non intelligit, similitudine vocum θάλος et θαλία lusisse eum? Quid porro hoc loco valeat vox ea θάλος, tam incompertum est, quam quid latina *phaunos*. H.

12. *Hippophæston.* Oscitanter Plinius hippophæston recenset inter plantas, quæ aliis subnixæ vivunt. Nam humilis herba est, humi strata, ut et serpyllum, non tamen in vicina scandens dolichi modo. Dalec. — *Hippophæston.* Apud cæteros scriptores, hippophæston ipsa spina fullonia est, non aliquid ei adnatum, ut dicemus lib. XXVII, cap. 66, ubi hæc iterum repetuntur. H. — Dioscoridi est *Cnicus stellatus* Wild. Sprengel.

13. *Detractiones in comitiali morbo.* Ad dejiciendos alvo pravos humores. Hard.

XCIII. 1. *Visci tria.* Theophr. Hist. lib. IV, cap. 15. Visci frutectosi iconem vide apud Dodon. pag. 814. Hard.— *Viscum album* (*Diœc. tetrand.* gen. 2204, Pers. *Caprifol.* Juss.). Habitat in variis arboribus. Ed.

2. *Stelin.* Stelis Eubœensium vox est, Hyphear Arcadum, viscum communis. Alii Stelin et Hyphear nasci volunt in pino et abiete, viscum in quercu, terebintho, et aliis multis. Theophrast. Dalec. — *Stelin.* Theophr. de Caus. lib. III, cap. 16: Ἡ ἰξία, καὶ ἡ στελις, καὶ τὸ ὕφεαρ· ὧν τὴν μὲν στελὶν καλοῦσιν Εὐβοεῖς, τὸ δ' ὕφεαρ Ἀρκάδες· ἡ δὲ ἰξία κοινὴ πᾶσιν. Τὸ γὰρ ὕφεαρ ἐν ταῖς ἐλάταις καὶ πεύκαις γίνεται, καὶ ἡ στελίς. Ἡ δ' ἰξία, καὶ ἐν δρυῒ, καὶ ἐν τερμίνθῳ, καὶ ἐν ἑτέροις πλείοσιν. En rursum πεύκη larix. H.

3. *Hyphear Arcadia.* Vide quod adnotatum est ad cap. 30 hujus lib. Dalec.

4. *Pruno silvestri.* In MSS. *primo.* Mallem *piro silvestri*, in qua frequentius, quam in alia quavis arbore viscum reperitur: in pruno autem silvestri, qui observarit, nondum scio. Hard.

5. *In quercu, quod dryos hyphear.* MSS. omnes, *adasphear* vocant. Nusquam Plinio δρῦς quercus est, sed robur. Hard.

6. *Differentiam facit.* A visco differt stelis et hyphear, et grani odore, et folii: habet enim utrumque, granum, foliumque, in visco amaritudinem, et lentorem: fœtet utrumque in gemino illo grano, quod viscum imitatur. Hard.

lium non jucundi odoris utroque visci amaro et lento. Hyphear ad saginanda pecora utilius[7]. Vitia modo purgat primo; dein pinguefacit, quæ suffecere[8] purgationi. Quibus sit aliqua tabes intus, negant durare. Ea medendi ratio, æstatis quadragenis diebus. Adjiciunt discrimen, 2
visco in his quæ folia amittant, et ipsi decidere : contra inhærere nato in æterna fronde. Omnino autem satum nullo modo nascitur, nec nisi per alvum[9] avium redditum, maxime palumbis ac turdis. Hæc est natura, ut nisi maturatum in ventre avium, non proveniat. Altitudo ejus non excedit cubitalem, semper frutectosi ac viridis. Mas fertilis, femina sterilis: aliquando non fert.

XCIV. Viscum confit[1] ex acinis, qui colliguntur 1
messium tempore immaturi; nam si accessere imbres, amplitudine quidem augentur, visco vero[2] marcescunt. Siccantur deinde, et aridi tunduntur, ac conditi in aqua putrescunt[3] duodenis fere diebus: unumque hoc rerum putrescendo gratiam invenit: inde[4] in profluente, rursus

7. *Ad saginanda pecora utilius.* Theophrast. πρὸς τὸ χυλεύειν. Dal.

8. *Quæ suffecere.* Pinguefacit ea animalia, quibus suffecere vires ad eam purgationem ferendam. Nam multis est ea letalis, nempe iis qui tabe intus laborent aliqua. Hard.

9. *Nec nisi per alvum.* Οἰνὰς, hoc est, columba silvestris, vel ut alii interpretantur, turdus, si devorato visci semine in arbore aliqua saturitatem egerit, viscum aiunt enasci. Athen. lib. IX, pag. 394. Vide Erasm. Chil. I, Cent. 1, Adag. 55 : « Turdus ipse sibi malum cacat. » At multis tamen in regionibus turdi non sunt, in quibus visci copia est. Hard.

XCIV. 1. *Viscum confit.* Glutinum nempe quod ad aucupium pertinet : *la glu.* Id fit ex visci jam laudati acinis sive granis : *des grains de guy.* Ita etiam Diosc. III, 103. H. — Nunc facilius copiosiusque nostratibus conficit viscum cortex supra jam memoratæ arboris, *Ilicis* nempe *Aquifoliæ*, quam vulgo dicunt, *le houx.* Ed.

2. *Visco vero.* Visco vero faciendo sunt minus utiles. Nec tanta copia viscum reddunt, nec tam eximia bonitate. Hard.

3. *Ac conditi in aqua putrescunt.* Legendum reor, *cocti in aqua*, non *conditi.* Dioscorid. lib. III : « Tunditur autem fructus is, quum cavatur, post hæc in aqua decoquitur. » Pint.

4. *Inde.* Deinde in aqua profluente iterum malleo contusi, ab-

malleo tusi, amissis corticibus interiore carne lentescunt. Hoc est viscum[5] pennis avium tactu ligandis, oleo subactum, quum libeat insidias moliri.

1 XCV. Non est omittenda in ea re et Galliarum admiratio. Nihil habent Druides[1] (ita suos appellant magos) visco, et arbore, in qua gignatur, si modo sit robur, sacratius. Jam per se roborum eligunt lucos, nec ulla sacra sine ea fronde conficiunt, ut inde appellati quoque interpretatione græca possint Druides[2] videri. Enimvero quidquid adnascatur illis, e cælo missum putant, signumque esse electæ ab ipso Deo arboris. Est autem id rarum admodum inventu, et repertum magna religione petitur: et ante omnia sexta luna, quæ principia mensium[3] annorumque his facit, et sæculi et post tricesimum annum,

jectis corticibus, remanet interior caro, quæ lentescit, dum tractatur. HARD.

5. *Viscum*. Scite Plautus in Bacchidibus: « Viscus merus vestra est blanditia: » nempe ad me capiendum illecebra, laqueus, tendicula, insidiæ. Idem scriptor eadem comœdia: « Tactus sum vehementer visco, cor stimulo foditur. » DAL.

XCV. 1. *Druides*. De Bardis, Druidis, et in universum Gallorum moribus, vide plurima apud Rhod. lib. XVIII, cap. 21, præsertim ex Strabone. DALEC.

2. *Druides*. A græca dictione δρῦς, quæ robur significat: vel, ut alii, malunt, a Celtica *Drud*, quæ fortem, strenuum ac fidelem sonat: quod quidem etymon Bucherius noster probat in Belgio Rom. V, 4, § 14. De his multa Cæsar B. G. VI. Diu etiam post inductam Christi religionem invaluisse in Gallia, Italia, Germania, Africa, aliisque locis, arborum lucorumque cultum, multis proditum est testimoniis, quæ vide apud DU CANGE, in Gloss. v. *Arbor*. HARD.

3. *Mensium annorumque*. Ergo annis illi mere lunaribus utebantur, ut hic aperte quidem Plinius docet. Sed quod hic obiter adnotandum est, mirum profecto, nullum apud Romanos, Græcosve, vel hos etiam Druidas, hebdomadarum usum fuisse. Cyclus scilicet septem dierum Deum ipsummet habet auctorem: sed Abrahæ temporibus neglectus ab hominibus, quia essent in idololatriam omnes fere prolapsi. Sola hunc servavit Abrahæ domus: et mox solis Abrahæ posteris est cognitus. Unde populo Israelitico dicitur, veluti non novo dato, sed vetere renovato mandato, quod abierat in desuetudinem apud cæteras gentes: « memento tu ut diem sabbati sanctifices, » quomodo fecit Noe, subsequutique proxime filii

quia[4] jam virium abunde habeat, nec sit sui dimidia. Om- 2

ejus ac nepotes, Exod. XX, 8. Nullum diei septimi in orbem redeuntis vestigium est apud Plinium: id quod certissimo argumento est, apud eos qui Plinium norunt, et scripta ejus perlegerunt, non fuisse hunc cyclum Romanis cognitum. Quid quod nec Livius, Tacitusve in historiis, nec in Fastis Ovidius, nec e profanis scriptoribus alii, quod quidem nunc sciam, appellant diem solis, aut Jovis, aut Lunæ, aut Martis, aut Mercurii, aut Veneris, aut Saturni: tametsi Philaster in Catalogo hæresium auctorem harum appellationum Hermen facit? Illud quidem Horatii, II, Sat. III, vers. 288, ubi mater orans pro salute pueri inducitur: « Juppiter, ingentes qui das adimisque dolores, Mater ait pueri menses jam quinque cubantis: Frigida si puerum quartana reliquerit, illo Mane die, quo tu indicis jejunia, nudus In Tiberi stabit: » hæc inquam verba interpretes nonnulli de die Jovis dicta accipiunt, sed sine ullo probabili argumento. Verius aliquis fuit in vetere Romanorum kalendario dies, qui semel in anno occurreret, quo die scriptum erat *Jejunium Jovi*: sicut est apud Judæos dies Expiationis, decimus dies Tisri, jejunii dies. Unde et hic præter jejunium, veluti culparum piamentum lavatio pueri sanati in Tiberi Jovi promittitur. Apud Sinas non est cyclus ille septem dierum. Apud Arabes semper fuit, ut in notis ad Alcoranum nondum editis ostendimus, ab Ismaele, Abrahæ filio; Mahumetani ubicumque sunt, habent illam a Mahomete Arabe. Non est apud Americanos ullos, exceptis illis qui Christianis sacris sunt imbuti. Non est denique apud ullas gentes quæ verum Deum non norunt: quoniam ab iis qui colere ipsum desierunt, abjectus septimi diei cultus neglectusque est: quem præscriptum ab eo fuisse ob sui reverentiam prædicare possunt ii dumtaxat qui eum norunt. Siamenses Sabbatum non noverunt Mosaicum, sive Christianum, quamvis nonnulli secus affirmant: sed quatuor festos dies agitant in novilunio, et lunæ quadrantibus. Scribit Ulug Beg, in libro quem inscripsit, Tavarikh, hoc est, Epochæ, Persas non habere hebdomadas: sed singulos dies cujusque mensis appellare proprio nomine. At ex quo Mahumetani sunt, numerant Persæ dies hebdomadæ, ut Arabes: et diem Veneris sacrum habent, ut nos Dominicum. Ita et Turcæ, ut diximus, ex Mahumetismo. Cathaini denique et Turcæ orientales non habent hebdomadas, sed cyclum sexaginta dierum. Cathaiani tamen habent etiam cyclum alterum quindecim dierum. Vide Bibliothecam Orient. D. D'Herbelot, pag. 122 et 417. Hebræi dicunt primam sabbati, secundam, tertiam, etc. Latini Christiani diem Lunæ, Martis, Mercurii, etc. Græci non sic, sed δευτέραν, τρίτην, τετάρτην, etc. τῆς ἑβδομάδος. Hard.

4. *Quia.* Quia Luna tum satis virium habet, nec pervenit adhuc ad dimidiam sui magnitudinem, « quam die tantum septima habet. »

nia sanantem appellantes suo vocabulo, sacrificiis epulisque rite sub arbore præparatis[5], duos admovent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primum vinciantur. Sacerdos candida veste cultus arborem scandit; falce aurea demetit : candido id excipitur sago. Tum deinde victimas immolant, precantes ut suum donum Deus prosperum faciat his quibus dederit. Fecunditatem eo poto dari cuicumque animalium sterili arbitrantur : contra venena omnia esse remedio. Tanta gentium in rebus frivolis plerumque religio est!

5. *Sub arbore præparatis*. MSS. omnes, *comparatis*. HARD.

EXCURSUS I

DE QUERCUBUS VETERUM.

Ad ea Plinii verba, lib. XVI, capp. 8-13:

Glandem, quæ proprie intelligitur, ferunt robur, quercus, esculus, cerrus, ilex, suber, etc.

Nullum fere arborum genus ab omni antiquitate hominibus vel gratius fuit, vel utilius, vel etiam majore religionum sanctitate existimatum quam quercus. Excelsæ enim arbores, quæ ad hoc pertinent genus, ad sidera tendere cæloque comas miscere; altissimis defixæ radicibus, robur signare ac firmitatem humanas vires superantem; annosæ eædem cujusvis generis vicissitudines vincere atque æternitatis speciem præ se ferre; umbra diffusarum frondium et foliorum amplorum verecundiam quamdam numinis præsentis atque horrorem ciere videbantur. Accedebat et materiei, quam præbent, utilitas, ad construendas domos variaque instrumenta conficienda; et glandium, quas quædam quercuum species ferunt, suavitas et nutriens indoles, quæ propitiorum deorum dona esse videbantur.

Quum idem arborum genus per totum fere, qui habitatur, terrarum orbem inveniatur, hic antiqui dumtaxat orbis quercus describere, vestigiaque earum monumentis antiquis illustrare conabor. Sunt vero, quot mihi innotescunt, sequentes:

1. Qu. *Robur*, foliis oblongis pedunculatis glabris sinuatis, lobis rotundatis, glandibus oblongis sessilibus (1).

Chêne-mâle. *Stein-Eiche. Winter-Eiche.*
Per totam Europam habitat.

2. Qu. *pedunculata*, foliis oblongis subsessilibus glabris sinuatis, lobis rotundatis, glandibus oblongis pedunculatis (2).

Chêne-blanc. *Stiel-Eiche. Sommer-Eiche.*
Per totam Europam.

(1) Willdenow's Berlin, Baumzucht, pag. 277.
(2) Ib. p. 278.

3. Qu. *pubescens*, fol. oblongis, subtus tomentoso-pubescentibus sinuatis, rotundatis, glandibus oblongis breviter pedunculatis (1).

Chêne noir. *Französische Eiche.*

In Gallia australi.

4. Qu. *Cerris*, fol. sinuato-pinnatifidis subtus pubescentibus, laciniis acutiusculis, ramentis axillaribus filiformibus, calycibus echinato-ramentaceis (2).

Burgundische Eiche.

Habitat in Austria, Helvetia, Italia, Hispania et Asia Minore.

5. Qu. *Esculus*, fol. pinnatifidis, subtus pubescentibus; laciniis lanceolatis acutis, ramentis axillaribus filiformibus, glandibus oblongis, calycibus muricatis (3).

Italienische Eiche.

Habitat in Europa australi.

6. Qu. *Ilex*, fol. ovato-oblongis indivisis serratisque, subtus incanis, cortice integro.

β. Qu. *Smilax*, fol. oblongo-ovatis integerrimis, subtus tomentosis.

γ. Qu. *Gramantia*, fol. oblongo-ovatis pinnato-spinosis sessilibus subtus tomentosis, glandibus pedunculatis (4).

Yeuse *Gall.*

Habitant in Europa australi.

7. Qu. *Valentina*, fol. ovato-lanceolatis, serraturis spinosis, subtus pubescentibus (5).

Rovere Hispan.

Habitat in regno Hispaniæ Valentia.

8. Qu. *Suber*, fol. ovato-oblongis indivisis serratis subtus tomentosis, cortice rimoso fungoso (6).

Liège. Kork-Eiche.

Habitat in Europa australi.

9. Qu. *Pseudo-suber*, fol. lanceolatis sinuatis subtus incanis, cortice rimoso-fungoso (7).

Cerro-Sughero Ital.

Habitat in Etruriæ montibus.

10. Qu. *Coccifera*, fol. ovatis indivisis spinoso-dentatis, utrinque glabris, glandibus sessilibus (8).

(1) Willdenow's Berlin. Baumzucht, p. 279.

(2) Ib. p. 280.

(3) Aiton hortus Kewensis, tom. III, p. 358.

(4) Linnæi system. plant. ed. Reichard. P. IV, p. 160.

(5) Cavanilles icones et descript. plant. Hispan. vol. II, n. 141, tab. 129.

(6) Du Roi Harbke'sche wilde Baumzucht, B. II, S. 263.

(7) Santi viaggio al Montamiata, p. 156, tav. IV, quam imaginem repetendam curavi.

(8) Scopoli flor. Carniol. ed. II, n. 1183.

Kermes-Eiche.

Habitat in Europa australi et Asia.

11. Qu. *Ægilops*, fol. ovato-oblongis glabris serrato-dentatis (1).

Velanida.

Habitat in Europa australi. Vide Tournefort. tom. III, epist. XXI, pag. 297.

Præter has undecim species quercuum in orbe antiquo occurrentium aliæ observatæ sunt in insulis Moluccis et Japonia, quas vero antiquitati incognitas prætereundas esse duco. Enumeratarum autem specierum plerasque quum in variis monumentis veteribus inveniamus, incipiendum esse videtur a sacris Hebræorum libris, in quibus voces אֵיל, אֵלָה (pro quo אַלָּה Jos. XXIV, 26, legitur) אֵילוֹן a pluribus auctoribus quercus species habentur. Doctissimus vero Ol. Celsius egregie monstravit, has voces nil nisi Pistaciam *Terebinthum* signare, quæ in Oriente et annosissima fere et gratissima arbor, materiem etiam præbet durissimam (2). Sola autem vox אַלּוֹן, quæ Esai. VI, 13, aliisque locis, cum אֵלָה conjuncta, ab eadem diserte discernitur, quercus speciem quamdam exprimit, et quidem, meo arbitrio,

Quercum *pedunculatam*, n. 2,

quæ et excelsior solet esse et diutius persistere, et loca fertilia solumque humile atque udum amare, quum quercus *Robur* magis in montosis et aridis proveniat (3). Materies quoque quercus pedunculatæ durior observatur et firmior ea, quam robur præbet.

Celebratissima erat regio Baschan trans Jordanem, inter amnes Jabok et Arnon sita, ob quercuum abundantiam, quam proferret. Laudatur autem præprimis Esai, II, 13; Hezech. XXVII, 6, et Zachar. XI, regio hæc, a fertilitate et quercetorum copia; alioque loco (Num. XXXII, 4) pecoribus alendis aptissima (אֶרֶץ מִקְנֶה) dicitur. Occurrit quoque apud Ptolemæum Βαθανκίας nomine (4). Quercuum glandiferarum ubertas gratissimum porcis præstabat pabulum, quorum magnam ibi fuisse frequentiam vel inde colligas, quod duo porcorum millia Christi permissu a dæmonibus in mare præcipitata atque submersa, Evangelica referat Historia. Altitudo quercuum Basanitiearum comparatur Esai. II, 13, cum cedris Libani: firmitas materiei, quam præbent, Hezech. XXVII, 6, laudatur, quum Tyri incolæ ex iis remos navium conficere soliti fuerint: iterumque comparantur Zach. XI, 2, cum cedris Libani.

(1) Scopoli flor. Carniol. ed II, n. 1185.

(2) Cels. hierobotan lib. I, p. 34.

(3) Münchhausens Hausvater, Th. V, S. 250, 251

(4) Arab. p. 7, in Hudson. geogr. minor tom. IV

Earumdem quercuum lignum adhibebatur ad imagines idolorum conficiendas (Esai, XLIV, 14). Easdemque ad continendum aggerem, qui ab arce regia ad Salomonis templum, maxime ad portam שַׁלֶּכֶת dictam, ducebat, una cum terebinthis plantatas fuisse, legitur Es. VI, 13. Id quod Celsius optime explicat, quum in vulgaribus versionibus שלכת de deciduis arborum foliis male intellectum sit (1). Ea fuit arbor, sub qua Debora, Rebeccæ nutrix, humabatur (Genes. XXXV, 8), אַלּוֹן בָּכוּת, *quercus fletus*, ideo dicta: eadem, sub qua, ob umbram amœnam, sacra faciebant idololatræ (Hos. IV, 13): eadem quæ generatim symbolum erat fortitudinis (Amos II, 9).

Alia vero quercus species semel in codice Hebræorum sacro nominatur, תִּרְזָה (Esai, XLIV, 14), ubi simul cum אַלּוֹן quercus pedunculatæ ligno usurpata fuisse ad idola construenda dicitur. Durissima certe arbor intelligitur, quum vocis תִּרְזָה radix ترز *robustus, firmus fuit*, id indicare videatur. Sine rationibus itaque haudquaquam Celsius quercum *ilicem* hoc nomine intelligi arbitratus est (2), quanquam Pausaniæ locus (3), quem citat, de σμίλακι, huc non faciat.

Accedo ad vetustissima Græciæ monumenta, in quibus δρυὸς arboris nomen sæpissime occurrit. Exprimit vero vel arborem cujusvis generis altam et prævalentem, sicut אִילָן Chaldæorum (Dan. IV), vel speciatim omne id genus, quod nos nomine quercuum comprehendimus. Illud quidem patet, tum ex aliis, tum præcipue ex Lycophronis loco (4):

Στρατῷ δ' ἀμίκτῳ πᾶσα μὲν βρωθήσεται
Φλειῶτιν ἐκδύνουσα δίπλακα σκέπην
Καρποτρόφος δρῦς.

Ad quem locum scholiastes omne arboris genus a Veteribus δρυὸς nomine comprehendi testatur, quod etiam Aristophanis scholiastes confirmat his verbis: Οἱ ἀρχαῖοι πᾶν δένδρον δρῦν ἐκάλουν, ὥσπερ καὶ ἀκρόδρυα, τὰ ἄκρα τῶν δένδρων (5). Hinc et Hesychius δρῦν exponit πᾶν δένδρον καὶ ξύλον, et δρυτόμον, ὑλοτόμον, vel ξυλοτόμον (6).

Quodsi vero quercus quædam eo nomine a poetis Græcis insignitur, est potissimum utraque patriarum quercuum species:

(1) L. c. p. 41, 42.
(2) L. c. lib. II, p. 270.
(3) Lib. VIII, c. 17, p. 400, tom. II ed. Facii.
(4) Alexandr. v. 1423.
(5) Aristoph. Equit. v. 672.
(6) Hesych. Lexic. col. 1038, ed. Alberti.

Quercus nimirum *Robur* et
Quercus *pedunculata*,

præsertim si nil, præter amplitudinem, proceritatem, umbram amœnam atque annosam senectam laudatur. Ubi vero durities materiei et utilitas, ubi frequentia major ad fontes atque in locis humilibus prædicatur, ibi Qu. *pedunculatam* nostram intelligi exploratum habeo. Occurrunt tamen tot tantæque utriusque speciei varietates, ut Qu. *Robur* præsertim sæpius humilior observetur, *pedunculata* vero excelsior.

Utraque igitur quercuum species ea est, quam poetæ ob radicis longitudinem et altitudinem laudant, quæ tanta est, ut et nostrates, qui sylvas curant, tradant has arbores

........quantum vertice ad auras
AEthereas, tantum radice in Tartara

tendere. Quod vero ὑπερβολικῶς dictum de incredibili fere altitudine radicum valet. Homerus jam fortitudinem heroum in pugnis perbelle ita exprimit (1):

Ἕστασαν ὡς ὅτε τε δρύες οὔρεσιν ὑψικάρηνοι,
Αἵτ' ἄνεμον μίμνουσι καὶ ὑετὸν ἤματα πάντα,
Ῥίζῃσιν μεγάλῃσι διηνεκέεσσ' ἀραρυῖαι.

Vossius:

.....Also stehn hochwipflige Eichen der Berge,
Welche den Sturm ausharren und Regenschauer beständig,
Eingesenkt mit grossen und weithin reichenden Wurzeln.

Hinc et βαθύῤῥιζοι sæpius Veteribus dicuntur.

Utraque quercus ob annosam senectam Veteribus sacra, et ob tenebricosam frondium umbram eo inserviit, ut sub eadem idola colerentur. Hinc præsertim lucus Jovi dicatus, ob antiquissimas quercus, Dodonæ in Chaonia Epiri, celebrabatur (2). Hinc quercubus inhabitare nymphas, quas peculiari nomine Δρυάδας, Ἀμαδρυάδας, Ἐπιμελιάδας aut Ναϊάδας appellabant, veteres Græci arbitrabantur (3). Has autem fere una cum quercubus esse natas, iisdem invigilare; gaudere, quum imbribus quercus nutriuntur, flere vero, dum decidunt folia, Callimachus fabulatur (4):

Ἦ ῥ' ἐτεὸν ἐγένοντο τότε δρύες, ἡνίκα νύμφαι·
Νύμφαι μὲν χαίρουσιν, ὅτε δρύας ὄμβρος ἀέξει,
Νύμφαι δ' αὖ κλαίουσιν, ὅτε δρυσὶν οὐκ ἔτι φύλλα.

(1) Il. M, 132.
(2) Pausan. lib. VIII, c. 23, p. 415; tom. II, ed. Fac.
(3) Schol. Apollon. Rhod. Argonaut. lib. II, ad v. 479.
(4) Hymn. in Delum, v. 83, s.

Decantatissimus est cultus quercuum apud veteres Germaniæ incolas, Celtarumque tribus, quem præter Cæsarem (1) Plinius (2) quoque memorat, unde etiam viscum quernum, sub nomine *Gut-hyl*, tanquam πανάκειαν prædicabant Druidæ, quorum nomen ipsum varii auctores a quercuum *græco* nomine derivarunt. Immerito id quidem, quum *gallicum* nomen quercus *druiean* fuerit (3).

Quercus *Robur* ipsa a Theophrasto πλατύφυλλος dici videtur, quum folia superne latiora esse soleant (4). Hujus materiem non usui œconomico idoneam, nec ad cremandum utilem habet: neque gallas, quas ferat, in magno haberi pretio, neque glandes. Ante mediam æstatem folia non germinare, quod apprime cum nostro robore congruit. Dicitur enim idcirco *Winter-Eiche*.

Hujus varietas humilis a Macedonibus ἄσπρις vocabatur, nequaquam itaque ἄσπρις *cerrus* habenda, quum sues glandibus earumdem vesci tantum, dum aliis fructibus careant, referat Theophrastus (5). Sistit quernos frutices, qui in altitudinem non prosilire Columellæ dicuntur (6): in cæduis silvis enim nati sunt, aut ab armentis teneri depasti. Satianda enim esse armenta frondibus quernis ad kalendas novembres usque, idem suadet auctor (7).

Proceræ autem hujus speciei arbores in montibus lætius proveniunt, quam in udis locis et humilibus: eæ itaque sunt

> Καλαὶ, τηλεθάουσαι ἐν οὔρεσιν ὑψηλοῖσι
> Ἑστᾶσ' ἠλίβατοι (8),

eæ sunt, quas Virgilius *æsculos*, Jovi sacras, *scopulis hærere* dicit (9).

Accedo ad secundam quercuum speciem, *pedunculatam*, quæ a materiei præstantia ad ædes navesque construendas et ad conficienda varia instrumenta a Veteribus laudatur. Lignum enim ejus infinitam habere æternitatem, parum habens humoris et aeris et ignis, docet Vitruvius (10). E Dodonæa quercu Argo compacta fertur Valerio Flacco (11). Δρυοπαγῆ στόλον dicit Sophocles in deperdito Philoctete Trojano,

(1) Cæs. de Bello Gall. lib. III, c. 14
(2) Plin. lib. XVI, c. 44. (Nost. edit. cap. 95. Ed.)
(3) Keyssler antiquit. septemtrion. et celt. p. 37.
(4) Histor. plant. lib. III, c. 9, p. 50, c. 10, p. 52.
(5) Ib. lib. III, c. 10, p. 52.
(6) Columell. de Re Rustic. lib. VII. 6, p. 364, ed. Schneider.
(7) Ib. lib. VI, c. 3, p. 298.
(8) Homeri hymn. in Vener. v. 267.
(9) Virgil. Georg. lib. II, v. 15, 290, et Martinii comm. ad h. v
(10) Architect. lib. II, c. 9, p. 33.
(11) Argonaut. lib. I, v. 302.

classem e quernis lignis fabrefactam (1). De Venetis narrat Strabo, naves πλατύφυγας ποιεῖν καὶ ὑψήπρυμνας καὶ ὑψόπρωρας, δρυΐνης ὕλης, ἧς ἐστὶν εὐπορία (2). Ex eodem ligno veteres idololatras, teste Pausania, simulacra Deorum suorum confecisse dicuntur (3).

Durities ligni comparationem cum silice et scopulis peperit, quam multoties apud antiquos legimus. Penelope Ulyssem adloquitur :

Οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου οὐδ' ἀπὸ πέτρης (4).

Hinc Ovidius de puella :

Illa graves potuit quercus, adamantaque durum,
Surdaque blanditiis saxa movere suis (5).

Ad cremandum itaque præferebatur id lignum, et ad busta conficienda, ut ad tumulum Patrocli ex πολυπίδακι Ida quercus ὑψίκομοι advectæ testantur (6).

Temporibus Theophrasti ea quercus ab Idæ incolis Αἰγίλωψ dicebatur. Maxime fere procera et recta dicitur, atque materies optima ad opera humana : in cultis rarius occurrere (7). Gallas proferre, quæ utiliter adhiberi ad coria paranda non possint : proferre quoque φάσκον seu lichenem (Usneam *plicatam*, *barbatam*, *floridam* Hofmann.), pendulum, sæpe cubitalem. Male itaque *cerrum* interpretantur αἰγίλωπα versiones antiquæ (8), quod Salmasius jam notavit (9) : immerito vero ipse αἰγίλωπα credit *esculum* esse, quum hujus fructus edules, αἰγίλωπος vero amaræ sint : ob eamdem rationem neque nostra ægilops priscorum αἰγίλωπι respondet.

Eam arborem docet Apuleius ἐν τοῖς συνεχῶς κατομβριζομένοις τόποις plantari (10).

Proferre hanc quercum eas gallas, quæ nomine *Knoppern* venduntur, Burgsdorfius optime probavit (11). Interest vero inter eas et vulgares, quod non globosæ sint, sed difformes, angulosæ, majoresque et fir-

(1) Hesych. lexic. col. 1038, not. Alberti ad h. v.
(2) Geogr. lib. IV, p. 297, ed. Almeloveen.
(3) Lib. VIII, c. 17, p. 400.
(4) Od. T, 163.
(5) Amor. lib. III, el. VII, v. 57.
(6) Il. Ψ, 119.
(7) Theophrast. Histor. plant. lib. III, c. 9, p. 50.
(8) Valer. Cord. annot. in Dioscorid. lib. I, c. 143, f. 21, b; Clus. rar. stirp. Hist. lib. I, c. 13, p. 20.
(9) Plinian. exercit. p. 360.
(10) Geoponic. lib. II, c. 8, p. 115, ed. Niclas.
(11) Schriften der Berlin. Gesellsch. naturforsch. Freunde. B. IV, H. 1, et Krunitzens Encyclopäd. B. XLI, S 706.

miores orientalibus. Cognovisse hanc gallarum qnercus pedunculatæ virtutem Theophrastus uon videtur, sicut et nostri mercatores nuperrimis eam tandem temporibus didicerunt (1). Oritur antem ea differentia gallarum inde, quod cbrysalis cynipis frnctni immaturo sese insinuat atque tuberculnm excitat difforme, quum alioquin ea insecta soleant folia maxime amare.

Quod superest, Arabes banc arborem nomine بلوطه *Belutah* insigniunt, glandes قلت *Külot*, et gallas سح *Such* vocant (2), aut حفس *Hafs.*

Jam vero ad antiquissimam simul et vetustissimam quercuum speciem transeamus, *esculum*, glande non solum esculenta, sed et sapidissima celebratam. Ea est, quæ φηγὸς a Veteribus dicta, primum Arcadibus nutrimentnm præbebat, postquam Pelasgus regnare cœpisset. Is enim Arcades, qui antea nonuisi radices ac herbas devoraverant, docnit tuguria ædificare, tunicas e coriis suillis consuere, ac glaudium, quas φηγὸς profert, esum præferre. Fuit vero tam frequens atque dinturnus hic glandinm cibus Arcadibns, ut, quo tempore monuit Apollo Lacedæmonios, ne Arcades bello lacesserent, celebre illud oraculum pronunciaverit (3) :

Ἀρκαδίην μ' αἰτεῖς; μέγα μ' αἰτεῖς· οὔ τοι δώσω.
Πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίῃ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασιν,
Οἵ σ' ἀποκωλύσουσιν· ἐγὼ δέ τοι οὔ τι μεγαίρω.

Hinc quoque lnmen accipit Penelopes sermo, supra allegatus :

Οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου, οὐδ' ἀπὸ πέτρης,

quem Enstathius ita explicat, ut Ulyssem genns sunm haudqnaquam ex Arcadum glandibus vescentium temporibns deducturnm esse speraverit conjux, sed veros parentes indicaturum. Addit idem Eustathius proverbinm : ἅλις δρυός, eumdem pristinum Arcadum victum qnoque indicare, qnippe quod de homine usurpetur, qni tum tenuissimo usus fuerit victu, jam ad lautum vivendi genus transeat (4).

Eamdem φηγὸν sub nomine δρυὸς laudat Hesiodus, quod summa ferat glandes, media vero apium opificia.

(1) Beckmanns Vorbereit. zur Waarenknnde, Th. I, S. 374.

(2) Serapion de simplic. Medicam. f. 135, b. Al-'Awam Hispanensis in Casiri biblioth. Escurial. vol. I, p. 323.

(3) Herodot. lib. I, c. 66, p. 35, ed. Reiz. Pausan. lib. VIII, c. 1, p. 349, t. II, ed. Fac.

(4) Eustath. in Od. T, p. 293 (fol. Basil. 1558).

Τοῖσι φέρει μὲν γαῖα πολὺν βίον· οὔρεσι δὲ δρῦς,
Ἄκρη μέν τε φέρει βαλάνους, μέσση δὲ μελίσσας (1).

Ante Lunam autem Arcades gavisos fuisse glandibus hisce esculentis, testatur Apollonius Rhodius (2):

Ἀρκάδες, οἳ καὶ πρόσθε σεληναίης ὑδέονται
Ζώειν φηγὸν ἔδοντες ἐν οὔρεσιν....

cujus distichi quum scholiastes varias afferat explicationes, ea præprimis mihi arridet, quam ex Aristotele περὶ τῆς Τεγεατῶν πολιτείας sumit, Arcades nempe Barbaros vicisse πρὸ τοῦ ἐπιτεῖλαι τὴν σελήνην, id est, vespertino tempore, antequam luna apparuerit, in fugam adeo rapidam conjectos fuisse, ut προσεληναῖοι dicti fuerint. Inde quoque idem auctor folia querna Rheæ, deorum matri, sacra fuisse tradit, διὰ τὸ καὶ πρὸς ςέγας καὶ πρὸς τροφὴν πρῶτον χρησιμῶσαι (3). Plutarchus testatur, ob dulce nutrimentum, quod φηγὸς præbeat et δρῦς, ζείδωρον καὶ μητέρα καὶ τροφὸν appellatam fuisse a Veteribus (4). Συγγένειαν Arcadibus quamdam esse ad quercum (5), ac ideo frondes quernas quoque coronis sertisque civicis inserviisse (6). Quod superest, Strabo (7) jam populum Hispanum vesci per duo anni tempora glandibus quernis refert, idemque narrat de Maroccanis Hostius (8).

Theophrastus præter dulcissimas glandes prædicat firmitatem materiei ac robur, quæ tanta sint, ut putrescere numquam soleat. Arborem ipsam non valde proceram esse, sed caudice crassissimo instructam (9). Quam quidem arborem longe differre a nostra fago, bene jam animadvertit Valer. Cordus (10), nominisque etymologiam Salmasius jure quidem a φαγεῖν *comedere*, ut Romani *esculi* ab *esca*, deduxit (11).

(1) Op. et dies, p. 231.
(2) Argonaut. lib. IV, v. 265.
(3) Lib. I, v. 1125. Aliam et doctissimam quidem explicationem Bottigeri vid. in Sprengel's Beytr. zur Geschichte der Medicin, St. II, S. 29.
(4) Plutarch. de carnis esu, p. 993, ed. Xyland.
(5) Ej. Quæst. Rom. p. 285.
(6) Ej. Coriolan. p. 214: Ἔςι δὲ ἡ δρῦς τῶν μὲν ἀγρίων καλλικαρπότατον, τῶν δὲ τιθασῶν ἰσχυρότατον. Ἦν δὲ καὶ σιτίον ἐπ' αὐτῆς ἡ βάλανος, καὶ ποτὸν τὸ μελίτιον. Ὄψον δὲ παρεῖχε τὰ πλεῖςα τῶν νεμομένων καὶ πτηνῶν, θήρας ὄργανον φέρουσα τὸν ἰξόν.
(7) Lib. III, p. 233.
(8) Nachrichten von Marokos, S. 306.
(9) Hist. plant. lib. III, c. 9, p. 50. Cf. de iis glandibus Galen. de facult. alim. lib. II, p. 329.
(10) Annot. in Dioscorid. lib. I, c. 144.
(11) Pliniau. exercit p. 360.

Tertia species, Quercus *pubescens*, quum in sola fere Gallia proveniat, Veteribus incognita fuit. Clusius primus eam nomine *Roboris* I. ita designavit: Humilis frutex, contortis ramis, foliis magis sinuosis et incisis quam quercus, nec ita viridibus, sed aversa parte pubescentibus. In Aquitania maxime frequentem esse (1).

Sequitur de *Cerro* sermo, quam quidem arborem a Theophrasto primum ἁλιφλοίου nomine descriptam esse cum Salmasio persuasum habeo (2). Merito taxat eos, qui ἁλίφλοιον *salsicorticem* verterunt, quasi ἅλς intelligatur, quum ipsum Theophrasti additamentum, arborem eamdem et εὔφλοιον appellari, satis doceat, ab ἅλις *satis* esse derivandum. Caudice etiam gaudere ἁλίφλοιον crasso et fungoso, οὐκ ἐγκαρδίῳ, lignoque hoc et Æoles non ad cremandum uti (3). Materiem quoque ejus arboris rejicit Vitruvius, quod pervia raritate humores penitus recipiendo celeriter marcescat (4). Bene quoque observavit Plinius calyce hanc speciem distingui horrido, echinato, ceu castaneæ (5).

Optime quidem hanc speciem inter recentiores primus descripsit Clusius, in eo tamen fallitur, quod αἰγίλωπα Veterum habeat. Αἰγίλωπι enim materiem firmissimam adjudicat Theophrastus, cerro autem fragilis est et cito marcescens. Cæteroquin Clusius corticem habet cerri crassiorem et scabrum; folia frequentioribus incisuris, sed minus altis, divisa, ac longioribus petiolis adhærentia, quam in quercubus vulgaribus. Ramulos esse breviores, frequentioribus nodis obsitos, gemmas minores et aliquot gracilibus foliolis, ceu staminibus aut villis septas: caliculos breviores, crassoque pediculo annotinis ramulis cohærentes, omnino hispidos et molliter echinatos, in quibus sit glans querna brevior et obtusiori mucrone prædita. Materiem esse candidiorem, laxiorem et ad opera minus aptam (6).

Aliam egregiamque hujus arboris descriptionem legimus apud Tournefortium, qui ἀνωνύμως eam observavit in vallibus prope Angoram (7).

Huic arbori gallarum seu tuberculorum, quæ Cynips excitat, tanta insidet copia, ut ramulus vix palmam superans, novem vel decem ejusmodi tuberculis obsitus reperiatur (8). Videntur tamen præstantia vinci ab iis gallis, quæ ægilopi insident.

Quercus *Ægilops*, *Velanedæ* nomine per totum Orientem celebrata, in Hispania *Querigo* appellata, optimas prædıcere gallas videtur. Adferuntur autem eæ hodie ex Mosule, juxta Tigridem, Aleppum,

(1) Rar. stirp. histor. lib. I, c. 13, p. 18.
(2) Salmas. Plinian. exercit. p. 236.
(3) Hist. plant. lib. III, c. 9, p. 50.
(4) Architect. lib. II, c. 9, p. 33.
(5) Lib. XVI, c. 6.
(6) Clus. rar. stirp. Hist. lib. I, c. 13, p. 20.
(7) Relation d'un voyage du Levant, vol. III, p. 297.
(8) Clus. l. c. Cf. Murray, Apparat. medicam. vol. I, p. 104, s ed. Althof.

sicut Plinii temporibus ex Commagene. Optimæ eæ gallæ orientales differunt ab europæis et firmitate et inæqualitate et colore atrocæruleo. Præstant quoque, e quibus chrysalis nondum evolavit, iis, quæ perforatæ jam sunt. Nomen ipsum Beckmannus merito germanicum habet (1).

Ipsos etiam calyces glandium, quas hæc arbor profert, antiquitas jam nomine ὀμφακίδος loco gallarum adhibebat (2), nostri quoque nomine *Eckerdoppen* eosdem ex Oriente adferunt (3).

Arbor ipsa Orienti familiaris, inde in Hispaniam transportata, frequenter ibidem colitur. Fallitur itaque Brockius, qui Indiam orientalem esse ejusdem patriam credit (4). Adeo vulgaris in Græcia veteri fuisse videtur, ut ἡμερίδος et ἐτυμόδρυος nomine eam a Theophrasto insigniri credibile sit. Quam sententiam quum meam esse contendo, vereor, ne pluribus displiceat, qui præsertim Salmasio, doctissimo certe viro, sed ἀβοτανολογήτῳ, nimis fidunt. Ἡμερίδος proceritatem non adeo laudat Theophrastus, quamvis nostri temporis auctores proceram eam sæpius viderint. Idem enim accidit in hac, quod et in aliis arboribus: differunt statura pro ratione soli, in quo proveniunt. Materiem porro ejus firmam habet, qualia et in nostra ægilope observatur; glandem esse edulem, quod omnino de ægilopis fructu valet, neque de Quercu vel *robore* vel *pedunculata* intelligendum, quippe quæ amaros proferunt fructus. Nomen autem τὸ μυδίον, quod ἡμερίδι adjungitur, manifesto corruptum est, atque ἐτυμόδρυν exprimit (5).

Dodonæi hemeris meo arbitrio nec hæc, nec ipsa vulgaris esse potest, quum folia ipsi tribuat ovato-lanceolata, inciso-serrata, serraturis acutis. Quum eamdem in Germania provenire dicat, nil nisi Quercum *Cerrum* intelligere videtur, quæ omnino in Austria reperitur (6).

Sequitur Quercus *Suber*: quam semel tantum Theophrastus inter ἀείφυλλα δένδρα recenset (7). Nomen ipsum φέλλου Pausanias tamquam singulare habet, Ionibusque et Hermesianacti, elegiarum auctori, familiare esse tradit (8). Vitruvius iis adnumerat, quarum lignum malam præbet materiem: primus autem inter recentiores bene descripsit eam arborem Clusius (9).

(1) Vorbereit. zur Waarenkunde, Th. I, S. 367.

(2) Paull. AEgin. lib. III, c. 42, p. 97, ed. græc. Basil. (Ὄμφακες) ἐςὶ τὸ κοῖλον ἐξ οὗ ἐκπέφυκεν ἡ τῆς δρυὸς βάλανος, ᾧπερ οἱ βυρσεῖς χρῶνται.

(3) Beckmann l. c. p. 381.

(4) Brocke's Forstwissenschaft, S. 494.

(5) Theophrast. Histor. plant. lib. III, c. 9, p. 50.

(6) Dodon. pempt. VI, c. 1, p. 823.

(7) Histor. plant. lib. III, c. 6, p. 44.

(8) Lib. VIII, c. 12, p. 385, t. II, ed. Fac.

(9) Rar. stirp. lib. I, c. 21, p. 21.

Celeberrima species quercus, quæ πρῖνος Veteribus dicta, materiei firmitate et duritie præprimis commeudabatur. Ita Hesiodus jam suadet aratri deutale ex πρίνῳ esse facieudum, et rursus :

Πρίνινον, ὅς γὰρ βουσὶν ἀροῦν ὀχυρώτατός ἐστιν (1).

Inde Aristophanes (2) :

Ἀχαρνικοί, στιπτοὶ γέροντες, πρίνινοι.

Lychnos quoque ex durissimo hoc ligno fabricatos fuisse, testatur Athenæus (3) ; rotas axesque et lyras aliaque instrumenta, Theophrastus (4).

Hujus vero arboris, quæ hodie Quercus *Ilex* vocatur, quum tot tantæque sint varietates, ut haudquaquam sine negotio easdem discernere possimus, primum Theophrasti descriptionem πρίνου ipsius consulamus, deinde vero ad eas transeamus, quæ differunt. Arborem esse fatetur, quercus vulgares proceritate exæquautem, dum idoneum fuerit solum; radicibus copiosis et altis iustructam ; folia esse quernis similia, sed minora ac aculeata ; corticem querno læviorem ; materiem spissam atque robustam ; fructum glandosum, glandem vero ipsam pusillam. Veterem fructum a novo occupari, quum sero maturescat : ideoque διφορεῖν nonnullis dici. Præter glandem ferre etiam κόκκον τινὰ φοινικοῦν, καὶ ἰξίαν, καὶ ὕφεαρ (5). Cæterum in moutibus crescere ac maturescere fructus post Pleiadum occasum (6), (id est, mense novembri).

Glandes ipsæ ἄκυλα a Veteribus dictæ, ab Homero jam nominantur inter eos fructus, quos Circe Ulyssis comitibus projecerit (7) :

Πὰρ δ' ἄκυλον βάλανόν τ' ἔβαλε καρπόν τε κρανείης,

cui Vossii nostri versio non satis respondet :

Sebuttete Eichelmast, Buchnuss' und rothe Kornellen.

Amphis apud Athenæum (8) :

Ὁ συκάμινος συκάμιν', ὁρᾷς, φέρει,
Ὁ πρῖνος ἀκύλους, ὁ κόμαρος μιμαίκυλα.

Quum glandes ilignæ, tenui exsuccoque putamine nucleum condant, Theocriti huc pertinent versus ;

(1) Hesiod. op. et dies, v. 427.
(2) Acharn. v. 179, 180.
(3) Lib. XV, p. 693.
(4) Histor. plant. lib. V, c. 8, p. 114.
(5) Ib. lib. III, c. 17, p. 64.
(6) Ib. lib. III, c. 6, p. 45.
(7) Od. K, 242.
(8) Lib. II, c. 11, p. 82, ed. Schafer.

Οὐδὲ γὰρ οὐδ' ἀκύλοις ὀριμαλίδες · αἱ μὲν ἔχοντι
Λεπτὸν ἀπὸ πρίνοιο λεπύριον, αἱ δὲ μελιχραὶ (1).

Speciatim sic dictæ fructus πρίνου non comedi, sed varietatum ilicis, testatur Dillenins (2). Hinc jure quidem Galenus non multum interesse virtutis inter glaudes vnlgares, ἀκύλους et castaneas, docet (3).

Plinii verba de ilicis duplici specie insignem pepererunt confusionem, quum eam speciem, qnæ spinosis foliis insignitur, *Aquifoliam* appellet, commutans bauc quercus speciem cnm arbuscula aut frutice longe alieno, Ilice nimirum *Aquifolio* (4), quæ quidem glandem haudquaquam fert, sed baccas. Id discrimen primus monuit Lobelius (5); atque septemtrionalibus familiarem esse regionibus aqnifolinm, ilicem vero, quæ species quercus sit, australes tantum regiones amare. Idem confirmat Salmasius, nomen aquifolii, seu acufolii derivans ab ὀξυφύλλῳ; ostendit quoque, male Plininm κραταιγὸν Theophrasti alio loco (lib. XXVII, cap. 8) aquifolia reddere: audiverat forte proconsul, qui veterum Græcorum monnmenta sibi prælegi jusserat, κραταίγονον Theophrasti esse graminis speciem ad flumina abundantem (Polygonum *Persicaria*). Similitudo itaque nominis ipsum irretivit, ut plantas adeo dissimiles conjnngeret.

Varietates ilicis potissimum duas describit Theophrastus, quarum alteram σμίλακα, alteram φελλόδρυν nominat. Smilacis nomine venire apnd Arcadas arborem ilici similem, sed molliori, integriori magisque vario folio iustructam; materiem non solidam esse, sed mollem (6); ideoque Pansaniæ σμῖλαξ, ex qua simnlacra deornm confecta esse testatur (7), aliud genns ligni esse debet. Non sine jure Salmasius (8) taxnm esse credit, in quo equidem ipsi consentio, quum taxus, qnæ Theophrasti et Nicandri temporibus μίλου aut σμίλου nomine insigniebatur, postea σμίλακος appellatione ferretur, notumque sit et nostris temporibus lignum, ob insignem firmitatem, ad varia domestica utensilia conficienda adhiberi (9). Theophrasti vero σμῖλαξ eadem est, quam Plinius cum oleis comparat, ilicis species.

Φελλόδρυς ipsa Theophrasti ἀείφυλλος est, et medium locum inter ilicem et quercum obtinere, a quibnsdam quoque, tamquam ilicem feminam, loco hujus adhiberi dicitur. Dorienses appellare ipsam ἀγρίαν;

(1) Id. V, v. 94, 95. Cf. Schreberus ad h. v. in edit. Harlesii.
(2) Reise durch Spauien, Th. II, S. 307.
(3) Galen. περὶ εὐχυμ. καὶ κακοχυμ. p. 355.
(4) Lib. XVI, c. 6.
(5) Adversar. p. 430.
(6) Theophrast. Hist. plant. lib. III, c. 17, pag. 64.
(7) Lib. VIII, c. 17, p. 400.
(8) Plin. exercit. p. 733.
(9) Du Roi's Harbke'sche wilde Baumzucht, Th. II, S. 454.

lignum ejus esse mollius ilice, quercu autem solidius, colore quoque magis albido quam ilicis, obscuriori quam quercus. Folia majora esse quam ilicis, minora quam quercus; fructum vero minorem quam ilicis, atque dulciorem (1).

Hanc quidem descriptionem alii arborum speciei neutiquam respondere arbitror, tertiæ varietati Quercus *Ilicis*, quam Cavanilles descripsit (2), atque de qua Dillonius jam locutus fuerat (3). Generatim tamen animadvertam, ilicis folia tantopere variare, ut in una sæpius arbore modo dentata, modo integra folia occurrant.

Optima icone φελλόδρυν expressit Lobelius ac descripsit: folia habere serrata, velut castaneæ, minora tamen quernis, majora iliguis, lignum esse mollius iligno (4). Eamdem arborem vidit Matthiolus in montibus Hetruriæ, nomineque Theophrasti descripsit (5).

Denique accedimus ad Quercum *cocciferam*, quæ, Europæ australi Asiæque familiaris, Cocco sedem præbet, βαφιχῇ jam a Veteribus dicto, a qua *kermesinus* color et *scarlatinus* originem ducit.

Vetustissimis autem temporibus nitidissimo, quem præbent cocci hujus fruticis, colore tinctam fuisse lanam, patet ex sacris Hebræorum monumentis, ubi vox תֹּלַעַת aut תּוֹלָע sæpius hoc sensu occurrit (6). Vermiculum autem signat ea vox, a تلع (*prominuit*) derivanda, sicut רִמָּה a רמם. Variis quoque locis, ubi תולע occurrit, arabica versio id قرمز *Kermès* reddidit. Semel vox כַּרְמִיל in veteri testamento legitur (2, Paralip. II, 7, 14) ubi simile omnino exprimere debet: facile quoque vox قرمز, quæ persica est (7), post exsilium babylonicum transiisse videtur in linguam Hebraicam, mutata littera ז in ל, sicut alioquin sæpius factum est. Ante exsilium babylonicum varii auctores crediderunt coccum βαφιχὸν haudquaquam potuisse Hebræis innotescere, ideoque תולע colorem eum significare, qui e Buccino

(1) Theophrast. lib. III, c. 17, p. 64.
(2) Icones et descript. plant. Hispan. vol. II, n. 142.
(3) Reise durch Spanien, Th. II, S. 307.
(4) Stirp. adversar. p. 432.
(5) Annotat. in Dioscorid. p. 189, 190.
(6) V. g. Exod. XXVIII, 5; Ps. XXII, 7, etc.
(7) Persice enim كرمز et كرمل idem signant, nempe *vermiculum*, σκωλήκιον, *vermillon*, et nomen provinciæ Kermân a vermibus. Wahl's Geschichte von Persien, Th. I, S. 587; Avicenn. lib. III, cap. 21, tr. 3, p. 585, قرمز dicit *coccineum colorem* sanguinis menstrui.

lapillo aut Helice *ianthina* elicitur. Consentiunt tamen plerique et antiquissimi interpretes, coccum potius voce תולע indicari, vetustissimaque Græcorum monumenta tradunt, Theseo ad Minotaurum interficiendum abituro Ægeum duo vela largitum fuisse, quorum alterum φοινικοῦν ὑγρῷ πεφυρμένον πρίνος (l. πρίνου) ἄνθει ἐριθάλλου erat, alterum autem atrum (1).

Apud Theophrastum semel tantum occurrit ἡ πρῖνος, τὸν κόκκον φέρουσα φοινικοῦν (2). Plinius vero, proconsul Hispaniarum, uberius illam descripsit, granaque illa, quæ ceu scabies in frutice erumpant, Cusculia appellari docuit, quæ quidem vox Græcam omnino originem prodit : τὰ κοσκυλμάτια enim Hesychius (3) et Aristophanis scholiastes (4) exponunt τὰ τῶν βυρσῶν περικομμάτια. In Galatia et circa Emeritam Lusitaniæ (Meridam hodie) gigni, et pensionem alteram tributi Hispaniæ pauperibus donare idem Plinius testatur (5). Ad Ambryssam in Phocide provenire docet Pausanias, appellari fruticem a Galatis ὗν, eum esse spinosum, foliis obscurioris coloris quam σχοῖνον (pro quo alii σχῖνος *lentiscus*, ego autem cum Palmerio πρῖνος lego); granum ipsum vero magnitudine orobum æquare (6). Cum lentibus comparat grana hæcce Dioscorides, legi ea a mulieribus τῷ στόματι, pro quo alii τῷ στρέμματι, alii τῷ στομώματι habent, Tychsenius vero egregie τῷ στόνυχι emendat (7). Optimæ huic emendationi equidem omnino adsentior, quum Hesychius eam vocem στόνυξ τὸ ἄκρον τῶν ὀνύχων exponat (8). Eximiæ indolis Coccos Dioscorides habet, quæ ex Galatia atque Armenia advehantur, postremum vero locum obtinere, qui in Hispaniis proveniant (9).

Quum medii ævi barbaries ingrueret, hujus præstantissimi coloris loco alium substituere cœperunt homines purpuram adfectantes; ex bullulis illum sumpserunt, quas sibi chrysalis *Cocci* sic dicti *polonici* ad radices Scleranthi *annui*, tum in Polonia, tum in Pomerania format. Hinc quoque glebæ adscriptis episcopi et dynastæ Germaniæ pensionem illam imposuerunt, ut coccum hunc spurium colligerent (10). Tandem, post orbem novum inventum, et Coccus *ilicis* et Coccus *po-*

(1) Simonides apud Plutarch. Thes. p. 7.
(2) Hist. plant. lib. III, c. 8, p. 49; c. 16, p. 64.
(3) L. c. vol. II, p. 327.
(4) Equit. ad v. 49.
(5) Plin. lib. XVI, c. 8; lib. IX, c. 41.
(6) Pausan. lib. X, c. 36, p. 283, ed. Fac.
(7) Beckmann's Beytr. zur Gesch. der Erfind. Th. III, S. 11.
(8) L. c. vol. II, c. 1274. Cf. Schol. Apollon. Rhod. lib. IV, v. 1679.
(9) Lib. IV, c. 48, p. 260, 261.
(10) Beckmann, l. c. p. 23.

lonicus cesserunt Cocco *cacti* e Mexicano regno allato (1). Plura autem adjicere huic historiæ temerarium duco, quum et Beckmannus et Dillonius eam uberrime tractaverint. SPRENGEL.

(1) Fischers's Gesch. des deutschen Handels, Th. II, S. 626 (ed. II, 1797). Male tamen, ac, uti solebat, μετ' ἀκρισίας, auctor cocci hasce species et inter se et cum *coccinella* nostrate confundit.

EXCURSUS II

Ad ea Plinii verba, lib. XVI, cap. 66 :

Nam et lacus (Copais) incrementa hoc temporis spatio servabat : prodigiosus, si quando amplitudinem biennio extendisset: quod notatum apud Chæroneiam, infausto Atheniensium, etc.

In libris vulgo editis interpolatorum opera sic legitur : « Atheniensium prælio : et apud Lebadiam sæpe notatur influente Cephisso : » quæ oratio mire inops sententiæ est. In MSS. Reg. 1, 2, Colb. Par. « Infesto Atheniensium et sæpe Lebaida vocatur, etc. » Itaque omnia intacta et integra liquimus : etsi Lebaida vox est haud satis cognita, nec dubitamus Copaidem paludem hic intelligi, in quam Cephissus influit, ut dictum est lib. IV, cap. 12, cui forte altera ista attributa appellatio sit, qua parte Cephissum excipit. *Infausto Atheniensium* porro dici simpliciter ac nullo adjuncto, pro *infortunio* et calamitate præsignificata, haud temere quidem, ut credimus, auguramur : quum et hoc ipso libro, c. 3, *bellorum civilium profano*, haud insolentiore loquendi norma, neque huic multum absimili, dixerit. Quod quidem adjecta hic vocula, « infausto Atheniensium exitu et sæpe, » legunt, audacis nimium conjecturæ nobis videtur, quibus consilium est non Plinii textum novum cudere, sed veterem ac genuinum fide integra repræsentare. *Et sæpe* autem quum adjecit, hoc prodigium alias rursum accidisse innuit, nec semel. Sic lib. II, cap. 57 : « Lacte et sanguine pluisse, M. Acilio cos. et sæpe alias. » Id vero et Theophrastus ipse haud obscure innuit, qui Hist. lib. IV, cap. 12, simili prodigio pestem alias prænuntiatam significat, alias penuriam arundinum consecutam. Μετὰ δὲ ταῦτα ὕστερον, ὡς ὁ λοιμὸς ἐγένετο σφοδρὸς, etc. Denique Salmasii conjectura, Exercit. in Solin. pag. 117, statuentis legi oportere, « Pelecania vocatur influente Cephisso, » et abest longius a vestigiis veteris scripturæ, nec Theophrastum, quo niti se putat, suffragatorem habet. Ait enim ille, Hist. lib. IV, cap. 12, nasci plurimam arundinem inter Melanem et Cephissum : locum eum Pelecaniam vocari. Hujus loci partes quasdam esse, quæ Χύτροι dicerentur, hoc est, voragines, nempe a forma ollarum, quibus arundo laudatissima proveniret : omnium autem optimam nasci circa Oxeam Campen, qui locus Cephissi ostium est : atque in totum, ubi crassum, lætum, fæcosumque solum sit, Cephissusque se permisceat, ampliorque sit lacus altitudo, ibi probatissimam arundinem oriri :

atque hæc omnia utique circa Oxeam Campen et Boedriam reperiri : habere enim amnem eum vim maximam ad arundinum commendationem : Φύεται δὲ πλεῖστος μὲν μεταξὺ τοῦ Κηφισοῦ καὶ τοῦ Μέλανος· οὗτος δὲ ὁ τόπος προσαγορεύεται Πελεκανία. Τούτου ἐστὶν ἅττα Χύτροι καλούμενοι, βαθύσματα τῆς λίμνης, ἐν οἷς κάλλιστόν φασι... Κάλλιστος δὲ δοκεῖ γίνεσθαι πάντων περὶ τὴν Ὀξεῖαν καλουμένην Καμπήν. Ὁ δὲ τόπος οὗτός ἐστιν ἐμβολὴ τοῦ Κηφισοῦ... Τὸ δὲ ὅλον οὗ ἂν ᾖ βαθύγειον καὶ εὔγειον χωρίον καὶ ἰλυῶδες, καὶ ὁ Κηφισὸς ἀναμίγνυται, καὶ πρὸς τούτοις βάθυσμα τῆς λίμνης, κάλλιστον γίνεσθαι κάλαμον· περὶ γὰρ τὴν Βοηδρίαν ταῦτα πάντα ὑπάρχει· ὅτι δὲ ὁ Κηφισὸς μεγάλην ἔχει ῥοπὴν εἰς τὸ ποιεῖν καλὸν κάλαμον, etc. Quibus verbis quis non intelligit, laudatissimum calamum tibialem non ex eo loco oriri Theophrastum velle, qui Pelecania vocaretur : sed in aliis quibusdam locis pinguibus ac lætis, ubi se Cephissus amnis immisceret, aut ubi ostium Cephissi foret? nec Pelecaniam vocari locum lacumve eum quo Cephissus amnis influeret : sed Oxeam Campen, et Boedriam, auctore Theophrasto : et præter istas appellationes, alio fortassis latere, Plinio auctore, Lebaidam? Mitto ea commemorare, quæ Salmasius eo loci congerit de voce πελεκανίσ, quam in πελικανία commutat : atque ut ejus verbi vim interpretetur, græci scriptoris verba sententiamque pervertit : mitto ea, inquam, et negligo, quod properandum sit ad majora. Est enim operæ pretium hic obiter animadvertere, quam eleganti et concisa brevitate Plinius perstrinxerit, quidquid de Veterum tibiis, de earum materia, forma, usu, aut scitu jucundum, aut a cæteris scriptoribus pariter est memoriæ proditum : uberiusque nunc versari in eo argumento, quod in prioribus Notis, pro instituti brevitate, quam maxime sequimur, leviter modo delibavimus.

Nam quod ad materiam primum attinet, fuisse eam multiplicem docet : « Nunc sacrificæ, inquit, Tuscorum e buxo : ludicræ vero loto, ossibus asininis, et argento fiunt. » Fieri et ex auro, orichalco, cervorum, asinorumque cruribus Philostratus admonet, de vita Apoll. lib. V, cap. 7, pag. 228 : Χρυσοῦ τε καὶ ὀρειχάλκου, καὶ ἐλάφων κνήμης... εἰ δὲ καὶ ὄνων. Jull. Poll. lib. IV, cap. 9, tit. 6 : Ἡ δὲ ὕλη τῶν αὐλῶν κάλαμος, ἢ χαλκὸς, ἢ λωτὸς, ἢ πύξος, ἢ κέρας, ἢ ὀστοῦν ἐλάφου, ἢ δάφνης τῆς χάμαι ξύλου κλάδος, τὴν ἐντεριώνην ἀφῃρημένος, etc. Fuisse significat ex calamo, ære, loto, buxo, cornu, osse cervino, ligno chamædaphnes exempta medulla, etc. E buxo quidem in sacris adhibitas esse tibias, non Plinius modo, sed et Statius auctor est, Theb. lib. IV, vers. 49 : « Quum sacra vocant, Idæaque suadet Buxus. » Atque ea tibia ἔλυμος vocabatur. Pollux, lib. IV, cap. 10, ubi varia tibiarum genera enumerat : Ἔλυμος, τὴν μὲν ὕλην, πύξινος· τὸ δὲ εὕρημα, Φρυγῶν. Alias in sacris ex ebore fuit : Virgil. Georg. lib. II : « Inflavit quum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras. » Hoc est, tibicen, qui in sacris tibiam inflavit eburneam. E loto vero, præter Plinium et Athenæum, quem in prioribus Notis ad hunc locum, et Pollucem, quem proxime appellavimus, prodidere alii, quos retulimus, lib. XIII, cap. 32. Sed vetustissima

tibiarum materies, ut ex Plinio ac cæteris liquet, calamus tibialis fuit, antequam in crassitudinem aucupatoriam cresceret, diceretur que zeugites: quod erat tum aucupiis tantum utilis, non tibiis: atque hæc ei crassitudo appellatioque adveniebat tum, quum lacus inundatio anno permansisset: ea vero maturius recedente ac subsidente, gracilior calamus fiebat, idemque tibiis aptus, et bombycias cognominatus, ob similitudinem soni, et spado, quod lanugine omnino nulla esset. Plinii hæc verba sunt ex hoc capite: « Tertia arundo est tibialis calami, quem auleticon dicebant: nono hic anno nascebatur: nam et lacus incrementa hoc temporis spatio servabat... Quum igitur anno permansit inundatio, proficiunt in aucupatorism quoque amplitudinem: vocabantur zeugitæ. Contra bombyciæ, maturius reciproco, graciles: feminarum latiore folio atque candidiore, modica lanugine: aut omnino nulla, spadonum nomine insignibus. Hinc erant armamenta ad inclusos cantus, etc. » Theophrastus totidem ferme verbis, Histor. lib. IV, cap. 12: Φασὶ γὰρ καὶ δοκεῖ βαθυνομένης τῆς λίμνης, μείναντα τὸν ἐπιόντα ἐνιαυτὸν, ἁδρύνεσθαι· καὶ γίνεσθαι τὸν μὲν ἁδρυθέντα ζευγίτην· οὗ δ' ἂν μὴ συμπαραμείνῃ τὸ ὕδωρ, βομβυκίαν... Διαφέρει δὲ τῶν ἄλλων καλάμων, ὡς καθόλου λαβεῖν, ἀτροφίᾳ τινὶ τῆς φύσεως· ἀπληθέστερον γὰρ εἶναι, καὶ ἀσαρκότερον, καὶ ὅλως δὲ θῆλυν τῇ προσόψει· καὶ γὰρ τὸ φύλλον, πλατύτερον ἔχειν καὶ λευκότερον, τὴν δὲ ἀνθήλην ἐλάττω τῶν ἄλλων. Τινὰς δὲ ὅλως οὐκ ἔχειν, οὓς καὶ προσαγορεύουσιν εὐνουχίας· ἐξ ὧν ἄριστα μὲν φασί τινες γενέσθαι τὰ ζεύγη, κατορθοῦν δὲ ὀλίγα παρὰ τὴν ἐργασίαν. « Fertur enim, videturque, aucta latitudine lacus, durante que inundatione, crassari arundinem: et fieri quidem crassiorem, zeugitem: bombyciam vero, quum aqua non permanserit... Distat autem bombycias a reliquis arundinibus, universe loquendo, nutrimenti nativi penuria: inanior enim est, et gracilior: atque in totum femina arundo aspectu intelligitur: latius enim ei folium est, candidiusque: lanuginis minus, quam cæteris. Quædam etiam omnino lanuginis nihil habent, quas spadonum nomine indigitant. Ex his optima tibiarum paria fieri aiunt, sed pauca tamen recte in opere succedere. » Quibus ex verbis intelligas præposteræ interpunctionis vitio ante nos hunc Plinii locum laborasse, quum sic ederetur: « Feminarum latiore folio atque candidiore: modica lanugine, aut omnino nulla, spadonum nomine insignibus. »

Jam forma tibiæ in eo præcipue posita, quod et foraminibus multis constaret, et ligulis. De foraminibus res obvia est, nec eget explicatu. Papias in Vocabulario: « Tibia est instrumentum musicæ, cum diversis foraminibus, quæ ore inflatur. » Hinc *multifora tibia* Senecæ, Nasoni *multiforum buxum*. Ligulæ vero, seu lingulæ, frusta erant duo excisa ex arundine, tibiæ ori inserta, sic admota invicem, compactaque inter se, ut tenuis modo immittendo spiritui aditus inter utrumque foret: Gallis: « anche de hautbois, de cornemuse, de musette. » Polluci, lib. IV, cap. 9, tit. 5, γλῶτται. Hesychio γλῶσσαι, et γλωσσίδες τῶν αὐλῶν. Festo, *lingulæ*. Ab his concinnatores tibiarum γλωσσοποιοί, uti a fora-

minibus αὐλοτρύπαι vocabantur, auctore Polluce, tit. 6, pag. 189. Tibicinum in eo ars elucebat in primis, ut labia lingulam bene complecterentur, neque ardenti idcirco ore canerent: Εὐστομία δὲ, ἣν τὰ χείλη ἐνθέμενα τὴν τοῦ αὐλοῦ γλῶτταν, μὴ πιμπραμένου τοῦ προσώπου, αὐλῇ, inquit Philostr. de vita Apoll. lib. V, cap. 7, pag. 228. Compressiores vero inter se lingulæ, contentionem utique majorem poscebant: atque id genus tibiæ bombyces vocabantur, a similitudine soni, inflabanturque difficilius, et erant longiusculæ. Aristot. lib. περὶ ἀκουσ. p. 1202: Πάντες γὰρ χαλεπῶς πληροῦσι τοὺς βόμβυκας, καὶ μετὰ συντονίας πολλῆς, διὰ τὸ μῆκος τῆς ἀποστάσεως. Hinc et calami bombyciæ a Plinio appellati. Harum vero tibiarum præcipuus in theatris usus. Plinius: « Tunc quoque multa domandæ exercitatione, et canere tibiæ ipsæ docendæ, comprimentibus se ligulis, quod erat theatrorum moribus utilius. » Et idem legere est apud Theophrastum, Hist. lib. IV, cap. 12: Συμμύειν δὲ τὸ στόμα τῶν γλωττῶν, ὃ πρὸς διακτορίαν εἶναι χρήσιμον. « Sed linguarum ora comprimi, quod ad ingressum nunciorum in scenam maxime est accommodatum. » Διακτορία scilicet ingressum significat nunciorum in scenam, in quo tibiarum utique contentione opus fuerit, hoc est, graviore concentu, qui apertis deinde tibiis acutior fuit. Eædem processu temporis *apertiores* factæ sunt, inquit auctor, *ad flectendos sonos.* Scilicet ut assa vox in cantu quum flectitur, varietatem modulationis faciat: quod qui præstant ᾀσματοκάμπτας Græci vocant: sic in tibiarum modulatione spiritus tibicinis vertitur ac temperatur, ut varios edat sonos. Quo spectasse Plautus videtur, Merc. act. I, sc. II: « Perii: animam nequeo vertere: nimis nihili tibicen siem. » Atque ejusmodi tibicines, camptulas vocat Flavius Vopiscus in Carino, pag. 254.

Usus denique tibiarum in sacris: unde *sacrificæ Tuscorum tibiæ* apud auctorem. Gruteri inscriptio, pag. 269: TIBICINES. ROMANI. QVI. SACRIS. PVBLIC. PRAEST. SVNT. Et pag. 175: COLLEGIO. TIBICINVM. ET. FIDICINVM. ROMANORVM. QVI. S. P. P. S. hoc est, « qui sacris publicis præsto sunt. » Vide quæ dicturi sumus lib. XXVIII, cap. 3. Usus et in ludis, nuptiis, choreis, unde ludicræ Plinio appellatæ. Sed de tibiis ac tibicinibus satis. HARD.

(Optimam erud. Harduini notam ne Plinianæ orationis tenor ac contextus legentibus periret, haud pœnitenda ratione, ad calcem libri rejiciendam censuimus. ED.).



TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC QUINTO VOLUMINE PLINII CONTINENTUR.

V. 13

FINIS TOMI QUINTI.



Conditions de la Seconde Souscription.

La collection complète des *Classiques Latins* se compose de 150 gros volumes grand in-8 beau papier, imprimés par Didot, et entièrement publiés, à 4 fr. 50 c. le volume; total : 675 fr. au lieu de 1981 fr. 50 c., prix de la première souscription.

Les livraisons seront de 2 ou 4 volumes tous les dix jours, ou d'un plus grand nombre, au choix des souscripteurs. On versera, en souscrivant, 9 fr. imputables sur les deux derniers volumes. Pour les départements et l'étranger, chaque ballot de 10 volumes coûtera en sus pour l'emballage 50 c., et 75 c. pour 20 volumes; le port à la charge du souscripteur.

En prenant dès à présent livraison de toute la collection, les 150 volumes ne coûteront que 625 fr. y compris emballage et port pour la France; 330 fr. pour chaque moitié, et 170 fr. pour chaque quart de la collection.

Après les 25 premiers souscripteurs le prix sera porté à 6 fr. le volume.

Vu le petit nombre d'exemplaires on ne servira que les 50 premiers souscripteurs à la collection complète.

Quelques exemplaires des divers auteurs se vendent séparément au prix de

vol.		fr.		fr.
1	Catulle,	6	au lieu de	16.
20	Cicéron,	100	—	365.
3	Claudien,	11	—	37.
1	Florus,	6	—	13.
3	Horace,	18	—	38.
1	Justin,	6	—	16.
3	Juvénal et Perse.	16	—	49.
2	Juvénal seul,	12	—	32.
3	Lucain,	16	—	38
3	Martial,	16	—	48.
10	Ovide,	60	—	125.
	1 Les Métamorphoses en grec,	6	—	16.
2	Phèdre,	12	—	37.
4	Plaute,	24	—	61.
13	Pline l'ancien,	65	—	186.
	2 La zoologie avec notes de Cuvier,	12	—	30.
2	Pline le jeune,	10	—	25.

vol.		fr.		fr.
1	Properce,	8	au lieu de	16.
3	Quinte-Curce,	17	—	50.
7	Quintilien,	35	—	94.
10	Sénèque, phil. et trag.	50	—	146.
2	Silius Italicus,	10	—	32.
4	Stace,	20	—	61.
2	Suétone,	14	—	36.
3	Térence,	16	—	38.
1	Tibulle,	6	—	16.
13	Tite-Live,	65	—	165.
2	Val. Flaccus,	10	—	27.
3	Val. Maxime,	13	—	35.
1	Vell. Paterculus,	6	—	16.
8	Poetæ minores,	36	—	113.
4	César.	Ne se vendront pas séparement.		
1	Corn. Nepos,			
1	Salluste,			
6	Tacite,			
9	Virgile,			

SOUS PRESSE :

T. LUCRÈCE, servant de complément à la Collection.

2 VOLUMES, qui seront livrés aux souscripteurs à la collection complète, au prix des autres volumes.

N. B. Quelques volumes incomplets de la première souscription circulant dans le commerce, on ne garantit que les exemplaires revêtus de la présente couverture et provenant de la seconde souscription.

Imprimerie de H. Fournier et comp., rue de Seine, 14.





